TRACTATUS
ROBABILITATIS
EX PRINCIPIIS ANTIQUORUM COMPOSITUS,

IN QUO

OBABILITAS IN GENERE, ÆQUALIS, & MINOR
per ea, quæ docuerunt Antiqui,
ſtabiliuntur,

Et plures Opiniones, de Confeſſione, Confeſſore, Horis Canonicis,
Æquivoco, Turpi lucro, Duello, rerum Defenſione occiſiva,
deque aliis ad Probabilitatem priſtinam, à qua per
Probabilioriſtas dejectæ fuerant, ex
Priſcorum placitis revocantur.

AUCTORE

NICOLAO PEGULETI
Sacræ Theologiæ Profeſſore.



LOVANII,

Apud Ægidium Proſt, *Superioribus Annuentibus.* 1707.

AD LECTOREM.



I ulla unquam in Scholis Theologicis materies agitata fuit Enixis viribus, illa profectò est de opinione Probabili. Mirum, quot Doctores de hac re, nec parvi momenti, dissertationem instituerint, & quantùm pro ejus enodatione elaboraverint. Alii disputationem longissimam, alii tomos integros ediderunt. Porro adeo multa afferunt in suis de ea voluminibus tam Probabilioristæ contra Probabilitatem, quàm Probabilistæ in ejusdem favorem, ut jam actum agere videatur, qui de hoc argumento adhuc disserere tentaverit. Verùm enimverò, si, quod mihi ipsi videtur, promere liceat, existimo, rem non ita se habere, sed plurima posse addi iis, quæ à sapientissimis Authoribus de hâc difficultate in utramque partem sunt allata. Unum tamen notatu dignum præcipuè animadverteram, nempe Doctores rigidos perpetuò in Probabilitatem objicere Novitatem. Clamant, opinionem de sequenda æquè, vel minùs probabili, esse novum inventum, & solùm ab ævo Bartholomæi Medinæ lucem aspexisse. Audiamus Illustrissimum Clerum Gallicanum de Anno 1700. in Palatio Sancti-Germani celebratum in quodam Libello ad §. *De Opinionum Probabilium usu* sic dicentem: *Quòd ergo in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabiliorem eligendam judicemus, hoc novum, hoc inauditum, ac postremo demum sæculo proditum.*

Sic etiam Antonius Cordubensis in Quæstionario Theologico lib. 2. q. 3. assert. 1. cum scripsisset, partem tutiorem esse tenendam, quando eadem est probabilior, statim subjungit: *Et in hoc omnes Theologi conveniunt.* Nedum verò Authores Probabilioristæ in hanc existimationem abierunt, sed ipsi quoque Probabilistæ. Hinc Franciscus Amicus tom. 3. disp. 15. num. 75. disertè affirmavit: *Omnes ferè antiquos Theologos negare, licitum esse operari secundùm sententiam minùs tutam, & simul minùs probabilem.* Ego illi perpetuùm opinioni libentissimè subscripsi, testibus non esse credendum de aliorum factis testificantibus, nisi ipsum fundamentum scientiæ in medium afferant; Proinde cum Authores non adaperiant caput, & originem, unde permoti fuerint ad historiam hanc tenendam, *omnes nempè Doctores Veteres ivisse in opinionem rigidam;* ideo jure præsens opus aggredior, & inquiro, an Probabilitas sive in suo genere, sive in æquali, sive in minori gradu recta morum regula fuerit apud Antiquos.

Apud Antiquos inquam; quamobrem Lector, Modernorum laudator, de me jure conqueri haud poterit, si Doctores juniores, qui adeo Probabilitatem illustrarunt, non viderit allegari, cum solùm, quid in hac difficultate senserint prisci Scriptores, disquirere proposuerim; omnes

verò, me actum omnino non agere, sed novam promovere quæstionem; sibi facillimè persuadebunt. Propterea, si verum est adagium illud: *Omnia nova placent*, sperare non desinam, hunc meum fortassis, qualiscunque is sit, laborem veritatis studiosis quibuscunque placiturum; & quidem Probabilistis, quia ipsorum Placitum Antiquis placuisse demonstro; Probabilioristis verò, quia non impugno opinionem probabiliorem, pro qua adeo acriter decertarunt, sed tantùm aperio hoc dubium, an ipsorum hæc rigida opinio priscis Authoribus arriserit, de quo iidem quæstionem non instituunt: Tum quia pro hac opinione affero quosdam Antiquos, quos nondum allegatos alibi vidi, ut legenti cap. 18. patebit. Quia autem, ut inquit Divinus Vates in Psal. 115. *Omnis homo mendax*; & ex D. Bonav. in 2. dist. 15. circa textum dub. 3. *Vix aliquis Catholicorum Tractatorum immunis fuit à deceptione*; proinde non dubito, me in plurimis potuisse decipi; sed cum sciam etiam, me non voluntariè, sed ex humana imbecillitate deficere; ideo humillimè, quæcunque assero, illius judicio submitto, cui à Christo Domino dictum est illud certissimæ stabilitatis effatum: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ex sola misericordia Pastoris divini vivo in Salvatoris Ovili; est ergo omnino necesse, ut doctrinæ cibum recipiam ab illo, cui Christus ipse commisit: *Pasce oves meas.* Igitur Summo Christi Vicario, Beatissimo CLEMENTI Undecimo, cum Hieronymo relato in *C. hæc est fides*. 24. q. 1. veraci corde profiteor: *Hæc est fides, Papa Beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamque semper tenuimus, & tenemus, in qua si minùs peritè, aut parum cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem, & Sedem tenes; sin autem hæc nostra confessio Apostolatùs tui judicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.*

Sed nedum à Sede Apostolica, verùm etiam à quibuslibet viris doctis meliùs sentientibus libenter corrigi appetam, si tamen, ut loquar cum Augustino Epist. 19. c. 1. *Non quia ipsi ita sentiant, sed quia mihi per Authores Canonicos, vel Probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, poterunt persuadere*; namque, subdo cum eodem Augustino Epist. 15. c. 1. *absit, ut lædar, si mihi certa ratione voluerit quis, & potuerit demonstrare, se veriùs intellexisse, quàm me; imo verò absit, ut non cum gratiarum actione lucris meis deputem, si fuero, ipso docente, instructus, aut emendante correctus.*

IN-

INDEX AUTHORUM.

* iii Ga-

Gabriel Biel.
Glossa Canonica.
Glossa Civilis.
Glossa Divi Raymundi, seu Villelmus Rodonensis.
Glossa Sacræ Scripturæ.
Godeschalcus Rosemondo.
Goffredus Abbas. †
Goffredus de Fontibus. †
Goffredus Tranensis.
Gratianus.
Divus Gregorius Magnus.
Divus Gregorius Nyssenus.
Guido de Monte Rocherio, seu Manipulus Curatorum.
Guido Papa. †
Guilelmus Altisiodorensis.
Guilelmus de Alvernia, seu Parisiensis.
Guilelmus Durandi, seu Speculator.
Guilelmus de Monte Laudano. †
Guilelmus Na. †
Guilelmus Ocham.
Guilelmus Paraldus.
Guilelmus Rubion.

Henricus Boic.
Henricus Gandavensis.
Henricus Herp.
Henricus Hostiensis.
Hervæus Brito.
Divus Hieronymus.
Divus Hilarius.
Hippocrates.
Hugo Canonista. †
Hugo de Sancto Victore. †
Humbertus Generalis PP. Dominic. †

Jacobus Almainus. †
Jacobus de Aretio. †
Jacobus Butrio. †
Divus Ignatius de Lojola. †
Innocentius Primus.
Innocentius Tertius.
Innocentius Quartus.
Joannes Altenstaig.
Joannes de Amb. †
Joannes de Anania. †
Joannes Andreas.
Joannes Antonius à Sancto Georgio, aliàs Præpositus.
Joannes Bacconius.
Joannes Bassolius. †
Joannes Bertachinus.
Joannes de Biblia. †
Joannes Burchardus. †
Joannes Calderinus. †
Divus Joannes Capistranus.
Joannes Capreolus.
Joannes Chappius.
Divus Joannes Chrysostomus.
Divus Joannes Damascenus.
Joannes Driedon. †
Joannes Duns Scotus.
Joannes de Fanton. †
Joannes de Faventia. †
Joannes de Fontana. †
Joannes de Friburgo.
Joannes de Gambaco. †
Joannes Gerson.
Joannes de Imola.
Joannes de Lignano. †
Joannes Major.
Joannes Medina.
Joannes de Neapoli.
Joannes Nider.
Joannes Parusi. †
Joannes Tabiensis.
Joannes Turrecremata.
Divus Isidorus.
Iuvenalis.

Lactantius Firmianus.
Divus Laurentius Justinianus.
Lex Canonica.
Lex Civilis.
Lex Longobarda.
Ludolphus Carthusianus.
Ludovicus Lopez.

Magister Sentent. seu Petrus Lombardo.
Marcus Tullius Cicero.
Marsilius de Inguen.
Matthæus de Cracovia. †
Divus Maximus Monachus.
Melendus. †
Michael Bartholamæus Salonius.
Monaldus.

Nicolaus de Ausmo, aliàs Supplementum Pisanellæ.
Nicolaus Barriani.
Nicolaus de Lyra.

Nico-

Nicolaus de Orbellis.
Nicolaus de Tudeschis, Abbas Panormitanus.

Origenes.

Divus Paulinus. †
Paulus Grysaldus.
Pelbartus in Rosario.
Petrus Aquilanus.
Petrus Arragon.
Petrus Aureolus.
Petrus de Bellapertica. †
Petrus de Bergomo.
Petrus Casuel, seu Directorium juris. †
Petrus Joannes de Ancharano.
Petrus Lombardus, seu magister Sent.
Petrus Navarra.
Petrus Paludanus.
Petrus de Sampsona. †
Petrus Soto.
Petrus de Tarantasia. †
Petrus Tataretus.
Pontifices varii in Bullis.
Præpositivus. †
Priscianus.

Quintilianus.

Rainerius de Pisis.
Divus Raymundus de Peniafort.
Raynaldus in Summa. †
Richardus Anglicus. †
Richardus de Mediavilla.
Rupertus Abbas.
Rupertus Holcot.
Sanctes Pagninus. †
Stephanus Brulifer.
Supplementum Pisanellæ, seu Nicolaus de Ausmo.
Sylvester Prieras.

Tertullianus.
Theodoretus.
Theophilactus.
Divus Thomas Aquinas.
Thomas Argentinas.
Thomas de Vio, aliàs Cajetanus.

Vervec. †
Villelmus Rodonensis, seu Glossa Divi Raymundi.
Divus Vincentius Ferrerius.
Vincentius Lirinensis. †
Vincentius Tancredi Canonista. †
Vincentius in Speculo Historiarum. †
Ulricus. †

† Qui hoc signo notantur, hos Authores non legi, sed ab aliis allegatos retuli.

¶ Qui verò hoc designantur, sunt unus Author. Deceptus fui, quia ad nomen solùm respexi, nec legi Præfationem Rosellæ, in qua apertè declaratur hæc veritas.

Allego Glossam Divi Raymundi sub nomine Villelmi Rodonensis, & jure hoc facio. Excussa fuit anno 1603. Romæ sumptibus Joannis Tallini Summa S. Raymundi de Peniafort cum *Glossis Joannis de Friburgo*.

Hic idem Codex iterum prodiit in lucem, sed cum diverso titulo, qui talis est: *Jo: de Friburgo Ordinis Prædicatorum de Sacramentis Pœnitentiæ, Ordinis, & Matrimonii ad Summam Sancti Raymundi Commentariorum libri quatuor:* Romæ apud Andream Phæi 1619. Liber dedicatur Clementi Octavo, & Philippo Tertio Hispaniarum Regi à Patribus Dominicanis.

Ego, salva reverentia Authoris, qui fecit imprimere Codicem prædictum, & ipsi placuit, credere, illas Glossas factas esse à Ioanne de Friburgo, assero esse editas à Villelmo Rodonensi, qui vixit paulo ante Ioannem de Friburgo, quique fuit famosissimus usque ad Sylvestrum Prieras, qui fuit ultimus, cui libuit sæpissime, ut alii Antecessores Moralistæ fecerant, Villelmum Rodonensem, Glossatorem Raymundi allegare. Duo fundamenta habeo meæ assertionis: Primum. Astensis, Pisanella, ejus Supplementum, Antoninus, Angelus, Rosella, Henricus Boic, Abulen. & de Orbellis referunt Villelmum Rodon tanquam Glossatorem Raymundi, Sive autem illum afferant nomine proprio Villelmi

elmi Rodon, sive sub nomine Glossæ Raymundi, referunt textus, qui verbatim habentur in illa Glossa Raym. quæ dicitur composita à Ioanne de Friburgo. E contra nunquam apud ipsos invenies allegatum Ioannem de Friburgo, nisi in Summa Confessorum.

Secundum fundamentum, & quidem evidens, est authoritas ipsius Ioannis de Friburgo. In ejus Summa Confessorum habentur duo Prologi. Primus est factus in quendam Libellum, cui titulus: *Libellus* quæstionum casualium. In ipso ergo sic scribit Author: *Ego Frater Joannes Lector de Ordine Prædicatorum... primo tam de textu*, quàm de ejus apparatu, seu Glossa Summæ Venerabilis Patris Fratris Raymundi, *qui pœnitentiarios dirigit, registrum, sive tabulam, secundum ordinē Alphabeticum cū diligentia ordinavi.* Ecce Friburgo *ordinat textum, & Glossam Raymundi.* Ergo, sicut non composuit textum Raymundi, sic nec ejus Glossam. Legantur alia sequentia illius Prologi, quæ multùm faciunt ad propositum.

In alio Prologo, qui factus est in Summam Confessorum ab eodem Authore, hæc habentur: *Similiter cum nominatur* hic *Glossa, semper intelligendum est* de Glossa Villelmi super Summam Raymundi, *nisi alia Glossa specificetur, ut Glossa Innocentii &c.* Igitur Friburgo in sua Summa Confessorum apertè fatetur, Villelmum fecisse Glossam in textum Divi Raymundi, & paulò ante dicit, se ponere in sua Summa casus Summæ Raymundi, & ejus *Glossæ*, quibus addit ea, quæ à posterioribus Doctoribus scripta sunt. Lege hanc Summam Joannis, & in ipsa videbis frequentissimè allegari Glossam Villelmi factam super Raymundum. Lege insuper Glossam Raymundi, de qua loquimur, & videbis esse eandem cum illa, quam allegat Friburgo.

Denique ut tollatur omne dubium, lege hanc Summam Confessorum lib. 2. tit. 3. q. 3. Ibi quærit, an duellum sit licitum: Refert opinionem negativam, postea subdit: *Glossa tamen Villelmi hic contra prædictos solemnes Doctores sentit cum secunda opinione*, & dicit, quòd illa videtur rationabilis, & maximè ubi innocens accusatur de crimine ad mortem; durum enim videtur dicere, quòd talis teneatur potiùs sustinere se suspendi, quàm se defendere in duello. Sed fortè distinguendum est &c. Sed cum liceat res suas armis defendere, easque defendendo raptorem occidere, si aliter defendere non potest, quare non potest eas defendere in duello, non quod ipse offert, sed quod ei à judice offertur, vel potiùs infertur? Propter hoc credo, quòd hæc opinio potiùs tenenda est, cum ratione non careat, & sit benignior; ne videamur damnare omnes illos, qui se defendunt in duello, vel res suas. De Sacerdote autem non credo &c. Hæc omnia Villelmus. Contra Villelmum sufficiat, quòd duellum prohibitum est. Hactenus Friburgo. Lege Glossam Raymundi lib. 2. tit. *de duello* litt. F. V *non peccare*, & litt. G. V. *si sit etiam Sacerdos*, & verbatim leges textum allegatum à Friburgo sub nomine Glossæ factæ à Villelmo. Observa etiam, quòd Friburgo teneat opinionem oppositam illi, quam sequitur Glossa Raymundi, nec dicit se corrigere. Ergo Ioannes de Friburgo, & Glossator Raymundi sunt duo Doctores.


Igitur concludo, quòd Ioannes de Friburgo ordinavit Glossas Raymundi, & hoc solùm, apponendo litteras Alphabeti; unde primæ Glossæ alicujus tituli apposuit litt. A. secundæ Glossæ litt. B. & sic deinceps. Posthac ergo, si excudetur Summa Beati Raymundi cum Glossis, hunc titulum debebit habere: *Summa Sancti Raymundi cum Glossis factis à Villelmo Rodonensi, & ordine alphabetico dispositis a Joanne de Friburgo.* Probabilistæ legant has Glossas, quia sunt benignæ, quantum desiderare possunt. Hæc volui notare, quia dum in hoc Opere allego pro eadem opinione Friburgo, & Rodon, opinio est securior, si pro se habet duos Doctores, quàm si unum solum.

IN-

INDEX CAPITUM.

CA-

CA-



ERRA-

Errata / Corrige

Caput	*num. margin.*	*lin.*	Errata	Corrige
12	2	38	sciendum	sentiendum
	53	4	89	889
14	19	15	vinum	virum
15	3	4	sit	non sit
16	23	26	sit	non sit
17	19	28	experiri	exprimi
18	6	8	in quo sub excommunicationis latæ sententiæ obligantur	in quo efficaciter suadentur
19	12	3	non possimus	possimus
22	5	27	vir ducat	vir non ducat
26	52	38	versamur	vescamur
28	7	9	habebat	non habebat
	9	11	non tamen	tamen
	14	11	præcipit	incipit
	21	3	non omittere:	non omittere: & subdit;
29	9	27	integretur	interpretemur
32	19	8	volvens	vovens
33	5	22	non posse	posse
	17	8	verititius	verius
	88	51	delinandum	declinandum
35	32	17	*ut veterum*	*ut veterum* 9. dist.
36	14	4	juxta tem opinionum	tem opinionum juxta
	3	10	erigens	exigens
	41	1	Goditurascalcus	Godscalcus
	44	6	sune	sunt
	59	4	& minus tutam fateantur	& minùs tutam esse antiquam, dum Doctores illi antiqui fateantur
	73	25	contrariam	juxta contrariam
37	49	8	conservandam	consecrandam
39	33	14	Ecclenæ	Ecclesiæ
41	86	10	valirissimis	validissimis
	92	26	aquorum	aquosum
42	8	14	pœnitentii	pœnitenti
	39	20	consesus	consensùs
44	13	19	acensus	ascensus
In Tit. Cap. 47.			*Probabilitatem*	*Æquivocationem*
In Indice rerum V. *Res.* lin. 2.			45	c. 45.

Cæteros plurimos errores quisque facilè cognoscet.

TRA-



TRACTATUS PROBABILITATIS

Ex Principiis Antiquorum Compoſitus.

CAPUT PRIMUM.

Probabilitas à Probabilioriſtarum Convitiis defenditur.



Mnes Doctores, qui Probabilioriſtæ, vel Securiſtæ nominantur, in hoc concordant, Probabilitatem non eſſe bonam regulam morum; hinc damnant ipſius Sectatores, tanquam per viam damnationis incedentes: Nec ſimpliciter illam proſcribunt, ſed dicteriis, ſcommatibus, injuriis, opprobriis major pars horum Doctorum eandem inſectatur. Illam vocant *Fontem, & originem morum depravatorum, laxativam conſcientiarum, artem peccandi fucatam, artem claudicandi in utramque partem, quæ propemodum ſinit, unumquemque ad arbitrium vivere, & ſuæ imaginationis idolum colere, nulla habita ratione Legis, aut conſideratione ultimi finis; Artem cavillandi, vel potiùs fucatam peccandi licentiam, ſimplicitati prorſus inimicam, & toti humano generi pernicioſam; Abyſſum, Morbum, & Malum Probabilitatis &c.* poteſtnè acerbiùs aliquâ doctrina notari?

2. Si res non eſſet antiquiſſima, quòd varietas opinionum vigeat, eſſet tolerandum utcumque, talia probra torqueri in Probabilitatem tanquam in principium, unde ſæpe diſcordia in opinando emergit; at ſemper ab initio diſputationum mos obtinuit, ut in rebus obſcuris Doctores inter ſe diſſentiant. Sive ergo Probabilitas ſit, ſive non ſit recta regula morum, perpetuò in talibus diſſenſio fuit apud Magiſtros; adhuc tamen propter hanc diſcrepantiam illi ſe mutuò maledictis non carpebant, ſed magna benevolentia, & honore ad invicem digladiabantur. Notæ ſunt quæſtiones,

etiam in moralibus, inter Divos Augustinum, & Hieronymum; verumtamen nec probra inter ipsos, nec execrationes de alterius opinionibus legimus.

Semel visum fuerat Hieronymo, Augustinum non tota modestia processisse in quæstione de mendacio officioso instituta contra ipsum Hieronymum, dum scriberet eidem, ut *palinodiam caneret*; quia autem primo aspectui novum, nec verisimile apparebat, quòd Augustinus ita se gereret erga Hieronymum, ipse Hieronymus, quamvis Stylus, & Epicheremata Epistolæ Augustinum proderent, maluit judicare, illam Epistolam non esse Augustini, sed alterius.

Sed audiamus Eloquentiam Hieronymi, & erubescant, & sileant Probabilioristæ contumeliosi: *Itaque si tua est Epistola, apertè scribe, vel mitte exemplaria veriora, ut absque ullo rancore stomachi in Scripturarum disputatione versemur, & vel nostrum emendemus errorem, vel alium frustrà reprehendisse doceamus. Absit autem à me, ut quicquam de Libris Beatitudinis tuæ attingere audeam; Sufficit enim mihi probare mea, & aliena non carpere. Cæterùm optimè novit Prudentia tua, unumquemque in suo sensu abundare, & puerilis esse jactantiæ, quod olim adolescentuli facere consueverant, accusando illustres viros suo nomini famam quærere; Nec tam stultus sum, ut diversitate explanationum tuarum me lædi putem, quia nec tu læderis, si nos contraria senserimus; Sed illa est vera inter amicos reprehensio, si nostra opera non videntes aliorum juxta Persium Manticam consideremus. Superest, ut diligas diligentem, & in Scripturarum Campo Juvenis senem non provoces. Nos nostra habuimus tempora, & cucurrimus, quantum potuimus; nunc te currente, & longa spatia transmeante nobis debetur otium; Simulque (cum venia, & honore tuo dixerim) ne solus mihi de poetis aliquid proposuisse videaris, memento Daretis, & Entelli, & Vulgaris Proverbii: quòd Bos lassus fortius figat pedem.* Hactenus Hieronymus litter. 13. inter August.

3. Hunc morem Sanctorum sequuti sunt postea antiqui Scholastici, Magister Sententiarum, Altisiodorensis, Alensis, Albertus, Divus Bonaventura, Richardus, Durandus &c. & celeberrimarum Scholarum Coriphæi Divus Thomas Doctor Angelicus, & Subtilissimus Scotus. Ipsi quoque prisci Summistæ non aliter se gesserunt, D. Raymundus, Villelmus Rodonensis, Joannes de Friburgo, Rainerius, Astesanus, Pisanella &c.

Magister Sententiarum in 4. dist. 17. sequitur veritatem catholicam, quòd Confessio auricularis sit sub præcepto; & quamvis referat opinionem oppositam, quæ jam hæresis evasit manifesta, adhùc tamen, quia tunc Ecclesia nihil deciderat, illam non damnat. Sic etiam D. Raymundus *lib. 3. tit. de senten. defin. præcep. & excomm.* §. 31. refert opinionem cujusdam Melendi asserentis, habentem unam excommunicationem non posse amplius excommunicari, & licèt nunc hæc opinio sit error apertus, quia tamen tunc res obscura erat, Sanctus Doctor nec Adversarium damnat, nec dicteriis doctrinam insequitur.

4. Ego plurimùm legi hosce antiquos Authores, nec reperi scommata in opiniones oppositas, nec in ipsarum Doctores. Qui hoc non credit, adeat, & oculis suis legat opera illorum Procerum; nec enim, ut illos convincam, vacat longum catalogum texere, & alia exempla proferre, siquidem nimiùm excresceret hic Tractatus; illa duo exempla retulisse, sufficiat.

Addo insuper, quòd Doctores antiqui adeo se modestè gesserunt, ut Scholastici raró nominent Magistros, quorum opiniones confutant; Summistæ verò, si nominant Doctores, solent hunc tenorem custodire: primò referunt opinionem unam cum aliquo Authore; secundò referunt alteram cum suis rationibus, & Doctoribus; & sic transeunt; unde censentur approbare implicitè secundam. Quòd si unam expressè approbant, oppositam non censurant, & sæpè etiam non respondent argumen-

argumentis oppositis : aliquando etiam si confutant aliquem, hoc faciunt posito prius aureo monito Beati Augustini Epist III. relato in c. *neque quorumlibet.* 9. *dist* Scilicet,*salva semper ipsi reverentiâ debitâ.*

5. Sed quid plura? ipse Summus Pontifex, & omnium Pastor dicteriis non onerat Doctores, si sequuti sunt opinionem in se falsam, sed ante determinationem Ecclesiæ. Legatur Bulla præfixa à Gregorio Tertiodecimo Decreto Gratiani, & ab ipso Gregorio correcto. In hac Summus Pontifex ait, esse excusandos antiquos Glossatores, si aliquando aberraverint, & reddens rationem hujus excusationis dicit: *Quia nondum pleraque erant decisa ab Ecclesia.* Legatur etiam c. *damnamus* de Summ. Trinit. in hoc determinatur veritas de Unitate Dei contra Abbatem Joachim asserentem divinas Personas esse unum Deum eo modo, quo plures homines sunt unus Populus. Facta hujusmodi decisione subdit Pontifex : Si quis igitur sententiam, vel doctrinam præfati Joachim in hac parte defendere, vel approbare præsumpserit, tanquam hæreticus ab omnibus evitetur. In nullo tamen propter hoc Florentino Monasterio (cujus ipse Joachim extitit institutor) volumus derogari...... Maximè cum ipse Joachim omnia scripta sua nobis assignari mandaverit Apostolicæ Sedis judicio approbanda, seu etiam corrigenda..... Reprobamus etiam, & condemnamus perversissimum dogma impii Almerici, cujus mentem sic Pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tàm hæretica, quàm insana sit censenda. Hucusque sacer textus.

Nota differentiam inter Joachim, & Almericum ; Utriusque doctrina damnatur; uterque tamen non damnatur, sed solus Almericus, qui proinde impius vocatur. Nota etiam, quòd Pontifex vult evitari ut hæreticus, qui defenderit doctrinam Joachimi. Nunc inquiro, cur Joachim non damnatur, & damnatur Almericus, cum uterque errore n se jutus sit? Tum fortiùs, Joachim defendendo suum errorem non evitatur ut hæreticus, bene verò est fugiendus ut talis, qui post decisionem Pontificiam eundem errorem Joachim tueretur; quare hæc differentia?

6 Videamus Antoninum 3. par. tit 5. c. 2. §. 9. ubi ait : Qui assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum scripturæ testimonium, sive contra id, quod publicè tenetur secundùm authoritatem Ecclesiæ, non potest vitio erroris excusari. Concor. Monal. Guil. & Host en. Aliqua, quæ aliquando fuerunt in varia opinione Doctorum, antequam per Ecclesiam fieret determinatio, *& pro illo tempore potuerunt excusari, qui unam, vel contrariam partem tenebant;* Sed postquam determinatum est per Ecclesiam, & firmata altera earum, hæreticum esset sentire contrarium. Exemplum de paupertate Christi. Ante Papam Joannem Vigesimumtertium erant variæ, & contrariæ opiniones, utrùm Christus cum Apostolis habuerit in communi mobilium ; sed determinatum fuit per ipsum Papam Joannem Vigesimumtertium, imo per Ecclesiam, quòd habuit, ut Jo. 13. & c. habebat 12. q. 1. Ita quòd, qui contrarium assereret pertinaciter, hæreticus haberetur. Addit Hostien, quòd cum sint diversa jura, & opiniones, scilicet non contra Deum, vel bonos mores, humanior sententia est præferenda, scilicet cæteris paribus de transact. c. fin. aliàs standum est ei, quæ meliori innititur rationi : dist 20. §. 1. c. Capellanus de Fer. Adde etiam, quòd in his, quæ concernunt forum Conscientiæ, in dubiis tutior pars est eligenda, de spons. c. juvenis ; *nec tamen de facili contraria opinio est contemnanda.* Sic Ant. Eandem doctrinam tradiderat par. 1. tit. 3. c. 10. §. 10. vers. *revertendo ad quartam*, & glossaverat D. Thomam, qui videbatur esse contrarius.

Observa illam doctrinam, quòd ante determinationem Ecclesiæ in iis rebus, etiam sacris, in quibus varia erat opinio, *excusabantur, qui unam, vel contrariam tenebant opinionem*, & hanc

doctrinam universalem probat Antoninus exemplo in materia de paupertate Christi, in qua ante determinationem Joannis Vigesimitertii excusabantur variè opinantes, non verò post talem determinationem. Hæc doctrina est conformis illi, quam Antiqui communiter tradebant de Notionibus, de qua nos infra agemus. Dicunt ergo Antiqui, quod in materia de Notionibus divinis licet variè opinari, non verò asserere, *ante decisionem Ecclesiæ*, & *ante investigationem, per quam scimus*, & *videmus rei veritatem.*

7. Confirmatur ex l. *regula ff. de jur.* & *facl. ignor.* vers. *sed juris ignorantiam.* Labeo assignans casum, in quo juris ignorantia non excusat, ait: *ut cui facile sit scire*, & *detrimento sit juris ignorantia.* Cum ergo ante expressum textum Scripturæ, & ante decisionem Ecclesiæ, & sic dum res est obscura, non sit facile scire veritatem rei, cum videamus, nedum Theologos, sed etiam Patres in hisce casibus variare in opinionibus; Sequitur in his casibus, si legem ignoramus, hanc ignorantiam esse excusabilem juxta leges; cur ergo Adversarii illam damnant?

Confirmatur ulteriùs *c. fin. de Constit.* dicitur: Quòd Constitutio Sedis Apostolicæ nihil debet obscurum, vel ambiguum continere; & Gloss. v. *ambiguum* ait, quòd lex nullam obscuritatem continere debet, ne per obscuram constitutionem in laqueum incidamus, nemini enim debemus laqueum injicere 27. q. 2 *de viduis*, nec debet nos inducere per legem obscuram, vel dubiam ad id, à quo nos cohibere debet. Videantur Gloss. c. un. de post. prælat. in 6. v. *de cætero*, Imola, & Abbas c. fin. de Constit. n. 2. & alios Canonistas in hunc locum. Præterea in c. *erit autem* 4. *dist.* Isidorus observat, quòd lex debeat esse *manifesta, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat.* Si de ratione legis est, quòd sit manifesta, quomodo opinio damnabitur per legem obscuram?

8. Igitur ex his ego regulam efformo: Opinio *est excusabilis*, & sic, nec condemnabilis erit, *quandiù contra ipsam argumentum certum non reperitur.* Hinc rectè Antoninus dicebat, illos Doctores excusari, qui ante decisionem Joannis Vigesimitertii unam, vel alteram opinionem sequebantur in materia paupertatis Christi. Et ratio regulæ est evidens, quia opinio nequit damnari, nisi de falsitate convincatur; cum ergo sola certitudo convincat, non verò Probabilitas; Sequitur evidenter, quòd opinio, contra quam non militant argumenta certa, nequeat damnari: minor est evidens, & major deducitur clarè ex testibus modò allatis. Confirmatur à paritate de Reis, qui ex l. fin. C. de probat. & refertur c. sciant cuncti. 2. q. 8. non damnantur, nisi contra ipsos instruatur publica notio, quæ munita sit testibus idoneis, *vel instructa apertissimis documentis*, *vel indiciis ad probationem idoneis*, *vel indubitatis*, & *luce clarioribus.* Ergo etiam, si opinio deducatur ad Tribunal Pontificium, ut de falsitate notetur, non erit damnabilis, nisi argumenta certa contra eam afferantur. In cap. 3. & 4. videbimus cuicunque Probabilitati posse nos licitè contraire per Doctores antiquos; atque adeò ad proscribendam opinionem, non argumenta probabiliora, sed certa sunt conficienda.

Hinc patet differentia, cur Abbas Joachim sequendo suum errorem non evitabatur ut Hæreticus, bene verò ut tales sunt evitandi, qui nunc talem errorem docerent; ratio est clara, quia Joachim suam opinionem tenuit ante decisionem Ecclesiæ, unde tunc res erat obscura, & sic dignus erat venia, si veritatem non videret; in tenebris enim nemo videre potest; posita autem determinatione Ecclesiæ, cum lux veritatis affulgeat, excusatione indignus est, si quis incidat in foveam falsitatis. Et hæc doctrina apertè colligitur ex c. *dixit Apostolus* 24. q. 3. in quo dicitur: qui sententiam suam, *quamvis falsam, atque perversam* nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis peperit, sed à seductis,

à seductis, & in errorem lapsis parentibus acceperunt; quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, *nequaquam sunt inter hæreticos computandi.* Vide Raym. lib. 1. tit. de Hæret. &c. §. 10.

9. Hoc totum confirmatur ex aliis Sacris Canonibus. In c. *unius* 26. dist. Divus Hieronymus sustinuit, non esse bigamum illum, qui in Infidelitate habuit unam uxorem, in Fidelitate verò aliam. In c. *acutius* ead. Divus Augustinus oppositum docuit. Ecclesia decidit quæstionem in c. *deinde* ead. & confirmavit opinionem Augustini; adhuc tamen Hieronymum non damnavit. Signum manifestum, quòd, qui defendit suam sententiam ante decisionem Ecclesiæ, non sit dignus condemnatione; cum verò de similibus idem sit judicandum. l. *non possunt.* ff. de leg. & c. *per venerabilem* qui filii sint leg. Sequitur, quòd in aliis materiis ante inventionem certi argumenti liceat variè opinari, & propter hoc nec notari. Si ergo Almericus ut impius à Canone dictus fuit, non verò Joachim, & Beatus Hieronymus, quamvis errorem & ipsi defenderint, debemus asserere, hanc differentiam derivare, quia ille contra principium certum tenuerit opinionem, non verò isti.

Ex his omnibus patet evidentissimè, hosce Probabilioristas contra morem Antiquorum Doctorum, Sanctorum Patrum, & ipsius Ecclesiæ procedere, dum Doctrinam de Probabilitate damnant, quæ nondum à Sede Apostolica proscripta est, nec contra ipsam argumenta evidentia confecta sunt. Hinc nos possumus illos justissimè redarguere, dum nos volunt à Probabilitate deterrere sub prætextu, quòd sit contra Sanctos Patres; ipsi verò evidenter contra morem, nedum Sanctorum, sed etiam Ecclesiæ procedunt.

10 Sed velint, nolint, debent Probabilitatem non censurare; audiamus Innocentium Undecimum in suo illo Decreto condemnatorio multarum opinionum, de quo infra. Tandem, inquit Pontifex, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicunque imposterum se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur, *idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit*, ut tam in Libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in thesibus, disputationibus, ac prædicationibus, *caveant ab omni censurâ, & notâ*, necnon à quibuscunque *Convitiis* contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos *hinc inde controvertuntur*, donec à Sancta Sede recognitæ super iisdem propositionibus judicium proferatur.

Ex his verbis primò liquet, dari præceptum sub mortali, ut constat ex illis verbis: *præcipit in virtute sanctæ obedientiæ.* Secundò, hoc præceptum ligare *Doctores, & quoscunque alios.* Tertiò, hoc præceptum esse observandum *in Libris imprimendis, in scriptis, in thesibus, disputationibus, ac prædicationibus*; Quæ verba involvunt adeo plures casus, ut vix persona comprehensa possit illud in aliquo casu subterfugere. Quartò, hoc præceptum obligare, *ne censuras, notas, & convitia proferamus.* Quintò, hoc præceptum valere tantùm pro illis propositionibus, *quæ adhuc hinc inde inter Catholicos controvertuntur.* Hæ tamen propositiones non gaudebunt hoc Pontificio privilegio, postquam Sedes Apostolica de ipsis judicium suum protulerit; data enim sententia Apostolica, tunc ita & nos judicare debemus *c. hæc est fides. c. rogamus* 24. *q.* 1.

11. Nunc licet instruere argumentum evidens contra Adversarios. Propositio, quæ adhuc controvertitur inter Catholicos Doctores, nec est damnata à Sede Apostolica, debet esse libera à censuris, notis, & convitiis; sed opinio de Probabilitate, etiam minori, sectanda est propositio, quæ adhuc inter Catholicos Doctores controvertitur, *nec est damnata à Sede Apostolica.* Ergo opinio de sectanda, etiam minori, Probabilitate debet esse libera à censuris, notis, & convitiis. Hoc argumentum est omnino evidens, major enim est decisio Innocentii; minor vero est clara legenti

Bullas Alexandri Septimi, Innocentii Undecimi, Duodecimi, & Alexandri Octavi, in quibus damnant multas propositiones; nam hanc de Probabilitate non invenies. Damnatur quidem in quibusdam materiis; verbi gratia, quando agitur de valore Sacramenti; nunquam tamen universaliter proscribitur. Damnatur etiam generaliter, sed quando *Probabilitas est tenuis*, ut patet ex Decreto Innocentii XI. num. 3. At nos loquimur de Probabilitate, quæ licèt comparata cum majori sit minor, adhuc tamen in se sit magna. Sic dicimus, licèt Authoritas Scoti respectu Divo Thomæ sit minor juxta Thomistas, tamen debet etiam à Thomista judicari magna, & gravis, & si judicaret Thomista authoritatem Scoti esse levem, juridicè vapularet à Scotistis.

12 Dices: Propositio de minori Probabilitate sectanda est damnata à pluribus Episcopis Gallis, ut videri potest apud Vendrochium in sua Appendice ad dissertationem de Probabilitate §. 11. & novissimè à Clero Gallicano Anno 1700. in Comitiis Generalibus coacto in Palatio San-Germano Parisiis in tit. *de electione Opinionum*, decretum est, *doctrinam hanc initium malorum esse*, *atque omnium dictarum corruptelarum caput.* Ergo saltem Doctores Galli poterunt notare, censurare, & convitiari hanc doctrinam de Probabilitate minori.

Sed contra; nego siquidem consequentiam, de antecedenti sermo erit infra, quando agam de propositionibus damnatis à Conciliis Provincialibus. Ratio est manifesta, quia quando Superiores in præceptis sunt contrarii, debemus obedire Majori; nam, ut ait Glossa super illud ad Rom. 13. qui potestati resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: Si quid jusserit curator, nunquid est tibi faciendum, si contra Proconsulem jubeat? Rursum, si quid Proconsul jubeat, & aliud Imperator, nunquid dubitatur illo contempto, illi esse serviendum? Ergo si aliud Imperator, aliud Deus jubeat, contempto illo obtemperandum est Deo. Ita Glossa, quem refert, & sequitur D. Th. 2. 2. qu. 104. art. 5. & DD. communiter agentes de Obedientia; & est per se notum; Si enim est major in jurisdictione, ergo minor debet cedere. Cum ergo Pontifex expressè præcipiat, ne aliquis condemnet propositiones, quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur, & talis sit propositio de Probabilitate, sequitur evidenter, quòd Doctores Galli non debeant illam damnare, quamvis notata sit à Clero Gallicano, nam debent potiùs obedire Pontifici, tanquam Majori.

Notabis obiter consonantiam Decreti Innocentiani cum Doctrina Antiquorum, præcipuè Divi Antonini. Dicebant hi, nos posse variè opinari ante decisionem Ecclesiæ; & Innocentius jubet, ne censuremus propositiones ante judicium Pontificium. Antiqui subdebant, nos non posse variè opinari postquam invenimus textum, & rationem, quibus veritatem *sciamus*, *& videamus*. Quod est dicere, nos posse variè opinari, *usque* dum certi non simus in illa materia. Pontifex jubet, ne notemus illas propositiones, *quæ adhuc inter Catholicos hincinde controvertuntur.* Hanc conditionem Pontifex superfluè utique non apposuit, quia lex nihil superfluum continere debet, ut habetur in proem. Sexti. Significant ergo illa verba implicitè, quòd illæ propositiones aliàs habeant rationes graves, & dignas, ut adhuc propter illas Catholici Doctores inter se controvertant, & variè opinentur. Si enim levibus rationibus moverentur ad hasce controversias, jam illa pars contradictionis, quæ rationes leves haberet, esset temeraria; & sic evidenter digna *temeritatis Notâ*, *& Censurâ*; Ergo Pontifex absque fundamento prohiberet, ne taliter notaretur. Patet ergo per Pontificem nos posse variè opinari, usque dum certi non sumus in illa materia.

13. Morem ab Antiquis laudatum, & in praxi deductum, & à Summo Pontifice expressè præceptum adamussim ego sequar; neminem convitiis onerabo, aut impet..m,

impetam, quin omnes, ut par est, & dignum Viro, maximè Claustris addicto, colam, & prosequar; opiniones verò *alienas*, si adhuc inter Catholicos controvertantur, cum reverentia dimittam: opiniones jam à Sede Apostolica proscriptas in eodem sensu certissimè damnabo, excusando interim ipsorum Doctores, sive Antiqui fuerint, sive Moderni, ne sim personarum acceptator contra Apostolum. Illos porrò excusabo sectando exemplum Gregorii Decimitertii supra relatum, & Doctorum Antiquorum, qui si opiniones ab errore protegere non poterant, defendebant, & excusabant Authores.

Hæc dicta sint ad compescendam multorum Probabilioristarum audaciam. Dixi *multorum*; siquidem non omnes Probabilioristæ exarserunt in furorem, sed stylo gravi, cordato, & Theologis digno in Probabilitatem scripserunt, quos inter eminent Cardinalis Lauræa, Thyrsus Gonzalez, & Fogarinus, quos propterea libenter legere fas est; è contra verò illos sine molestia, & stomacho evolvere non possumus, quin imò absolutè aliquando legere nequimus nimis nauseati à dicteriis, clamoribus, & maledictis.

CAPUT SECUNDUM.

Quid sit Opinio.

1 CErtum est apud omnes, nomine opinionis non venire primam intellectus operationem, quæ à Logicis simplex apprehensio vocatur. Est etiam certum, quòd semper affirmationem, aut negationem unius de alio involvit; nam per Aristotelem 6. Æth. c. 3. opinione falsum dicere possumus, uti & suspicione. Difficultas stat in assignanda ejus definitione, & hoc procedit, quia variè à Doctoribus usurpatur. Quia verò finis meus est ex Antiquis Doctoribus hunc de Probabilitate tractatum componere, ideo quas definitiones de Opinione hi tradiderint, breviter referam; sed ante Doctores Antiquos afferam Patres, quos definitionem hujusmodi tradidisse, legere potui.

2. Divus Augustinus tom. 6. de utilit. credendi c. 11. ita scribit: *Tria sunt alia hominum genera, profectò improbanda, ac detestanda; unum est opinantium, idest eorum, qui se arbitrantur scire, quod nesciunt........ Tria sunt item velut finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima*, Intelligere, Credere, Opinari, *quæ si per seipsa considerentur, primùm per seipsum sine vitio est; secundum aliquando cum vitio; tertium nunquam sine vitio.* Reddens deinde Sanctus Doctor rationem, cur opinari semper sit cum vitio, ait: Opinari duas ob res turpissimum est; quod ediscere non potest, qui sibi jam, se scire, persuasit, si modò illud disci potest; & per seipsam temeritas non bene affecti animi signum est....... Quod intelligimus igitur, debemus rationi; quod credimus, Authoritati; quod opinamur, errori.

In Lib. de mendacio ad Cosent. c. 3. tom. 4. dicit: Inter credere autem, & opinari hoc distat, quòd aliquando ille, qui credit, sentit, se ignorare, quod credit, quamvis de re, quam se ignorare novit, omninò non dubitet, si eam firmissimè credit; qui opinatur autem, *putat se scire, quod nescit.* Ex hisce textibus patet, quod per Divum Augustinum opinio est *existimatio certa de re, quæ potest aliter se habere.* Et quidem, quod multi adhæreant firmiter opinionibus, sicut faciunt alii erga scientiam, patet ex Aristotel. 7. Æth. c. 3. num. 5. Hoc vitio laborare plures Probabilioristas, non dubito; namque aliquando ut certas tenent conclusiones, quæ possunt aliter se habere, ac proinde solùm sunt in linea opinionis; & hinc Probabilistæ absque scrupulo oppositas tuentur, & sic ego pluriès faciam in hoc Tractatu.

3. Divus Maximus in Epist. ad Marinum, & est ejus primum Opusculum, & reperitur in Bibliotheca Patrum tom. 7. pag. 607. agens de opinione sic dicit: Opinio est duplex, rationalis, &

sine ratione. Opinionem sine ratione, ajunt, esse cognitionem simplicem, & in promptu; ut cum quis profert opinionem alienam ignorans causam ejus; ut qui dicit, animam esse immortalem, & non reddit causam, quæ immortalitatem ejus demonstret; Rationalem verò opinionem dicunt esse cognitionem secundùm determinationem mentis constitutam; ut cum quis ratiocinatus de aliqua re causam ejus scienter reddit..... Proprium est mentis, conficere viam aliquam ferentem ad cognitionem rei, procedit enim à propositionibus per ratiocinationes ad conclusiones. Sic Divus Maximus, & est, non ille Episcopus Taurinensis, sed Monachus, de quo fit mentio in Martyrologio Romano die 13. Augusti.

Secundùm ergo Divum Maximum *opinio sine ratione* est cognitio simplex de alterius opinione sine ratione, per quam probatur illa opinio. Opinio autem Rationalis *est conclusio habita medio ratiocinio a quibusdam propositionibus*. Hinc si illæ propositiones erunt certæ, tunc illa opinio erit rigorosè scientia; si probabiles, tunc illa opinio verè, & in rigore Philosophico erit opinio probabilis, ut nunc Philosophi accipiunt opinionem probabilem.

4. Divus Hieronymus de definitione Opinionis nihil habet expressè; ex iis tamen, quæ scribit super cap. 16. & 23. in Matth. videtur colligi, quòd opinio sit cognitio de objecto, quod potest aliter se habere; unde ibi diversas conclusiones, quas diversi habebant de eadem re, vocat opiniones.

Curavi ex Divo Joanne Damasceno, & Divo Isidoro Hispalensi invenire aliquid ad propositum; & quamvis tractaverint de Dialectica, nihil reperi. Sic etiam in Gregorio Magno, Joanne Grisosthomo, & Ambrosio nihil inveni. Nec mirum, quia est res philosophica, & Patres supernaturalia, & divina explicare satagebant; & propter hanc rationem mirum non erit, si definitionem Opinionis clarè habitam ex Divo Augustino non amplectemur, nam juxtà Divum Thomam in 2. dist. 13. art. 3. ad 1. Divus Augustinus in Philosophicis non habet magnam auctoritatem. Nec obstat c. sancta 15. dist. in quo approbatur doctrina Divi Augustini; intelligitur enim de iis, quæ scripsit de fide, & moribus. Hinc Beatus Th. quodl. 3. art. 10. dicit ex Apost. ad Rom. 14. extra has materias quemlibet posse abundare in proprio sensu.

5. Divus Bernardus lib. 5. de considerat. c. 3. docet, tribus viis Deum, & Angelos esse investigandos, scilicet *Opinione*, *Fide*, & *Intellectu*. Observa hic statim, quantum discrepet in acceptione Opinionis Divus Bernardus à Divo Augustino; siquidem per Augustinum *nunquam Opinio est sine vitio, & semper est improbanda, ac detestanda*; è contra per Divum Bernardum Opinio est via ad cognoscendos Angelos, & Deum; & sic est amanda, & sectanda.

Prosequitur Bernardus, & ait: Intellectus ratione innititur, Fides authoritate, Opinio sola verisimilitudine se tuetur. Habent illa duo certam veritatem, sed Fides clausam, & involutam, Intelligentia nudam, & manifestam. Cæterùm opinio certi nihil habet, verùm per similia quærit potiùs, quam apprehendit.... *Sciendum, quia opinio, si habet assertionem, temeraria est.* Fides, si habet hæsitationem, infirma est...... multi suam opinionem intellectum putaverunt, & erraverunt..... possumus singula hæc ita diffinire: Fides est voluntaria quædam, & certa prælibatio necdum propalatæ veritatis. Intellectus est cujuscumque invisibilis certa, & manifesta notitia. *Opinio est quasi pro vero aliquid, quod falsum esse nescias.* Hæc Bernardus: igitur per Sanctum Doctorem opinio est *existimatio, quòd res quasi ita sit, quamvis possit aliter se habere*; Si enim res non posset aliter se habere, tunc res non haberetur ut *quasi Vera*, ut requiritur ad Opinionem ex Divo Bernardo, sed haberetur, *ut vera est*; & sic illa cognitio esset certa, ac proinde non esset Opinio. Dicitur autem, *quod falsum esse nescias*, nam si scires, oppositum esse verum, tunc de alio non posses habere

habere opinionem, quia oppositum certitudini *non potest haberi quasi pro Vero*, ut requiritur ad Opinionem.

Nescio, an Pater Gonzalez adversetur Divo Bernardo, nam dissert. 1. §. 1. num. 4. ait, quòd dum probabiliter assentimur uni potiùs, quàm alteri, judicamus *judicio absoluto*, *unam ex illis esse veram*, & *alteram falsam*. Hinc opinio est *absolutum judicium de veritate rei*, *cum formidine tamen*, juxta Gonzalez; at Divus Bernardus ait, quòd opinio sit *quasi habere pro vero objectum*.

Illa particula, *Quasi*, notat diminutionem apud Barbosam ex ll. & licèt notet etiam veritatem, in textu tamen Divi Bernardi veritatem notare nequit, quia Opinio *verisimilitudine se tuetur*. Ergo Opinio non *est judicium de veritate rei*, sed est *quasi judicium de veritate rei*.

6. Hic notabis illa verba: *Opinio, si habet assertionem, temeraria est*. Ego legens Antiquos, ut infrà patebit, cognovi, quòd nomine Assertionis intelligebant cognitionem certam. Vult ergo dicere Divus Bernardus, quòd, qui in re opinabili adhæret certitudinaliter ipsi, *sit temerarius*; & jure taliter est censendus, dum non judicat rem ex vi ipsius, sed ex sua temeritate. Opinio juxta hanc acceptionem est illa, quam describit Divus Augustinus.

7. Nunc transitum faciamus ad Scholasticos, & Summistas. Alexander Alen. par. 1. q. 68. memb. 1. art. 2. ait, quòd opinio est, cum propter aliquas rationes animus versatur magis ad unam, quàm ad aliam partem. & par. 2. q. 69. memb. 4. art. 2. dicit: quòd opinio est acceptio alicujus cum formidine alterius.

Albertus Magnus tom. 19. qui est *Summa de Creaturis*, in tract. de Homine q. 51. art. 1. fin. dicit, opinio est acceptio unius partis cum formidine alterius, ita tamen quòd ad illam, quam formidat, non habet rationem expressam, formidatur tamen propter debilitatem rationis alterius partis.

8. Divus Thomas in pluribus locis loquitur de Opinione, & pluriès illam definit. In 3. dist. 23. q. 2. art. 2. quæst. 1. Scribit, quando ratio, quæ movet ad alteram partem, neque sufficit ad intellectum terminandum, quia non resolvit conclusiones in principia per se nota, neque sufficit ad voluntatem terminandam, ut bonum videatur illi parti adhærere, tunc homo opinatur illud, cui adhæret, & non terminatur intellectus ad unum, quia semper remanet motus ad contrarium, accipit enim unam partem cum formidine alterius, & ideo opinans non assentit. Patet ergo per Divum Thomam hìc, quòd opinio *est acceptio* unius partis cum formidine alterius; quando Sanctus Doctor dicit, quòd *opinans non assentit*, non excludit omnem assensum, quia opinio per ipsum est acceptio unius partis, atque adeò importat secundam intellectus operationem, & sic assensum; excludit ergo assensum perfectum, qui importat assensum, & adhæsionem totalem unius partis, quod non habetur in opinione, in qua intellectus quidem adhæret uni parti, *sed tamen*, ut dicit Angelicus Doctor, *remanet semper motus ad contrarium*, quia scilicet formidat partem oppositam. Hoc tandem expressè paulò post textum allatum fassus est Sanctus Doctor dicens: Opinans habet cogitationem *sine assensu perfecto*; *sed habet aliquid assensus, in quantum adhæret uni magis, quam alii*.

In 1. par. q. 79. art. 9. ad 4. dicit, quod *Opinio significat actum intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius*.

In 2. 2. q. 1. art. 4. ait: assentit intellectus alicui dupliciter, uno modo, quia ad hoc movetur ab ipso objecto, quod est per seipsum cognitum, sicut patet in primis principiis, quorum est intellectus; vel est per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, *sed per quandam electionem voluntariè* declinans in unam partem magis, quàm in aliam; & si quidem hæc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio; Si autem sit

cum

cum certitudine absque tali formidine, erit fides.

In q. 2. art. 1. scribit: quidam actus intellectus habent cognitionem informem *absque firma assensione*, sive in neutram partem declinent, sicut accidit dubitanti; sive in unam partem magis declinent, sed tenentur aliquo levi signo, sicut accidit suspicanti; sive uni parti adhæreant, tamen cum formidine alterius, quod accidit opinanti. In art. 9 ad 2 ait: Opinio non habet firmum assensum, est enim quoddam debile, & infirmum secundum Philosophum. l. primo post. tex. 44. tom. 1. *unde non videtur procedere ex perfecta voluntate.*

9. Ex hisce testibus patet clarè, Opinionem importare quidem *assensum*, *sed infirmum*. Patet etiam clarè, ad assensum opinativum requiri actum voluntatis, quia in opinione intellectus declinat in unam partem magis quam in aliam, & hoc *voluntariè per quandam electionem*. Ille terminus, *Quandam*, significat electionem imperfectam, unde in textu sequenti dicitur, quod Opinio *non procedat ex perfecta voluntate*, quæ verba indicant, quòd assensus Opinionis procedat à voluntate imperfecta; dicitur autem voluntas imperfecta, quia voluntas in opinione non determinat totaliter intellectum ad unam partem, ut facit in Fide. Sed de hoc puncto agam infra ex professo cap. 4.

In q. 14. de verit. art. 1. scribit: quando intellectus inclinatur magis ad unum, quam ad alterum, sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc, quod determinet ipsum in unam partium totaliter, unde accipit unam partem, tamen semper dubitat de opposita, & hæc est dispositio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius. & art. 9. ad 6. asseruit opinionem non posse esse de objecto scientiæ, quia opinio importat formidinem, quam scientia excludit.

10. Divus Bonaventura in 3. dist. 24. art. 2. quæst. 2. vers. *sed contra*. 3. docet, quod opinio est assensio unius partis cum formidine alterius. Huic definitioni assentit Richardus in 3. dist 24. q. 6. Durandus qu. 1. prolog. sentent. numer. 20. & 23. Capreol. in 3. dist. 25. art 3. ad 6. ubi refert textum Divi Thomæ ex 3. Sententiarum. Hanc definitionem ante hos tradiderat Guilelmus Parisiensis de Fide c 1. propè medium.

Rubion. in 3. dist. 24. q. 1. art. 1. definit opinionem: *est notitia ex ratione topica, non ex demonstratione causata, quæ quidem non est ipsius rationis topicæ, nec conclusionis, sed rei significata per eam.*

Quod attinet ad Summistas etiam paucos habeo antiquos de opinione disserentes. Joannes Nider in Consolat. timor. conscien. par. 3. c. 1. verbatim sequitur definitionem Alberti Magni; sicut etiam Beatus Antoninus par. 1. tit. 3. c. 10. §. 9. Angelus V. opinio num. 1. exscribit illam ex Divo Thoma 2. 2. qu. 1 art. 4. Baptista de Salis. V. Confessio 1. qu. 8. dicit esse assensum ad aliquam rem cum aliquali formidine alterius partis. Alios Summistas antiquos non habeo. Placet tamen his addere unum, qui tempore quasi Antiquo vixit, & est Sylvester; hic V. opinio princip. de verbo ad verbum sequitur Angelicum Doctorem in 2. 2. q. 1. art. 4.

11. Apud Legistas nomen Opinio habet multas significationes, ut videri posset in Diction. utriusque Juris Alberici de Rosate. V. opinio. aliquando significat enim Famam, seu existimationem; aliquando ponitur pro Consuetudine, & aliquando pro Sententia. Hæc omnia hic Doctor probat per Leges, ut muneris est Juristarum. Denique ait: quòd *Opinio est cum dubitatione responsio* Instit. de jure nat. §. *responsa prudentum*. Hæc definitio potest sustineri aliquo modo, & meo judicio coincidit cum illa, *quod sit acceptio unius partis cum formidine alterius.*

Hæc definitio opinionis, quòd sit *acceptio unius partis cum formidine alterius*, est desumpta ex Arist. tom. 1. poster. 1. c. ult. ubi dicebat, quod Opinio est acceptio propositionis non necessariæ, & quod est confessum, quòd, qui cognoscit rem sic se habere, ut possit etiam aliter

aliter se habere, ille opinetur. Hinc Doctor Angelicus explicans hunc Aristotelis textum scripsit: Nullus, quando opinatur, quòd impossibile sit, aliter se habere, reputat, se opinari, sed tunc reputat, se scire; quando autem opinatur, quod sic est, & quod nihil prohibeat, aliter se habere, reputat, se opinari.

12. Hanc tamen definitionem credo esse de Opinione in communi, prout scilicet importat quancunque existimationem, in quo sensu etiam suspicio esset opinio; nam ex Divo Thoma etiam suspicans declinat magis in unam partem; si autem declinat in unam partem, ergo illam accipit; accipit, inquam, sed imperfectè, & non totaliter; atque adeo illam accipit cum formidine alterius. Ratio ulterior est, quia Divus Thomas definiens Suspicionem 2. 2. q. 2. art. 1. ait: quòd sit cognitio, per quam intellectus declinat magis in unam partem, *sed tenetur aliquo levi signo.* Hæc verba utique ponuntur ad distinguendam Suspicionem ab aliquo; porrò hoc aliquod non erit, nisi Opinio strictè sumpta, & in particulari, quæque *importet* objectum movens *non leviter*, sed urgenter.

13. Mastrius in Logica disp. 14. q. 1. definit Opinionem, quod *sit Cognitio, seu assensus determinatus alterius partis contradictionis cum formidine alterius.* Explicans illum terminum, *Determinatus*, ait: Suspicans esto magis in unam partem propendeat, quam in aliam, quia tamen levibus movetur indiciis, & conjecturis, ideò non assentitur illi determinatè; at verò opinans, utpotè innixus magis urgentibus alteri parti determinatè adhæret. Prædictam definitionem tradi ab omnibus Theologis, & Philosophis testantur Doctissimi Patres Salmaticenses de Fide disp. 2. dub. 6. §. 1. num. 128.

Sed contra, quia suspicans non accipit utramque partem, cum in unam magis propendeat; ergo unam accipit. Ergo determinatur ad illam. Tum quia communiter ratio indeterminati datur pro constitutivo dubitationi; ergo Suspicio debet esse assensus determinatus. Ergo definitio data, nisi aliud addatur, verificatur de suspicione.

Replicabis, licèt suspicans magis propendeat in unam partem, tamen illi adhuc assensum non præstat.

Sed contra, quia, ut dicebam in princ. cap ex Arist. *opinione, & suspicione possumus dicere falsum.* Ergo suspicio importat secundam intellectus operationem, qua sola falsum, & verum proferimus; assensus autem intellectivus non est nisi secunda operatio intellectiva, ut infra probabo ex Divo Thoma 1. 2. q. 17. art. 6.

Breviter ergo dicta redigendo in compendium assero, quòd Opinio dupliciter sumi potest, largè, & in communi; & sic *est acceptio unius partis cum formidine alterius.* Deinde strictè, & in particulari pro cognitione distincta à suspicione, & in hoc sensu vocari solet à Modernis *Opinio Probabilis*, de qua sermo erit in cap. sequenti.

CAPUT TERTIUM.

Quid sit Opinio Probabilis.

1 Sicut Divus Augustinus in alio sensu accepit Opinionem, ac accipiant Philosophi, & Theologi; sic etiam aliter ipse intellexit Probabilitatem, ac Scholastici faciunt. Igitur tom 1. lib. 3. contra Academicos c. 16. ait: certè non fortasse omnis, qui errat, peccat; omnis tamen, qui peccat, errare conceditur, aut aliqi id pejus. Quid si ergo aliquis adolescentium, cum nos audierit dicentes: turpe est errare, & ideo *nulli rei* consentire debemus; *sed tamen cum agit quisque, quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat;* Illud tantùm meminerit, quicquid occurrit vel animo, vel sensibus, non pro vero esse approbandum. Id igitur audiens adolescens insidiabitur pudicitiæ Uxoris alienæ. Te, te Consulo, Marce Tulli, de adolescentium moribus, vitaque tractamus,

ctamus, cui educandæ, atque instituendæ omnes illæ litteræ tuæ vigilaverunt. Quid aliud dicturus es, quàm non tibi esse probabile, ut id faciat adolescens? *At illi probabile est.* Prosequitur Sanctus Doctor ad monstrandum per hoc *Probabile* posse cohonestari homicidia, parricidia, sacrilegia, & omnia omninò flagitia, aut facinora, quæ paucis verbis apud Sapientissimos Judices defenduntur. Quomodo autem non facerem, *quod probabile visum est?* Qui autem non putant ista probabiliter posse persuaderi, legant Orationem Catilinæ, qua Patriæ parricidium, quo uno continentur omnia scelera, persuasit. Jam illud quis non ridet? ipsi dicunt, nihil se in agendo sequi nisi probabile, & quærunt magnopere veritatem, eum eis sit probabile, non posse inveniri. Hactenus Sanctus Doctor.

2. Igitur per verum probabile juxta principia Academicorum Divus Augustinus intelligit illud, quod est verisimile; ita tamen cognoscebant verisimile, ut nihil approbarent pro vero; unde *quicquid vel animo, vel sensibus occurrebat, pro vero non approbabant.* Hinc si visui occurrebat ignis, non approbabant pro igne; Si menti occurrebat copula cum fœmina conjugata, non approbabant, quòd esset adulterium. Nihil porrò approbabant pro vero, quia dicebant de nulla re dari scientiam; unde de ipsis idem Augustinus in 1. Lib. retract. c. 1. asserit, quòd prohibent cuiquam rei assentiri, & omninò aliquid tanquam manifestum, certumque sit, approbare sapientem, *cum eis omnia videantur obscura, & incerta.*

Certè, si hæc concedantur, sequitur, quòd omnia vitia, etiam execrabilia, etiam proditio Patriæ, in qua omnia scelera continentur, inquit Augustinus, poterunt excusari. Quomodo enim hæc damnari poterunt, si oppositum non est certum?

3. Credo, neminem Probabilistarum nomine *Probabilitatis* hoc monstrum intellexisse; nam ipsi vel implicitè, vel explicitè ponunt inter requisita ad eandem, quòd nihil convincens in contrarium afferatur; hinc cum Antiquis fatentur, posita decisione Apostolica in aliqua Controversiâ, non licere variè opinari, quamvis antea hujusmodi varietas vigeret, ut cap. antecedenti dicebam. Hinc mirum valdè est, quòd Pater Tyrsus Gonzalez dissertat. 12. §. 5. attulerit dictum primum textum Augustini contra Probabilistas nostros, dum omninò sit extra rem. Augustinus probat non valere Probabilitatem ad mores componendos in quæstione de patrandis *Adulterio, Homicidio, Proditione Patriæ, Perjurio &c.* qua specie veri poteris arguere ex hoc, Probabilitatem non prodesse in illis materiis, *an liceat, defendere res cum occisione invasoris, habere rem cum Uxore variando situm, proferre æquivocum pro salute mea, non confiteri circumstantias aggravantes &c.?* Hoc argumentum mihi videtur esse idem cum hoc: est damnabile cespitare, & non videre in meridie; ergo est damnabile cespitare, & non videre in nocte. Igitur, sicut Probabilioristæ asserunt, quòd, si quis probabilius judicaret, Perjurium esse licitum, non per hoc hic excusaretur à perjurio sequendo hoc judicium probabilius, quia in re clara tenetur quis scire veritatem; ita Probabilistæ affirmant, in materia certa Probabilitatem non prodesse, quia tenemur scire veritatem. Hinc memoriæ est mandandum, si afferantur textus Divi Augustini desumpti ex his libris contra Probabilitatem, nullius esse roboris, quia aliud intelligit Augustinus nomine Probabilitatis, aliud nos, ut etiam notavit Securistarum Antesignanus Vendrochius append. 2. sect. 3. art. 3.

4. Divus Bonaventura in 3. dist 24. art. 2. q. 2. ita scribit: Opinio probabilis dupliciter consuevit accipi: uno modo dicitur opinio assensio unius partis cum formidine alterius; alio modo dicitur opinio assensio Animæ generata ex rationibus probabilibus, secundùm quod consuevit dici, quòd sillogismus dialecticus generat opinionem & sillogismus demonstrativus generat scientiam. Ita Sanctus

Sanctus Doctor, qui tantum discrimen ponit inter has duas opinionis Probabilis acceptiones, ut sustineat, opinionem secundùm primam acceptionem repugnare cum Fide de eodem objecto secundùm idem; juxta verò secundam acceptionem stare cum Fide.

Impugnat Richardus in 3. dist. 24. q. 6. hanc duplicem acceptionem, quia de ratione opinionis est, quòd sit incerta, & sic opinans formidat, ne alia pars sit vera; & colligitur ex Divo Bernardo lib 5. de consider. c. 6. dicente, quòd opinio falli potest, & ambiguum habet; & secundùm Aristot. 1 poster. tex. 44. de ratione opinionis est, quòd opinans æstimet rem posse aliter se habere. Concordat Divus Thomas 2. 2. q. 1. art. 5. ad 4. His ego assentio, quia in rei veritate objectum Probabilitatis non potest esse, nisi contingens. Contingens, inquam, non quasi quòd ex parte rei debeat esse contingens, quia, ut notat Mastrius in Logic. disp. 14. q. 1. & dixerat prius Doctor Angelicus lib. 1. post. lect. 44. litt. C. de objecto in se necessario potest dari opinio; unde antiquitùs opinabantur, Terram non esse rotundam, cum tamen necessarium sit naturaliter, Terram esse rotundam; &, ut advertit Paludanus in 3. dist. 23. quæst. 5. opinio potest esse de objecto universali, universale autem est necessarium. Sufficit ergo ad objectum opinionis, quòd intellectui repræsentetur ut potens aliter se habere; hinc Doctor Angelicus dicit appositè, quòd de ratione opinionis est, ut id, quòd est opinatum, *existimetur possibile aliter se habere.* Nota illud verbum, *existimetur*, quia non importat semper veritatem rei: nam non implicat existimationem hominum esse falsam; ergo id, quod est necessarium in se, potest repræsentari menti aliter, ac est.

5. Non nego tamen cum Mastrio ibibem esse valdè probabile, quòd formido solùm aptitudinalis sit de essentia Opinionis probabilis, non verò actualis; unde assero nullam esse implicantiam, quòd detur opinio probabilis absque actuali formidine, ut etiam probabiliter sustinent Patres Salmaticenses Discalceati de Fide disp. 2. dub. 6. §. 1. num. 130. & olim docuerant Mayron. in 3. dist. 24. art. 6. Rubion. ibidem. q. 1. fin. & Bassolis. q. 1. Prologi.

Non potui invenire apud Antiquos Theologos, & Summistas definitionem *Opinionis Probabilis* sub his duobus terminis; sed illam definiebant sub nomine simpliciter *Opinionis*; vidimus enim cap. antecedenti dupliciter definiri Opinionem, primò, ita ut illa definitio etiam suspicionem comprehenderet; secundò, ita ut explicaret quendam habitum peculiarem distinctum à suspicione, à scientia &c. quem habitum nunc Moderni solent vocare *Opinionem Probabilem*; & hunc habitum fatebantur Antiqui apud Richard. Divum Bonaventuram, & Palud. locis allatis generari *ex medio probabili*.

6. Nunc videamus, quomodo Opinionem Probabilem definiant Moderni. Joannes Cardenas in sua Crisi Theologica part. 1. disp. 1. cap. 2. num. 16. ait, juxta communem sententiam: Opinionem probabilem *esse cognitionem incertam quidem, sed gravi, & prudenti fundamento innixam.* Si est cognitio incerta, sequitur, posse esse falsam. Si est nixa gravi, & prudenti motivo, sequitur habere veritatem suæ naturæ consonam. Multi addunt definitioni, quòd nihil convincens contra ipsam afferri possit. Hæc additio fundatur in communi Antiquorum asserto dicentium, nos posse variè opinari, antequam Ecclesia decidat, & ante percontationem, per quam veritatem videamus, & sciamus. Est bona additio, quia explicat definitionem, non tamen necessaria, quia subintelligitur in illa Voce, *Incertam*; si enim opinio est incerta, ergo nihil convincens debet habere contrarium, quia si illud haberet, esset certò falsa, non verò incertè vera, siquidem oppositum certitudini est certò falsum. Igitur perpetuò mandandum est memoriæ, tandiù opinionem remanere probabilem, quandiù ejus fundamenta nata sunt movere homines prudentes. Certum est

autem,

autem; certò falsum tales homines movere non posse. Hinc Opinio Aristotelis tom. 2. lib. 2. meteor. c. 5. asserentis Lineam Æquinoctialem esse inhabitabilem remansit Probabilis etiam tempore Divi Thomæ, ut ipse testatur 1. part. q. 102. art. 2. ad 4. nostris verò temporibus est evidenter falsa; unde antiquitùs homines prudentes trahere poterat ad sui sequellam hujusmodi opinio, non sic tempore præsenti. Sic etiam plurimæ opiniones Glossæ, & aliorum Antiquorum priscis temporibus probabiles reputabantur, & poterant movere homines doctos, & prudentes; nostris autem diebus, cum certò falsæ evaserint, nequeunt, viros sapientes movere.

7. Definitio allata colligitur ex Aristot. Libr. 1. topic. c. 1. n. 6. tom. 1. qui definiens Probabilia ait: *Probabilia autem sunt, quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, & his, vel omnibus, vel plurimis, vel maxime familiaribus.* Hæc definitio Probabilitatis differt ab allata à nobis, quia traditur per principia Extrinseca, & per effectum; Nostra verò per Intrinseca; In re tamen idem significant; Nam ea, quæ omnibus videntur, idest, quæ approbantur ab omnibus, aut plurimis, &c. videtur impossibile, quòd approbentur ob motivum leve, & imprudens; Ergo, quod approbatur ab omnibus, aut plurimis, &c. habet motivum grave, & prudens. Hinc patet, quòd approbatio ab omnibus, aut plurimis, &c. est effectus motivi probabilis, & prudentis.

Ad Probabilitatem tamen non sufficit, quòd probetur ab omnibus, aut plurimis, &c. sed requiritur insuper, quòd sit motivum incertum, hoc est, quòd possit aliter se habere; si enim non posset aliter se habere, non esset probabile, & opinabile, sed scibile, & necessarium juxta Aristotelem 1. poster. c. 24. & 6. Æthic. c. 3. & Lib. 1. magn. moral. c. 33. tex. 6. scripsit: quòd opinio sit, per quam ferimur in objectum, ut dubitemus, an sic, vel aliter se habeat. Igitur secundùm Aristotelem, & rei veritatem, motivum potens aliter se habere, & simul potens movere ad sui cognitionem vel omnes; vel plurimos &c. est motivum probabile; & cognitio ex illo procedens erit probabilis. Et si una ex his duabus conditionibus deficiat, unde vel non possit aliter se habere, vel non possit movere aut omnes, aut plurimos &c. illud non erit probabile, & opinabile, sed vel certum, vel improbabile.

8. Verùm non est necesse ad Probabilitatem, quòd actu debeat probari vel ab omnibus, vel à plurimis, &c. quia, ut dicebam, hæc approbatio est effectus motivi probabilis; sed sufficit, quòd possit approbari &c. quia causa stat sine suo effectu; & quia aliàs in casibus de novo occurrentibus non possent adhibere fidem subditi suis Parochis, & aliis Confessariis. Hìc collige, quòd quando Doctores dicunt: Unum Doctorem reddere opinionem probabilem, intelligendum est, non præcisè ex solo capite Authoritatis illius Doctoris, sed quia tractando quæstionem ex professo attulit rationem urgentem, & solvit objecta, & sic talem opinionem evexit ad statum, ut possit movere vel omnes, vel plurimos &c.

9. Attamen Authoritas solius Doctoris in illa Facultate clarissimi, & famosissimi potest esse motivum sufficiens ad Probabilitatem constituendam Hinc l. *septimo* ff. de statu homin. legitur; *Septimo mense nasci perfectum partum, jam receptum est propter Authoritatem doctissimi Viri Hippocratis.* Hìc patet, quòd Lex dicit: *Propter Authoritatem doctissimi Viri Hippocratis*; Ergo Lex decidit propter meram authoritatem Hippocratis, qui equidem in facultate medica famosissimus est, & Princeps. Videte hìc aut parvam scientiam rerum naturalium Antiquorum, aut varietatem complexionum Infantium. Quis est, etiam Rusticus, qui non sciat, plus quàm Medicus, partum septemnem esse vitalem, cum sæpe hoc accidat in qualibet Urbe, & loco? Sic etiam l. *Antiqui.* ff. de solut. Authoritate Aristotelis probatur,

probatur, uno partu quinque nasci posse.

10. Hisce legibus consonant plures Antiqui, quos infra referam, dicentes, quòd Frater simplex, & quilibet homo in consiliis possit sequi quamlibet opinionem, *dummodo sit alicujus Doctoris Magni.* Hinc, quia Divus Thomas, & Scotus sunt famosissimi, clarissimi, & magni in Theologicis, eorum Opiniones poterunt absque scrupulo propter ipsorum Authoritatem deduci in praxi. Discipuli aliarum Scholarum, scilicet Ægidiani, Henrichistæ, Bacconistæ, &c. contendent, suos Magistros ad tantam Authoritatem pertingere. Ego omnes veneror, & colo. Sed quid respondebunt Jesuitis, si dicerent, Magnum Suarium in Theologicis adeo fuisse versatum, ut longè plura scripserit, & pleniori calamo, quàm Ægidius, Henricus, Bacconius? Negabuntne tantam prærogativam Doctori tam Magno? Si concedent, quomodo se tuebuntur à Vendrochio, qui tam faciliter proscribit illius opiniones?

11. In cap. *Inquisitioni de Sent. excomm.* deciditur, quòd *Matrimonio junctus ad Consilium sui Pastoris, conscientia levis, & temerariæ credulitatis explosa, licitè non solum reddere potest, sed exigere debitum Conjugale.* Et quidem credo ex hoc textu ortam fuisse praxim, qua fideles in dubiis Parocho, & Confessario credunt absque scrupulo. Ego nescio, an ex hoc textu quis deducere possit, à fortiori credendum esse cuilibet Authori, qui scripta in publicum ediderit, ex eo quòd supponatur doctior, quàm plurimi Parochi. Non dubito, quòd quilibet Author sit doctior plurimis Parochis, adhuc tamen non cuilibet Doctori credendum est; quin ab Alexandro VII. damnatur hæc Propositio, quæ est 27. *Si liber sit alicujus Junioris, & Moderni, debet opinio censeri Probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica, tanquam improbabilem.*

12. Ex his tria sequuntur; Primum, quod possumus sequi opinionem in praxi alicujus Doctoris, si sit *Antiquus, & magnus.* Hoc deducitur ex dictis ll. & opinione illorum Antiquorum. Secundum, quòd Opinio Parochi, atque ita alterius viri docti, data voce tenus sit bona regula humana. Hoc patet ex d. c. *Inquisitioni.* Tertium, quòd opinio *libris exarata*, si sit alicujus Junioris, & Moderni, & ita sive sit vivi, sive mortui, sive magnæ, sive parvæ doctrinæ, non sufficit pro praxi. Hoc liquet ex illa propositione damnata ab Alexandro Septimo.

13. Cùm Probabilitas, & Opinio sit de iis, quæ possunt aliter se habere, sequitur evidenter, quòd est maximè notandum, intellectum non cogi ab opinione Probabili; cum enim possint aliter se habere, mens potest ambigere, an aliter se habeant, & sic potest suspendere assensum illis motivis. Hinc, licèt subditus sibi probabilius videatur, suum Principem bellum gerere injustum, adhuc tamen tenetur obedire Principi; unde dicitur cap. *quid culpatur* 23. q. 1. *Ergo Vir justus, si forte sub Rege homine etiam Sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, si vice pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est*; Tum quia experientia constat, sæpe Antiquos, & Modernos errasse in suis opinionibus; licèt ab illis sint habitæ ut probabiliores; Ergo intellectus meus potest, judicare se hic decipi. Ergo, licèt sibi videatur probabilior hæc Opinio, poterit illi non assentiri, præcipuè ex imperio voluntatis. Tum quia Intellectus potest solvere Argumenta opinionis probabilis, etiam probabilioris; & quando Argumenta sunt insolubilia, procul dubio sunt certa; & aliter se habere non possunt; atque adeo sunt extra sphæram Probabilitatis; & sunt in materia necessaria, nec pertinente ad lineam opinionis juxta allatam Doctrinam Aristotelis.

14. Confirmatur ex Majore in 4. dist. 4. q. 1. concl. 2. ubi probans in Baptismo infundi Virtutes etiam Cardinales ita discurrit: *Romanus Pontifex vocat illam proba-*

probabiliorem in Clement. de Summ. Trinit. Fidei Catholicæ. §. verùm, quamvis non præcipiat illam Opinionem insequi; Ergo si non est fortis ratio ad oppositum, debemus illam imitari. Consequentia est plana, & loquitur indistinctè, & confirmo &c. Insuper, sicut definitio Pontificis Maximi, ubi non constat de Opposito, est inconcussè tenenda, ita sententia, quam probabiliorem existimat, debet censeri probabilior; cum quo tamen stat, quòd liceat cuipiam tali determinationi contraire.

Hunc Authorem Vendrochius Not. 1. in Epist. 5. sect. 4. §. 1. reponit in choro Theologorum Antiquorum; esse verò Doctorem Probabilioristam liquet ex ejus prolog. 4. sentent. qu. 2. Sed non obstante, quòd sit Doctor Antiquus, & Probabiliorista, adhuc censet, *posse opinioni probabiliori nos contraire*, &, quod magis est, licèt sit ab Ecclesia declaratum, *esse opinionem probabiliorem*. Si ergo per Majorem etiam opinioni, quæ per Ecclesiam deciditur ut probabilior, possumus contradicere; sequitur clarè Probabilitatem, & Probabilioritatem non cogere intellectum ad sui assensum, & posse nos cuicunque Probabilitati contraire, de quo infra cap. sequenti.

15. Diximus ad Probabilitatem requiri, quòd sit incerta Cognitio, & quòd habeat rationem gravem, & prudentem, seu solidam, & magni momenti Vendrochius in Nota 1. ad V. Epistol. sect. 1. §. 9. carpit acriter Jesuitas tanquam sub nominibus magni momenti, ut ita dicam, intrudentes *plerumque apparentem tantùm verisimilitudinem*. Dixerat §. 4 medietatem opinionum esse veram, medietatem vero falsam; Hic verò ad propositum nostrum sic interrogans exclamat: *In illa media probabilium Opinionum parte, quam falsam esse diximus, & solis demum fallaciis mixam, quæ potest, ut ita loquar, rationum soliditas inveniri?*

Respondeo, magnam soliditatem inveniri, usque dum non inveniatur principium cert..m, & clarum, quo manifestetur falsitas opinionis. Rem exemplis declaro. Fit quæstio, utrùm teneamur confiteri peccata Sacerdoti. Fit quæstio, utrùm teneamur confiteri circumstantias notabiliter aggravantes. Fit quæstio, an possimus absolvere pœnitentem absentem.

16 In Prima Quæstione de Fide est ex Tridentino sess. 14. cap. 5. can. 5. & can. 8. pars affirmativa. Hinc semper falsa fuit ex parte objecti, & in seipsa propositio negativa. Adhuc tamen quæro, an aliquando habuerit rationes graves, prudentes, solidas, & magni momenti? Audiamus Gratianum de pœnit. dist. 1. §. fin. *Quibus authoritatibus, vel quibus*, ait ipse, *rationum firmamentis* (nota terminum) *utraque sententia Satisfactionis, & Confessionis*, (an scilicet sit necessaria, vel non, ait Glossa) *innitatur, in medium breviter exposuimus. Cui autem potiùs harum adhærendum sit, lectoris judicio reservatur; utraque enim fautores habet sapientes, & Religiosos Viros.* Hìc patet evidenter, opinionem negativam obligationis confitendi peccata Sacerdoti tempore Gratiani habuisse *rationum firmamenta, & fautores sapientes, & religiosos Viros*; unde tunc hæc opinio censebatur probabilis; & ab intrinseco ob *rationum firmamenta*, & ab extrinseco *ob fautores sapientes, & Religiosos Viros.* Hinc Divus Thomas in 4. dist. 17. in expositione textùs dicebat: *Hoc, quod ponitur hic pro opinione, hæresis est, non quòd explicitè sit contra aliquem Articulum, vel præcedens, vel sequens ad ipsum, sed implicitè aliquid contrarium Fidei continet; quia sequitur, quod claves Ecclesiæ non sint necessariæ ad salutem, & in talibus, antequam determinetur per Ecclesiam, quod ex eis sequatur aliquid contrarium Fidei, non judicatur hæresis esse, & sic Magister, & Gratianus hoc pro opinione ponunt. Sed nunc post determinationem Ecclesiæ sub Innocentio Tertio factam Hæresis reputanda est.* Sic Angelicus. Hæc porrò Hæresis clarissimè est determinata à Tridentino loco allegato. Hìc liquet, Divum Thomam referre Magistrum, & Gratianum habuisse pro opinione

opinione Magistrorum, & sic pro probabili id, quòd postea judicatum fuit hæreticum. Instituo Argumentum: nil majus falsum, quàm quod opponitur Vero supernaturali; hinc opinio negativa in nostro casu, cum esset contra Verum supernaturale, erat falsissima, & detestanda, & adhuc, hoc non obstante, hæc opinio falsa habuit *firmamenta rationum*, *&* *Viros doctos sapientes*, *&* *Religiosos*: Quare? Quia non habebatur decisio clara in contrarium, hoc est, non aderat principium certum, per quod falsitas demonstraretur: Sed quando sumus in materia incerta, obscura, probabili non habetur principium certum; Ergo tunc opinio, licèt falsa, potest habere rationem solidam, rationem gravem, quæ scilicet à personis Religiosis, rationem doctam, quæ nempè à Sapientibus approbetur.

17. Urgeo: Falsum naturale minoris ponderis est falso, quod opponitur Veritati supernaturali; Ergo si falsum oppositum Veritati supernaturali in materia incerta, obscura, probabili potest habere rationem firmam, solidam, gravem, & à Sapientibus, & Religiosis Viris approbatam, falsum naturale quoque in materia incerta, &c. poterit habere rationem Firmam, &c. Et, ut Adversarium evincam, assignet ipse quantitatem requisitam, ut furtum sit mortale, qua assignata demonstret contrarias opiniones, quæ per ipsum falsæ erunt, non habere rationes firmas, solidas, &c. & à Sapientibus approbatas. Ulteriùs progredior: Nondum est decisum ab Ecclesia, seu à Summo Pontifice, an possimus defendere res temporales occidendo Invasorem, si aliter non possimus illas salvare, Hinc in mea sententia sumus in materia obscura, incerta, probabili &c. Ipse Vendrochius existimat falsam opinionem affirmativam, si vult sequi Montaltium Litt VII. pag. 115 Demonstret ergo mihi, hanc opinionem non posse habere rationem firmam, solidam, & à Viris Sapientibus approbatam.

18. Dices, hanc opinionem fuisse proscriptam à Clero Gallicano in Comitiis Generalibus in Palatio Sancti Germani celebratis, ut patet in ejus Libello Propositionum damnatarum num. 36.

Respondetur omnes scire, & infra demonstrabo, non spectare ad Synodum Nationalem authenticè, & certò declarare legem Generalem Ecclesiasticam, & sic multò minùs Naturalem, in qua versatur materia præsens; Hinc sine scrupulo ullo, saltem qui non subjiciuntur legibus illius Cleri, ut ego, possunt licitè, liberè, & probabiliter, quin & probabilioriter, sequi propositionem affirmativam, quam tunc solùm non propugnabo, quando Summus Pontifex damnaverit, vel quando Clerus Gallicanus, seu alii Viri Docti invenient rationem claram, qua videam rationum firmamenta, quibus fulcitur mea sententia *esse solùm apparenter solida*, *tantumque vocanda solida mendacia*, *graves magnique momenti fallaciæ*, si placeat loqui juxta phrasem Vendrochii. Si Doctor ille Antiquus Joannes Major Sorbonicus, ut dixi, potuit, asserere, non obstante decisiva declaratione Summi Pontificis decernentis talem Opinionem ut probabiliorem, nil repugnare, quòd eidem opinioni possimus contraire *rationibus fortibus*, cum aliàs ipse Pontifex non jusserit sequi opinionem suam; cur ego, non obstante decisione Cleri Gallicani, qui Germanis, Italis, Anglis, Hispanis, nec cæteris Christicolis imperat, non valebo reperire argumentum verè solidum, firmum, forte, quo amplectar opinionem contrariam?

19. Insto: Vendrochius sect. 4. §. 6. affirmat, Intellectum posse judicare duas Propositiones *certò*, *&* *constanter eas esse æquè probabiles.* Supponamus has esse in materia, *An teneamur confiteri circumstantias notabiliter aggravantes.* Licèt enim Montaltius Litt. 9. pag. 166. judicet partem negativam novam corruptelam, ultra alias à Jesuitis assertas, *superadstruere*, tamen nemo sanæ mentis negaverit, utramque Opinionem in hac materia esse Probabilem, tum ob rationes, tùm ob Doctores præclaros, & priscos,

priſcos , & modernos tenentes ſive hanc, ſive il'am. De hoc infrà ſuo loco. Ergo Vendrochius dicit , quòd Opinio aſſerens obligationem confitendi circumſtantias aggravantes ſit Probabilis; dicit etiam (diſputationis gratia ſaltem) quòd opinio negativa ſit Probabilis. Jam ſcimus unam ex his eſſe falſam in ſeipſa; adhuc quæro, an Argumenta probantia Probabilitatem primæ Opinionis ſint ſolida , firma , vel fallaciis, & ſophiſmatibus referta. Hoc idem inquiro de ſecunda Opinione. Si dicatur utramque Opinionem habere Argumenta fortia, ſolida, nec fallaciis conſtantia ; Ergo in materia obſcura opinio falſa habet Argumenta fortia, & ſolida. Si dicatur Opinionem falſam habere rationes ſolùm apparentes , & fallaces ; quomodò ergo Vendrochius tunc utramque opinionem judicabit probabilem? Nemo poteſt aſſerere , ſi ſit ſapiens, aliquod eſſe probabile , niſi ſit motus à ratione, quæ ſibi ſit fortis , gravis , & ſolida.

20. Inſtruamus Argumentum univerſaliter. Opiniones contrarias , etiam Morales Thomiſtarum , Scotiſtarum , Bacconiſtarum , &c. certum eſt , non poſſe eſſe in ſeipſis veras, quia impoſſibile eſt, quod objectum ſit , & non ſit ; Una ergo eſt vera, altera falſa. Interea volo , quòd Vendrochius judicium ferat de Argumentis probantibus omnes, & ſingulas illas Opiniones , an ſint valida , efficacia , & fortia; vel fallacia , & ſophiſtica. Si primum aſſeratur , ergo opinio falſa, quæ ſcilicet in ſe eſt falſa, habet erga nos magnam ſoliditatem, firmitatem , &c. propter quod eſt digna, ut propugnetur à Thomiſtis, Scotiſtis, &c. Si ſecundum dicetur , jam Vendrochius acriter vapulabit à Thomiſtis , Scotiſtis , &c. qui omnes jure aſſerunt, omnes Opiniones ſuorum Doctorum continere ſanam, ſolidam, firmamque doctrinam.

21. Nunc revertendo ad tertiam Quæſtionem in illa difficultate, quam propoſui ſupra Verſ. *Reſpondeo* , *magnam : An poſſimus abſolvere pœnitentem abſentem.* Obſervo ex Divo Antonino par. 3. tit. 14. c. 14. §. 9. & tit 17. c. 12. & c. 21. §. 3. in Concilio Baſilienſi ſuper hoc Articulo factam fuiſſe collationem cum *multis notabilibus* Doctoribus Theologiæ. Quidam eorum (ſi ſcandalum magnum timeretur) Abſentem abſolvendum eſſe proclamabant , qui præſens malè abſolutus fuerat ; Aliis verò placuit negotium committendum eſſe Deo , ſi notabile ſcandalum timeremus; præſertim ſi malè abſoluta fuiſſet priùs multitudo, vel multi eorum multùm diſtarent à Confeſſario. Hanc opinionem de Verbo ad Verbum ſequitur Sylveſter Verb. Confeſſor. 3. num. 1. qui allegat Directorium Juris , cujus Author fuit Petrus Caſuel.

22. Laxiorem Opinionem habuit Palud. in 4. diſt 17. q. 2. art. 1. dicit enim: *Si pœnitens non poſſit ire , nec accerſere Sacerdotem , liceat eidem ſcribere peccata , & mandare ; & Sacerdos poſſit reſcribere , & remandare abſolutionem ; & valet abſolutio quando uterque ſic eſt infirmus , vel clauſus.* Hanc opinionem ſequitur clariùs Adrianus, qui per Vendrochium collocatur in choro Theologorum Antiquorum , in 4. ubi agit de Sacram. Confeſſ. art. 1. §. *ſed oritur ex his.* Hic expreſsè aſſerit : Generaliùs autem reſpondendum videtur , ubi juſta cauſa occurrit, talis videlicet, quæ confitentem relevat à Confeſſione ore facienda , Confeſſio facta per ſcripturam, vel nuntium valida eſt, & poteſt abſentem Sacerdos Sacramentaliter abſolvere ; Secus dum ex ſegnitia , vel verecundia non vult ore proprio confiteri Sacerdoti, quia ſic poneret obicem Sacramentali Abſolutioni. Hanc quoque ſententiam tenet Petrus Soto in Inſtitut. Sacerd. de Confeſſ. Lect. XI. §. *tertium iſtud* , ubi ait : *Tenent etiam hoc plures noſtrum , Petrus de Palude, Hadrianus, Sylveſter.* Sed Sylveſter ſequitur , ut dixi , primam ſententiam Sancti Antonini. Alii etiam innuunt ſententiam Paludani , ſcilicet Fumus. Verb. Confeſſio Sacram. num 23 Tabiena, Verb. Confeſſio. 2. numer. 34. Verſ.

Verf. *Quarto quod.* Turrecremata in c. quem pœnitet de pœnit. distinct. 1. q. 2 num. 3. Dominicus Soto in relect de tegend & detegend. secr. membr. 3. q. 4 dub. 4. § *ad hoc respondetur.* Hanc Opinionem sequuti sunt alii Moderni, præcipuè Navarrus in c. quem pœnitet de pœnitent. dist. 1. & in Summ. c. 21 num. 36. ubi vult, opinionem contrariam Misericordiam Dei, Virtutem Sacramenti, & Devotionem erga ipsum minuere.

23. Attamen Clemens Octavus in sua Bulla, Incipit: *Sanctissimus Dominus Noster*, de Anno 1602. 20. Junii. §. 1. & est in Tom. 3. Bullarii Cherubini, est verò hujus Pontificis 87. damnat hanc propositionem: *Licere per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Scio graviter altercari Doctores, an Papa damnet illam propositionem divisè, & quoad quamlibet ejus partem, an verò complexè, & conjunctim, de quo vide Modernos; Antiqui enim divinare non poterant. Præcipuè verò lege Salmaticenses tract. 6. de Sacram. in gener. c. 3. num. 26. ubi referunt, Paulum Quintum declarasse illam propositionem intelligendam tum conjunctivè, tum disjunctivè.

24. Supposita ergo declaratione Summi Pontificis inquiro, an utraque opinio habeat amplius rationes, quæ possint movere Viros doctos, graves, & Religiosos, ut olim habuit; Doctores enim Notabiles, Divus Antoninus, Sylvester, Palud, uterque Soto, Tabiena, & alii relati fuerunt docti, graves, & Religiosi. Ni volumus judicare primam Cathedram contra textum in c. *Nunc autem* 21. dist. jam patet, quòd opinio Sylvestri, Palud. Soto, Doctorum Basiliensium nunc non habet rationes firmas, graves, &c. quare ergo ante declarationem Pontificis rationes pro illa opinione solidæ reputabantur? Non ob aliam, nisi quia non aderat principium certum, unde colligeretur evidenter falsitas illarum. Igitur evidenter constat, falsum in materia obscura, & incerta, quoadusque non fiat determinatio Ecclesiæ, posse habere magnam soliditatem, gravitatem, & firmitatem Veri, & nequit dici contrarium sine injuria gravissima Sanctorum Patrum, & omnium Scholasticorum, qui in hisce materiis contrarias opiniones ab initio sequuti sunt, & usque ad finem Mundi sequentur. Hinc dicebat Divus Antoninus 1 part. tit. 3. c. 10. §. 10 Verf. revertendo ad quartum: *Quod autem dicit Beatus Thomas quodl. 3. q. 4 art. 2. quod quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram esse veram, & alteram falsam; Si ergo ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, ut puta habendo plures præbendas, faciens contra veram opinionem non excusatur à peccato, cum faciat contra legem Dei, quamvis non faciat contra Conscientiam.* (Notentur verba sequentia Sancti Antonini glossantis prædicta verba Divi Thomæ, quæ videbantur esse multùm scrupulosa) *Hæc enim verba Beati Thomæ non possunt intelligi, nisi de his, ubi manifestè patet ex Scriptura, vel determinatione Ecclesiæ, quòd sit contra legem Dei, & non de illis intelligit, ubi non apparet; aliàs sibi contradiceret in eodem libro, quod non esset credendum.*

25. Ecce clarè per Divum Antoninum quis excusatur sequens opinionem falsam ante textum clarum Scripturæ, & decisionem Ecclesiæ. Ergo per Divum Antoninum opinio falsa in materia obscura potest haberè rationes, propter quas dignus reddatur venia illam sequens; & ita illæ rationes erunt valdè solidæ. Faciunt pro hoc puncto ea, quæ dixi cap. primo per totum, & præcipuè textus Antonini ex parte 3. tit. 5. c. 2. §. 9. relatus c. 1. n 6. Notabis illa verba: *Antequam per Ecclesiam fieret determinatio, pro illo tempore poterunt excusari, qui unam, vel contrariam tenebant;* & postea negabis, si potes, per Antoninum utramque opinionem habuisse ante decisionem Ecclesiæ fundamenta verè solida, & firma.

Colligitur ad Probabilitatem non sufficere, quòd res sit incerta; nam de re incerta datur etiam dubium, & suspicio. Requiritur ergo pariter, ut dicebam in nostra definitione, *ut nitatur gravi motivo.* Porrò utraque ratio sufficit ad Opinionem Probabilem constituendam ut distinctam ab aliis cognitionibus; per hoc enim, quòd sit incerta, distinguitur à Fide Divina, Scientia, & Intellectu, quæ sunt cognitiones certæ. Per hoc, quòd *gravi motivo nitatur*, distinguitur à suspicione, quæ levi signo tenetur. A dubio distinguitur, quia opinio importat assensum, & dubium rejicit assensum.

26. Quæres primò, an possimus habere opinionem probabilem, si præcisè in illa materia non detur decisio Ecclesiæ, nec textus clarus Scripturæ, aut aliud principium certum. Prima facie videtur affirmativè dicendum, quia Divus Thomas quodl. 3. art. 10. quærens, *Utrùm auditores diversorum Magistrorum tenentium diversas opiniones excusentur à peccato erroris, si opiniones suorum Magistrorum tenent*, concludit: *qui ergo assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive etiam contra illud, quod publicè tenetur secundùm authoritatem Ecclesiæ, non potest ab erroris vitio excusari.* Alii Antiqui tractantes hanc quæstionem afferunt integrum textum Doctoris Angelici, & sic transeunt; quos vidi, sunt Joannes de Friburgo lib. 3. tit. 33. quæst. 18. Pisanella, & ejus Supplementum V. opinio. Divus Antoninus par. 3. tit. 5. c. 2. §. 9. Et Henricus Herp præcep. 1. serm. 8. q. 4. Ergo per hos Doctores quis ab erroris vitio excusabitur, si habeat opinionem, quæ non sit contra principium certum; & hinc nos cap. 1. dicebamus contra Probabilioristas, Probabilitatem non posse damnari, quia nullum principium certum habetur Probabilitati oppositum; & referebamus ex Divo Antonino, quòd ante decisionem Joannis Vigesimitertii Doctores poterant unam, vel alteram partem tenere in materia de paupertate Christi.

27. Sed absolutè tenendum est, ex præciso capite, quòd non detur decisio Pontificis, aut textus clarus Scripturæ, aut aliud principium certum, non posse haberi Opinionem Probabilem; quia ex præcisa deficientia principii certi sequitur solùm in illa materia non dari certitudinem; ablato enim uno contradictorio præcisè solùm sequitur aliud contradictorium; sed ex præciso capite Incertitudinis non sequitur Opinio probabilis ex modo dictis; ergo ex deficientia decisionis Pontificiæ, aut alterius principii certi non sequitur necessariò dari in illa materia Opinionem probabilem.

28. Nec Doctor Angelicus, & illi Antiqui nobis opponuntur. Loquuntur ipsi de discipulo sequentem opinionem Magistrorum, & dicunt rectè, hunc excusari ab erroris vitio, si talis opinio non sit contra aliquod principium certum; & Divus Antoninus specificabat de tenentibus unam, vel alteram partem in materia de paupertate Christi; & jure sustinent, tales opinantes excusatos fuisse, usque dum inveniretur aliquod certum, quod ipsis opponeretur. Non opponuntur, inquam, quia loquuntur de Opinionibus Magistrorum; & sic loquuntur de cognitione distincta à Dubio, & Suspicione, & sic loquuntur de illa cognitione, quæ causabatur *à ratione Probabili*, ut utar phrasi Divi Bonaventuræ, Richardi, Rubion. & aliorum Antiquorum. Porrò nomine *rationis Probabilis* non intelligebant Antiqui *meram carentiam principii certi*, ut legenti ipsorum libros fiet manifestum; sed pro qualibet Opinione peculiares rationes inveniebant; Cum enim ipsi distinguerent Opinionem à Dubio, & Suspicione, ergo pro constituenda Opinione non poterant afferre *solam carentiam principii certi*; nam hæc ratio est communis Dubio, & Suspicioni. Insuper Opinio multiplicatur ad multiplicationem materiæ, in qua est; & sic afferebant peculiarem rationem pro peculiari Opinione alicujus materiæ. Igitur Divus Thomas, Joannes de Friburgo, & alii

alii Antiqui dicebant : *Discipuli absque vitio erroris possunt tenere opiniones suorum Magistrorum*, (scilicet conclusiones, quas sui Magistri ex rationibus Probabilibus deduxerunt) *usque dum non accedat decisio Ecclesiæ, aut aliud principium certum in oppositum reperiatur.* Sic etiam in cap 1. ego dixi, illam Opinionem, *Probabilitas est recta regula*, non posse damnari, *nisi afferatur principium certum*; hoc tamen non opponitur doctrinæ præsenti, quia ex deficientia principii certi inferebam solùm, illam opinionem *non esse damnabilem*, non verò deducebam ex hac ratione, illam Opinionem esse vel *Certam*, aut *Probabilem*, aut *Probabiliorem* Igitur deficientia principii certi causat, Opinionem *non esse damnabilem*, non verò, esse *Probabilem*, sed hoc habet aliunde.

29. Dices ex Divo Antonino part. 1. tit. 3. §. 10. regul. 7. Vers. *revertendo ad quartam*, dicitur : potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundùm eam operari excluso saltem scandalo, quæ scilicet pars habeat pro se notabiles Doctores, *dummodo talis opinio non sit contra authoritatem expressam Sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ, & quòd etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum :* Ergo Opinio convincitur nedum per Decisionem Ecclesiæ, aut per aliud principium certum, sed etiam per aliam Opinionem, quia posito dubio de aliqua re, de illa non habetur amplius Opinio. Illud dictum Antonini est juxta Doctorem Angelicum dicentem *quodl. 8. art. 13.* quòd si quis retinet plures Præbendas cum dubitatione orta ex contrarietate opinionum, *peccat procul dubio.*

30. Sed contra primò ex Divo Thoma ibidem, qui sic concludit illum articulum : *aut ex contrariis Opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic nec peccat.* Ergo Opinio contraria non semper causat hanc dubitationem; ergo Opinio ex se non habet vires sufficientes ad tollendam oppositam opinionem, quia si tales vires retineret, semper oppositam tolleret, non enim Opinio est libera ad suum effectum; ergo dubitatio non oritur per se, & ex viribus opinionis oppositæ, sed ab aliunde.

Contra secundò, quia Divus Antoninus, & Divus Thomas non exigunt illam conditionem, *ne inducatur ad dubitandum*, ad Opinionem, sed *ad Operationem;* ille enim dicit : potest quis tenere unam partem alicujus Opinionis, *& secundùm eam operari.* Ecce expressè *Opinionem*, & *Operationem.* Iste verò expressè loquitur *de Opinante*, & cum dubitatione retinente *plures prabendas.* Ecce etiam expressè *Opinionem*, & *Operationem.* Certum est autem plura requiri *ad Operationem*, quàm *ad Opinionem*; & cum bona, & Opinione probabilissima potest quis peccare mortaliter. Probabilissima est Opinio Scotistarum dicentium ad consecrationem Calicis non requiri omnia verba formæ; si quis tamen operaretur juxta illam Opinionem, sacrilegè consecraret Sic etiam est certum ex Alexandro Octavo in suo Decreto condemnante plures opiniones num. 3. Opinionem probabilissimam sufficere ad praxim ; si quis tamen simul haberet dubitationem de opposito, & operaretur, hic discrimini se objiceret, & sic peccaret ex Divo Thoma; & hic faceret contra conscientiam, & ita ædificaret ad Gehennam. c. litteras *de restit. Spoliat.* c. quoniam omne *de præscript.* Denique si subditus prohiberetur à suo Superiori, ne operaretur juxta Opinionem Angelici Doctoris, hic procul dubio peccaret, si operaretur juxta Doctrinam Angelici; & tamen haberet aliàs bonam, & rectam Opinionem.

31. Cæterùm etiam ego fateor, quòd, si advenit Dubium, tollitur Opinio, ut patebit infra, quia Opinio importat assensum intellectivum, Dubium verò importat Suspensionem assensùs ; assensus autem, & suspensio assensùs opponuntur contradictoriè : at nego, quòd, dum advenit Dubium in casu de varietate Opinionum, Opinio convincatur; quia sola evidentia convincit, & cogit intellectum, & omnes rationes possumus

solvere, solis exceptis certis ex dicendis in cap. sequenti. Quando ergo ex varietate Opinionum advenit Dubium, & tollitur Opinio, tollitur eo modo, quo intellectus suspendit assensum, *quando habet quadam apprehensa, qua*, ut inquit Divus Thomas 1. 2. qu. 17. art. 6. *non adeò convincunt intellectum, quin possit assentire, vel dissentire, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam; & in talibus assensus ipse, vel dissensus in potestate nostra est, & sub imperio cadit.* Hunc textum expendam cap. sequenti num. 8. Adi hunc locum, & veritas meliùs elucescet. Igitur tollitur in hoc casu assensus opinativus, *non quia convincatur*, Sed propter aliquam causam; stat tamen simul, quòd assensus hujusmodi *sub imperio cadat.*

32. Quæres secundò, an assensus opinativus sit circa veritatem ipsius rei, an verò circa apparentiam, & verisimilitudinem.

Pater Gonzalez dissert. 1. §. 1. num. 4. ait, esse assensum determinatum, & absolutum unius partis contradictionis cum formidine alterius; quamvis enim moveatur ad opinandum à verisimilitudine objecti, *judicium tamen opinativum non fertur in illam verisimilitudinem, sed in veritatem*; nam verisimilitudinem invenit in utraque parte contradictionis, & illam manifestè, & evidenter cognoscit in utraque; at evidenter cognoscit veritatem non posse esse nisi in altera tantùm; *unde dum probabiliter uni potius assentitur*, quàm alteri, judicat judicio absoluto unam ex illis esse veram, & alteram falsam. Pro confirmatione affert Cardinalem de Lugo disput. 10. de Fide sect. 1. num. 14. dicente: *non esse idem credere conclusionem aliquam esse probabilem, & credere probabiliter illam*; nam, qui tenent aliquam propositionem probabilem, *concedunt simul contrariam esse probabilem*; non tamen credunt veram, etiam assensu probabili; *alioquin haberent assensus duos probabiles de objectis contradictoriis.*

In contrarium num. 6. refert Joannem à Sancto Th. 1. 2. pag. 525. n. 45. ubi ait: assensum probabilem judicare, de facto hoc esse verum, non absolutè, & quoad esse, vel non esse in se, sed quoad apparentiam, & probationem, idest in ratione probabili; quòd autem solùm apparenter, aut probabiliter est verum, dat locum alteri parti, quia involvit aliquam formidinem de illa ob incertitudinem, qua assentitur; & ideo ipse assensus probabilis ex sua natura sic importat affirmationem de una ratione apparente. Sic doctissimus hìc Author, & ejus doctrina videtur fundari in definitione Opinionis tradita à Rubione, & allata cap. antecedenti num. 10.

33. Si per *judicium absolutum* intelligatur actus non habens aliquam conditionem, est verum, si autem intelligatur actus adæquans objectum, nec modificatus; pace ipsius hoc nequeo concedere, quia actus opinionis est debile quoddam, & infirmum ex Divo Thoma 2. 2. qu. 2. art. 9. ad 2. Aristot. 1. poster. tex. 44. & insuper est quid minus, quàm assensus scientificus; ergo non debet dici *judicium absolutum* de veritate, sed potiùs judicium *quasi absolutum* de veritate rei.

34. Pro responsione sciendum primò, quòd, sicut in materia certa dantur duo genera cognitionum, scilicet primorum principiorum, & conclusionis deductæ ab illis, & prima cognitio vocatur intellectus, secunda scientia; ita in materia topica duplex datur cognitio, primorum principiorum nempe, & conclusionis ex illis deductæ. Vide Divum Thomam poster. 1. lect. 44. litt. c. fin. Utraque ex his cognitionibus dicitur Opinio ex Divo Thoma. Ratio hujus divisionis est, quia ex Divo Thoma ibid. & lect. 32. cum Aristot. non proceditur in infinitum in prædicationibus, sive sursum, sive deorsum; ergo in materia topica debent dari prima principia; hæc autem nequeunt esse necessaria, & certa, quia ex necessario non sequitur contingens, & ex certo non sequitur probabile, ut constat, & notat Divus Thomas lect. 44. litt. C. Hinc communiter hæc

hæc propositio, *mater diligit filios*, conceditur. Si autem dantur principia, datur quoque conclusio; ergo in materia topica datur cognitio principiorum, & conclusionis. Primam solam cognitionem opinativam definit Arist. 1. poster. c. 24. num. 1. dum dixit, quòd *Opinio est acceptio propositionis immediatæ non necessariæ;* Patet siquidem, cognitionem deductam ex principiis opinativis esse Opinionem, & tamen est evidens, non esse propositionem immediatam.

35. Sciendum secundò ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 1. art 4. multiplici modo intellectum assentiri objecto: uno modo, quia ad hoc movetur ab ipso objecto, quod est per seipsum cognitum, sicut patet in primis principiis, quorum est intellectus, vel est per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam; & si quidem hæc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit Opinio. Si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit Fides. *Illa autem videri dicuntur, quæ per seipsa movent intellectum nostrum, vel sensum ad sui cognitionem.*

36. Hic insurgere potest dubium, quomodo distinguantur assensus principiorum scientiæ, & assensus principiorum Opinionis. Ratio dubitandi est, quia uterque assensus est de propositione immediata; ergo objecta in utroque assensu immediatè, & absque cognitione alterius objecti movent intellectum; ergo uterque assensus est visio; nam illa videri dicuntur, *quæ per seipsa*, idest absque alio medio priùs cognito, *movent intellectum.*

37. Verùm facilè dubium solvitur, si bene perpendatur textus Doctoris Angelici. Ipse dicit, quòd objecta Opinionis, & Fidei *sufficienter non movent.* Ut ergo reddantur sufficientia, aliud requiritur. Hoc autem aliud est *electio quædam voluntaria*, ait Divus Thomas. E' contra *objectum*, movens ad cognitionem primorum principiorum scientiæ, *per seipsum est cognitum*; Et sic, ut cognoscatur, non requirit aliquod medium. Hoc idem accidit ex Divo Thoma in Visione. Igitur assensus principiorum in materia topica non erit Visio, quia objectum ejus non est sufficiens ad talem assensum, erit autem assensus principiorum scientiæ Visio, quia per seipsum est sufficiens ad talem assensum.

38. Sciendum tertiò assensum conclusionis scientificæ convenire, & differre ab assensu conclusionis opinativæ. Convenit, quia uterque est de propositione mediata, & causatur medio discursu. Disconvenit, quia medium ducens ad assensum scientificum est necessariò connexum cum veritate ipsius rei, & impossibile est, quòd non sit connexum cum veritate ipsius rei; Medium autem ducens in assensum opinativum de propositione mediata non est necessariò connexum cum veritate rei, sed potest aliter se habere juxta Aristotel. & omnes Philosophos; unde potest ducere in cognitionem non veritatis ipsius rei, sed falsitatis. Hinc argumenta, quibus apud Gratianum Viri religiosi, & docti inducebantur in assensum opinativum, quòd non daretur præceptum de Confessione, non trahebant ad assensum veritatis rei, sed falsitatis. Idem dico de argumentis plurimarum propositionum, quas Antiqui opinabantur, quæque detectæ sunt falsæ. Has opiniones referam infra cap. 8. 9 & 10.

39. His scitis dico primò, assensum opinativum propositionis mediatæ non esse judicium de veritate rei. Hanc conclusionem puto esse doctrinam Aristotelis dicentis loco allato: quare derelinquitur Opinionem esse circa verum quidem, *aut falsum*, contingens autem & aliter se habere. Ecce expressè Opinio versatur circa *verum*, *aut falsum.* Ergo assensus opinativus non est judicium de veritate rei, sed est judicium de quadam ratione, quæ possit compati cum falsitate rei, & veritate rei.

40. Probatur primò. Non implicat, quòd assensus opinativus in se actu sit falsus; hinc, ut dicebam, antiquitùs assentiebant aliquibus propositionibus opinativè, quæ tamen erant falsæ, & de facto Thomista assentit uni parti probabiliter, & Scotista assentit alteri parti, probabiliter pariter, unde uterque ex his assensibus est opinativus, & tamen unus ex illis est falsus; ergo assensus opinativus non est judicium de veritate rei.

41. Confirmatur ulteriùs ex Divo Thoma, qui part. 1. quæst. 102. art 2. ad 4. refert, quòd *probabilius* reputabatur, Lineam Æquinoctialem esse inhabitabilem, ut tenebat Aristotel. tom. 3. l. 2. meteor. c. 5. art. 2. Certè Aristoteles habebat assensum opinativum, sicut alii viri docti tempore Divi Thomæ, huic propositioni: *Linea Æquinoctialis est inhabitabilis:* & tamen ille assensus erat falsus actualiter, ergo assensus opinativus non est judicium de veritate rei.

42. Probatur secundò. Veritas rei est una; unde in una sola parte reperitur, hoc fatente ipso Adversario, & est evidens; impossibile est enim duo contradictoria simul esse vera: ergo si assensus opinativus est judicium de veritate rei, debet esse unius: hinc, quia judicium in materia certa est de veritate rei, ideo in tali materia datur unius assensus, & omnes intellectus eidem assentiunt; inde omnes fatentur hominem esse visibilem; ergo, si assensus opinativus est judicium de veritate rei, omnes debent tenere eandem Opinionem, cum ergo hoc sit falsum, falsum quoque erit dictum hujus Doctoris.

43. Probatur tertiò: Per ipsum Doctorem intellectus movetur ad opinandum à *Verisimilitudine*; Ergo assensus opinativus est judicium de verisimilitudine. Consequentia probatur, quia perfectius est judicium de veritate rei, quàm de verisimilitudine, ac proindè nequit verisimilitudo causare judicium de veritate rei, quia effectus nequit excedere suam causam. Tum quia judicium de verisimilitudine requisitum ad assensum opinativum, vel est objectum movens ad assensum opinativum, vel est præmissa concurrens ad conclusionem opinativam. Si primum dicatur, cum objectum non sit veritas ipsius rei, judicium de ipso non erit judicium de veritate rei. Si asseratur secundum, jam scimus conclusionem sequi debiliorem partem, atque adeò conclusio deducta à præmissa *Verisimili* erit solum *Verisimilis*, & erit judicium de sola *Verisimilitudine*, non de veritate rei.

44. Dices: Quando asseritur, *assensum opinativum esse judicium absolutum de veritate rei*, non intelligitur, quòd ille assensus debeat esse conformis cum re à parte rei; hìc enim assensus est certus, sed intelligitur, quòd sit assensus de unica sola parte, ita ut judicet esse veram solam illàm, cum formidine tamen alterius.

Sed contra, quia si assensus opinativus non importat conformitatem cum re à parte rei, cui dicetur conformis? aliud non video assignari posse, nisi *motivum*, ut dicunt Probabilistæ, *rationabile* movens ad talem assensum, quod motivum, cum non sit necessariò connexum cum re, nequit ducere, ut dicebam, necessariò in cognitionem veritatis rei, sed potest compati cum falsitate; unde dicebat Arist. aliquando falsa esse veris probabiliora. Infra patebit responsio ad aliud, quod affertur in objectione.

45. Dico secundò assensus opinativus propositionis immediatæ non necessariæ non est judicium de veritate rei à parte rei. Ratio est, quia judicium de talibus propositionibus, licèt in se esset falsum, adhuc esset assensus probabilis; ergo non est judicium determinatum de veritate rei.

Dices, talis propositio immediata non cognoscitur aliquo medio, sed per seipsam percipitur nullo alio cognito; ergo Opinio de ipsa est cognitio de veritate ejusdem, quia res est sua veritas.

46. Respondetur ex Divo Thoma, quòd objectum opinionis per seipsum non sufficit ad movendum intellectum, & sic,

sic, ut habeatur intellectio opinativa, requiritur aliquid aliud præter objectum proprium: hoc autem aliud in sententia Doctoris Angelici est *electio quædam voluntaria*. Si dicamus hanc electionem concurrere ad Opinionem ut objectum cognitum, sicut se habet ad assensum Fidei, tunc objectio supponeret falsum, & sic nullius roboris esset. Sed, ne recurramus ad doctrinam valdè difficilem, cum certum sit ex Divo Thoma, & cap. seq patebit meliùs, objectum proprium opinionis non sufficere, ut moveat, & ita deberi hunc defectum suppleri ab alio: ideo dico, quòd veritas illius propositionis immediatæ non movet intellectum, quia sic videretur illud objectum, sed *quasi veritas objecti* præstat tale munus, nam, ut patet cap. antecedenti num 10. ex Divo Bernardo, opinari *est quasi habere pro vero*, quod falsum esse nescias, & si ille assensus in se & à parte rei esset falsus, adhuc apud nos esset assensus opinativus, & tandiù remanet opinativus, quandiù durat apparentia de illius veritate. Ergo assensus opinativus de illa propositione immediata non est judicium determinatum de veritate, sed est apparentia de veritate. Hinc Divus Thomas 1. poster. lect. 44. c. fin. vocat opinionem talis propositionis *existimationem*; certum est autem, existimationem posse esse falsam, & sic non esse *judicium determinatum de veritate rei.*

47. Pro solutione sequentis conclusionis sciendum duplicem dari veritatem, objecti scilicet necessarii, quod nequit aliter se habere, & contingentis, quod potest aliter se habere. Primum causat veritatem scientiæ, & cognitionis certæ. Secundum causat veritatem Opinionis, ut liquet ex Arist. poster. 1. c. 24. Et Divo Thoma ubi suprà. Hic pro objecto contingenti, ut dicebam suprà n. 4 non intelligas rem, quæ à parte rei potest aliter se habere; nam de ente necessario potest dari Opinio. Sic de distinctione graduum metaphysicorum, & potentiarum Animæ dantur variæ Opiniones, & tamen certum est, quòd illæ sunt res in seipsis necessariæ, quæque nequeunt aliter se habere. Sic etiam in moralibus in lege naturali dantur variæ Opiniones, & tamen materia legis naturalis est omnino necessaria. Igitur per objectum contingens intelligitur ipsa res, quæ objiciatur tali modo intellectui, ut quantum est in virtute talis modi possit aliter se habere, quicquid sit, an à parte rei ita se habeat. Audiamus Divum Thomam ibidem. litt. C. fin. circa omnia mediata, inquit ipse, quorum est demonstratio, & scientia, potest aliquis existimare, quòd possibile sit aliter se habere, *& ita potest ea opinari*; non enim Opinio est solùm de his, quæ sunt contingentia in sui natura....... *Sed Opinio est de his, quæ accipiuntur ut contingentia aliter se habere, sive sint talia, sive non.* Hæc Doctor Angelicus ex Arist. c. ult. lib. 1. poster.

48. Quod attinet ad objectum necessarium, credo cum Aristot. & Divo Thoma ibidem. litt. B requiri, & quòd debeat apparere esse tale, ut impossibile sit aliter se habere, & quòd ex parte objecti tale se habeat; nam hìc loquimur de scientia, quæ est cognitio universalis, & certa; de eo autem, quod ex parte rei potest aliter se habere, nequit dari cognitio universalis certa, datur quidem de objecto contingenti cognitio certa, oculi enim certificantur per visum, *Petrum esse album*, ast hæc cognitio est particularis, ut patet. Quòd si dicas: ad opinionem sufficit, quòd objectum appareat contingens, licèt in se sit necessarium; ergo ad scientiam sufficit, quòd appareat necessarium, quamvis in se sit contingens. Hinc aliqui apud Arist. 7. Æth. c. 3. adhærent suæ opinioni adeò firmiter, ut alii scientiæ. Sed disparitas est clara, quia plura requiruntur ad perfectius, quàm ad imperfectius; porrò scientia est quid perfectius Opinione. Quòd si aliqui objecto contingenti firmiter adhærent, illa adhæsio non est scientia, sed temeritas, quia certitudo nequit fundari in incerto. Vide definitionem Opinionis num. 3. ex Divo Bernardo desumptam.

49. Secun-

49. Secundùm Probabilistas Veritas bifariàm quoque dividitur, & aliam vocant *Objectivam*, aliam formalem. Prima sistit in eo, quòd cognitio ita se habeat, sicut res est in seipsa, & à parte rei. In hoc sensu Arist. lib. 4. metaph. c. 7. num. 2. tom. 5. dixit: Verum esse cum dicitur esse, quod est, vel non esse, quod non est. Secunda sistit in conformitate Intellectus cum re, non quidem prout est in se, sed prout judicatur secundùm motiva rationabilia. Prima veritas importat certitudinem, secunda verò Probabilitatem; unde, & illam vocant *Veritatem Probabilem*. Videantur Mastrius in 2. disp. 5. num. 49. 121. & 123. Bordon. in Propugn. Opin. Probab. c. 5. num. 7. c. 17. num. 45. c. 18. num. 6. & 110. & in Addit. Fund. 2. num. 7.

50. Dico tertiò, assensus opinativus est judicium de subjecto, quod est à parte rei, de quo affirmatur, vel negatur aliquod prædicatum ob motivum, quod quidem non sit necessariò ipsa veritas à parte rei, sed ita videatur esse intellectui Prudentum. Hæc conclusio est corrollarium ex dictis. Dicitur, *quòd ita videatur esse intellectui Prudentum*, quia, si loquamur de Opinione propositionis mediatæ, per Antiquos ex dictis Opinio est conclusio deducta ex argumento probabili; Probabilia autem sunt, ut suprà retuli, ex Aristot. *quæ videntur vel omnibus, vel Sapientibus, & ex his vel omnibus, vel pluribus &c.* Si loquamur de opinione propositionis immediatæ non necessariæ, nec quoque motivum debet necessariò esse ipsa veritas, quia sic esset assensus non opinativus, sed certus, ut dixi conclusione antecedenti; ergo pariter ejus motivum debet dependere ab intellectu Prudentum. Tum quia assensus opinativus, etiam propositionis immediatæ, est intra metas Probabilitatis, nec enim talis cognitio est scientia, aut intellectus; ergo restat, quòd sit intra metas Probabilitatis, nam nequit assignari alius habitus, cujus sit actus. Lege Arist. & Divum Thomam lib. 1. poster. d. lect. 44. litt. C. idem argumentum conficientes. Si est intra lineas Probabilitatis, ergo est verus hìc assensus, *quia ita videtur vel omnibus, vel Sapientibus &c.* non verò, quia ita objectum se habeat, quia hæc ratio constituit scientiam, non opinionem, quia, & si objectum se non haberet ita, adhuc potest dari assensus opinativus de illa re. Vide num. 46.

51. Nunc restat, ut rationibus Patris Gonzalez respondeamus: dupliciter respondeo, primò secundùm principia Probabilistarum communiter dicentium, nos posse utrique parti simul assensum Probabilem præbere. Secundò juxta meam doctrinam peculiarem; per me siquidem in materia topica possum quidem præbere assensum vel huic, vel illi parti disjunctivè, non utrique copulativè, idest eodem tempore.

52. Juxta ergo Probabilistarum doctrinam dicimus, veritatem *objectivam, & certam* reperiri solùm in unica parte; & sic uni tantùm possumus assentiri: veritatem verò *formalem, & Probabilem* inveniri in utraque parte, & sic utrique parti nos posse simul assentiri. Hinc videbimus infrà Divum Thomam aliquoties, saltem in speculativis, sequutum fuisse utramque partem, ut probabilem; Divum Bonaventuram sæpè dixisse, utramque partem esse probabilem, & defensibilem; Richardum sæpissime concedere licentiam amplectendi Opinionem, *quam volumus;* & alios Antiquos hac methodo resolvisse quæstiones. Nunquid hi Doctores celeberrimi docuerunt, & sustinuerunt utramque partem, & utrique assensum non præbuerunt? vel si præbuerunt assenserunt uni tanquam falsæ?

53. Nec habere duos assensus probabiles de utraque parte, & utrumque esse *probabiliter Verum* est ponere duo contradictoria vera, ut videtur Pater Gonzalez cum Lugo supponere; nam, ut advertit Cardenas in sua Crisi Theologica disput. 15. cap. 4. art. 6. num. 249. quilibet Dialecticus faciliter potest cognoscere non esse contradictorios, cum ambo sint affirmativi. Recolendum est

ergo

ergo ex Arist. 2. Periherm. c. 3. & docent Logici; de quo videantur Mastrius in Logica tract. 2. c. 5. Et Maurus in explic. Arist. ibidem, quòd in propositionibus modalibus, ut propositiones sint contradictoriæ, non debet negatio præponi *Dicto*, sed *Modo*. Hinc Arist. num. 3. dicebat, has propositiones non esse contradictorias: *Possibile est Sortem ambulare: Possibile est Sortem non ambulare*; bene verò esse contradictorias hasce: *Possibile est esse: Non possibile est esse.* Cum ergo hæ propositiones, *Probabile est dari præceptum de circumstantiis aggravantibus confitendis; Probabile est non dari præceptum de circumstantiis &c.* non habeant affirmationem, & negationem de *Modo*, sed de *Dicto*; ideò non erunt contradictoriæ. Igitur juxta principia Aristot. & Dialecticæ hæ propositiones erunt contradictoriæ: *Probabile est dari tale præceptum: Non probabile est dari tale præceptum*; Ex quibus affirmativa est vera, negativa est falsa; & sic utrique intellectus nequibit assentire; poterit tamen illis simul assentire, tanquam non contradicentibus.

54. Probatur ulteriùs, quòd utrique parti probabiliter possimus assentire. Adversarii concedunt, *utramque partem esse probabilem.* Quæro, dum hoc concedunt, an cognoscunt utramque partem esse veram; & sic utrique poterunt assentire, quia verum est objectum assensùs; an verò cognoscant unam esse veram, alteram falsam. Si sic; ergo, quam veram agnoscunt, vocent Probabilem, & falsam appellent *Improbabilem*, *&* *erroneam*; non autem Probabilem. Nec dicas ex Arist. & Divo Thoma ubi suprà, Opinionem versari circa *Verum*, *aut Falsum*; Ergo Opinio falsa potest dici Probabilis: non dicas, inquam, hoc; nam, quod quidem in se est falsum, potest intellectui apparere probabile, imo & probabilius ex Aristot.... Quod verò tibi *Falsum* apparet, & noscis ut falsum, & judicas falsum, nequis illud vocare Probabile; unde Divus Bernardus dicebat, opinari est quasi habere pro vero, *quod falsum esse nescias.* Tum quia hoc nomen, *Probabile*, accipitur in bonam partem; hinc Alexander VII. num. 27. & 40. & Innocentius Undecimus num. 2. 3. 4. & 6 damnant in suis Decretis quasdam propositiones, quæ Probabilitatis nomine condecorabantur à Doctoribus. Antiquitùs in materia Confessionis Sacramentalis utraque pars Probabilis judicabatur. Nunc certò pars una est falsa, alia vera; numquid utraque pars dici potest Probabilis?

55. Dices, quod judicatur falsum, potens tamen esse verum, potest vocari Probabile; ergo Probabilitas non importat veritatem, sed potentiam, ut sit vera.

Sed contra, quia Probabilia sunt ea *quæ talia videntur vel omnibus, vel Sapientibus &c.* Si Probabile videtur esse tale, ergo Probabile importat actu veritatem, quæ trahat intellectum ad suum assensum. Igitur, quod judicatur falsum, potens tamen esse verum, non potest vocari *Probabile*, quia Probabile, ut tale approbatur à Sapientibus, Falsum verò reprobatur à Sapientibus, quin ab omnibus; falsum enim, ut falsum est objectum reprobationis, non approbationis. In rei veritate apud Divum Thomam nomen *Probabile*, accipitur in bonam partem. Possem plures textus afferre, sæpè enim hoc nomine utitur, hos sex referre sufficiat. Par. 1. quæst. 1. art. 8. ad 2. ait Theologiam arguere ex authoritatibus Patrum *Probabiliter*. 3. part. quæst. 70. art. 4. ad 2. scribit: *Probabile est*, ante circumcisionem parentes fudisse quasdam preces pro parvulis ad delendum peccatum originale. Quæst. 7 de malo art. 11. ad 16. dicit, *esse satis probabile*, quod peccatum veniale in Purgatorio statim non deleatur. In 4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstiun. 4. ad 5. ait: dum pœnitens sibi *probabiliter* timet aliquod periculum, potest recurrere ad Superiorem pro obtinendo alium Confessorem. Distinct. 32. art. 4. ad 3. sustinet cum aliis *probabilius* esse, matrimonio junctum non posse votum facere de non petendo debito. Dist. 45. quæst. 2.

quæst. 2. art. 2. quæstiun. 1. ad 5. docet: de facto Trajani hoc modo *probabiliter* æstimari potest, quod precibus Beati Gregorii ad vitam fuerit revocatus. Certè Angelicus Doctor in his locis accipit terminum, *Probabile*, in bonam partem, ut scilicet significet aliquid, quod intellectus amplectatur, & sic quod sit; nec in alio sensu, pro quanto potui legere, unquam inveni. Ergo in sententia Divi Thomæ, quod cognoscitur esse actu falsum, nequit nominari *Probabile*. Legatur Bordonus in Propugn. Opin. Probab. c. 19. num. 21. ubi egregiè probat ex Ætimologia nominis, & aliis capitibus nomen, *Probabile*, accipi in bonam partem, & veritatem importare.

56. Hæc dicta sint ad ostendendum esse valde probabilem illam Opinionem Probabilistarum, quòd scilicet sine contradictione possimus probabiliter assentiri utrique parti; quia tamen hæc Opinio non est necessaria pro meo fine, qui est dare licentiam sequendi quamlibet ex duabus probabilibus opinionibus. Ideo omittamus hanc doctrinam, maximè cum principiis Doctoris Angelici quadrare non videatur; siquidem ipse 1. 2. quæst. 77. art. 2. ad 3. dicit, quòd aliquis nequit habere simul actum Opinionis veræ de universali affirmativo cum actu Opinionis falsæ de particulari negativo. Eadem habet quæst. 53. art. 1. quæst. 64. art. 3. ad 3. & part. 1. q. 17. art. 4. ad 1. & q. 3. *de Malo*. ar 9. ad 5. Idem Sanctus Doctor lib 4. Metaphys. lect. 6. litt. D. lect. 15. litt. G. & lib. 11. lect. 5. litt. A. fin. probat Opiniones contrarias non posse esse simul in eodem intellectu, quia verificarentur duo contradictoria; objectum enim Opinionis affirmativæ esset ens, objectum verò negativæ esset non ens, & dans exemplum hujus doctrinæ, allata quæst 64. dicit, non posset aliquis opinari simul, quòd *Bonum sit bonum*, & *Bonum non sit bonum*. Nota, quòd Sanctus Doctor in quæst. de Malo expressè fatetur, nos non posse habere simul *aut scientiam*, aut Opinionem *veram in actu de universali affirmativo*, & Opinionem *falsam de particulari negativo*. Hinc nedum simul intellectus nequit habere cognitionem certam de utraque parte contradictionis, sed nec etiam cognitionem incertam, & de linea Opinionis, expressè enim loquitur tum de scientia, tum de Opinione.

57. Respondetur igitur secundò ad argumenta Patris Gonzalez, & dicimus cum Divo Thoma, quòd idem intellectus nequit judicare utramque partem esse veram, licèt *Probabiliter*, & Opinativè, sed unam tantùm; at talis assensus probabilis, seu judicium Opinativum non est judicium de veritate rei, quia veritas opinativa, seu Probabilis, quamvis in se actu esset falsa, non amitteret suum esse. E' contra Veritas rei non esset veritas rei, si in se esset falsa. Quando dicitur: evidenter cognoscimus utramque partem esse probabilem, & tamen non possumus assentiri utrique parti probabiliter; ergo assentiri probabiliter non est idem, ac judicium de Probabilitate; erit ergo judicium de veritate rei, quæ solùm stat in unica parte.

58. Respondetur distinguendo primum consequens: ergo assentiri probabiliter rei non est idem, ac judicium *de Probabilitate Opinionum*; concedo: non est idem, ac judicium *de Probabilitate Rerum*; nego. Explico exemplo. Cognosco opinionem dicentem, *circumstantias aggravantes esse confitendas*, & de hac profero judicium, & dico: *Hæc Opinio est probabilis*. Cognosco alteram Opinionem negantem, *circumstantias aggravantes esse confitendas*, & de hac efformo judicium, & dico: *Hæc Opinio est probabilis*. In figuratione hujus casus duo dantur judicia, seu assensus intellectivi. Primus actus attingit *Circumstantias*; secundus percipit *cognitionem illam*, qua circumstantiæ attinguntur. Primus actus est directus, est in linea Opinionis, & potest esse falsus. Secundus actus est reflexus, quia attingit, & habet pro objecto *cognitionem*. Est evidens, & sic spectat ad lineam scientiæ, nec potest esse falsus. Hinc

patet

patet data distinctio; nam judicium *de Probabilitate Opinionum* non est probabile, sed certum; judicium verò *de Probabilitate Rerum* est Probabile, & in linea Probabilitatis, quia potest aliter se habere, nam in dato casu, judico circumstantias aggravantes esse confitendas ob motivum, *quod necessariò non est ipsa res;* & sic necessariò non est *Veritas Rei.* Hoc autem, quod videtur ipsa res, & veritas rei, sed necessariò non est ipsa res, & veritas rei, cum sit quid minus, quàm esse necessariò ipsam rem, & veritatem rei, nos vocamus Probabilitatem Rei, Verisimilitudinem, & *Quasi Veritatem Rei*, ut utar phrasi Divi Bernardi.

59. Porrò, quamvis assensus opinativus formaliter non tendat ad veritatem rei, ut explicui, adhuc juxta hæc principia Divi Thomæ eodem tempore intellectus non assentietur alteri parti; & hoc, quia adhuc affirmaretur, & negaretur idem prædicatum de eodem subjecto; diceretur enim: datur præceptum de circumstantiis aggravantibus confitendis: non datur præceptum de circumstantiis aggravantibus confitendis. Hoc autem fieri in eodem intellectu eodem tempore est impossibile juxta Divum Thomam. Audi ipsum allata lect. 5. lib. 11. Metaphysic. litt. A. fin. Impossibile est, inquit, quòd aliquis opinetur, hoc principium esse falsum: (quòd nempe idem sit, & non sit) opinaretur enim contradictoria esse simul vera; & sic idem habere simul contrarias opiniones; nam contrariæ opiniones sunt, quæ sunt de contrariis. Sicut Opinio, qua quis opinatur Socratem sedere, *est contraria opinioni*, qua quis opinatur eum non sedere. Sic Sanctus Doctor.

60. Dices, impossibile quidem est, quòd ens sit, & non sit; non tamen implicat, quòd ens appareat esse, & appareat non esse juxta Divum Thomam, qui q. 14. de verit. art. 1. dicit, dari rationes apparentes æquales ad utramque partem moventes; ergo, si juxta Divum Thomam assensus opinativus est de apparentia, & probabilitate, non verò de veritate rei, intellectus poterit utramque partem opinari.

Respondetur, in sententia Divi Thomæ non implicare, quòd ens appareat esse, & appareat non esse in actu primo; implicare verò, quòd appareat in actu secundo; hoc est, dantur quidem media, & rationes ad utramque partem moventes, ut Doctor ipse Angelicus dicebat loco allato; non tamen intellectus movetur actu ad judicandum de utraque parte, ut fatetur expressè ibidem Divus Thomas. Et quidem in aliis materiis juxta Divum Thomam in eodem intellectu dantur motiva ad diversos actús, & tamen simul illi actus in eodem intellectu non se compatiuntur. Sic part. 1. quæst. 58. art. 7. ad 3. ait: ad eandem conclusionem habere possumus, *& medium demonstrativum, & dialecticum.* Et quæst. 62. art. 7. dicit: nihil prohibet simul aliquid cognoscere per diversa media; sicut simul potest cognosci aliquid *per medium probabile, & demonstrativum.* Doctissimi Salmaticenses de Fide disput. 2. num. 141. & 142. explicant hosce textus de mediis in actu primo, non verò in actu secundo; tenent enim tanquam de mente Divi Thomæ exploratum, opinionem, & scientiam de eodem objecto non compati simul in eodem intellectu. Sic etiam in sententia Scoti in 3. dist. 24. in solut. argum. princip. ad 1. & 3. ut notat Mastrius in 3. disput. 6. num. 104. in eodem intellectu sunt compossibiles habitus Fidei, & habitus scientiæ, non tamen actus Fidei, & actus scientiæ de eodem objecto: ergo etiam nos possumus dicere, quòd in sententia Divi Thomæ apparet quidem utraque pars in eodem intellectu in actu primo, non verò in actu secundo; & hoc, quia in actu secundo importatur affirmatio, & negatio de eodem subjecto, & prædicato, quæ non importatur in illis motivis in actu primo se habentibus ad utramque partem hujus objecti.

61. Colligitur, sive dicatur assensum opinativum esse de veritate rei, sive de quasi

quasi veritate, sive de Probabilitate, & Verisimilitudine; colligitur, inquam, ex assensu opinativo non posse inferri *veritatem rei.* Hinc nequit argui: assensus, quem habeo de hoc objecto, est certò opinativus; ergo hoc objectum ita est. Hinc dicebam: Opinio Aristot. de Linea Æquinoctiali inhabitabili proculdubiò antiquitùs erat certò probabilis; quin probabilior reputabatur teste Divo Thoma, & multæ aliæ Antiquorum opiniones, etiam morales, erant certò probabiles, & tamen non inferebant veritatem, cum postea inventæ sint falsæ. Hoc corollarium mihi est evidens, & ex eodem videtur inferri, quòd assensus opinativus non fit judicium determinatum de veritate rei. Hìc suppono, quòd hæc propositio de assensu opinativo sit saltem in materia necessaria, si non sit definitio ipsius assensùs opinativi. Si illa propositio est necessaria, ergo non posset dari assensus opinativus sine veritate rei. Si dicant talem assensum solùm contingenter importare veritatem rei; ergo explicant assensum opinativum in ordine ad aliquod contingens, & accidentale, de quo parùm esse debemus solliciti. De essentia, & proprietatibus metaphysicis assensùs opinativi debemus inquirere, non de ejus accidentibus. Si debeo fateri, quod sentio, credo in hac quæstione esse differentiam de solo nomine.

62. Quæres tertiò, an Opinio possit esse omnium, an verò necesse sit, ut aliqua cognitio sit Opinio, quòd detur varietas in opinantibus.

Respondetur aliquam propositionem posse esse in linea opinionis, etiamsi illam omnes doceant. Hic præscindo à Sanctis Patribus loquendo in materia Sacra. Loquor ergo de Scholasticis, & Summistis, & dico, quòd, si omnes Scholastici, & Summistæ docerent aliquam propositionem, ex præciso capite, quòd conveniant, nequit argui, illam propositionem esse evectam à statu opinionis, sed considerandæ sunt rationes; unde solùm elevabitur ad certitudinem, si rationem certam afferent. Hinc, licèt Scholastici, & Summistæ omnes per tria sæcula, & amplius, ex professo docuerint, Infantem non posse baptizari existentem totaliter in utero, tamen Moderni aliqui, quos sequar, jure potuerunt discedere à tali opinione, & oppositam sustinere, nec de temeritate accusari.

63. Hanc meam conclusionem puto esse evidenter Aristotelis docentis 1. topic. cap. 1. tex. 6. & retuli supra num. 7. Probabilia esse, *quæ videntur vel omnibus*, vel plurimis, atque Sapientibus, atque his, *vel omnibus*, vel plurimis &c. Nota, quæso, quòd aliquod potest *videri omnibus*; & tamen esse *Probabile.* Quin Aristot. primo loco posuit vocem, *Omnibus*, ut significaret, tunc propositionem propriè esse in linea Probabilitatis, cum admittitur *ab Omnibus.* Si propositio potest remanere Probabilis, *& esse omnium*; conclusio deducta ab illa erit *omnium*, & tamen non erit, nisi Opinio; quia ex præmissa probabili nequit deduci conclusio scientifica, & ad alium habitum nequit reduci illa conclusio ex sex assignatis ab Aristot 6. Æthic. c. 3. quàm ad Opinionem.

64. Confirmatur. Testibus doctissimis Salmaticensibus num. 131. & 132. illa propositio: *omnis mater diligit filium*, est adeo apparens, ut nulla ratione indigeat ad sui assensum; ergo omnes illi præbebunt assensum, & utique opinativum, ut potè habentem formidinem de opposito. Mastrius in Logic. disp. 14. quæst. 1. princ. testatur illam propositionem *ab omnibus* acceptari ut veram in serie contingentium. Hic obiter colliges, non bene dixisse Patrem Gonzalez cum Lugo, relatis num. 32. quòd concedentes unam propositionem esse probabilem, simul concedant contrariam esse probabilem. In multis equidem est verum, non tamen in omnibus; unde illa propositio: *mater non diligit filium*, non est probabilis, licèt omnes concedant esse probabilem suam oppositam.

65. Vendrochius Not. 1. Epist. V. ponit pro titulo paragrapho tertio hanc

inscri-

inscriptionem : *Nullam Propositionem Probabilem universè, & omnibus.* In ipso verò incusat Casuistas, eò quòd asserat, quòd, si aliqua Propositio visa fuerit Probabilis aliquibus Doctoribus, sit talis censenda ab omnibus; Unde subjungit, hoc esse injuriosum Deo, & hominibus; Deo quidèm, quia Uni dat majus lumen, quàm Alteri; Hominibus verò, quia denotat omnes æquali ignorantia laborare. Verùm tamen est, quòd in Paragrapho limitat titulum, & dicit: Vix dari Propositionem Probabilem universè, & omnibus. Hæc sua Doctrina sequitur ex alia, quam pluribus in locis inculcat, quamque sequuntur Probabilioristæ, in difficultatibus nempè tangentibus Conscientiam *Orationi instandum esse*, ut Pater luminum illustret mentem ad veritatem hauriendam. Si hoc est verum, jam liquet, qui plurimùm oraverit, posse præsumere, se habuisse majus lumen Divinum; & sic poterit, æquo judicio credere, se doctiorem alio, qui dictat opinionem contrariam, & minus oraverit; ac proindè fas erit ipsi, opinionem suæ contrariam non esse probabilem judicare. Quod an sapiat præsumptionem, decernent viri docti.

66. Doctrinam hanc de Oratione fundenda pro solutione dubiorum in materia obscura, & incerta refellemus alibi; nunc verò quoad ea, quæ spectant ad præsentem difficultatem assero, opiniones omnes Augustini, & Antiquorum Patrum, si ab Ecclesia non sint proscriptæ, ab omnibus esse sequendas ex c. *Sancta* 15. distinct. Ex alia parte scimus ex Divo Thoma 1. part quæst. 1. art. 8. Anthoritatem Patrum contineri intra lineam Probabilitatis, adeoque cum Opiniones Patrum non sint una, aut duæ, sed plurimæ, jam patet *non vix*, ut volebat Vendrochius, *sed sæpè propositionem esse Probabilem universe, & omnibus.* Sic etiam quis poterit negare omnes Opiniones Divi Thomæ esse Probabiles? Hoc idem asserent de Opinionibus Scoti Scotistæ, de opinionibus Bacconi Bacchonistæ, & sic loquendo de Opinionibus Procerum Antiquorum. Ergo plurimæ Opiniones debent esse Probabiles universè, & omnibus.

67. De reliquo etiam ego fateor multas Opiniones, quæ multis videntur Probabiles, non esse necesse, quòd aliis tales videantur, quia aliter homines eadem ignorantia laborarent. Ast hoc puto verum de Doctoribus, qui floruerunt diversis temporibus, quia decursu temporis discooperiuntur multa vera, quæ falsa videbantur, & multa esse certa, quæ solùm probabilia reputabantur. Sic aliquæ hæreses probabiles à viris Catholicis Antiquis iudicatæ sunt, ut patet in quæstione, an Confessio peccatorum sit in Præcepto Divino. Sic Divus Cyprianus, & cum eo Octuaginta Episcopi tenuerunt, Baptizatum ab Hæreticis esse iterum baptizandum. c. præter hoc 32. distinct. §. verùm fin. Sic Joachimus Abbas tenuit aliquas Propositiones ut Probabiles, quæ tamen postea damnatæ sunt ut hæreticæ. c. *Damnamus. de Summ Trinit.* Sic etiam Magister Sententiarum asseruit plura ut Probabilia, quæ tamen communiter reprobantur, ut patet ex Divo Antonino part. 4. tit. 11. c. 8. Divo Bonaventura in 2. distinct. 44. dub. 3. & Pelbar. in Rosar. V. Opinio. num. 4. & hinc mos obtinuit, quòd post diuturnas quæstiones Pontifex decidat dubium, & certam reddat unam ex opinionibus, ut patet ex c. damnamus *de Trin.* c. fideli eod. in sexto, c. Antiquæ extrav. Joann. 22. & aliis Decretalibus, ut observat Bacconius in 4. dist. 2. q. 4 art. 3.

68. Liquet ergo, quòd decursu temporis longo non est necesse, quòd Doctores posteriores accipiant ut probabilia, quæ primis talia apparebant. Verùm, quod videtur probabile viris doctis, difficultatemque agitantibus ex professo, alii florentes circa idem tempus nolint amplecti ea ut probabilia, est nimiùm sapere, & præsumptuosum, & judicare solem in meridie existere, dum vix Aurora rubescit. Et hoc est contrarium praxi Antiquorum, qui nunquam

priscos, & modernos tenentes sive hanc, sive illam. De hoc infrà suo loco. Ergo Vendrochius dicit, quòd Opinio asserens obligationem confitendi circumstantias aggravantes sit Probabilis; dicit etiam (disputationis gratia saltem) quòd opinio negativa sit Probabilis. Jam scimus unam ex his esse falsam in seipsa; adhuc quæro, an Argumenta probantia Probabilitatem primæ Opinionis sint solida, firma, vel fallaciis, & sophismatibus referta. Hoc idem inquiro de secunda Opinione. Si dicatur utramque Opinionem habere Argumenta fortia, solida, nec fallaciis constantia; Ergo in materia obscura opinio falsa habet Argumenta fortia, & solida. Si dicatur Opinionem falsam habere rationes solùm apparentes, & fallaces; quomodò ergo Vendrochius tunc utramque opinionem judicabit probabilem? Nemo potest asserere, si sit sapiens, aliquod esse probabile, nisi sit motus à ratione, quæ sibi sit fortis, gravis, & solida.

20. Instruamus Argumentum universaliter. Opiniones contrarias, etiam Morales Thomistarum, Scotistarum, Bacconistarum, &c. certum est, non posse esse in seipsis veras, quia impossibile est, quod objectum sit, & non sit; Una ergo est vera, altera falsa. Interea volo, quòd Vendrochius judicium ferat de Argumentis probantibus omnes, & singulas illas Opiniones, an sint valida, efficacia, & fortia; vel fallacia, & sophistica. Si primum asseratur, ergo opinio falsa, quæ scilicet in se est falsa, habet erga nos magnam soliditatem, firmitatem, &c. propter quod est digna, ut propugnetur à Thomistis, Scotistis, &c. Si secundum dicetur, jam Vendrochius acriter vapulabit à Thomistis, Scotistis, &c. qui omnes jure asserunt, omnes Opiniones suorum Doctorum continere sanam, solidam, firmamque doctrinam.

21. Nunc revertendo ad tertiam Quæstionem in illa difficultate, quam proposui supra Vers. *Respondeo, magnam: An possimus absolvere pœnitentem absentem.* Observo ex Divo Antonino par. 3. tit. 14. c. 14. §. 9. & tit 17. c. 12. & c. 21. §. 3. in Concilio Basiliensi super hoc Articulo factam fuisse collationem cum *multis notabilibus* Doctoribus Theologiæ. Quidam eorum (si scandalum magnum timeretur) Absentem absolvendum esse proclamabant, qui præsens malè absolutus fuerat; Aliis verò placuit negotium committendum esse Deo, si notabile scandalum timeremus; præsertim si malè absoluta fuisset priùs multitudo, vel multi eorum multùm distarent à Confessario. Hanc opinionem de Verbo ad Verbum sequitur Sylvester Verb. Confessor. 3. num. 1. qui allegat Directorium Juris, cujus Author fuit Petrus Casuel.

22. Laxiorem Opinionem habuit Palud. in 4. dist 17. q. 2. art. 1. dicit enim: *Si pœnitens non possit ire, nec accersere Sacerdotem, liceat eidem scribere peccata, & mandare; & Sacerdos possit rescribere, & remandare absolutionem; & valet absolutio quando uterque sic est infirmus, vel clausus.* Hanc opinionem sequitur clariùs Adrianus, qui per Vendrochium collocatur in choro Theologorum Antiquorum, in 4. ubi agit de Sacram. Confess. art. 1. §. *sed oritur ex his.* Hic expressè asserit: Generaliùs autem respondendum videtur, ubi justa causa occurrit, talis videlicet, quæ confitentem relevat à Confessione ore facienda, Confessio facta per scripturam, vel nuntium valida est, & potest absentem Sacerdos Sacramentaliter absolvere; Secus dum ex segnitia, vel verecundia non vult ore proprio confiteri Sacerdoti, quia sic poneret obicem Sacramentali Absolutioni. Hanc quoque sententiam tenet Petrus Soto in Institut. Sacerd. de Confess. Lect. XI. §. *tertium istud*, ubi ait: *Tenent etiam hoc plures nostrum, Petrus de Palude, Hadrianus, Sylvester.* Sed Sylvester sequitur, ut dixi, primam sententiam Sancti Antonini. Alii etiam innuunt sententiam Paludani, scilicet Fumus. Verb. Confessio Sacram. num. 23. Tabiena, Verb. Confessio 2. numer. 34. Vers.

Quarto quod. Turrecremata in em pœnitet de pœnit. distinct. 1. num. 3. Dominicus Soto in relect. tend & detegend. secr. membr. 3. dub. 4. § *ad hoc respondetur.* Hanc onem sequuti sunt alii Moderni, pue Navarrus in c. quem pœnitet enitent. dist. 1. & in Summ. c. 21 36. ubi vult, opinionem contra Misericordiam Dei, Virtutem Sa- enti, & Devotionem erga ipsum ere.

Attamen Clemens Octavus in sua , Incipit: *Sanctissimus Dominus r*, de Anno 1602. 20. Junii. §. 1. & Tom. 3. Bullarii Cherubini, est hujus Pontificis 87. damnat hanc ositionem: *Licere per litteras, seu nuncium Confessario absenti peccata mentaliter confiteri, & ab eodem ab- absolutionem obtinere.* Scio graviter cari Doctores, an Papa damnet propositionem divisè, & quoad alibet ejus partem, an verò com- è, & conjunctim, de quo vide Mo- os; Antiqui enim divinare non po- it. Præcipuè verò lege Salmati- es tract. 6. de Sacram. in gener. c. 3. . 26. ubi referunt, Paulum Quin- declarasse illam propositionem in- gendam tum conjunctivè, tum dis- tivè.

. Supposita ergo declaratione Sum- Pontificis inquiro, an utraque opi- habeat amplius rationes, quæ possint ere Viros doctos, graves, & Re- sos, ut olim habuit; Doctores Notabiles, Divus Antoninus, ester, Palud, uterque Soto, Ta- a, & alii relati fuerunt docti, gra- & Religiosi. Ni volumus judicare iam Cathedram contra textum in *unc autem* 21. dist. jam patet, quòd io Sylvestri, Palud. Soto, Docto. Basiliensium nunc non habet ratio- irmas, graves, &c. quare ergo an- eclarationem Pontificis rationes pro opinione solidæ reputabantur? Non liam, nisi quia non aderat princi- certum, unde colligeretur eviden- falsitas illarum. Igitur evidenter constat, falsum in materia obscura, & incerta, quoadusque non fiat determi- natio Ecclesiæ, posse habere magnam so- liditatem, gravitatem, & firmitatem Veri, & nequit dici contrarium sine in- juria gravissima Sanctorum Patrum, & omnium Scholasticorum, qui in hisce materiis contrarias opiniones ab initio sequuti sunt, & usque ad finem Mundi sequentur. Hinc dicebat Divus Anto- ninus 1 part. tit. 3 c. 10. §. 10 Vers. re- vertendo ad quartum: *Quod autem dicit Beatus Thomas quodl. 3. q. 4 art. 2. quod quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram esse veram, & alteram falsam; Si ergo ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, ut puta habendo plures præbendas, faciens contra veram opinionem non excusatur à pecca- to, cum faciat contra legem Dei, quam- vis non faciat contra Conscientiam.* (Notentur verba sequentia Sancti Antonini glossantis prædicta verba Divi Thomæ, quæ videbantur esse multùm scrupulosa) *Hæc enim verba Beati Thomæ non possunt intelligi, nisi de his, ubi manifestè patet ex Scriptura, vel determinatione Ecclesiæ, quod sit contra legem Dei, & non de illis intelligit, ubi non apparet; alias sibi con- tradiceret in eodem libro, quod non esset credendum.*

25 Ecce clarè per Divum Antoni- num quis excusatur sequens opinio- nem falsam ante textum clarum Scri- pturæ, & decisionem Ecclesiæ. Ergo per Divum Antoninum opinio falsa in materia obscura potest habere rationes, propter quas dignus reddatur venia illam sequens, & ita illæ rationes erunt valdè solidæ. Faciunt pro hoc puncto ea, quæ dixi cap. primo per totum, & præcipuè textus Antonini ex parte 3. tit. 5. c. 2. §. 9. relatus c. 1. n 6. Notabis illa verba: *Antequam per Ecclesiam fie- ret determinatio, pro illo tempore potue- runt excusari, qui unam, vel contra- riam tenebant;* & postea negabis, si potes, per Antoninum utramque opi- nionem habuisse ante decisionem Ec- clesiæ fundamenta verè solida, & fir- ma.

Colligitur ad Probabilitatem non sufficere, quòd res sit incerta; nam de re incerta datur etiam dubium, & suspicio. Requiritur ergo pariter, ut dicebam in nostra definitione, *ut nitatur gravi motivo.* Porrò utraque ratio sufficit ad Opinionem Probabilem constituendam ut distinctam ab aliis cognitionibus; per hoc enim, quòd sit incerta, distinguitur à Fide Divina, Scientia, & Intellectu, quæ sunt cognitiones certæ. Per hoc, quòd *gravi motivo nitatur*, distinguitur à suspicione, quæ levi signo tenetur. A dubio distinguitur, quia opinio importat assensum, & dubium rejicit assensum.

26. Quæres primò, an possimus habere opinionem probabilem, si præcisè in illa materia non detur decisio Ecclesiæ, nec textus clarus Scripturæ, aut aliud principium certum. Prima facie videtur affirmativè dicendum, quia Divus Thomas quodl. 3. art. 10. quærens, *Utrùm auditores diversorum Magistrorum tenentium diversas opiniones excusentur à peccato erroris, si opiniones suorum Magistrorum tenent*, concludit: *qui ergo assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive etiam contra illud, quod publicè tenetur secundùm authoritatem Ecclesiæ, non potest ab erroris vitio excusari.* Alii Antiqui tractantes hanc quæstionem afferunt integrum textum Doctoris Angelici, & sic transeunt; quos vidi, sunt Joannes de Friburgo lib. 3. tit. 33. quæst. 18. Pisanella, & ejus Supplementum V. opinio. Divus Antoninus par. 3. tit. 5. c. 2. §. 9. Et Henricus Herp præcep. 1. serm. 8. q. 4. Ergo per hos Doctores quis ab erroris vitio excusabitur, si habeat opinionem, quæ non sit contra principium certum; & hinc nos cap. 1. dicebamus contra Probabilioristas, Probabilitatem non posse damnari, quia nullum principium certum habetur Probabilitati oppositum; & referebamus ex Divo Antonino, quòd ante decisionem Joannis Vigesimitertii Doctores poterant unam, vel alteram partem tenere in materia de paupertate Christi.

27. Sed absolutè tenendum est, ex præciso capite, quòd non detur decisio Pontificis, aut textus clarus Scripturæ, aut aliud principium certum, non posse haberi Opinionem Probabilem; quia ex præcisa deficientia principii certi sequitur solùm in illa materia non dari certitudinem; ablato enim uno contradictorio præcisè solùm sequitur aliud contradictorium; sed ex præciso capite Incertitudinis non sequitur Opinio probabilis ex modo dictis; ergo ex deficientia decisionis Pontificiæ, aut alterius principii certi non sequitur necessariò dari in illa materia Opinionem probabilem.

28. Nec Doctor Angelicus, & illi Antiqui nobis opponuntur. Loquuntur ipsi de discipulo sequentem opinionem Magistrorum, & dicunt rectè, hunc excusari ab erroris vitio, si talis opinio non sit contra aliquod principium certum; & Divus Antoninus specificabat de tenentibus unam, vel alteram partem in materia de paupertate Christi; & jure sustinent, tales opinantes excusatos fuisse, usque dum inveniretur aliquod certum, quod ipsis opponeretur. Non opponuntur, inquam, quia loquuntur de Opinionibus Magistrorum; & sic loquuntur de cognitione distincta à Dubio, & Suspicione, & sic loquuntur de illa cognitione, quæ causabatur *à ratione Probabili*, ut utar phrasi Divi Bonaventuræ, Richardi, Rubion. & aliorum Antiquorum. Porrò nomine *rationis Probabilis* non intelligebant Antiqui *meram carentiam principii certi*, ut legenti ipsorum libros fiet manifestum; sed pro qualibet Opinione peculiares rationes inveniebant; Cum enim ipsi distinguerent Opinionem à Dubio, & Suspicione, ergo pro constituenda Opinione non poterant afferre *solam carentiam principii certi*; nam hæc ratio est communis Dubio, & Suspicioni. Insuper Opinio multiplicatur ad multiplicationem materiæ, in qua est; & sic afferebant peculiarem rationem pro peculiari Opinione alicujus materiæ. Igitur Divus Thomas, Joannes de Friburgo, & alii

alii Antiqui dicebant: *Discipuli absque vitio erroris possunt tenere opiniones suorum Magistrorum*, (scilicet conclusiones, quas sui Magistri ex rationibus Probabilibus deduxerunt) *usque dum non accedat decisio Ecclesiæ, aut aliud principium certum in oppositum reperiatur.* Sic etiam in cap 1. ego dixi, illam Opinionem, *Probabilitas est recta regula*, non posse damnari, *nisi afferatur principium certum*; hoc tamen non opponitur doctrinæ præsenti, quia ex deficientia principii certi inferebam solùm, illam opinionem *non esse damnabilem*, non verò deducebam ex hac ratione, illam Opinionem esse vel *Certam*, aut *Probabilem*, aut *Probabiliorem* Igitur deficientia principii certi causat, Opinionem *non esse damnabilem*, non verò, esse *Probabilem*, sed hoc habet aliunde.

29. Dices ex Divo Antonino part. 1. tit. 3. §. 10. regul. 7. Vers. *revertendo ad quartam*, dicitur: potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundùm eam operari excluso saltem scandalo, quæ scilicet pars habeat pro se notabiles Doctores, *dummodo talis opinio non sit contra authoritatem expressam Sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ, & quòd etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum:* Ergo Opinio convincitur nedum per Decisionem Ecclesiæ, aut per aliud principium certum, sed etiam per aliam Opinionem, quia posito dubio de aliqua re, de illa non habetur amplius Opinio. Illud dictum Antonini est juxta Doctorem Angelicum dicentem *quodl. 8. art. 13.* quòd si quis retinet plures Præbendas cum dubitatione orta ex contrarietate opinionum, *peccat procul dubio.*

30. Sed contra primò ex Divo Thoma ibidem, qui sic concludit illum articulum: *aut ex contrariis Opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic nec peccat.* Ergo Opinio contraria non semper causat hanc dubitationem; ergo Opinio ex se non habet vires sufficientes ad tollendam oppositam opinionem, quia si tales vires retineret, semper oppositam tolleret, non enim Opinio est libera ad suum effectum; ergo dubitatio non oritur per se, & ex viribus opinionis oppositæ, sed ab aliunde.

Contra secundò, quia Divus Antoninus, & Divus Thomas non exigunt illam conditionem, *ne inducatur ad dubitandum*, ad Opinionem, sed *ad Operationem*; ille enim dicit: potest quis tenere unam partem alicujus Opinionis, *& secundùm eam operari.* Ecce expressè *Opinionem*, & *Operationem.* Iste verò expressè loquitur *de Opinante*, & cum dubitatione retinente *plures præbendas.* Ecce etiam expressè *Opinionem*, & *Operationem.* Certum est autem plura requiri *ad Operationem*, quàm *ad Opinionem*; & cum bona, & Opinione probabilissima potest quis peccare mortaliter. Probabilissima est Opinio Scotistarum dicentium ad consecrationem Calicis non requiri omnia verba formæ; si quis tamen operaretur juxta illam Opinionem, sacrilegè consecraret Sic etiam est certum ex Alexandro Octavo in suo Decreto condemnante plures opiniones num. 3. Opinionem probabilissimam sufficere ad praxim; si quis tamen simul haberet dubitationem de opposito, & operaretur, hic discrimini se objiceret, & sic peccaret ex Divo Thoma; & hic faceret contra conscientiam, & ita ædificaret ad Gehennam. c. litteras *de restit. Spoliat.* c. quoniam omne *de præscript.* Denique si subditus prohiberetur à suo Superiori, ne operaretur juxta Opinionem Angelici Doctoris, hic procul dubio peccaret, si operaretur juxta Doctrinam Angelici; & tamen haberet aliàs bonam, & rectam Opinionem.

31. Cæterùm etiam ego fateor, quòd, si advenit Dubium, tollitur Opinio, ut patebit infra, quia Opinio importat assensum intellectivum, Dubium verò importat Suspensionem assensùs; assensus autem, & suspensio assensùs opponuntur contradictoriè: at nego, quòd, dum advenit Dubium in casu de varietate Opinionum, Opinio convincatur; quia sola evidentia convincit, & cogit intellectum, & omnes rationes possumus

 solvere,

solvere, solis exceptis certis ex dicendis in cap. sequenti. Quando ergo ex varietate Opinionum advenit Dubium, & tollitur Opinio, tollitur eo modo, quo intellectus suspendit assensum, *quando habet quædam apprehensa, quæ*, ut inquit Divus Thomas 1. 2. qu. 17. art. 6. *non adeò convincunt intellectum, quin possit assentire, vel dissentire, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam; & in talibus assensus ipse, vel dissensus in potestate nostra est, & sub imperio cadit.* Hunc textum expendam cap. sequenti num. 8. Adi hunc locum, & veritas meliùs elucescet. Igitur tollitur in hoc casu assensus opinativus, *non quia convincatur*, Sed propter aliquam causam; stat tamen simul, quòd assensus hujusmodi *sub imperio cadat.*

32. Quæres secundò, an assensus opinativus sit circa veritatem ipsius rei, an verò circa apparentiam, & verisimilitudinem.

Pater Gonzalez dissert. 1. §. 1. num. 4. ait, esse assensum determinatum, & absolutum unius partis contradictionis cum formidine alterius; quamvis enim moveatur ad opinandum à verisimilitudine objecti, *judicium tamen opinativum non fertur in illam verisimilitudinem, sed in veritatem*; nam verisimilitudinem invenit in utraque parte contradictionis, & illam manifestè, & evidenter cognoscit in utraque; at evidenter cognoscit veritatem non posse esse nisi in altera tantùm; *unde dum probabiliter uni potiùs assentitur*, quàm alteri, judicat judicio absoluto unam ex illis esse veram, & alteram falsam. Pro confirmatione affert Cardinalem de Lugo disput. 10. de Fide sect. 1. num. 14. dicente: *non esse idem credere conclusionem aliquam esse probabilem, & credere probabiliter illam*; nam, qui tenent aliquam propositionem probabilem, *concedunt simul contrariam esse probabilem*; non tamen credunt veram, etiam assensu probabili; *alioquin haberent assensus duos probabiles de objectis contradictoriis.*

In contrarium num. 6. refert Joannem à Sancto Th. 1. 2. pag. 525. n. 45. ubi ait: assensum probabilem judicare, de facto hoc esse verum, non absolutè, & quoad esse, vel non esse in se, sed quoad apparentiam, & probationem, idest in ratione probabili; quòd autem solùm apparenter, aut probabiliter est verum, dat locum alteri parti, quia involvit aliquam formidinem de illa ob incertitudinem, qua assentitur; & ideo ipse assensus probabilis ex sua natura sic importat affirmationem de una ratione apparente. Sic doctissimus hìc Author, & ejus doctrina videtur fundari in definitione Opinionis tradita à Rubione, & allata cap. antecedenti num. 10.

33. Si per *judicium absolutum* intelligatur actus non habens aliquam conditionem, est verum, si autem intelligatur actus adæquans objectum, nec modificatus; pace ipsius hoc nequeo concedere, quia actus opinionis est debile quoddam, & infirmum ex Divo Thoma 2. 2. qu. 2. art. 9. ad 2. Aristot. 1. poster. tex. 44. & insuper est quid minus, quàm assensus scientificus; ergo non debet dici *judicium absolutum* de veritate, sed potiùs judicium *quasi absolutum* de veritate rei.

34. Pro responsione sciendum primò, quòd, sicut in materia certa dantur duo genera cognitionum, scilicet primorum principiorum, & conclusionis deductæ ab illis, & prima cognitio vocatur intellectus, secunda scientia; ita in materia topica duplex datur cognitio, primorum principiorum nempe, & conclusionis ex illis deductæ. Vide Divum Thomam poster. 1. lect. 44. litt. c. fin. Utraque ex his cognitionibus dicitur Opinio ex Divo Thoma. Ratio hujus divisionis est, quia ex Divo Thoma ibid. & lect. 32. cum Aristot. non proceditur in infinitum in prædicationibus, sive sursum, sive deorsum; ergo in materia topica debent dari prima principia; hæc autem nequeunt esse necessaria, & certa, quia ex necessario non sequitur contingens, & ex certo non sequitur probabile, ut constat, & notat Divus Thomas lect. 44. litt. C. Hinc communiter

hæ

ac propositio, *mater diligit filios*, conceditur. Si autem dantur principia, datur quoque conclusio; ergo in materia topica datur cognitio principiorum, & conclusionis. Primam solam cognitionem opinativam definit Arist. 1. poster. c. 24. num. 1. dum dixit, quòd *Opinio est acceptio propositionis immediatæ non necessariæ*; Patet siquidem, cognitionem deductam ex principiis opinativis esse Opinionem, & tamen est evidens, non esse propositionem immediatam.

35. Sciendum secundò ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 1. art 4. multiplici modo intellectum assentiri objecto: uno modo, quia ad hoc movetur ab ipso objecto, quod est per seipsum cognitum, sicut patet in primis principiis, quorum est intellectus, vel est per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam; & si quidem hæc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit Opinio. Si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit Fides. *Illa autem videri dicuntur, quæ per seipsa movent intellectum nostrum, vel sensum ad sui cognitionem.*

36. Hic insurgere potest dubium, quomodo distinguantur assensus principiorum scientiæ, & assensus principiorum Opinionis. Ratio dubitandi est, quia uterque assensus est de propositione immediata; ergo objecta in utroque assensu immediatè, & absque cognitione alterius objecti movent intellectum; ergo uterque assensus est visio; nam illa videri dicuntur, *quæ per seipsa*, idest absque alio medio priùs cognito, *movent intellectum*.

37. Verùm facilè dubium solvitur, si bene perpendatur textus Doctoris Angelici. Ipse dicit, quòd objecta Opinionis, & Fidei *sufficienter non movent*. Ut ergo reddantur sufficientia, aliud requiritur. Hoc autem aliud est *electio quædam voluntaria*, ait Divus Thomas. E' contra *objectum*, movens ad cognitionem primorum principiorum scientiæ, *per seipsum est cognitum*; Et sic, ut cognoscatur, non requirit aliquod medium. Hoc idem accidit ex Divo Thoma in Visione. Igitur assensus principiorum in materia topica non erit Visio, quia objectum ejus non est sufficiens ad talem assensum, erit autem assensus principiorum scientiæ Visio, quia per seipsum est sufficiens ad talem assensum.

38. Sciendum tertiò assensum conclusionis scientificæ convenire, & differre ab assensu conclusionis opinativæ. Convenit, quia uterque est de propositione mediata, & causatur medio discursu. Disconvenit, quia medium ducens ad assensum scientificum est necessariò connexum cum veritate ipsius rei, & impossibile est, quòd non sit connexum cum veritate ipsius rei; Medium autem ducens in assensum opinativum de propositione mediata non est necessariò connexum cum veritate rei, sed potest aliter se habere juxta Aristotel. & omnes Philosophos; unde potest ducere in cognitionem non veritatis ipsius rei, sed falsitatis. Hinc argumenta, quibus apud Gratianum Viri religiosi, & docti inducebantur in assensum opinativum, quòd non daretur præceptum de Confessione, non trahebant ad assensum veritatis rei, sed falsitatis. Idem dico de argumentis plurimarum propositionum, quas Antiqui opinabantur, quæque detectæ sunt falsæ. Has opiniones referam infra cap. 8. 9 & 10.

39. His scitis dico primò, assensum opinativum propositionis mediatæ non esse judicium de veritate rei. Hanc conclusionem puto esse doctrinam Aristotelis dicentis loco allato: quare derelinquitur Opinionem esse circa verum quidem, *aut falsum*, contingens autem & aliter se habere. Ecce expressè Opinio versatur circa *verum*, *aut falsum*. Ergo assensus opinativus non est judicium de veritate rei, sed est judicium de quadam ratione, quæ possit compati cum falsitate rei, & veritate rei.

B 4 40. Proba-

40. Probatur primò. Non implicat, quòd assensus opinativus in se actu sit falsus; hinc, ut dicebam, antiquitùs assentiebant aliquibus propositionibus opinativè, quæ tamen erant falsæ, & de facto Thomista assentit uni parti probabiliter, & Scotista assentit alteri parti, probabiliter pariter, unde uterque ex his assensibus est opinativus, & tamen unus ex illis est falsus; ergo assensus opinativus non est judicium de veritate rei.

41. Confirmatur ulteriùs ex Divo Thoma, qui part. 1. quæst. 102. art. 2. ad 4. refert, quòd *probabilius* reputabatur, Lineam Æquinoctialem esse inhabitabilem, ut tenebat Aristotel. tom. 3. l. 2. meteor. c. 5. art. 2. Certè Aristoteles habebat assensum opinativum, sicut alii viri docti tempore Divi Thomæ, huic propositioni: *Linea Æquinoctialis est inhabitabilis:* & tamen ille assensus erat falsus actualiter, ergo assensus opinativus non est judicium de veritate rei.

42 Probatur secundò. Veritas rei est una; unde in una sola parte reperitur, hoc fatente ipso Adversario, & est evidens; impossibile est enim duo contradictoria simul esse vera: ergo si assensus opinativus est judicium de veritate rei, debet esse unius: hinc, quia judicium in materia certa est de veritate rei, ideo in tali materia datur unius assensus, & omnes intellectus eidem assentiunt; inde omnes fatentur hominem esse visibilem; ergo, si assensus opinativus est judicium de veritate rei, omnes debent tenere eandem Opinionem, cum ergo hoc sit falsum, falsum quoque erit dictum hujus Doctoris.

43 Probatur tertiò: Per ipsum Doctorem intellectus movetur ad opinandum à *Verisimilitudine*; Ergo assensus opinativus est judicium de verisimilitudine. Consequentia probatur, quia perfectius est judicium de veritate rei, quàm de verisimilitudine, ac proindè nequit verisimilitudo causare judicium de veritate rei, quia effectus nequit excedere suam causam. Tum quia judicium de verisimilitudine requisitum ad assensum opinativum, vel est objectum movens ad assensum opinativum, vel est præmissa concurrens ad conclusionem opinativam. Si primum dicatur, cum objectum non sit veritas ipsius rei, judicium de ipso non erit judicium de veritate rei. Si asseratur secundum, jam scimus conclusionem sequi debiliorem partem, atque adeò conclusio deducta à præmissa *Verisimili* erit solum *Verisimilis*, & erit judicium de sola *Verisimilitudine*, non de veritate rei.

44. Dices: Quando asseritur, *assensum opinativum esse judicium absolutum de veritate rei*, non intelligitur, quòd ille assensus debeat esse conformis cum re à parte rei; hìc enim assensus est certus, sed intelligitur, quòd sit assensus de unica sola parte, ita ut judicet esse veram solam illàm, cum formidine tamen alterius.

Sed contra, quia si assensus opinativus non importat conformitatem cum re à parte rei, cui dicetur conformis? aliud non video assignari posse, nisi *motivum*, ut dicunt Probabilistæ, *rationabile* movens ad talem assensum, quod motivum, cum non sit necessariò connexum cum re, nequit ducere, ut dicebam, necessariò in cognitionem veritatis rei, sed potest compati cum falsitate; unde dicebat Arist. aliquando falsa esse veris probabiliora. Infra patebit responsio ad aliud, quod affertur in objectione.

45. Dico secundò assensus opinativus propositionis immediatæ non necessariæ non est judicium de veritate rei à parte rei. Ratio est, quia judicium de talibus propositionibus, licèt in se esset falsum, adhuc esset assensus probabilis; ergo non est judicium determinatum de veritate rei.

Dices, talis propositio immediata non cognoscitur aliquo medio, sed per seipsam percipitur nullo alio cognito; ergo Opinio de ipsa est cognitio de veritate ejusdem, quia res est sua veritas.

46. Respondetur ex Divo Thoma, quòd objectum opinionis per seipsum non sufficit ad movendum intellectum, & sic,

ic, ut habeatur intellectio opinativa, requiritur aliquid aliud præter objectum proprium: hoc autem aliud in sententia Doctoris Angelici est *electio quædam voluntaria.* Si dicamus hanc electionem concurrere ad Opinionem ut objectum cognitum, sicut se habet ad assensum Fidei, tunc objectio supponeret falsum, & sic nullius roboris esset. Sed, ne recurramus ad doctrinam valdè difficilem, cum certum sit ex Divo Thoma, & cap. seq patebit meliùs, objectum proprium opinionis non sufficere, ut moveat, & ita deberi hunc defectum suppleri ab alio: ideo dico, quòd veritas illius propositionis immediatæ non movet intellectum, quia sic videretur illud objectum, sed *quasi veritas objecti* præstat tale munus, nam, ut patet cap. antecedenti num 10. ex Divo Bernardo, opinari *est quasi habere pro vero*, quod falsum esse nescias, & si ille assensus in se, & à parte rei esset falsus, adhuc apud nos esset assensus opinativus, & tandiù remanet opinativus, quandiù durat apparentia de illius veritate. Ergo assensus opinativus de illa propositione immediata non est judicium determinatum de veritate, sed est apparentia de veritate. Hinc Divus Thomas 1. poster. lect. 44. c. fin. vocat opinionem talis propositionis *existimationem*; certum est autem, existimationem posse esse falsam, & sic non esse *judicium determinatum de veritate rei.*

47. Pro solutione sequentis conclusionis sciendum duplicem dari veritatem, objecti scilicet necessarii, quod nequit aliter se habere, & contingentis, quod potest aliter se habere. Primum causat veritatem scientiæ, & cognitionis certæ. Secundum causat veritatem Opinionis, ut liquet ex Arist. poster. 1. c. 24. Et Divo Thoma ubi suprà. Hic pro objecto contingenti, ut dicebam suprà n. 4 non intelligas rem, quæ à parte rei potest aliter se habere; nam de ente necessario potest dari Opinio. Sic de distinctione graduum metaphysicorum, & potentiarum Animæ dantur variæ Opiniones, & tamen certum est, quòd illæ sunt res in seipsis necessariæ, quæque nequeunt aliter se habere. Sic etiam in moralibus in lege naturali dantur variæ Opiniones, & tamen materia legis naturalis est omnino necessaria. Igitur per objectum contingens intelligitur ipsa res, quæ objiciatur tali modo intellectui, ut quantum est in virtute talis modi possit aliter se habere, quicquid sit, an à parte rei ita se habeat. Audiamus Divum Thomam ibidem. litt. C. fin. circa omnia mediata, inquit ipse, quorum est demonstratio, & scientia, potest aliquis existimare, quòd possibile sit aliter se habere, *& ita potest ea opinari*; non enim Opinio est solùm de his, quæ sunt contingentia in sui natura....... *Sed Opinio est de his, quæ accipiuntur ut contingentia aliter se habere, sive sint talia, sive non.* Hæc Doctor Angelicus ex Arist. c. ult. lib. 1. poster.

48. Quod attinet ad objectum necessarium, credo cum Aristot. & Divo Thoma ibidem. litt. B requiri, & quòd debeat apparere esse tale, ut impossibile sit aliter se habere, & quòd ex parte objecti tale se habeat; nam hìc loquimur de scientia, quæ est cognitio universalis, & certa; de eo autem, quod ex parte rei potest aliter se habere, nequit dari cognitio universalis certa, datur quidem de objecto contingenti cognitio certa, oculi enim certificantur per visum, *Petrum esse album*, ast hæc cognitio est particularis, ut patet. Quòd si dicas: ad opinionem sufficit, quòd objectum appareat contingens, licèt in se sit necessarium; ergo ad scientiam sufficit, quòd appareat necessarium, quamvis in se sit contingens. Hinc aliqui apud Arist. 7. Æth. c. 3. adhærent suæ opinioni adeò firmiter, ut alii scientiæ. Sed disparitas est clara, quia plura requiruntur ad perfectius, quàm ad imperfectius; porrò scientia est quid perfectius Opinione. Quòd si aliqui objecto contingenti firmiter adhærent, illa adhæsio non est scientia, sed temeritas, quia certitudo nequit fundari in incerto. Vide definitionem Opinionis num. 3. ex Divo Bernardo desumptam.

49. Secun-

49. Secundùm Probabilistas Veritas bifariàm quoque dividitur, & aliam vocant *Objectivam*, aliam formalem. Prima sistit in eo, quòd cognitio ita se habeat, sicut res est in seipsa, & à parte rei. In hoc sensu Arist. lib. 4. metaph. c. 7. num. 2. tom. 5. dixit: Verum esse cum dicitur esse, quod est, vel non esse, quod non est. Secunda sistit in conformitate Intellectus cum re, non quidem prout est in se, sed prout judicatur secundùm motiva rationabilia. Prima veritas importat certitudinem, secunda verò Probabilitatem; unde, & illam vocant *Veritatem Probabilem*. Videantur Mastrius in 2. disp. 5. num. 49. 121. & 123. Bordon. in Propugn. Opin. Probab. c. 5. num. 7. c. 17. num. 45. c. 18. num. 6. & 110. & in Addit. Fund. 2. num. 7.

50. Dico tertiò, assensus opinativus est judicium de subjecto, quod est à parte rei, de quo affirmatur, vel negatur aliquod prædicatum ob motivum, quod quidem non sit necessariò ipsa veritas à parte rei, sed ita videatur esse intellectui Prudentum. Hæc conclusio est corrollarium ex dictis. Dicitur, *quòd ita videatur esse intellectui Prudentum*, quia, si loquamur de Opinione propositionis mediatæ, per Antiquos ex dictis Opinio est conclusio deducta ex argumento probabili; Probabilia autem sunt, ut suprà retuli, ex Aristot. *quæ videntur vel omnibus, vel Sapientibus, & ex his vel omnibus, vel pluribus &c.* Si loquamur de opinione propositionis immediatæ non necessariæ, nec quoque motivum debet necessariò esse ipsa veritas, quia sic esset assensus non opinativus, sed certus, ut dixi conclusione antecedenti; ergo pariter ejus motivum debet dependere ab intellectu Prudentum. Tum quia assensus opinativus, etiam propositionis immediatæ, est intra metas Probabilitatis, nec enim talis cognitio est scientia, aut intellectus; ergo restat, quòd sit intra metas Probabilitatis, nam nequit assignari alius habitus, cujus sit actus. Lege Arist. & Divum Thomam lib. 1. poster. d. lect. 44. litt. C. idem argumentum conficientes. Si est intra lineas Probabilitatis, ergo est verus hìc assensus, *quia ita videtur vel omnibus, vel Sapientibus &c.* non verò, quia ita objectum se habeat, quia hæc ratio constituit scientiam, non opinionem, quia, & si objectum se non haberet ita, adhuc potest dari assensus opinativus de illa re. Vide num. 46.

51. Nunc restat, ut rationibus Patris Gonzalez respondeamus: dupliciter respondeo, primò secundùm principia Probabilistarum communiter dicentium, nos posse utrique parti simul assensum Probabilem præbere. Secundò juxta meam doctrinam peculiarem; per me siquidem in materia topica possum quidem præbere assensum vel huic, vel illi parti disjunctivè, non utrique copulativè, idest eodem tempore.

52. Juxta ergo Probabilistarum doctrinam dicimus, veritatem *objectivam*, & *certam* reperiri solùm in unica parte; & sic uni tantùm possumus assentiri: veritatem verò *formalem*, & *Probabilem* inveniri in utraque parte, & sic utrique parti nos posse simul assentiri. Hinc videbimus infrà Divum Thomam aliquoties, saltem in speculativis, sequutum fuisse utramque partem, ut probabilem; Divum Bonaventuram sæpè dixisse, utramque partem esse probabilem, & defensibilem; Richardum sæpissime concedere licentiam amplectendi Opinionem, *quam volumus*; & alios Antiquos hac methodo resolvisse quæstiones. Nunquid hi Doctores celeberrimi docuerunt, & sustinuerunt utramque partem, & utrique assensum non præbuerunt? vel si præbuerunt assenserunt uni tanquam falsæ?

53. Nec habere duos assensus probabiles de utraque parte, & utrumque esse *probabiliter Verum* est ponere duo contradictoria vera, ut videtur Pater Gonzalez cum Lugo supponere; nam, ut advertit Cardenas in sua Crisi Theologica disput. 15. cap. 4. art. 6. num. 249. quilibet Dialecticus faciliter potest cognoscere non esse contradictorios, cum ambo sint affirmativi. Recolendum est

ergo

ergo ex Arist. 2. Periherm. c. 3. & docent Logici; de quo videantur Mastrius in Logica tract. 2. c. 5. Et Maurus in explic. Arist. ibidem, quòd in propositionibus modalibus, ut propositiones sint contradictoriæ, non debet negatio præponi *Dicto*, sed *Modo*. Hinc Arist. num. 3. dicebat, has propositiones non esse contradictorias: *Possibile est Sortem ambulare: Possibile est Sortem non ambulare*; bene verò esse contradictorias hasce: *Possibile est esse: Non possibile est esse*. Cum ergo hæ propositiones, *Probabile est dari præceptum de circumstantiis aggravantibus confitendis; Probabile est non dari præceptum de circumstantiis &c.* non habeant affirmationem, & negationem de *Modo*, sed de *Dicto*; ideò non erunt contradictoriæ. Igitur juxta principia Aristot. & Dialecticæ hæ propositiones erunt contradictoriæ: *Probabile est dari tale præceptum: Non probabile est dari tale præceptum*; Ex quibus affirmativa est vera, negativa est falsa; & sic utrique intellectus nequibit assentire; poterit tamen illis simul assentire, tanquam non contradicentibus.

54. Probatur ulteriùs, quòd utrique parti probabiliter possimus assentire. Adversarii concedunt, *utramque partem esse probabilem*. Quæro, dum hoc concedunt, an cognoscunt utramque partem esse veram; & sic utrique poterunt assentire, quia verum est objectum assensùs; an verò cognoscant unam esse veram, alteram falsam. Si sic; ergo, quam veram agnoscunt, vocent Probabilem, & falsam appellent *Improbabilem*, *& erroneam*; non autem Probabilem. Nec dicas ex Arist. & Divo Thoma ubi suprà, Opinionem versari circa *Verum*, *aut Falsum*; Ergo Opinio falsa potest dici Probabilis: non dicas, inquam, hoc; nam, quod quidem in se est falsum, potest intellectui apparere probabile, imo & probabilius ex Aristot.... Quod verò tibi *Falsum* apparet, & noscis ut falsum, & judicas falsum, nequis illud vocare Probabile; unde Divus Bernardus dicebat, opinari est quasi habere pro vero, *quod falsum esse nescias*. Tum quia hoc nomen, *Probabile*, accipitur in bonam partem; hinc Alexander VII. num. 27. & 40. & Innocentius Undecimus num. 2. 3. 4. & 6 damnant in suis Decretis quasdam propositiones, quæ Probabilitatis nomine condecorabantur à Doctoribus. Antiquitùs in materia Confessionis Sacramentalis utraque pars Probabilis judicabatur. Nunc certò pars una est falsa, alia vera; numquid utraque pars dici potest Probabilis?

55. Dices, quod judicatur falsum, potens tamen esse verum, potest vocari Probabile; ergo Probabilitas non importat veritatem, sed potentiam, ut sic vera.

Sed contra, quia Probabilia sunt ea *quæ talia videntur vel omnibus, vel Sapientibus &c.* Si Probabile videtur esse tale, ergo Probabile importat actu veritatem, quæ trahat intellectum ad suū assensum. Igitur, quod judicatur falsum, potens tamen esse verum, non potest vocari *Probabile*, quia Probabile, ut tale approbatur à Sapientibus, Falsum verò reprobatur à Sapientibus, quin ab omnibus; falsum enim, ut falsum est objectum reprobationis, non approbationis. In rei veritate apud Divum Thomam nomen *Probabile*, accipitur in bonam partem. Possem pluros textus afferre, sæpè enim hoc nomine utitur, hos sex referre sufficiat. Par. 1. quæst. 1. art. 8. ad 2. ait Theologiam arguere ex authoritatibus Patrum *Probabiliter*. 3. part. quæst. 70. art. 4. ad 2. scribit: *Probabile est*, ante circumcisionem parentes fudisse quasdam preces pro parvulis ad delendum peccatum originale. Quæst. 7 de malo art. 11. ad 16. dicit, *esse satis probabile*, quod peccatum veniale in Purgatorio statim non deleatur. In 4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstiun. 4. ad 5. ait: dum pœnitens sibi *probabiliter* timet aliquod periculum, potest recurrere ad Superiorem pro obtinendo alium Confessorem. Distinct. 32. art. 4. ad 3. sustinet cum aliis *probabilius* esse, matrimonio junctum non posse votum facere de non petendo debito. Dist. 45. quæst. 2.

quæst. 2. art. 2. quæstiun. 1. ad 5. docet: de facto Trajani hoc modo *probabiliter* æstimari potest, quod precibus Beati Gregorii ad vitam fuerit revocatus. Certè Angelicus Doctor in his locis accipit terminum, *Probabile*, in bonam partem, ut scilicet significet aliquid, quod intellectus amplectatur, & sic quod sit; nec in alio sensu, pro quanto potui legere, unquam inveni. Ergo in sententia Divi Thomæ, quod cognoscitur esse actu falsum, nequit nominari *Probabile*. Legatur Bordonus in Propugn. Opin. Probab. c. 19. num. 21. ubi egregiè probat ex Ætimologia nominis, & aliis capitibus nomen, *Probabile*, accipi in bonam partem, & veritatem importare.

56. Hæc dicta sint ad ostendendum esse valde probabilem illam Opinionem Probabilistarum, quòd scilicet sine contradictione possimus probabiliter assentiri utrique parti; quia tamen hæc Opinio non est necessaria pro meo fine, qui est dare licentiam sequendi quamlibet ex duabus probabilibus opinionibus. Ideo omittamus hanc doctrinam, maximè cum principiis Doctoris Angelici quadrare non videatur; siquidem ipse 1. 2. quæst. 77. art. 2. ad 3. dicit, quòd aliquis nequit habere simul actum Opinionis veræ de universali affirmativo cum actu Opinionis falsæ de particulari negativo. Eadem habet quæst. 53. art. 1. quæst. 64. art. 3. ad 3. & part. 1. q. 17. art. 4. ad 1. & q. 3. *de Malo*. ar 9. ad 5. Idem Sanctus Doctor lib 4. Metaphys. lect. 6. litt. D. lect. 15. litt. G. & lib. 11. lect. 5. litt. A. fin. probat Opiniones contrarias non posse esse simul in eodem intellectu, quia verificarentur duo contradictoria; objectum enim Opinionis affirmativæ esset ens, objectum verò negativæ esset non ens, & dans exemplum hujus doctrinæ, allata quæst 64. dicit, non posset aliquis opinari simul, quòd *Bonum sit bonum*, *& Bonum non sit bonum*. Nota, quòd Sanctus Doctor in quæst. de Malo expressè fatetur, nos non posse habere simul *aut scientiam*, aut Opinionem *veram in actu de universali affirmativo*, & Opinionem *falsam de particulari negativo*. Hinc nedum simul intellectus nequit habere cognitionem certam de utraque parte contradictionis, sed nec etiam cognitionem incertam, & de linea Opinionis, expressè enim loquitur tum de scientia, tum de Opinione.

57. Respondetur igitur secundò ad argumenta Patris Gonzalez, & dicimus cum Divo Thoma, quòd idem intellectus nequit judicare utramque partem esse veram, licèt *Probabiliter*, & Opinativè, sed unam tantùm; at talis assensus probabilis, seu judicium Opinativum non est judicium de veritate rei, quia veritas opinativa, seu Probabilis, quamvis in se actu esset falsa, non amitteret suum esse. E' contra Veritas rei non esset veritas rei, si in se esset falsa. Quando dicitur: evidenter cognoscimus utramque partem esse probabilem, & tamen non possumus assentiri utrique parti probabiliter; ergo assentiri probabiliter non est idem, ac judicium de Probabilitate; erit ergo judicium de veritate rei, quæ solùm stat in unica parte.

58. Respondetur distinguendo primum consequens: ergo assentiri probabiliter rei non est idem, ac judicium *de Probabilitate Opinionum*; concedo: non est idem, ac judicium *de Probabilitate Rerum*; nego. Explico exemplo. Cognosco opinionem dicentem, *circumstantias aggravantes esse confitendas*, & de hac profero judicium, & dico: *Hæc Opinio est probabilis.* Cognosco alteram Opinionem negantem, *circumstantias aggravantes esse confitendas*, & de hac efformo judicium, & dico: *Hæc Opinio est probabilis.* In figuratione hujus casus duo dantur judicia, seu assensus intellectivi. Primus actus attingit *Circumstantias*; secundus percipit *cognitionem illam*, qua circumstantiæ attinguntur. Primus actus est directus, est in linea Opinionis, & potest esse falsus. Secundus actus est reflexus, quia attingit, & habet pro objecto *cognitionem*. Est evidens, & sic spectat ad lineam scientiæ, nec potest esse falsus. Hinc patet

patet data distinctio; nam judicium *de Probabilitate Opinionum* non est probabile, sed certum; judicium verò *de Probabilitate Rerum* est Probabile, & in linea Probabilitatis, quia potest aliter se habere, nam in dato casu, judico circumstantias aggravantes esse confitendas ob motivum, *quod necessariò non est ipsa res*; & sic necessariò non est *Veritas Rei*. Hoc autem, quod videtur ipsa res, & veritas rei, sed necessariò non est ipsa res, & veritas rei, cum sit quid minus, quàm esse necessariò ipsam rem, & veritatem rei, nos vocamus Probabilitatem Rei, Verisimilitudinem, & *Quasi Veritatem Rei*, ut utar phrasi Divi Bernardi.

59. Porrò, quamvis assensus opinativus formaliter non tendat ad veritatem rei, ut explicui, adhuc juxta hæc principia Divi Thomæ eodem tempore intellectus non assentietur alteri parti; & hoc, quia adhuc affirmaretur, & negaretur idem prædicatum de eodem subjecto; diceretur enim: datur præceptum de circumstantiis aggravantibus confitendis: non datur præceptum de circumstantiis aggravantibus confitendis. Hoc autem fieri in eodem intellectu eodem tempore est impossibile juxta Divum Thomam. Audi ipsum allata lect. 5. lib. 11. Metaphysic. litt. A. fin. Impossibile est, inquit, quòd aliquis opinetur, hoc principium esse falsum: (quòd nempe idem sit, & non sit) opinaretur enim contradictoria esse simul vera; & sic idem habere simul contrarias opiniones; nam contrariæ opiniones sunt, quæ sunt de contrariis. Sicut Opinio, qua quis opinatur Socratem sedere, *est contraria opinioni*, qua quis opinatur eum non sedere. Sic Sanctus Doctor.

60. Dices, impossibile quidem est, quòd ens sit, & non sit; non tamen implicat, quòd ens appareat esse, & appareat non esse juxta Divum Thomam, qui q. 14. de verit. art. 1. dicit, dari rationes apparentes æquales ad utramque partem moventes; ergo, si juxta Divum Thomam assensus opinativus est de apparentia, & probabilitate, non verò de veritate rei, intellectus poterit utramque partem opinari.

Respondetur, in sententia Divi Thomæ non implicare, quòd ens appareat esse, & appareat non esse in actu primo; implicare verò, quòd appareat in actu secundo; hoc est, dantur quidem media, & rationes ad utramque partem moventes, ut Doctor ipse Angelicus dicebat loco allato; non tamen intellectus movetur actu ad judicandum de utraque parte, ut fatetur expressè ibidem Divus Thomas. Et quidem in aliis materiis juxta Divum Thomam in eodem intellectu dantur motiva ad diversos actûs, & tamen simul illi actus in eodem intellectu non se compatiuntur. Sic part. 1. quæst. 58. art. 7. ad 3. ait: ad eandem conclusionem habere possumus, *& medium demonstrativum, & dialecticum*. Et quæst. 62. art. 7. dicit: nihil prohibet simul aliquid cognoscere per diversa media; sicut simul potest cognosci aliquid *per medium probabile, & demonstrativum*. Doctissimi Salmaticenses de Fide disput. 2. num. 141. & 142. explicant hosce textus de mediis in actu primo, non verò in actu secundo; tenent enim tanquam de mente Divi Thomæ exploratum, opinionem, & scientiam de eodem objecto non compati simul in eodem intellectu. Sic etiam in sententia Scoti in 3. dist. 24. in solut. argum. princip. ad 1. & 3. ut notat Mastrius in 3. disput. 6. num. 104. in eodem intellectu sunt compossibiles habitus Fidei, & habitus scientiæ, non tamen actus Fidei, & actus scientiæ de eodem objecto: ergo etiam nos possumus dicere, quòd in sententia Divi Thomæ apparet quidem utraque pars in eodem intellectu in actu primo, non verò in actu secundo; & hoc, quia in actu secundo importatur affirmatio, & negatio de eodem subjecto, & prædicato, quæ non importatur in illis motivis in actu primo se habentibus ad utramque partem hujus objecti.

61. Colligitur, sive dicatur assensum opinativum esse de veritate rei, sive de quasi

quasi veritate, sive de Probabilitate, & Verisimilitudine; colligitur, inquam, ex assensu opinativo non posse inferri *veritatem rei.* Hinc nequit argui: assensus, quem habeo de hoc objecto, est certò opinativus; ergo hoc objectum ita est. Hinc dicebam: Opinio Aristot. de Linea Æquinoctiali inhabitabili proculdubiò antiquitùs erat certò probabilis; quin probabilior reputabatur teste Divo Thoma, & multæ aliæ Antiquorum opiniones, etiam morales, erant certò probabiles, & tamen non inferebant veritatem, cum postea inventæ sint falsæ. Hoc corollarium mihi est evidens, & ex eodem videtur inferri, quòd assensus opinativus non sit judicium determinatum de veritate rei. Hic suppono, quòd hæc propositio de assensu opinativo sit saltem in materia necessaria, si non sit definitio ipsius assensùs opinativi. Si illa propositio est necessaria, ergo non posset dari assensus opinativus sine veritate rei. Si dicant talem assensum solùm contingenter importare veritatem rei; ergo explicant assensum opinativum in ordine ad aliquod contingens, & accidentale, de quo parùm esse debemus solliciti. De essentia, & proprietatibus metaphysicis assensùs opinativi debemus inquirere, non de ejus accidentibus. Si debeo fateri, quod sentio, credo in hac quæstione esse differentiam de solo nomine.

62. Quæres tertiò, an Opinio possit esse omnium, an verò necesse sit, ut aliqua cognitio sit Opinio, quòd detur varietas in opinantibus.

Respondetur aliquam propositionem posse esse in linea opinionis, etiamsi illam omnes doceant. Hic præscindo à Sanctis Patribus loquendo in materia Sacra. Loquor ergo de Scholasticis, & Summistis, & dico, quòd, si omnes Scholastici, & Summistæ docerent aliquam propositionem, ex præciso capite, quòd conveniant, nequit argui, illam propositionem esse evectam à statu opinionis, sed considerandæ sunt rationes; unde solùm elevabitur ad certitudinem, si rationem certam afferent. Hinc, licèt Scholastici, & Summistæ omnes per tria sæcula, & amplius, ex professo docuerint, Infantem non posse baptizari existentem totaliter in utero, tamen Moderni aliqui, quos sequar, jure potuerunt discedere à tali opinione, & oppositam sustinere, nec de temeritate accusari.

63. Hanc meam conclusionem puto esse evidenter Aristotelis docentis 1. topic. cap. 1. tex. 6. & retuli supra num. 7. Probabilia esse, *quæ videntur vel omnibus*, vel plurimis, atque Sapientibus, atque his, *vel omnibus*, vel plurimis &c. Nota, quæso, quòd aliquod potest *videri omnibus*; & tamen esse *Probabile.* Quin Aristot. primo loco posuit vocem, *Omnibus*, ut significaret, tunc propositionem propriè esse in linea Probabilitatis, cum admittitur *ab Omnibus*. Si propositio potest remanere Probabilis, *& esse omnium*; conclusio deducta ab illa erit *omnium*, & tamen non erit, nisi Opinio; quia ex præmissa probabili nequit deduci conclusio scientifica, & ad alium habitum nequit reduci illa conclusio ex sex assignatis ab Aristot 6. Æthic. c. 3. quàm ad Opinionem.

64. Confirmatur. Testibus doctissimis Salmaticensibus num. 131. & 132. illa propositio: *omnis mater diligit filium*, est adeo apparens, ut nulla ratione indigeat ad sui assensum; ergo omnes illi præbebunt assensum, & utique opinativum, ut potè habentem formidinem de opposito. Mastrius in Logic. disp. 14. quæst. 1. princ. testatur illam propositionem *ab omnibus* acceptari ut veram in serie contingentium. Hic obiter colliges, non bene dixisse Patrem Gonzalez cum Lugo, relatis num. 32. quòd concedentes unam propositionem esse probabilem, simul concedant contrariam esse probabilem. In multis equidem est verum, non tamen in omnibus; unde illa propositio: *mater non diligit filium*, non est probabilis, licèt omnes concedant esse probabilem suam oppositam.

65. Vendrochius Not. 1. Epist. V. ponit pro titulo paragrapho tertio hanc infcra-

nscriptionem : *Nullam Propositionem Probabilem universè , & omnibus.* In ipso verò incusat Casuistas , eò quòd asserat , quòd , si aliqua Propositio visa fuerit Probabilis aliquibus Doctoribus , it talis censenda ab omnibus ; Unde subjungit , hoc esse injuriosum Deo , & hominibus ; Deo quidèm , quia Uni dat majus lumen , quàm Alteri ; Hominibus verò , quia denotat omnes æquali ignorantia laborare. Verùm tamen est, quòd in Paragrapho limitat titulum , & dicit : Vix dari Propositionem Probabilem universè , & omnibus. Hæc sua Doctrina sequitur ex alia , quam pluribus in locis inculcat , quamque sequuntur Probabilioristæ , in difficultatibus nempè tangentibus Conscientiam *Orationi instandum esse* , ut Pater luminum illustret mentem ad veritatem hauriendam. Si hoc est verum , jam liquet , qui plurimùm oraverit , posse præsumere , se habuisse majus lumen Divinum ; & sic poterit , æquo judicio credere , se doctiorem alio , qui dictat opinionem contrariam , & minus oraverit ; ac proindè fas erit ipsi , opinionem suæ contrariam non esse probabilem judicare. Quod an sapiat præsumptionem , decernent viri docti.

66. Doctrinam hanc de Oratione fundenda pro solutione dubiorum in materia obscura , & incerta refellemus alibi ; nunc verò quoad ea , quæ spectant ad præsentem difficultatem assero , opiniones omnes Augustini , & Antiquorum Patrum , si ab Ecclesia non sint proscriptæ , ab omnibus esse sequendas ex c. *Sancta* 15. distinct. Ex alia parte scimus ex Divo Thoma 1. part quæst. 1. art. 8. Authoritatem Patrum contineri intra lineam Probabilitatis , adeoque cum Opiniones Patrum non sint una , aut duæ , sed plurimæ , jam patet *non vix* , ut volebat Vendrochius , *sed sæpè propositionem esse Probabilem universe , & omnibus.* Sic etiam quis poterit negare omnes Opiniones Divi Thomæ esse Probabiles ? Hoc idem asserent de Opinionibus Scoti Scotistæ , de opinionibus Bacconi Bacchonistæ , & sic loquendo de Opinionibus Procerum Antiquorum. Ergo plurimæ Opiniones debent esse Probabiles universè , & omnibus.

67. De reliquo etiam ego fateor multas Opiniones , quæ multis videntur Probabiles , non esse necesse , quòd aliis tales videantur , quia aliter homines eadem ignorantia laborarent. Ast hoc puto verum de Doctoribus , qui floruerunt diversis temporibus , quia decursu temporis discooperiuntur multa vera , quæ falsa videbantur , & multa esse certa , quæ solùm probabilia reputabantur. Sic aliquæ hæreses probabiles à viris Catholicis Antiquis judicatæ sunt , ut patet in quæstione , an Confessio peccatorum sit in Præcepto Divino. Sic Divus Cyprianus , & cum eo Octuaginta Episcopi tenuerunt , Baptizatum ab Hæreticis esse iterum baptizandum. c. præter hoc 32. distinct. §. verùm sin. Sic Joachimus Abbas tenuit aliquas Propositiones ut Probabiles , quæ tamen postea damnatæ sunt ut hæreticæ. c. *Damnamus. de Summ Trinit.* Sic etiam Magister Sententiarum asseruit plura ut Probabilia , quæ tamen communiter reprobantur , ut patet ex Divo Antonino part. 4. tit. 11. c. 8. Divo Bonaventura in 2. distinct. 44. dub. 3. & Pelbar. in Rosar. V. Opinio. num. 4. & hinc mos obtinuit , quòd post diuturnas quæstiones Pontifex decidat dubium , & certam reddat unam ex opinionibus , ut patet ex c. damnamus *de Trin.* c. fideli eod. in sexto, c. Antiquæ extrav. Joann. 22. & aliis Decretalibus , ut observat Bacconius in 4. dist. 2. q. 4 art. 3.

68. Liquet ergo , quòd decursu temporis longo non est necesse , quod Doctores posteriores accipiant ut probabilia , quæ primis talia apparebant. Verùm , quod videtur probabile viris doctis , difficultatemque agitantibus ex professo , alii florentes circa idem tempus nolint amplecti ea ut probabilia , est nimiùm sapere , & præsumptuosum , & judicare solem in meridie existere , dum vix Aurora rubescit. Et hoc est contrarium praxi Antiquorum , qui nunquam

nunquam opiniones coætaneorum damnant.

69. Observemus iterùm Magistrum Sententiarum. Suo tempore erant Probabiles suæ opiniones, nec ullus invenitur, qui illas damnaret. Transacto Sæculo Divus Bonaventura asserit octo opiniones Magistri reprobari. Transacto alio Sæculo cum dimidio Divus Antoninus quindecim Opiniones Magistri vult non esse Probabiles. Non multò verò post usque ad viginti sex tales Propositiones inventæ sunt ex Dionysio Carthusiano in 4. Senteut. princ. quod confirmat Bellarminus in Catalogo Script. Ecclesiastic. in Petro Lombardo. Ecce quòd decursu temporis multa apparuerunt falsa, quæ talia antiquitùs non existimabantur; ergo Doctores non debent respuere ut improbabilia, quæ ex professo probantur à coætaneis; poterunt tamen hoc facere Doctores posteriores.

70. Dices, Alexander Septimus in suo Decreto num. 27. damnat hanc propositionem. *Si liber sit alicujus Junioris, & Moderni, debet Opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem:* ergo, quod existimatur probabile ab aliquo Moderno, non est necesse, quod judicetur probabile à suis coætaneis.

Respondetur, Decretum intelligendum esse ex capite, quòd propositio *non sit damnata a Sede Apostolica*, & ex capite, *quod sit Opinio alicujus Junioris.* Et jure damnatur, nam multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debeant tolerari. Ita expressè dicitur. c. *cum jamdudum* de praben. Ergo de facto tolerantur ab Ecclesia, quæ deberent damnari, si ipsa sciret. Sic etiam Doctores non omnia discutiunt ex professo, & cum aliàs humanum judicium sit satis fallibile; ergo quilibet Doctor nequit dare probabilitatem Opinioni; & hinc Aristot. dicebat *Probabilia esse, quæ vel omnibus, vel plurimis &c.* Ergo opinio alicujus Doctoris non debet censeri probabilis ex capite Authoritatis unius Doctoris Moderni, sed plurimi requiruntur. Si verò Modernus tractet ex professo difficultatem debita diligentia, non video cur non debeat censeri probabilis ab aliis. Suppono autem, quòd hìc Doctor non sit cœcus, ut procul dubio esset, si contra materiam claram decideret.

71. Quæres quartò, an opinio probabilis rectè dividatur in magis, & minus, & æquè probabilem., & quid sint istæ opiniones.

Respondetur affirmativè quoad utramque divisionem, & ex Antiquis clarissimè patebit, quando tractabo illas difficultates, an possimus sequi opinionem minus, & æquè probabilem. Hìc afferam pro utraque unicum textum, & pro priori ex Divo Thoma. In 4. dist. 24. quæst. 1. art. 1. quæstiun. 5. ad 3. & p. 3. in addit. hoc est q. 34. art. 5 ad 3. scribit: sustinendo illud dictum, (quòd scilicet ad sacram Ordinationem non requiratur tactus physicus) ex dictis apparet causa ejus, quia enim potestas Ordinis accipitur à ministro, sed non à materia, ideò porrectio materiæ magis est de essentia Sacramenti, quàm tactus: tamen ipsa verba formæ videntur ostendere, quòd tactus materiæ sit de essentia Sacramenti, quia dicitur, accipite hoc, vel illud. Hæc Doctor Angelicus. In hoc textu clarè sustinet unam opinionem, & aliam amplectitur, & docet tanquam propriam; hinc secunda ab ipso judicatur probabilior; primam tamen etiam judicat probabilem, quia illam sustinet; minus tamen probabilem censet, quia docet oppositam tanquam de sua mente. Gonettus Thomista, & quidem ex Probabilioristis, tom 5. de Ordine disp. 2. num. 43. fatetur, Divum Thomam in hoc loco esse problematicum, & partem primam sequi ut probabilem, secundam verò ut probabiliorem.

72. Pro opinione æquè probabili affero Seraphicum Doctorem, qui in 4. distinct. 13 art. 2 quæst. 2. in illa quæstione, *an Corpus Christi descendat in ventrem*

ventrem hominis, refert quatuor modos dicendi, & reprobatis primo, & quarto, de aliis duobus sic scribit: de duabus propositionibus mediis, quæ sit verior, non est facile judicare, *cum utraque sit multùm probabilis.* Potest loqui clariùs? alibi etiam utitur tali modo decidendi quæstiones, ut in progressu Operis patebit.

73. Dices, hæc exempla sunt in materia speculativa, non in morali, in qua difficultas maximè procedit. Sed hæc responsio non satisfacit, quia Adversarii sic concedunt, Probabilistas non defendere duo contradictoria, dum tenent utramque partem; Si enim tenere utramque partem in speculativis non importat contradictionem, nec importabit in moralibus, quia forma contradictionis non dependet à materia, in qua est, ut omnibus est manifestum: atque adeò corruet unum ex argumentis, quo impetitur Probabilitas, quòd scilicet, est contradictorium defendere probabiliter utramque partem. Tum quia, si in speculativis dantur motiva gravia, & digna, ut sapientes moveantur ad sustinendam utramque partem, nulla ratio assignari potest, cur implicet in moralibus, præcipuè physicè loquendo.

74. Quid autem sint istæ Opiniones, breviter respondeo, illam esse probabiliorem, quæ habet motiva efficaciora, & magis impellentia ad sui assensum intellectum; Illam esse verò minùs probabilem, quæ quidem habet motiva efficacia, fortia, & validè impellentia ad sui assensum intellectum; tamen minùs movent, & impellunt, quàm motiva oppositæ partis. Opinio denique æquè probabilis est, quæ habet motiva æqualiter urgentia, ac opposita.

75. Ratio harum divisionum, & definitionum est; quia Opinio est habitus intellectualis ex Aristotel 6. Æth. c. 3. & sic quoque Opinio probabilis; habitus autem suscipiunt magis, & minùs, cum sint quædam qualitates. Ergo datur Opinio probabilis magis, minùs, & æquè intensa; & sic probabilior, minùs probabilis, & æquè probabilis. Cum verò, quæ differunt penes magis, & minùs, & sunt ejusdem speciei, habent eandem definitionem, cum differentia sola in gradibus; ergo istæ opiniones debent definiri eadem definitione specifica cum differentia sola graduum; Sed Opinio probabilis est, quæ *nititur gravi, & prudenti motivo*; ergo illa erit Opinio probabilior, quæ habet *motivum gravius, & potiùs movens*; & sic discurrendo de aliis allatis definitionibus.

76. Hæ nostræ definitiones habent fundamentum in jure. In c. Capellanus de Feriis fit mentio de opinione habente *meliorem, & subtiliorem* rationem, & Institut. de empt. & vendit. §. *item pretium* de Opinione fulcita *validioribus rationibus.* Fundantur etiam in dictis Antiquorum, qui cum Monaldo in Prologo Summæ dicunt, esse sequendam opinionem, quæ nobis *magis consona rationi* videtur. Antiquorum dicta referam infra. Porrò sunt unum, & idem habere motivum fortiùs impellens, ut nos dicimus, ac habere meliorem, validiorem rationem, ac esse magis consonum rationi, ut dicunt jura, & Antiqui Doctores; ergo definitio data à nobis de Probabiliori Opinione fundatur in jure, & in dictis Antiquorum; & de consequenti etiam idem fatendum est de aliis definitionibus allatis. Vide num. 75. Plurima essent hìc addenda de his divisionibus, sed dicentur in decursu Operis, in quo omnia ordinantur ad stabiliendas hujusmodi divisiones. Vide tamen omninò cap..... in quo demonstro necessitatem divisionis Opinionis Probabilis in Probabiliorem, & minùs Probabilem.

77. Quæres quintò, quid sit formido, quam Opinio Probabilis vel actualiter, vel aptitudinaliter importat.

Respondetur cum Bordono c. 5. n. 24. quòd est timor, ne Opinio contraria sit vera, & sic nostra sit falsa; & sic ne incurramus in peccatum sequendo nostram Opinionem. Dicitur timor, ne Opinio aliena sit vera, quamvis enim

veritas in se sit bona, & sic nec sit timenda; tamen bonum alienum aliquando est malum nobis; hinc, si Opinio aliena esset vera in se, nobis esset mala, quia redderet nostram opinionem falsam; Opinio autem falsa est mala; unde, quia Opinione possumus dicere falsum, Aristotel. 6. Æthic. c. 3. exclusit illam à ratione virtutis intellectualis.

78. Hìc porrò adverte, formidinem Opinionis non versari circa veritatem formalem, & probabilem, sed veritatem objectivam. Formidamus ergo, quòd Opinio aliena à parte rei sit vera, & sic nostra à parte rei sit falsa; certi tamen sumus quòd Opinio nostra habeat veritatem formalem, & probabilem. De his Veritatibus dixi cum Probabilistis num. 49. Hæc doctrina patet exemplis. Thomista est certus, quòd sua Opinio sit vera probabiliter; adhuc tamen formidare debet, ne à parte rei sit falsa. Idem dico de aliis Opinantibus.

79. Hinc colligitur, quo sensu Opinio Probabilis, in se falsa, sit mala; est enim mala physicè, & naturaliter, non verò moraliter, & formaliter; unde est mala, sicut ignorantia invincibilis; utraque namque dicit carentiam veritatis physicæ, & naturalis, quam habere non possumus, cum opinari ex Divo Bernardo sit quasi habere pro vero, *quod falsum esse nescias.* Hinc hoc malum moraliter non est æstimandum; & sic, licèt tot antiqui celeberrimi operati sint juxta opiniones, quæ in se erant falsæ, non peccaverunt, sed ab omnibus sunt excusandi. Et propter hoc Gregorius Decimus Tertius excusavit Glossatores Decreti, si aliquoties erraverunt. Vide Bordon. num. 23.

80. Quæres sextò, quid sit Opinio tuta, tutior, & minùs tuta, & æque tuta.

Respondetur, tutum idem est, ac esse absque periculo, & in nostra materia intelligitur de periculo peccati. Illa ergo Opinio, quæ si ponatur in praxi, nullum peccati periculum affert, dicitur tuta. Tutior erit, quæ in comparatione ad aliam magis caret periculo. Æquè tuta est, quæ tam caret periculo, ac altera. Minùs tuta est illa, quæ non tam caret periculo, sicut alia.

81. Dupliciter Opinio potest carere periculo peccati, materialiter, & formaliter. Primo modo sumpta est, quando ex parte rei, & in seipsa nullum dicit periculum peccati. Secundo modò sumpta est, quando ex parte rei quidem est periculum peccati, tamen per rationem fortem judicamus esse probabiliter veram, & sic non adesse tale periculum. Sic omnes Opiniones Divi Thomæ, & Scoti sunt formaliter tutæ, materialiter tamen sunt periculosæ. Hinc formaliter nullum periculum peccati incurrimus; si sequendo opinionem Divi Thomæ non fatemur circumstantias aggravantes. Formaliter quoque nullum peccati periculum incurrit peccator sequendo Scotum in 4. distinct. 17. quæst. 1. art. 3. si habita copia Confessoris non confitetur statim. Materialiter utraque habet periculum, quia utraque à parte rei potest esse falsa.

82. Sacri Canones sæpius utuntur termino *Tutius;* unde ortum est illud sacrosanctum effatum: *in dubiis tutior pars est eligenda.* De ipso sermo erit, cum agam de Dubio. Ipsæ quoque leges civiles sæpe habent hæc nomina *Tutus*, & *Tutius*, videantur l. 1. ff. quarum rerum. §. *si libertatis.* l. jusjurandum. ff. de verb. oblig. §. 1. l. 4. §. *totiens.* ff. de damno infecto. & l. ult. ff. de inoffic. testam. Hìc obiter affero Gloss. in d. l. ult. de inoffic. testam. V. *Tutius*. Dicebat lex, quòd in quodam casu tutius quis fecerit, si se abstinuerit à petitione Legati. Glossator ita explicat illud verbum, *Tutius: posset ergo utrumque, abstinere, & non abstinere....... vel dic* Tutius, *idest tutè, ut repellatur, si acceperit &c.* nescio, an Glossa hujus nominis, *Tutius*, poterit usurpari, quando invenietur in lege Canonica; si dicatur, quòd sic, clarè sequitur nos posse sequi utramque partem.

83. Hìc

83. Hic posset inquiri, cum in moralibus agatur de adipiscendo Regno Cœlesti; hinc debemus vitare pericula tantæ amissionis, & sic pericula peccandi; posset, inquam, inquiri, an teneamur vitare pericula peccandi materialiter, an verò sufficiat vitare pericula peccandi formaliter.

Breviter respondeo sufficere vitare pericula peccandi formaliter; nam aliquando occurrit casus, quòd utrumque importet periculum materiale peccati. Accipe exemplum. Sacerdos sumpto corpore advertit, consecrasse aquam; quæritur, quomodo hic defectus sit supplendus. Divus Thomas part. 3. quæst. 83. art. 6. ad 4. tenet, iterum esse consecrandam utramque materiam. Scotus in 4. distinct 8. quæst. 3. vers. *dico, quòd* sustinet esse consecrandum solùm Sanguinem Patet, utramque opinionem esse materialiter periculosam, & neutram formaliter. Accipe aliud exemplum, quo probatur nos non teneri vitare pericula peccandi materialiter, licèt possimus. Scotus in 4. dist. 15. quæst 1. §. de secundo principali vers. *in tertio autem est* tenet, facientem pœnitentiam impositam in peccato mortali satisfacere præcepto. Certè hæc Opinio à parte rei potest esse falsa, & sic materialiter est periculosa; & tamen Scotista non tenetur vitare hoc periculum; & ego nullum scrupulum habeo, si mei pœnitentes illam practicaverint, etiamsi plurimi, & doctissimi Antiqui, & ex parte Doctor Angelicus, oppositam sustinuerint, unde videam hanc esse omninò probabilem. Vide Antoninum 3. part. tit. 14. c. 20. §. 2. qui refert diversas Opiniones, & Doctores in hac materia.

84. Colligitur, posse dari Opinionem probabiliorem, quæ tamen materialiter sit minùs tuta, quàm opposita. Hoc patet in casu de faciente pœnitentiam in peccato mortali juxta Opinionem Scoti, quam docent etiam Petrus de Tarantasia, Joannes Parisi, Vincentius in Specul. histor. lib. 10. & Annibal apud Divum Antoninum loco allato. Hæc Opinio videtur probabilior Scotistis; est tamen materialiter minùs tuta, quod negari nequit, cum Divus Thoma, Albertus Magnus, & Paludanus oppositum teneant in casu, quo pœnitentia non relinquat post se effectum, ut est oratio; ergo Opinio opposita est probabilis; & sic Opinio Scoti à parte rei potest esse falsa.

85. Dices ex c. si quis autem de pœnit. distinct. 7. habetur, *tene certum, & dimitte incertum*; ergo quando Opinio est minùs tuta, nunquam potest quis illa uti.

Respondetur, illud dictum Augustini esse intelligendum in determinata materia de remissione peccatorum; agit enim ibi de eo, qui se reducit in fine vitæ ad faciendam pœnitentiam peccatorum, & dicit, quòd pœnitentia illo tempore facta est dubia, an sit vera pœnitentia, quia videtur moveri principaliter timore Gehennæ magis, quàm divinæ offensæ, quod requiritur ad veram pœnitentiam secundùm Augustin. de pœnit. dist. 7. c. nullus. Ita Divus Antoninus part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. versùs finem. Igitur patet, quòd hìc agitur de mediis ad salutem necessariis; in tali autem materia procul dubiò certitudo est tenenda, & Opiniones relinquendæ. Subdit ibidem Divus Antoninus, & concordat Nider in Præceptorio præcept. 1. c. 5. litt. F. allegans Gersonem, quòd, si illud dictum extendatur ad alias materias, sit intelligendum de certitudine morali, *quæ consurgit ex probabilibus conjecturis, grossis, & figuralibus*, magis ad unam partem, quàm ad aliam se habentibus. Hæc explicatio omninò est sequenda, ne damnemus omnes Doctores, etiam Sanctos; nam omnes aliquando sequuti sunt opiniones benignas.

86. Quòd si dices, sequutos fuisse Opiniones benignas, quia illas crediderunt certas; contra est, quia sic sunt condemnandi ex alio capite, nempe de temeritate, dum in materia obscura, & probabili, & in qua sciunt Viros Doctissimos, & Sanctos oppositum docuisse,

se, voluerunt tantùm fidere proprio intellectui, ut se videntes crederent, & alios cœcos.

87. Nota obiter illos terminos: *conjecturis grossis, figuralibus.* Si Probabilistæ Probabilitatem explicarent hisce terminis, credo, acriter vapulaturos à Probabilioristis, ut doctrinam intrudentes nimis contrariam *Rigidati* decantatæ; illa enim nomina, quia nimiùm grossa, præseferunt speciem quandam cognitionis debilis nimiùm. Quòd verò addantur illa: *magis ad unam, quàm ad aliam partem se habentibus*, hoc totum salvatur de Probabilitate; nam etiam fatentur Probabilistæ, quòd conjecturæ illæ graves, & urgentes ad Probabilitatem Opinionis, nedum magis, sed unicè se habent ad illam; argumenta namque pro mea opinione nullo modo concludunt, & conducunt ad oppositam.

88. Quæres tandem, quid sit Opinio communis. Antiqui multum tribuunt Opinioni communi; hinc Angelus. V. Opinio. num. 1. scribit: *in causa dubii pro multitudine est præsumendum.* Ita tenet Glossa in c. fin de pœnit. dist. 1 Bart. in l. precibus vers. sed quid si ex præcedentibus. C. de impu. & Gloss. in l. omnis definitio. ff. de re judic. & in Clem. 1. in fin. de Summ. Trinit. dicunt Doctores, quòd in dubiis, & decisivis adhærendum est carroccio Doctorum, *quia communis Opinio Doctorum inducit probabilem errorem.* Eadem dicunt Sylvester. V. Opinio. num. 2. & Tabiena. V. Opinio. num. 4. post princip. Sed si quis velit legere magnifica privilegia Opinionis communis legat ex Juristis Antonium Mariam Coratium in Syntagmatis Opinionum communium tom. 1. lib. 2. tit. 8. & alibi, qui plenissimo calamo ea congerit, & num. 16. dicit, *in dubiis non esse recedendum à communi Opinione*, & refert pro hac Opinione tot Doctores, ut quisque ad satietatem invenire poterit.

89. Respondetur ad quæsitum, illam esse Opinionem communem, quæ à pluribus Doctoribus Scholasticè tractata fuit. Pro Scholastica tractatione intelligo, quòd Doctor afferat rationes pro se, & solvat principaliora objecta. Ita Bordonus illo. c 5. num. 47. qui dicit ita omnes sentire cum Sanchez lib 1. c. 9. num. 9 Navarr. in Manual. c. 27. num. 189. Subscribit Probabil orista Fagnanus c. ne innitaris de Constitut. num. 435.

Hinc patet ad communem Opinionem duo requiri, pluralitatem Doctorum, & modum Scholasticum tractandi quæstionem. Primum requisitum est evidens, nam nomen, *Commune*, significat aliquod ad plures attinens. Lege titulum. ff. *communi dividundo*, & videbis veritatem. Consule etiam Barnabam Brissonium de verbor. signific. V. *Communis.* Quòd verò exigatur tractatio illa Scholastica, mihi quoque videtur evidens; cum enim ad Opinionem communem requiratur authoritas Doctoris, ut advertit Coratius lib. 1. tit. 2. num. 5. tunc Doctor vir authoritatis erit, si versatum se promet in illa materia; quia authoritas nihil aliud est, quàm Opinio, qua quis creditur imitatione dignus, ait Coratius num. 6. Doctor autem expendendo rationes pro sua opinione, & solvendo opposita præstat omnia, ut plenè cognoscat materiam; & sic præstat ea, quæ requiruntur, ut judicetur peritus.

Ob hanc rationem credo invaluisse illam Opinionem Glossæ c. ut veterum. 9. dist. V. Græci. Quòd, quando Doctores Ecclesiæ sibi contradicunt, in quæstionibus, & subtilitatibus sit præferendus Augustinus, in translationibus Hieronymus, in moralibus Gregorius. Ratio est, quia Augustinus tractavit quæstiones ex professo, Hieronymus totus fuit in translationibus, & Gregorius in sensu morali magna diligentia explicuit Scripturam.

90. Dices: Doctor præsumitur peritus. l. unic. §. *ideoque.* C. de nov. cod. fac. l. unic. C. de profess. qui in Urb. Constant. lib. 12. ergo, si Doctor, quamvis simpliciter, dicat aliquam opinionem, debet judicari dignus, cui credatur.

Sed

Sed contra, quia lex illa *de professor: &c.* loquitur de illis Doctoribus, qui *docendi peritiam, facundiam dicendi, interpretandi subtilitatem, copiamque disserendi se habere patefecerint;* ego ex his probo meum dictum, quia de eo, qui jejunè suam opinionem dicit, nec ponderat rationes pro ipsa, & contra ipsam, procul dubio nequeunt verificari allata verba legis, ut speculanti patebit.

At Coratius tit. 6. num. 10. tenet, non requiri Scholasticam tractationem, ut Doctor faciat Opinionem, in iis Doctoribus, qui non solent facere disputationem, ut est Glossa, & alii Doctores Antiqui, qui certè faciunt communem Opinionem, & tamen non disputant. Sed contra, quia Glossa sive Canonica, sive Civilis sæpè disputat afferendo textus pro, & contra, succinctè quidem, sed tamen principaliora affert. Hinc in iis etiam, quæ non disputat, facit magnam authoritatem, non tamen tantam, quantam in aliis; & de Glossa Canonica est clarum, nam videbimus in plurimis errasse, quæ simplici verbo asseruit.

91. Difficultas restat de numero Doctorum, qui requiruntur ad Opinionem communem. Baptista de Salis. V. Opinio. Sylvester. ibidem num. 2. & Tabiena ibidem num. 3. referentes Jacobum de Butrio dicunt, illam esse communem Opinionem, quam Glossa, & alius solemnis Doctor docent. Explicando quinam sint isti Doctores solemnes, quorum unus cum Glossa faciat Opinionem communem, dicunt plures apud Coratium tit. 3. esse Bartolum, alii esse Archidiaconum in 6.

92. Alii voluerunt non sufficere unum Doctorem, licèt solemnem, sed requiri aliquos antiquitatis nota insignes; & alii addiderunt debere esse tres, & alii esse oportere quatuor. Qui desiderat Doctores harum opinionum legat ipsum Coratium.

Hic porrò Doctor num. 19. ait, ad communem Opinionem requiri ad minùs septem Doctores, *si inter eos sit Glossa, Innocentius, Hostiensis, Speculator, Bartolus, vel alius Doctor eximiæ authoritatis; sin minus; majorem numerum secundùm pondus, & authoritatem eorum.* Istas Opiniones, cum solos Juristas nominent, puto, quoad authoritatem Doctorum valere solùm inter Juristas.

93. Probabiliorista Fagnanus ubi suprà allegans Menochium, Alciatum, Manticam, Thomam Sanchez in Decalog. lib. 1. c. 9. num. 9. Bassæum. V. Conscientia. num. 8. Navarr. in Manual. cap. 27. num. 289. afferentem Alexandrum, Decium, & Gomez, quibus addo Azor. tom 1 lib. 2. cap. 13. Bordon. ubi suprà alios citantem, tenet illam dici communem, quæ à sex, vel septem Doctoribus classicis, qui scilicet in Scholis allegari solent, ex professo quæstionem agitantibus, traditur; non esse autem communem Opinionem, licèt asseratur à quinquaginta, qui alios sequuntur veluti Aves, & Oves præcedentes subsequentes. Fagnanus, Navarrus, Bordonus, & Azorius, quos vidi, nullam afferunt rationem pro hoc septemnario numero. Antonius Coratius è contra plura congerit satis diffusè, & multùm laudat numerum septemnarium; quæ tamen omnia, pace ipsius dixerim, non multùm urgere videntur.

94. Mihi videtur hic numerus esse diminutus, si loquamur de communi Opinione Modernorum, quorum aliquando plus quàm quinquaginta agitant eandem quæstionem ex professo. Igitur crederem ad summum dictum numerum valere de Opinionibus communibus Antiquorum; unde si tempore antiquo invenias septem Doctores ex professo tractantes materiam, & eandem Opinionem docentes, poteris illam sententiam appellare communem; nam dictus numerus inter Antiquos non est adeò parvus. E' contra cum Moderni sint in tanto numero, numerus septemnarius mihi videtur valde parvus. Hinc multò minùs illa Opinio dicetur communis inter Theologos, quæ solùm

à decem, vel duodecim, etiam ex professo, tractantur; nam nomen, Theologus, complectitur Antiquos, & Modernos Theologiæ professores, ut liquet; est autem valdè ingens numerus Theologorum, ita ut decem, aut duodecim illorum Opinio non videatur posse dici communis.

95. Tuscus V. *Opinio communis*. concl. 149. primò dicit ad Opinionem communem requiri, ut plurimi sint Doctores, & affert pro se Doctores, & l. 1. ff. de offic. quæst. & c. de induciis 3. q. 3. V. *plurimi*. postea subdit, ad communem Opinionem exigi, quòd proveniat à Doctoribus, qui pondere, *numero*, & mensura sunt majores. l. 1. §. *neque ex multitudine*. C. de veter. jur. enuclean. c. 1. *de iis*, *quæ fiunt à majori parte*. Unde per ipsum ad communem Opinionem requiritur, ut major pars Doctorum sit pro ipsa. Denique num. 6. & 7. dicit notabiliter, pro communi Opinione illos non allegari, *qui non examinant*, *sed perfunctoriè transeunt*. Hoc tene menti tanquam omninò verum, & notabile pro Probabilistis; ex hac enim conditione requisita ad Opinionem communem ego evidenter colligam, communem Opinionem Antiquorum non esse contrariam Probabilitati.

CAPUT QUARTUM.

An ad Assensum Probabilem requiratur Voluntas.

1. DUpliciter intellectus potest assentiri objecto, primo physicè; secundò licitè. Assensus physicus est ipse actus intellectus tendens in objectum per modum enuntiationis; est etenim assensus secunda operatio intellectus. Assensus licitus est, quando ille actus non est contra legem. Hic, & in cap. sequenti sermo erit de assensu physico; de licito verò loquar infrà, cum inquiram, an liceat sequi quamlibet opinionem ex pluribus probabilibus, sive æqualiter, sive inæqualiter.

2. Dupliciter etiam potest requiri voluntas ad assensum opinativum, primò quoad exercitium, ut scilicet producatur hujusmodi assensus. Secundò quoad specificationem, ita ut ratio voluntarii sit de essentia illius.

Mastrius in 2. disput. 5. num. 49. 124. & 225. Cardenas in sua Crisi Theol. disput. 56. c. 16. art. 1. num. 818. Bordon. in suo Propugn. Probabil. pluribus in locis, sed præcipuè c. 21. per totum, dicunt, voluntatem in materia probabili posse flectere intellectum in partem, etiam minus probabilem; & hæc doctrina debet esse communis Probabilistis.

3. Dico primò, proposito objecto obscurè intellectus non assentitur illi, nisi aliud accedat.

Probatur, quia tale objectum nequit videri, ut patet; sed videretur, si in hoc casu intellectus illi assentiretur; ergo, nequit illi assentiri. Minor probatur, quia ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 4. *illa videri dicuntur, quæ per seipsa movent nostrum intellectum, vel sensum ad sui cognitionem*. Ergo si objectum in nostro casu per seipsum movet intellectum, videtur.

4. Confirmatur. Ibidem Divus Thomas hæc subdit: intellectus assentit alicui dupliciter, uno modo, quia ad hoc movetur ab ipso objecto, quod est per seipsum cognitum, sicut patet in primis principiis, quorum est intellectus; vel est per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam; & siquidem hæc fit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio; si autem fit cum certitudine absque tali formidine, erit Fides. Ecce quòd, quando ad assensum intellectus movetur ab ipso objecto, tunc ille assensus vel est intellectus, vel scientia; in nostro autem, casu

casu nec illa cognitio est intellectus, nec scientia, ut est evidens; ergo in nostro casu potentia intellectiva non movetur ab objecto.

5. Probatur secundò: in hoc casu intellectus non cogitur ab objecto; ergo ipsi nullo modo assentitur; consequentia liquet, quia intellectus se solo sumptus non est liber, nec dominus suæ actionis; ergo, si non cogitur, nullo modo eidem assentitur. Antecedens ostenditur, quia si cogitur intellectus, ergo illa ratio est evidens, quia ex Gabriel in 3. distinct. 43. quæst. 3. litt. D evidentia est cognitio, *qua veritas sic manifestatur, ut intellectus nequeat dissentire.* Si ergo objectum est obscurè propositum, non cogit intellectum; & sic intellectus circa ipsum nullum actum habet.

6. Objectum obscurum bifariàm potest proponi intellectui, vel ut contingens, & tanquam potens aliter se habere; vel ut necessarium, hec potens aliter se habere. Objectum primo modo movet ad opinionem, secundo modo ad Fidem divinam. Si objectum proponatur ut potens aliter se habere, tunc est evidens, quòd intellectus non cogitur, quia ratio cogens intellectum est insolubilis, nec ab ipsa intellectus potest se defendere; & sic est necessaria. E contra ratio contingens est solubilis, & potest aliter se habere.

7. Dices, objectum ut potens aliter se habere necessitare intellectum ad actum opinativum, sicut objectum evidens ad actum scientiæ.

Sed contra, quia assumptum valet de necessitate specificationis, non exercitii; specificationis quidem, quia objectum potens aliter se habere specificat actum peculiarem in omnium sententia; hoc tamen objectum non valet cogere intellectum ad exercitium suæ potentiæ, quia, quod per seipsum movet intellectum, & sic ipsum cogit ad actum, est evidens ex D. Thoma ubi suprà.

8. Dico secundò, objectum obscurum propositum sive ut potens aliter se habere, & sic objectum opinabile; sive ut certò verum, & sic credibile per Fidem divinam, ut actu moveat ad assensum, vel dissensum, est necessarium imperium voluntatis; & sic voluntas quoad exercitium determinat intellectum quoad Opinionem, & quoad Fidem. Pro hac conclusione puto valere dictum Aristotelis dicentis, quòd voluntas determinet ad partem contradictionis rationalem potentiam indifferentem, & Anselmi asserentis in lib. de similit. c. 2. quòd voluntas movet omnes alias vires

9. Probatur primò ex diversis textibus Divi Thomæ. In 3. dist. 23. quæst. 2. art. 2. quæstiun. 2. scribit, quòd fides captivare dicitur intellectum, in quantum non secundùm proprium motum ad aliquid determinatur; *sed secundùm imperium voluntatis*, & sic in credente ratio per se intellectum non terminat, *sed mediante voluntate*..... credens habet assensum simul, & cogitationem, quia intellectus ad principia per se nota non perducitur; unde adhuc habet motum ad diversa; *sed extrinsecè determinatur ad unum, scilicet ex voluntate.* Eadem habet quæstiun. 3. & quæst. 14. de Verit. art. 1. art. 3. & art. 4. ubi refert Divum Augustinum dicentem nos credere, quod volumus, & fidem esse in voluntate. Idem dicit 2. 2. quæst. 1. art. 4. art. 6. ad ult. quæst. 2. art. 1. ad 3. art. 2. art. 9. ad 2. art. 10. quæst. 4. art. 2. Constat ergo clarè ex Doctore Angelico, voluntatem in objecto obscuro supernaturali determinare intellectum.

10. Hoc idem probatur ex Tridentino sess. 6. c. 6. dicente: Fidem ex auditu concipientes *liberè moventur* in Deum credentes vera esse; quæ divinitus revelata &c. tum quia ex Marc. ult. dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et ad Rom. 4. ajebat Divus Paulus; *credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.* Ecce per Fidem meremur salutem nostram; certum est autem ad meritum requiri libertatem juxta omnes Doctores. Et ex hoc capite Divus Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 9.

art. 9. ad 2. & quæst. 14. de verit. art. 3. dicebat, Fidem esse meritoriam. De hoc puncto vide Magnum Suarium de Fide disp. 6. sect. 6. Cardinalem de Lugo disp. 10. sect. 1. & seqq. & Bannez. 2.2. quæst. 1. art. 4. dub. 2. ex Modernis, & Richard. in 3. dist. 23. art. 4. quæst. 2. & Scotum in 3. dist. 25. quæst. 2. ex Antiquis. Si ergo, in objecto certissimo Fidei, ut Intellectus determinetur, requiritur voluntas propter hoc, quia proponitur modo obscuro; à fortiori, ut intellectus determinetur in materia opinativa, requiretur imperium voluntatis, quia materia est quoque obscura, & insuper est incerta, & fallibilis.

11. Specialiter probatur secundò de assensu opinativo ex Divo Augustino tom. 7. lib. 2. de bapt. contra Donatistas. c. 8. scribente: Sed quia non extiterant, nisi qui ei consuetudinem opponerent; defensiones autem ipsius consuetudinis non tales afferrent, *quibus illa talis Anima* (Divi Cypriani scilicet) *moveretur*, *noluit vir gravissimus* (Divus Cyprianus) *rationes suas*, & *si non veras*, *quod eum latebat*, *sed tamen non victas*, *veraci quidem*, *sed tamen nondum asserta*, *consuetudini cedere.* Ecce Divus Cyprianus *nolebat* relinquere opinionem suam. Ergo liberè permanebat in ipsa. Ergo determinatio ad opinionem dependet à voluntate. Nota illum terminum, (Assertæ,) & suppone, quòd Antiqui pro *Assertione* intelligebant cognitionem certam, ut infrà patebit; & hinc colliges, ex doctrina Divi Augustini, & exemplo Divi Cypriani licere nobis voluntariè remanere in nostra sententia, usque dum nobis objiciatur Doctrina certa. Ergo ex his duobus Sanctis Patribus clarè apparet in materia incerta, & sic in opinione, voluntariè nos remanere, & sic determinatio in tali materia dependet à voluntate. Nota illas particulas, *Non victas*, & illas: *nondum asserta*, & videbis rationes non vinci nisi à certitudine; & hinc colliges evidenter, opinionem minùs probabilem non vinci à Probabiliore. Si ergo non vincitur, stat firma, & jure illam sequimur.

12. Probatur tertiò ex Divo Hieronymo, qui Epist. 11. inter Divi Augustini cap. 3. scribit: ego..... de magnis statuere non audeo, nisi hoc ingenuè fateri, me Majorum scripta legere, & *in Commentariis*, secundùm omnium consuetudinem, *varias ponere explanationes*, *ut è multis sequatur unusquisque*, *quod velit.* Hic textus nequit ulla tergiversatione infringi, expressè enim dat licentiam amplectendi opinionem, *quam quisque velit.* Ergo per Divum Hieronymum, quis *liberè*, & *voluntariè* se determinat ad sequendam aliquam opinionem è multis. Et nota hìc obiter morem omnium Antiquorum referendi in suis scriptis *varias explanationes*; & sic videbis consuetudinem Modernorum Probabilistarum afferentium plures Opiniones in aliqua difficultate probari ab omnibus Antiquis; & sic reprobari evidenter rigidum illum modum scribendi Probabilioristarum, qui propriam unicam opinionem afferunt, & prætendunt cogere Lectores ad illam unicam amplexandam. Non sic erat mos Antiquorum; non sic se gessit Divus Hieronymus; quin immò plures explanationes congerebat in hunc finem, *ut è multis sequatur unusquisque*, & sic doctus, & indoctus, *quod velit.* Hic textus Hieronymi duo probat evidenter, primum, quòd determinatio ad aliquam opinionem dependet à voluntate; secundum, quòd nos possumus sequi unam opinionem è multis, *quam volumus.*

13. Probatur quartò ex Divo Thoma; & primò 1. 2. quæst. 17. art. 6. scribit: intellectus quantum ad objectum habet duos actus; primò quidem, ut veritatem circa aliquid apprehendat; & hoc non est in nostra potestate, nec imperari potest. Alius autem actus rationis est, dum his, quæ apprehendit, assentit. Si fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia, assensus talium, vel dissensus non est in nostra potestate, sed

sed in ordine naturæ; & ideò propriè loquendo naturæ imperio subjacet. Sunt autem quædam apprehensa, quæ non adeo convincunt intellectum, quin possit assentire, vel dissentire, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam, & *in talibus assensus ipse, vel dissensus in potestate nostra est.* Ecce expressè dantur quædam apprehensa, quibus assentire, vel dissentire non habetur præcisè à natura, sed etiam *à nostra potestate*, idest voluntate: ergo in hoc casu determinatio ad hunc, vel ad illum actum specificum dependet à nostra voluntate. Non semper tamen in talibus est in nostra potestate assentire, vel dissentire, sed solùm suspendere assensum, vel dissensum, & hoc denotant illa verba: *vel saltem assensum, vel dissensum suspendere.* Porrò in hoc casu ad voluntatem spectabit determinatio actus quoad exercitium.

14. Quia autem Angelicus Doctor non explicavit, quænam sint hæc apprehensa, quæ non convincunt intellectum, opus est, ut nos illa inquiramus; & puto esse objecta obscurè proposita, & hoc colligitur ex ipso textu, in quo fatetur prima principia convincere intellectum; ideò autem illum convincunt, & cogunt, quia sunt evidentia, & clara; ergo è contra objecta obscurè apprehensa non convincunt intellectum juxta Divum Thomam.

15. Secundus textus Divi Thomæ hoc clarè demonstrans habetur ex 2. 2. quæst. 1. art. 4. quem retuli num. 4. c. 2 num. 8. & c. 3. num. 35. in quo expressè docet, quòd aliquando intellectus non movetur ab objecto proprio sufficienter, *sed per quandam electionem voluntariè declinat in unam partem magis, quàm in aliam, & si quidem hæc* (declinatio) *sit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio; si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit Fides.* Nil clariùs, & expressiùs dici potest.

16. Ego semper miratus sum, quare Doctores, præcipuè Thomistæ, non expenderint hunc textum, dum ex Divo Thoma definiunt assensum opinativum. Dicunt, Doctorem Angelicum definivisse opinionem, quòd sit *acceptio unius partis cum formidine alterius.* Hoc fateor esse verum, & retuli c. 2. num. 2. at subdo, si in hoc textu Sanctus Thomas addit illam particulam, *Voluntariè*, cur ipsi omittunt? meminerunt hujus textus ex Antiquis solus Angelus, postea Sylvester, & Tabiena. V. Dubitatio princ. Primi duo non reflexerunt super illam particulam. Tabiena verò illam reliquit. Imposterum necesse erit summo studio scrutari, cur Angelicus Præceptor hujusmodi particulam (*voluntariè*) posuerit in definitione assensùs opinativi.

17. Tertius textus habetur quæst. 2. art. 9. ad 2. in quo ita scribit: in scientia duo possunt considerari, ipse assensus scientiæ ad rem scitam, & consideratio rei scitæ. Assensus scientiæ non subjicitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assensum per efficaciam demonstrationis; & ideò assensus scientiæ non est meritorius, sed consideratio rei scitæ subjacet libero arbitrio...... & ideò consideratio scientiæ potest esse meritoria, si referatur ad finem caritatis...... Sed in fide utrumque subjacet libero arbitrio, & ideò quantum ad utrumque actus fidei potest esse meritorius. *Sed Opinio non habet firmum assensum..... unde non videtur procedere ex perfecta voluntate.* Et sic ex parte assensûs non multum videtur habere rationem meriti; sed ex parte considerationis actualis potest meritoria esse. Ecce negat, opinionis assensum *procedere ex perfecta voluntate.* Implicitè ergo dicit procedere ex imperfecta voluntate.

18. Dices: Divus Thomas quæst. 14. de verit. art. 3. ad 5. scribit: secundùm quod loquimur de virtute, neque scientia, nec opinio virtus dici potest, sed sola Fides, quæ quantum ad id, quod voluntatis est, prout modo prædicto in genus virtutis cadit, non est media inter

ter ſcientiam ; & opinionem , *quia in ſcientia , & opinione non eſt aliqua inclinatio ex voluntate , ſed ex ratione tantùm* ; ſi autem loqueremur de eis quantum ad id , quod eſt cognitionis , ſic nec Opinio , nec Fides eſset virtus, cum non habeant completam cognitionem , ſed tantummodò ſcientia. Sic Doctor Angelicus. Illa verba : *quia in ſcientia , & opinione non eſt aliqua inclinatio ex voluntate , ſed ex ratione tantùm* , clarè, & expreſsè ſignificant, voluntatem nullo modo requiri ad opinionem , ſicut nullo modo voluntas requiritur ad ſcientiam.

19. Fateor textum eſse valdè urgentem , & prima facie videri oppoſitum textui ex 2. 2. quæſt. 1. art. 4. in quo expreſsè dicitur , ad Opinionem requiri *electionem quandam , per quam voluntariè habeatur declinatio intellectûs in unam partem magis , quàm in aliam cum formidine de oppoſita.* Et quod magis eſt, in hoc textu Sanctus Doctor æquiparat in ratione voluntarii opinionem cum Fide , & diſtinguit præcisè ex eo , quòd opinio importat formidinem , non ſic Fides. Ait enim , ſi voluntaria declinatio in unam partem ſit cum formidine , eſt opinio ; ſi ſit ſine formidine , eſt Fides. Ergo per Divum Thomam clarè ad opinionem requiritur imperium voluntatis. Miror, quòd Pater Petrus de Bergomo , qui fecit concordantiam in dictis Beati Thomæ , quæ videntur oppoſita , non viderit præſentem oppoſitionem.

20. Joannes à Sancto Thoma 2. 2. quæſt. 1. diſput 3. art. 2. aſserit , voluntatem dare ſpeciem actui Fidei ; unde in fine art. ex hoc infert, impoſſibile eſse dari actum Fidei ſine voluntario : & hæc doctrina clarè probat ex textu Divi Thomæ quæſt. 14. de veritat. art. 3. ad decimum, ubi dicit, *quod illud , quod eſt ex parte voluntatis , eſt eſſentiale Fidei.*

Num. 3. ſuſtinet , quoad exercitium opinionem , & ſcientiam eſse voluntarias. Juxta hanc doctrinam poſsumus dicere , quòd, quando Divus Thomas negat , ad opinionem pertinère aliquam inclinationem ex voluntate , intelligendus ſit quoad ſpecificationem , non verò quoad exercitium. Hæc explicatio ſufficit ad diſsolvendum objectionem allatam.

21. Sed non video , quarè hic Sapientiſſimus Thomiſta dicat , opinionem requirere voluntarium quoad exercitium , non verò quoad ſpecificationem. Nam rationes , quas affert ad probandum Fidem ſpecificari à voluntario , eædem valent pro opinione. Eodem loco ſcribit : Divus Thomas perpetuò docet , objectum fidei non movere ſufficienter in ratione objecti ipſum intellectum ; & ideò indigere motione voluntatis ; ergo ſuppletur per voluntatem id , quod ſe tenet ex parte objecti, *& conſequenter id , quod ſe tenet ex parte ſpecificationis objecti fidei.*

22. Ego ſubſumo , hæc omnia valère de opinione : reproduco textum Divi Thomæ ex 2. 2. quæſt. 1. art. 4. alio modo intellectus aſsentit alicui , non quia ſufficienter moveatur ab objecto proprio , ſed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis , quàm in aliam , & ſiquidem hæc ſit cum dubitatione , & formidine alterius partis , erit opinio ; ſi autem ſit cum certitudine abſque tali formidine , erit fides. Sic Doctor Angelicus: ecce clarè , quòd *proprium objectum in opinione non movet ſufficienter.* Si objectum proprium opinionis non movet ſufficienter intellectum , ergo in ratione objecti indiget alio , ut compleatur, & ſit ſufficiens ad movendum intellectum. Hoc autem aliud , quod non eſt objectum proprium opinionis , quid erit , quæſo ? Voluntas utique. Facio argumentum in forma : motio inſufficiens objecti fidei in ratione objecti eſt cauſa, cur voluntas ſpecificat actum Fidei juxta Joannem à Sancto Thoma ; Sed objectum opinionis probabilis non movet ſufficienter intellectum in ratione objecti juxta Divum Thomam , ergo juxta Divum Thomam voluntas ſpecificat actum opinionis.

23. Præ-

23. Prætereà idem Doctor num. 4. subdit: quia in actu Fidei intellectus non habet causam necessitantem ejus assensum ex parte objecti specificantis; ergo objectum specificans in fide solùm inducit assensum voluntarium, & non necessarium; ergo ex sua specie, idest, ex vi objecti dependet à motione voluntatis liberè. *Antecedens patet*, quia *objectum specificans actum fidei est veritas inevidens*; ergo insufficienter movens, si enim est inevidens, ergo non sufficienter movens, latetque intellectui pro ea parte, qua non videtur, & si latet, non movet sufficienter; ergo neque convincit, aut necessitat intellectum; ergo vel suspendit assensum, vel, si elicit, actum voluntatis elicit, quia potest non elicere, utpotè non necessitatus; sed hoc, quod non est necessitari intellectum ad assensum, tenet se ex parte objecti, quod non sufficit ad talem assensum necessitandum; ergo tenet se ex parte specificationis, quia, quod se tenet ex parte objecti, dicitur ex parte specificationis requiri, quia objectum est principium specificandi. Hucusque Author.

24. Per hunc discursum patet, ideo requiri ex parte objecti Fidei voluntatem, quia objectum Fidei est inevidens, & sic insufficienter movens, nec convincens, nec necessitans intellectum; *& sic, si elicit, actum voluntatis elicit*, Ego subdo: sed objectum opinionis est *veritas inevidens*, nec convincens, nec necessitans intellectum; ergo, *si elicit, actum voluntatis elicit.* Nec juvat, si dicas cum eodem Doctore num. 4. in solut. arg. quòd *opinio movet intellectum saltem per discursum probabilem*, Fides verò ex sola authoritate dicentis, non juvat, inquam, quia discursus probabilis opinionis est *veritas inevidens, non convincens, nec necessitans intellectum*; & sic, *si elicitur actus, actus voluntatis elicitur.*

25 Ulteriùs objectum opinionis habet remissiores vires ad movendum intellectum, ac habeat objectum fidei; nam objectum opinionis est obscurum, & insuper potest aliter se habere; unde objectum opinionis magis recedit ab objecto scientiæ, & visionis, quæ sunt objecta maximè moventia intellectum. E' contra objectum Fidei est quidem obscurum, sed tamen non potest aliter se habere; Ergo objectum opinionis ex duplici capite deficit in virtute motiva, objectum verò Fidei in solo capite obscuritatis deficit in tali virtute; ergo objectum opinionis in ratione objecti minus movet, quàm objectum Fidei, *& sic non necessitat intellectum, & sic, si elicit, actum voluntatis elicit.*

26. Hìc obiter nota, quòd, quando hìc Doctor ait, quoad exercitium requiri voluntatem tum in scientia, tum in opinione, hæc non sunt intelligenda eodem modo, sed diverso; nam ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 2. art 9. ad 2. ad scientiam requiritur voluntas solùm, ut consideret ejus objectum, non ut ipsi assentiat, quia per demonstrationem sciens cogitur ad assensum. Cum autem in opinione non detur demonstratio, quæ habet virtutem coactivam, hinc in assensu opinionis non cogitur intellectus; & sic, ut habeatur hìc assensus, requiritur alia virtus, quæ est ipsa voluntas. Igitur ad considerationem objecti scientiæ requiritur voluntas, non ad assensum ejus; ad considerationem objecti opinionis, & ad ejus assensum requiritur voluntas, voluntas equidem, sed imperfecta, quia, ut ait Divus Thomas, Opinio est quoddam debile.

27. Probatur quintò ex Divo Ignatio Lojola in Epistola de virtute Obedientiæ num. 9. apud Patrem Thyrsum Gonzalez dissert. 14. num 105. ita scribente: Vis animi tametsi non ea, qua voluntas pollet, libertate prædita est, atque ipsa natura fertur ejus assensus in id, quod sibi veri speciem præbet; tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, *potest voluntatis pondere in hanc potius, quam in illam inclinari*; quæ res cum incidunt, debet, quisquis obedientiam profitetur, inclinare sese in sententiam

Supe-

Superioris. Divus Ignatius sensum Divi Thomæ ex 2. 2. quæst. 1. art. 4. penè iisdem verbis expressit; unde meo videri est textus clarus, & apertus.

28. Probatur sextò ex Parisiensi de Fide cap. 1. post init. quem refert, & sequitur Nider de consolat. timor. conscien. par. 3. cap. 19. *Probabilitas*, inquiunt, *quantaqunque sit, non ingerit credulitatem, seu fidem ex necessitate hominibus intelligentibus, & exercitatis, cum ipsi certi sint, non omne, quod videtur verum, esse verum.* Unde voluntarium simpliciter est, & liberum de omni probabili, ut ei quis credat, vel non credat; *quoniam nihil adeo probabile, quod non habeat dissuasionem, qua possit videri falsum, aut saltem qua possit videri non esse credendum, & hoc propter periculum erroris.* Ecce expressè, & clarè per hos Doctores determinatio ad credendum, vel non credendum *dependet simpliciter à voluntate, & libertate nostra.*

29. Probatur septimò ex Majore in 4: quæst. 2. prologi. §. *tertio arguitur, non potest*, qui sic docet. Licèt non possimus assentire propositioni inevidenti sine ratione, tamen cum motivis æqualibus, quantum est de se, possumus ex passione animi uni parti assentire. Patet exemplariter, nunc Parisiis dicitur, quòd Exercitus Regis est victor in Italia: duo æquè præsentes sunt, quorum alter Gallos diligens assentit; alter non assentit, sed dissentit. Sic in proposito potest quis assentire huic, hoc est mihi licitum, & licet nesciat, quæ illarum viarum sit verior, scit, quod secundùm unam facere ei licet. Hucusque Doctor. Ecce expressè stantibus iisdem motivis æqualibus per Majorem unus assentit, & hoc *ex passione animi*; hæc autem passio est voluntas, quæ ob amorem erga Gallos eligit credere victoriam Gallorum; ergo voluntas in hoc casu determinat intellectum.

Idem Doctor refert ibidem concl. 4. quòd Episcopus Parisiensis è duobus æquè dignis eligit, quem vult ad Beneficium; & Sorbona *inter duos putatos æquales unum alteri præfert ad nutum*; Ergo intellectus determinatur ad unum ex voluntate Episcopi &c. volentis potiùs favere uni, quàm alteri.

Probatur octavò ex Divo Raymundo lib. 3. tit. de pœnitent. & remiss. §. 53. ibi refert quatuor opiniones in illa quæstione, an peccata dimissa redeant, dum iterum peccamus; aliqui dicebant, quòd redirent *& quoad reatum, & quoad pœnam, & quoad omnia.* Alii dicunt contrarium, scilicet quòd non redeunt; sed ideo, dicuntur redire, quia propter ingratitudinem *ita reus & peccator constituitur, ut ante fuerat.* Has opiniones vocat Sanctus Doctor *magis solemnes*, & postea subdit: Secunda videtur aliquatenus tutior. *Elige, quam volueris.* Meo judicio clarè est pro me Divus Raymundus. Infra expendam hunc textum.

30. Probatur octavò præcipuè ex Richardo de Mediavilla, qui sæpè relatis variis opinionibus cum suis fundamentis resolvit quæstionem hoc modo: *qui vult tenere primam opinionem, potest respondere argumentis contrariis &c. qui vult tenere secundam opinionem, potest respondere rationibus oppositis &c.* Hunc modum determinandi sequitur in 1. dist. 48. art. 2. quæst. 2. in illa quæstione morali, an teneamur nos conformari cum voluntate Dei in volito. In 2. dist. 21. art. 3. quæst. 1. in illa difficultate, an primi parentes potuerint peccare venialiter in statu innocentiæ. In 3. dist. 37. art. 3. quæst. 2. in illa controversia, an quis possit defendere propriam vitam cum morte invasoris, & distinct. 39. art. 2. quæst. 1. in illa materia, an juramentum dolosum de re licita obliget.

31. Ita quoque se gessit in 4. dist. 1. ar. 4. q. 2. in quæstione, an Sacramentum sit causa efficiens illius gratiæ, quæ confertur in Sacramento. Dist. 6. art. 4. quæst. 2. in difficultate, utrùm baptizatus ignorans se baptizatum postea faciens se baptizari sine conditione sit irregularis. Dist. 10. art. 3. quæst. 2. in controversia, utrùm Deus posset trasmutare eandem substantiam panis in plura Corpora; & art 7. quæst. 1.

quæst. 1. in difficultate, an virtute Sacramenti Sacerdos possit quantamcunque materiam convertere. Dist. 13. quæst. 1. in controversia, an sit licitum plures Sacerdotes super eandem hostiam verba consecrationis proferre cum intentione consecrandi. Dist. 17. art. 1. quæst. 4. in quæstione, utrùm ordine naturæ prior sit contritio, quàm peccati remissio. Art. 3. quæst. 8. in difficultate, utrùm Confessio Sacramentalis possit fieri simul pluribus Sacerdotibus. Art. 4. quæst. 4. in illa quæstione, utrùm prior sit ordine naturæ gratiæ infusio, quàm culpæ remissio. Dist. 18. art. 7. quæst. 4. in illa difficultate, an Clerico excommunicato minori excommunicatione possit conferri Beneficium, & idem illud valeat licitè retinere Dist. 27. art. 2 quæst. 3. in illa controversia, an abscissio genitalium facta post matrimonium ratum, sed non consumatum, dissolvat matrimonium ratum. Dist. 29. art. 1. quæst. 2. in difficultate, an sponsalia facta per metum cadentem in constantem virum, & juramento firmata obligent. Denique hunc modum decidendi servat eodem art. quæst. 3. Distinct. 33. art. 3. quæst. 1. dist. 38. art. 5. quæst. 2. dist. 39. art. 2. quæst. 3. & alibi, ut referam commodiùs, quando tractabo illas quæstiones, an possimus sequi duas opiniones, æqualiter vel inæqualiter probabiles.

32. Si velimus loqui candidè, negari nequit, Richardum clarè, & expressè esse pro nostra opinione; quia expressè, & clarè dat nobis licentiam sequendi opinionem è multis, quam volumus. *Qui vult tenere primam opinionem &c. qui vult tenere secundam opinionem &c.* Ergo juxta hunc Magnum Doctorem voluntas potest determinare intellectum, quando objectum est obscurè propositum.

33. Doctorem Subtilem semel inveni sequutum esse methodum hanc, quam adeò crebrò practicavit Richardus, & fuit in 4. dist. 33. quæst. 3. in quæstione, an repudium fuerit licitum in lege antiqua. In hoc loco sustinet repudium fuisse licitum; adhuc tamen in fine quæstionis scribit: *qui vult tenere primam opinionem*, (oppositam nempè, quæ asserit repudium fuisse illicitum) *ad argumenta in oppositum potest faciliter respondere.* Ergo juxta Scotum intellectus tenens unam opinionem potest determinari ad oppositum per voluntatem.

34 Dices, quando Doctores asserunt, voluntatem determinare intellectum in materia obscura, intelligendos esse, quatenus voluntas applicat intellectum, ut attendat ad propria objecta; hinc in hoc sensu etiam scientia dependet à voluntate; voluntariè siquidem studemus Physicæ, Theologiæ &c. at proposito objecto, aliud imperium voluntatis non requiritur, nam actu determinatur ab illo ipse intellectus; sicut applicato oculo ad coloratum, oculus absque alio imperio voluntatis determinatur ad videndum ab ipso colorato.

Sed contra, quia, ut dixi, ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 4. discrimen eorum, quæ non videntur ab iis, quæ videntur, sistit in hoc, quòd quæ videntur per seipsa movent ad judicandum, quæ verò non videntur, *non movent sufficienter* ex seipsis, *sed per quandam electionem voluntariam* intellectus declinat potiùs in hanc partem. Ergo ad cognoscenda objecta obscura, nedum requiritur voluntas, ut applicet intellectum, quia etiam quoad hoc requiritur in objectis claris; sed exigitur etiam quoad ipsum actuale exercitium judicandi; & si dum intellectus assentit, vel dissentit objecto obscuro, ad hoc moveretur à solo objecto, tunc illud videretur in sententia Divi Thomæ. Vide etiam tex. quæst. 2. art. 9. ad 2. relatum num. 15. qui clarè infringit hanc objectionem. Tum quia Richardus, & Scotus dicunt, *qui vult tenere primam opinionem.* Tenere opinionem est ipse formalis assensus; hanc autem tenentiam dicunt dependere ab ipsa voluntate. Tum quia hic modus determinandi quæstiones est proprius

prius in opinione; & sic debet esse de assensu, non de applicatione ad objectum, quia hæc etiam in scientia est voluntaria.

35. Respondebis, quando Divus Thomas docet, objectum opinabile non movere sufficienter intellectum ad assensum, non debet explicari quoad exercitium, sed quoad specificationem; unde debet intelligi, quòd sufficienter non movet ad totalem assensum circa objectum, ut dicit expressè quæst. 14. de veritat. art. 1. nam in rei veritate, quamquam opinio est declinatio in unam partem, tamen totaliter illam non sequitur, & hoc, quia, ut ait Divus Thomas in 3. dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiun. 2. semper remanet motus in contrarium, accipit enim unam partem cum formidine alterius.

36. Sed contra, quia Divus Thomas expressè asserit in assensu opinativo requiri *electionem, per quam voluntariè declinet* in unam partem magis, quàm in aliam; ergo deficiente hac electione non habebitur assensus opinativus: ergo quoad exercitium opinandi intellectus dependet à voluntate. Est quidem etiam verum, quòd objectum opinabile non movet ad totalem assensum ipsius objecti, quia opinio est assensus infirmus, & imperfectus objecti, ut dicebat Divus Thomas illo art. 9. ad 2. ex Arist. lib. 1. post tex. 44. tom. 1. At nihil contra nos, imo facit pro nobis, quia intantùm intellectus cogitur in scientia ex eodem textu Divi Thomæ ob efficaciam demonstrationis; cum ergo opinio non habeat similem efficaciam, cum fit infirmus assensus, ex hoc, quòd opinio non sit assensus totalis ad objectum, sequitur, quòd intellectus in exercitio opinionis non cogitur, sed per voluntatem movetur. Igitur juxta Doctorem Angelicum, & rei veritatem objectum opinabile non movet ad perfectum, & totalem assensum ipsius, sed ad infirmum, & imperfectum; at hic imbecillis assensus nequit haberi, nisi voluntas determinet intellectum, quia ad opinionem exigitur *electio quædam, per quam voluntariè declinet magis in unam partem, quàm in aliam.* Cum verò assensus opinionis non sit totalis amplexus objecti, ut accidit in Fide Divina; ideò electio hæc non est perfecta, & totalis; unde nec voluntas perfectè, & totaliter vult objectum opinatum, sicut perfectè, & totaliter vult objectum fide Divina creditum; & hinc Divus Thomas dicit, ad opinionem requiri electionem *quandam*, qui terminus, *Quandam*, habet virtutem diminuendi, & negat, opinionem procedere *ex perfecta voluntate.*

37. Probatur nonò ratione, quia cum intellectus non polleat libertate; hinc, cum non determinetur ab objecto obscurè proposito: sequitur, quòd determinetur ab alia potentia; ergo determinabitur à voluntate, cum nequeat assignari alia potentia, maximè cum ipsa sit Regina, & domina aliarum potentiarum.

38. Objicies. Si voluntas posset inclinare ad assensum intellectum, jam posset opinari, ut sibi liberet, quod est contra Aristotelem. 2. de Anim. c. 21. num. 2. ubi asserit, nos quidem posse imaginari objecta prout volumus, v. g. imaginari montes aureos, non tamen ita posse opinari. Hanc objectionem inculcat Fagnanus in c. *ne innitaris.* de constitut. num. 139. & 140. & alii Probabilioristæ.

39. Sed vana omninò est objectio, nam cum Divo Thoma dicimus, ad assensum opinativum duo requiri, objectum proprium, quod moveat quidem, *sed non sufficienter*; & insuper requiritur *quædam electio voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam.* Cum ergo non suppetant semper propria objecta moventia intellectum, quando volumus: ideò non semper possumus opinari, quando volumus, licèt possimus imaginari, quando volumus, quia ad imaginationem tota ratio faciendi est voluntas. Quæ doctrina elicitur ex ipso Arist. ibid. num. 8. ubi assignans causam, cur opinio non sit imaginatio, ita discurrit:

omninò

omninò opinionem sequitur fides, fidem autem persuasum esse, persuasionem autem ratio, bestiarum autem quibusdam imaginatio quidem inest, ratio verò non. Ecce per Philosophum ad opinionem requiritur ratio, non verò ad imaginationem; ergo, cum semper ratio non reperiatur, quando volumus, (ò utinam reperire semper nobis illam liceret) non semper opinari possumus, quando volumus. Porrò in nostra sententia, quamvis exigatur *electio voluntaria*, exigitur tamen etiam ratio: scimus autem omnes, quòd deficiente causa, etiam inadequata, deficit effectus, nam juxta commune proloquium, Bonum ex integra causa, Malum ex quocunque defectu. Præterea nequit negari, Fidem Divinam esse voluntariam, cum ratio voluntatis ex Divo Thoma sit essentialis Fidei, ut dixi: & tamen propter hoc non possumus credere fide divina, quando volumus, sed solùm, quando objectum proponitur ut evidenter credibile; ergo etiam, licèt diceremus rationem voluntarii esse essentialem opinioni, ex hoc non sequitur, nos posse opinari, quando volumus, sed solùm, quando objectum, quamvis obscurum, validè impellit ad assensum, sed insufficienter. Vide Bannez 2. 2. quæst. 1. art. 4. dub. 2. ad 1. qui eadem doctrina utitur in solutione hujus argumenti.

40. Respondetur secundò. In actu opinativo duo esse consideranda, specificationem actus, & actuale exercitium, sicut Doctores distinguunt duplicem libertatem in voluntate, specificationis unam, exercitii alteram. Igitur specificatio Opinionis, & Fidei dependet à principiis propriis, & objecto proprio; unde, si motivum sit certum, & infallibile, & fundatum in testimonio dicentis, actus habebit speciem, & essentiam Fidei Divinæ. Si motivum sit incertum, unde possit aliter se habere, & natum sit movere vel omnes, vel sapientes: & ex his vel omnes, vel plurimos &c. ut dicebat Aristoteles, tunc actus habet speciem, & *naturam Probabilitatis*; ut tamen producatur tum actus Fidei, tum opinionis, & intellectus exeat in actuale exercitium horum habituum, requiritur imperium voluntatis.

41. Hinc est soluta illa difficultas, an voluntas requiratur ad specificationem opinionis; nam respondetur negativè, & deducitur ex Divo Thoma quæst. 14 de veritat. art. 3. ad 5. relato num. 18. licèt fatear textum ex 2. 2. quæst. 1. art 4. multum urgere pro opposita opinione. Vide num. 15. 16. & 22. In nostram opinionem ire deberent etiam Probabilioristæ, quia, si aliter dicant, tunc tenentur concedere, ex voluntatis imperio nos posse sequi quamlibet opinionem ex pluribus probabilibus.

Antonius Maria Coratius tom. 1. Syntag. opin. comm tit. 6. num. 7. ait *in sola voluntate consistere facere opinionem.* Hoc dictum in Theologia prima fronte est falsum.

CAPUT V.

An Voluntas possit physicè flectere Intellectum ad partem æquè, vel minùs Probabilem.

1 PAter Thyrsus Gonzalez dissert. 3. cap. 2. tanquam rem sibi exploratam asserit, intellectum non posse assentiri, etiam per voluntatis imperium, illi propositioni, quæ sibi ut minùs probabilis apparet. Pro hac doctrina refert aliquos Antiquos, & plures Modernos, etiam Probabilistas; communiter tamen Probabilistæ oppositum docent. Vide cap. præcedens num. 2.

2. Dico primò, quando utraque pars habet rationes æquales, voluntas physicè potest imperare assensum illius partis, quam vult

Probatur primò. Quando objectum est obscurè propositum, actu non movet intellectum ad assensum, nisi accedat

dat imperium voluntatis, ut patet ex cap. antecedenti: unde voluntas requiritur saltem ut conditio necessaria ad productionem assensùs. Si ergo voluntas accedat ad rationes unius partis, tunc illa pars habet conditionem requisitam ad actum, quam non habet alia pars; & sic illa trahet ad actum, non alia.

3. Nequit aliud responderi, nisi quòd rationes alterutrius se invicem impediant, & tollant virtutem motivam; ut autem habeatur actualiter assensus, requiritur virtus motiva in genere objectivo, nec sufficit imperium voluntatis; imaginari enim quidem possumus, quando volumus, non autem opinari, dicebat Arist. ut alibi animadverti.

Respondetur cum experientia, videmus etenim ipsis oculis, quòd Sol impedit, ne candela producat lumen in meridie; & sic tollit effectum candelæ, at non tollit virtutem illuminativam candelæ, quæ virtus est lumen existens in candela, quod lumen oculis videmus existere in candela; ergo etiam illæ rationes æquales tollent quidem ad invicem suos effectus, non tamen virtutem in actu primo. Et ratio est clara, nam virtus motiva in actu primo est ipsum objectum, quod apprehenditur; ante enim assensum actualem non datur nisi apprehensio terminorum objecti, ut patet: vide etiam Divum Thomam 1. 2. quæst. 17. art. 6. quem retuli cap. anteced. num. 13. in casu autem, quo rationes sunt æquales, & se impediunt in assensu, adhuc restant apprehensa in ordine ad utramque partem; ergo adhuc habent virtutem in actu primo motivam ad assensum; & sic accedente voluntate ad unam partem, hæc pars habet virtutem, & conditionem requisitam ad actum, atque adeo hæc pars prorumpet in actualem assensum.

4. Probatur secundò ex c. *estote* de regul. jur. Ibi dicitur: hoc loco nihil aliud præcipi æstimo, nisi ut ea facta, *quæ dubium est*, quo animo fiant, in meliorem partem *interpretemur*; quòd enim scriptum est, *ex fructibus eorum cognoscetis eos*, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri. Nota illud verbum, *interpretemur*; certè significat exercitium intellectus, quod fit per actum interpretationis; Interpretatio autem est judicium, ut legenti libros Aristot. Perehiermenias dictos, patebit: & mihi videtur irrationabile, si quis illud explicare vellet, quòd significet, *suspendamus judicium*. Igitur, quando dubium est, an proximus bene, vel male agat, *est præceptum*, ut judicemus in bonam partem. Si est præceptum, ergo physicè voluntas est libera ad faciendum, & non faciendum, quia observantia præcepti essentialiter debet esse libera; ergo *in dubiis voluntas potest physicè flectere ad partem*, quam vult.

5. Nota etiam illa alia verba: *quod enim scriptum est &c. de manifestis dictum est*. Hinc colliges, regulam illam Canonicam valere de omnibus dubiis, & excludi solùm, dum *res est manifesta*; & sic valet, quando utraque pars propriè dubitat, & quando habet æquales, vel inæquales rationes probabiles, quia adhuc non sumus *in manifestis*. Hinc hanc regulam Canonicam viri probi passim sequuntur, & proximum bonum judicant, licèt rationes urgentes in oppositum habeant, & solùm cessant à tali bono judicio, quando evidentia ad oppositum illos cogit.

6. Hanc regulam sequuti sunt Alen. par. 2. q. 118. memb. 1. art 4. D. Thomas 2. 2. q. 60. art. 4. Joannes de Friburg. lib. 3. tit. 34. quæst. 235. Pisanella, & ejus Supplem. V. Dubia. Divus Antoninus 2. part. tit. 3. cap. 8. §. 1. Nider Præcep. 1. c. 13. litt. D. audiamus Doctorem Angelicum: ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus, eum ut bonum habere in meliorem partem interpretando, quod dubium est.... de rebus debet quis niti ad hoc, ut judicet, secundùm quod sunt; quia in judicio de rebus non attenditur bonum, vel malum ex parte rei, cui nihil nocet, qualitercunque judicetur, sed attendi-

tenditur ibi bonum judicantis, si verè judicet, vel malum, si falsò: quia verum est bonum intellectûs, falsum autem est malum ipsius, ut dicitur 6. Æth. cap. 2. In judicio, quo judicamus de hominibus, *præcipuè* attenditur bonum, & malum ex parte ejus, de quo judicatur, qui in hoc ipso honorabilis habetur, quòd bonus judicetur, & contemptibilis, si judicetur malus, *& ideo ad hoc tendere debemus in tali judicio*, quòd hominem judicemus bonum, *nisi manifesta ratio appareat in contrarium*.... Articulum concludit tandem his verbis: Alio modo interpretamur aliquid in bonum, vel malum *definiendo*, sive determinando: & sic in rerum judicio debet aliquis niti ad hoc, ut interpretetur unumquodque, secundùm quod est. *In judicio autem Personarum, ut interpretetur in melius.*

7. Legi quendam Probabilioristam dicentem, Angelicum Præceptorem non velle, ut in dubiis Personam actu judicemus bonam, quia potest dari casus de Dubio propriè dicto, in quo nulla sit ratio pro parte de bonitate, & tunc non possumus judicare proximum esse bonum, nam sic temerè judicaremus. Igitur juxta Sanctum Thomam debemus in his casibus suspendere judicium.

8. Sed contra, quia Sanctus Doctor ait: quòd in dubiis Personarum debemus ad hoc tendere (perpende sequentia verba) *in tali judicio, quòd hominem judicemus bonum.* Ecce expressè loquitur *de tali judicio.* Numquid judicium est idem, ac suspensio Judicii? præterea *tendere, ut judicemus hominem esse bonum*, est idem, ac tendere, ut suspendamus judicium hujusmodi? procul dubio, si Divus Thomas hoc intellexisset, expressisset in verbis oppositum illi, quod volebat significare.

9. Præterea ibi dat regulam de judicio rerum, & personarum; dat regulam de definitione, vel determinatione rerum, & personarum in Dubiis. De personis dicit, esse judicandas *bonas*; de rebus autem dicit, esse judicandas, *ut sunt.* Qua verisimilitudine potest explicari, quòd in dubiis personarum debeamus suspendere judicium? Igitur voluntas hominis potest, & debet flectere intellectum in dubiis personarum, licèt pro utraque parte sint æquales, vel inæquales rationes, ut judicet esse bonas.

10. Nec ratio in contrarium urget; nam potest quidem dari casus, quòd in illa materia non sint peculiares rationes pro alterutra parte, v. g. potest dari casus, quòd non sint motiva desumpta ex genere castitatis, vel luxuriæ, ut judicemus hominem esse castum, vel libidinosum; at non potest dari casus, quòd non sint motiva universalia, ut judicemus hominem esse. V. g. *castum, justum &c.* & inter motiva universalia hoc est unum contentum in regula assignata, quòd *quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus*, & ex hac regula possumus rationabiliter judicare proximum esse castum, justum &c. nisi ratio manifesta appareat in contrarium. Ex ratione hujus regulæ existimo oriri praxim Ecclesiæ, quòd Sacramentum Extremæ Unctionis conferatur cuicunque Christiano, nisi constet habere peccatum mortale. Si Sacerdos dat Sacramentum, utique debet judicare subjectum esse bonum; aliter sacrilegè conferret Sacramentum. Constat ergo, intellectum hominis probi flecti à voluntate ad judicandum hominem esse bonum, & quando non adsunt motiva particularia in illo genere, & quando adsunt motiva æqualia, vel inæqualia pro utraque parte.

11. Probatur tertiò ex testibus Sanctorum Hieronymi, Augustini, Raymundi, & Scoti, & Richardi, quos attulimus cap. antecedenti pro secunda conclusione. In his conceditur facultas sequendi inter plures opinionem, *quam volumus.* Hæ igitur Opiniones vel habent rationes æquales, vel inæquales. Per hos Doctores voluntas potest sequi, quam vult; ergo voluntas inter motiva æqualia, vel inæqualia potest physicè flectere intellectum ad partem æqualiter, & minùs probabilem. Meo judicio

D

cio admissa authoritate illorum Patrum, & Doctorum consequentia est inevitabilis. Unde apud me est certum, in sententia ipsorum voluntatem physicè posse flectere intellectum existentem inter motiva æqualiter, vel inæqualiter probabilia, cum expressè dent licentiam sequendi, & docendi inter plures illam opinionem, *quam volumus*. Numquid possum docere, & tenere aliquam Opinionem, & illi assensum intellectivum non præbere?

Illis Doctoribus addo Astesanum lib. 8. tit. 10. art. 2. quæst. 7. Ibi facit quæstionem, an Conjux dans alteri Conjugi licentiam vovendi possit illam revocare. Refert duas Opiniones oppositas, & concludit ad modum Richardi: *Qui vult tenere primam opinionem, potest dicere ad objecta. Qui vult tenere secundam opinionem &c.* Ergo juxta Astesanum voluntas determinat intellectum existentem inter rationes probabiles oppositas.

12. Major quoque apertè est pro hac conclusione, dum narrat, quòd duo æquè præsentes inter *motiva æqualia*, unus ob amorem in Gallos credit victoriam Gallorum, alter verò non credit. Lege cap. antecedens num. 29 Ecce expressè, quòd quis inter duo motiva æqualia *ob amorem* flectit intellectum ad assensum de victorii Gallorum, alter verò *ob odium* flectit intellectum ad dissensum. Ergo voluntas juxta Majorem potest flectere physicè intellectum existentem inter motiva æqualia.

13. Dices, voluntatem posse facere, quòd motiva crescant in sua virtute, & sic illa pars habebit majores vires, quàm alia: & sic sumus extra quæstionem. Assumptum patet in judicio temerario; hoc enim sic accidit: objectum est leve in ordine ad trahendum intellectum ad assensum; voluntas ergo ob passionem vel iræ, vel invidiæ facit apparere magnum intellectui, quod in se est leve; & sic, quod in se est leve, & grave apparet ob passionem ipsi intellectui, movet ad judicandum ipsum intellectum. Sic etiam motiva æqualia in seipsis ob passionem voluntatis redduntur inæquales, & tunc intellectus amplectitur partem, quæ habet motivum efficacius.

Sed contra primò, quia illi Patres, & Doctores expressè dant nobis licentiam amplectendi opinionem ex pluribus, *quam volumus*; ergo ratio, & motivum eligendi unam præ alia est voluntas: si autem eligimus unam præ alia, quia una habet motivum efficacius, non eligimus hanc præ alia, quia volumus, sed quia efficaciùs movemur; ergo non exercemus libertatem, quæ nobis conceditur ab illis. Tum quia Divus Raymundus dicit: ex his duabus opinionibus, *Elige, quam volueris*. Certè ex hac licentia in hoc instanti possum eligere vel primam, vel secundam; & tamen in illo instanti motiva pro utraque sunt æqualia. Tum quia electa prima in primo instanti possum in secundo instanti eligere secundam; numquid in hoc secundo instanti mea voluntas augere potest vires motivi secundæ opinionis? si dicatur, quòd sic; ergo in potestate voluntatis est constituere objectum, quod non erat in linea opinionis probabilis, intra lineas opinionis probabilis; & sic concedunt, plusquam nos volumus. Consequentia probatur: quia quando ex duobus objectis æqualiter moventibus unum efficaciùs evadit; tunc illa opinio evadit probabilior; & sic est verè opinio probabilis per ipsos Adversarios, qui inculcant, Antiquos nomine opinionis probabilis intellexisse illam, quam his temporibus vocamus probabiliorem.

14. Quòd si dicant, illas majores vires, quas acquirit per voluntatem objectum, non habere in se; tunc constituet opinionem in linea temeritatis, quia tunc opinio est temeraria, quando absque motivo sufficienti in se, sed tantùm apparenter tali, habetur ipsa opinio; hinc juxta hanc explicationem Patres illi, & Theologi, dum dant licentiam amplectendi opinionem, *quam volumus*, darent nobis licentiam temerè judicandi.

15. Contra

15. **Contra secundò**, quia vel in potestate voluntatis est augere virtutem utriusque partis, vel non: si secundum; ergo non possumus ex duabus opinionibus eligere, *quam volumus*, ut concedunt Patres, & Doctores; sed solùm illam, cujus vires augere potest voluntas. Si primum dicatur: habetur illud, quod volumus, nos enim Probabilistæ aliud nolumus, nisi quòd inter probabiles opiniones nobis concedatur libertas sequendi, quam volumus. Interea petimus ab Adversariis, ut nos doceant modum, quo voluntas ex suo beneplacito augeat vires unius Opinionis. Ego sic explico, ut feci in probatione prima concl. secundæ cap. antecedent. Adversarii, si volunt à nobis differre, debent dicere, quòd voluntas faciat, ut motiva pro hac parte efficaciùs exprimant veritatem; & sic debent dicere, vel quòd objectum constituatur per voluntatem intra lineas Probabilitatis, vel Temeritatis, ut dicebam in prima responsione num. 13. & 14.

16. Pro hac nostra opinione clarè facit textus relatus cap. antecedenti num. 27. ex Divo Ignatio Lojola, qui dicit in rebus obscuris intellectum *posse voluntatis pondere in hanc potiùs, quàm in illam inclinari.* Nota, quòd non dixit, *rationum* pondere, sed *voluntatis.* Igitur ego post debitum studium cognosco utramque opinionem Divi Thomæ, & Scoti esse probabilem æqualiter; advenit deinde præceptum Superioris, quòd ego defendam opinionem Divi Thomæ, & relinquam illam Scoti, ego morem gero præcepto: propugno Divum Thomam, & resolvo rationes Scoti. Hinc ego *voluntatis pondere* potiùs in hanc Divi Thomæ opinionem, quam Scoti, descendo. Ecce clarè Divus Ignatius pro me. Quòd si Superior postea jubeat, ut opinionem Scoti tuear, obediam. Ecce sola voluntas mutat opinionem.

17. Probatur quoque clarè in Judice, qui debet decidere lites, nec illas reddere immortales; unde l. *properandum*. C. de judic. decernitur, causas non esse prorogandas à Judice ultra triennium, & gravi pœna punitur, si hanc legem transgrediatur. Et c. *nonnulli.* §. sunt & alii *de rescript.* decernitur, restringendas lites esse potiùs, quàm laxandas. Quid ergo faciet Judex, si incidat in causam habentem æquales rationes pro utraque parte? Si ejus voluntas nequit physicè intellectum flectere ad unam partem, certè nunquam litem dirimet; & sic nedum triennio, ut lex jubet, sed nunquam lis terminabitur. Antiqui dicebant in hoc casu *bonum esse habere Judicem amicum.* Ergo Judex ob amorem juxta Antiquos judicabit pro Amico.

18. Pro hac quoque clarè facit textus ille ex 2. 2. quæst. 1. art. 4. Divi Thomæ, quem toties expendi, & alibi pluries expendam. Ait Sanctus Doctor, quòd *quando intellectus assentit alicui*, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, *sed per quandam electionem* voluntariè *declinans in unam partem magis, quàm in aliam, cum dubitatione, & formidine alterius*, hic assensus *erit opinio.* In casu quæstionis dantur motiva pro utraque parte, non tamen sufficienter movent. Accedat ergo voluntas uni parti; tunc intellectus *per electionem voluntariè declinabit in illam partem magis, quàm in aliam*; Quia actus voluntatis solùm voluntariè declinare facit, ut est evidens: habetur insuper formido, & dubitatio de opposita; ergo juxta Doctorem Angelicum voluntas determinat physicè intellectum existentem inter motiva æqualia.

19. Dices, in illo casu non habebit formidinem, & dubitationem de parte opposita, sed habebit aliquid plus; quia illa pars opposita habet motiva æqualia, ac alia, de qua habet assensum. Ista autem motiva sunt adèo fortia, ut nata sint gignere opinionem, quæ est quid magis, quàm formido.

Respondetur primò per instantiam, an Adversarii admittant, quòd in hoc casu voluntas possit physicè flectere intelle-

tellectum, si concedunt: dicant ad quem habitum ille assensus sit reducendus. Certè non est dubitatio, quia hæc assensum non habet. Non est suspicio, quia hæc ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 2. art. 1. *levi signo tenetur*; in nostro verò casu non dantur motiva levia, sed fortia. Ergo debent fateri, esse assensum opinativum probabilem.

20. Respondetur secundò, motiva alterius partis non gignere assensum opinativum, quia voluntas illis non accedit; & sic pro illa parte non datur *electio quadam voluntariè declinans*, ut ad assensum opinativum expresse requirit Doctor Angelicus. Hinc illa motiva se habent solùm in actu primo. Igitur assensus alterius partis habitus ex imperio voluntatis importat formidinem, quia causatur ab objecto proprio, quod potest aliter se habere: Et hæc est ratio, cur assensus opinativus sit formidolosus essentialiter, saltem radicaliter. Et si Adversarii insisterent, quòd objectum validè movens ad aliam partem, causet in assensu oppositæ partis plusquam formidinem; tunc assensus partis probabilioris haberet plusquam formidinem: nam motiva partis minùs probabilis sunt magis fortia, quàm motiva suspicionis, cum solùm penes magis, & minùs differant à motivis partis probabilioris.

21. Denique pro hac opinione clarè pugnat Divus Thomas quæst. 4. de potentia Dei art. 4. in corp. quæst. Ibi refert duas opiniones Sanctorum circa creationem Mundi. Prima Augustini dicebat *omnia fuisse eodem instanti temporis formata.* Secunda aliorum Sanctorum sustinebat, primo tempore fuisse creata *elementa Mundi*, *&* *corpora cœlestia*, in alio tempore *lux*; in alio *Firmamentum*, *&* *corpus Diaphanum fuit ordinatum*, *&* *distinctum.* Hinc juxta primam opinionem sex dies, in quibus à Scriptura Mundus dicitur factus, important unicum tempus, plura instantia intellectualia amplectens; juxta verò secundam opinionem important successionem diversorum temporum, sicut, quando nos dicimus, transierunt sex dies, intelligimus successionem diversorum temporum.

22. De his duabus opinionibus sic, corpus articuli concludens, discurrit: Harum igitur expositionum prima, scilicet Augustini, est subtilior, magis ab irrisione Infidelium Scripturam defendens: secunda verò, scilicet aliorum Sanctorum, est planior, & magis verbis litteræ quantùm ad superficiem consona; quia tamen neutra earum à veritate fidei discordat, & utrumque sensum circumstantia litteræ patitur: ideo, ut neutri earum expositionum præjudicetur, *utramque expositionem sustinentes, utriusque rationibus respondendum est.* Ita verbatim Angelicus Præceptor.

23. Cum cap. antecedenti probaverimus, motiva opinionum probabilium non cogere, & ideo ad ipsorum assensum requiri imperium voluntatis, & cum in quæstione de creatione Mundi prædicta nihil fuerit certum, sed solùm opinabile, cum Sancti inter se dissentirent; sequitur evidenter, Divum Thomam per voluntatem flexisse suum intellectum *ad sustinendam utramque expositionem.*

24 Aliud huic textui, & aliis relatis nequit responderi, nisi quòd sint in materia speculativa; & sic concedunt, in speculativis voluntatem posse flectere intellectum existentem inter motiva æqualiter probabilia, non verò posse flectere in materia morali, in qua difficultas procedit.

Sed contra, quia voluntas est æquè potens flectere physicè intellectum in speculativis, ac in moralibus; quicquid sit interim, an liceat operari juxta hanc opinionem, de quo infra. Ratio est, quia sicut in rebus speculativis Sacræ Scripturæ Sancti differunt in explanatione Scripturæ, & illam diversam explanationem *Circumstantia litteræ patitur*; Ita etiam in moralibus Sacræ Scripturæ Sancti differunt in explanatione Scripturæ, & circumstantia litteræ diversam explanationem illam patitur:

patitur : (nec enim possumus dicere Sanctos in moralibus erravisse, vel Scripturam in moralibus non posse pati diversam explanationem.)

25. Nota primò, quòd juxta Divum Thomam quamvis aliqua opinio *sit planior, & magis verbis Scripturæ quantum ad superficiem consona*, est sequenda quidem, non tamen solùm, sed aliam possumus sequi, si sit subtilior; sic etiam si aliqua opinio sit subtilior, & magis defendens ab irrisione Infidelium Fidei doctrinas est sequenda, non tamen necessariò est solùm ipsa tradenda; sed possumus, & debemus etiam aliam, si hæc sit magis consona quoad superficiem Scripturæ. Quòd si Probabilioristæ oppositum dicerent, ne credas illis, sed exemplum clarum Divi Thomæ imitare.

Nota secundò illa verba Sancti Thomæ: *Ideo, ut neutri earum explanationum præjudicetur, utramque sustinentes.* In his verbis Sanctus Doctor credebat præjudicari uni opinioni ex allatis, si utramque non sustinuisset. Adversarii assignent rationem hujus credulitatis, & postea negent, si possint, utramque opinionem in moralibus debere sustineri à nobis, si sancti inter se differant in moralibus. Quia autem suppono nedum Opinionibus Sanctorum, sed etiam aliis Doctoribus, esse præstandam reverentiam, & nemini esse præjudicandum tit. de nov. oper. nunc. ergo, si alii Doctores insignes varient inter se in Opinionibus sive speculativis, sive moralibus, nullam damnare debemus; & melius faciemus, si voluntas volens omnes Magistros insignes honorare flectet intellectum ad sustinendas diversas illorum opiniones; & sic, quod ut debitum præstandum est Sanctis, voluntariè ob amorem præstabimus aliis Doctoribus, utique famosis. Tum quia de facto Divus Thomas, Divus Bonaventura, Divus Raymundus, & Divus Antoninus differunt inter se in moralibus.

26. In uno casu coguntur Adversarii concedere, quòd physicè, quin licitè, possit voluntas flectere intellectum ad assensum existentem inter motiva æqualiter probabilia, quando scilicet in utraque parte est æquale periculum peccati, & homo debet operari. Major. in 4. in prolog. quæst. 2. concl. 4. dat exemplum de Judice. Ipse Judex physicè est certus Petrum non occidisse Paulum; adhuc contra Petrum instituitur processus criminalis, unde juxta allegata, & probata est nocens. In hoc casu Beatus Thomas, & Alensis dicunt, Judicem obligari in conscientia ad condemnandum illum innocentem. Viri tot cum æquali probabilitate asserunt obligari ad ipsum non condemnandum. Certè voluntas Judicis debet unam eligere. Ergo evidenter in hoc casu voluntas physicè flectit intellectum existentem inter motiva æqualiter probabilia.

Sed melius exemplum est de Sacerdote, qui, assumpto Corpore, advertit consecrasse aquam. Hic debet perficere sacrificium, vel consecrando utramque materiam, ut vult Divus Thomas, vel solùm vinum, ut cum æquali probabilitate docet Scotus, ut dixi supra. In hoc ergo casu voluntas potest, & debet flectere physicè, quin & licitè vel ad unam, vel ad aliam partem. Nec potest dici, in his casibus periculosis ex utraque parte intellectum esse certum, quòd licet operari juxta unam ex illis duabus, ut dicebat Major; nam hoc judicium non dat majorem probabilitatem illi parti, quam eligit; quia illud judicium æqualiter se habet ad aliam partem oppositam, ut est evidens; ergo intellectus non determinatur ad hanc partem ob illud judicium, sed ex alia causa, quæ alia non est nisi voluntas, quæ vult potiùs sequi hanc. Ex hoc principio puto ortum fuisse illud dictum Antiquorum Juristarum, quòd bonum est habere Judicem amicum; ex hoc enim sequitur, si lis habeat omninò æquales rationes pro utraque parte, tunc Judex potest judicare pro Amico.

27. Objicies. Intellectus existens inter

 ter

ter motivâ æqualiter moventia est dubius ex Divo Thoma quæst. 14. de verit. art. 1. Ergo ex parte actûs primi intellectus non habet virtutem trahendi ad opinionem, quia objectum idem nequit specificare actum dubii, & opinionis. Confirmatur. Opinio in actu secundo est acceptio unius partis cum formidine alterius; ergo opinio in actu primo importat motivum ad unam solam partem impellens; ergo, quando adsunt motiva pro utraque parte, tunc non adest objectum specificativum opinionis.

Respondetur ad primum, æqualitatem rationum non esse formaliter ipsum Dubium, sed esse unam ex causis, unde provenit Dubium, ut patebit cap. sequenti, datur enim etiam Dubium, quando pro neutra parte adsunt rationes, ut patet ex Divo Thoma loco citato; adhuc tamen æqualitas rationum pro utraque parte specificat opinionem in actu pro utraque parte; nam supponimus illa motiva esse gravia, & fortiter impellere ad utramque partem; ut tamen tollatur actuale Dubium, & detur actualis assensus opinativus, requiritur voluntas, ut patet ex dictis. Vide cap. sequens n. 33. & seqq.

28. Ad Confirmationem, juxta principia Probabilistarum, ut dixi cap. tertio, quæst. 2. num. 52. ita assensus opinativus est acceptio unius partis cum formidine alterius, ut stet simul ex aliis motivis cum assensu opinativo alterius partis, ut in exemplo allato Divi Thomæ de Creatione Mundi liquet; hinc etiam motiva specificantia Probabilitatem unius partis in actu primo stabunt simul cum motivis specificantibus Probabilitatem alterius partis in actu primo.

29 Quòd si velimus tenere assensum opinativum unius partis non stare simul cum assensu opinativo alterius partis, ut ibi num. 56. dicebam, tunc negatur consequentia, quia, ut ibi dicebam, aliquando motiva diversa reperiri possunt simul in intellectu, non tamen actus illorum motivorum, & aliquando potentiæ ad opposita sunt simul in eodem subjecto, non tamen actus oppositi illarum potentiarum, ut dicebam ibidem num. cum Doctore Subtili.

30. Objicies secundò, quando utraque pars habet motiva æqualiter probabilia, non datur ratio, cur voluntas flectat ad hanc partem, & non illam; ergo nequit voluntas physicè determinare intellectum existentem inter motiva æqualiter probabilia. Consequentia probatur, quia ex Illustrissimo Clero Gallicano in Libello condemnatorio plurium Propositionum in conclusione Operis dicitur, *dubia esse determinanda ex ratione*, non voluntate, juxta illud ad Rom. 12. *rationabile obsequium vestrum*. Tum quia ex Aristot. 2. de Cœlo tex. 93. dicitur, quòd si famelico ponerentur æqualiter distantes duo cibi, & duo potus, ad nullum moveretur; ergo cum duo motiva æqualia se habeant ut duo bona æqualia, tunc voluntas ad nullam opinionem determinabit intellectum.

Respondetur primò, ad summum probare quòd licitè voluntas hoc nequeat facere, non autem physicè, & illicitè; potest siquidem voluntas facere obsequium irrationabile, hoc est, contra leges morales, licèt non contra leges suæ naturæ; hoc est, contra suas proprietates physicas: est enim voluntas Regina in Regno Animæ; unde aliæ potentiæ sunt ejus subditæ, & illas movet: hinc scribit Divus Thomas ubi suprà, quòd intellectus possibilis non movetur *nisi à duobus*, scilicet à proprio objecto, quod est forma intelligibilis, scilicet quod quid est, ut dicitur 3. de Anima tex. 26. *Et à voluntate, quæ movet omnes alias vires*, ut dicit Anselmus in lib. de similitudinibus c. 2. Et idem Divus Thomas expressè scripsit 2. 2. quæst. 1 art. 4. quòd, quando objectum non movet sufficienter, tunc intellectus *per electionem quandam voluntariè declinat* in unam partem magis, quàm in aliam, & si quidem sit cum formidine, ille assensus *erit opinio*;

opinio; si autem sit cum certitudine absque tali formidine, *erit Fides.* Ecce expressè, quando intellectus non movetur sufficienter ab objecto proprio, ut accidit in omni materia obscura, tum naturali, & sic in opinione, tum supernaturali, & sic in fide, voluntas adjuvat intellectum, ut exeat in actuale exercitium.

31. Respondetur secundò, si objectio aliquid probat, probat, nec etiam in speculativis voluntatem posse flectere intellectum existentem inter motiva æqualia; nam etiam in speculativis debet solvere Dubia ex ratione: & sic Divus Thomas non potuisset sustinere utramque opinionem, ut fecit, in speculativis. Nec Divus Raymundus potuisset dicere, *elige*, *quam volueris ex his duabus opinionibus.* Nec Richardus tam sæpe potuisset hoc modo solvere difficultates, sicut nec alii Doctores, quos alibi referam. Tene menti hanc responsionem, quia sic Adversarii vel tenentur fateri Antiquos erravisse, vel objectionem non esse magni ponderis.

32. Respondetur tertiò, hanc objectionem solutam fuisse à Majore, Doctore Sorbonico ubi suprà. §. *tertiò arguitur.* Audi ejus verba: teste experientia, licèt non possimus assentire propositioni inevidenti sine ratione, *tamen cum motivis æqualibus*, quantum est de se, *possumus* ex passione animi *uni parti assentire.* Patet exemplariter: nunc Parisiis dicitur, quòd Exercitus Regis est victor in Italia; duo æquè præsentes sunt, quorum alter Gallos diligens assentit, alter non assentit, sed dissentit. Ita Major, qui tamen loquitur in casu morali, sed in utraque parte periculoso; hinc subdit: sic in proposito potest quis assentiri huic propositioni, *hoc mihi est licitum;* & licèt nesciat, quæ illarum viarum sit verior, scit, quòd secundùm unam facere ei licet. Ego subsumo. Quamvis in nostro casu ego nesciam, quænam illarum partium sit verior, cum utraque æqualiter appareat; tamen scio, unam illarum esse veram; ergo, si Major, quia scit sibi licere, secundùm unam facere, ideò se determinat ad unam, & ad unam facere; ita ego, quia scio unam partem esse veram, me determino ad unam, & flecto intellectum ad unam. Igitur patet ex doctrina Majoris in obscuris intellectum non posse flecti ad unam partem *sine ratione*; si tamen adsint rationes æquales pro utraque parte, tunc *ex passione animi*, & sic ex voluntate, possum uni assentiri; & hic assensus erit quoad speciem in linea Opinionis Probabilis: quia illa motiva sunt probabilia, quoad exercitium autem etiam in linea voluntarii; quia in obscuris ex Divo Thoma, in quibus objectum sufficienter non movet, *requiritur electio quadam voluntariè declinans in unam partem magis, quam in aliam.*

33. Ad authoritatem Aristotelis Richardus in 2. dist. 38. art. 2. quæst. 4. fin. ait, posse dici, quòd Philosophus non asserat. Vel loquatur per comparationem ad sensibilem appetitum, qui liber non est. Divus Thomas in explic. textus lect. 25. litt. D. fin. expressè asserit, illud dictum esse Sophistarum, & sic non Aristotelis: unde subdit, quòd famelicus *curreret ad alterum*, *quodcunque contingeret.* Hic Sanctus Doctor videtur supponere, quòd Aristoteles loquatur de appetitu sensitivo, qui etiam in illo casu determinaret potentiam cursivam ad unum ex illis potibus æqualibus; hinc à fortiori possumus dicere quod voluntas, quæ est libera, poterit determinare intellectum ad unam ex illis opinionibus æqualibus.

34. Restat videre, an voluntas possit physicè flectere intellectum ad partem, ad quam motiva minùs impellunt, quàm ad opposita. & difficultas est in sensu composito, quòd in intellectu sint motiva fortiùs trahentia ad aliam partem: in sensu enim specificativo, hoc est, quando alia pars ab aliis judicatur probabilior, nulli est dubium, cum id, quod aliis probabiliùs apparet, aliquando mihi minùs probabile videatur.

35. Dico secundò, supposito quòd motiva pro opinione Divi Thomæ mihi appareant urgentiora, adhuc voluntas potest physicè flectere intellectum ad assentiendum Opinioni Scoti, cujus fundamenta me quidem validè impellunt, sed minùs, quàm motiva pro opinione D. Thomæ.

36. Probatur primò ex iis, quæ dixi in primo argumento pro conclusione antecedenti, nam objectum ut probabilius propositum non cogit intellectum ad sui assensum ex dictis, nec tollit virtutem motivam in actu primo ab argumentis pro parte minùs probabili; sicut Sol non tollit virtutem illuminandi aerem à candela; hinc Doctor Angelicus quæst. illa 14. de verit. art. 1. dicebat: quandoque intellectus inclinatur magis ad unum, quam ad alterum; sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc, *quod determinet ipsum in unam partium totaliter. ...... & hæc est dispositio opinantis.* Ecce, *quòd inclinari magis ad unum non determinat totaliter intellectum*; ergo potest dari determinatio incompleta in hac materia in parte opposita: si enim vis totalis determinandi non est in hac parte, certè non implicat, quòd aliqua vis determinandi sit in alia parte. Sicut si totus calor non est in Petro, necesse est, quòd aliquid de calore sit in alio subjecto. Si ergo voluntas accedat parti minùs probabili, & non probabiliori, pars minùs probabilis trahet in assensum intellectum, cum habeat ultimum requisitum ad actualiter trahendum assensum intellectivum.

37. Hæc consequentia explicatur. Ut candela, & Sol illuminent aerem requiritur concursus Dei: & si candela ad præsentiam Solis haberet concursum Dei, non verò Sol, tunc candela illuminaret aerem, non verò Sol, illuminaret, inquam, juxta intensionem suæ virtutis, & sic aer parùm illuminaretur. Sic dicimus, ut magis, & minùs probabile trahant intellectum ad assensum, requiritur voluntas ex dictis; ergo si minus probabile habebit concursum voluntatis, trahet intellectum ad assensum, non verò magis Probabile; trahet, inquam, ad assensum sed juxta intensionem suæ virtutis.

38. Dices, naturaliter loquendo Deus debet concurrere in illo casu cum Sole, & non cum candela, & hoc, quia Sol est majoris virtutis, & si Deus faceret contrarium, faceret contra exigentiam naturalem Solis; ergo etiam, si voluntas concurreret cum minùs Probabili, & non cum magis Probabili, faceret contra naturam magis Probabilis; ergo loquendo juxta exigentias rerum, voluntas debet concurrere cum magis Probabili, & non cum minùs Probabili.

Sed contra, quia pro nunc habeo intentum, probat enim, quod voluntas debet quidem concurrere cum Probabiliori, at non probat, quòd nequeat concurrere cum minùs probabili; imo hoc conceditur; sicut conceditur, quòd Deus absolutè potest concurrere cum candela, & non cum Sole. Hic solùm assero, quòd voluntas physicè potest flectere intellectum ad minùs probabile, præscindendo interim, an debeat aliter facere, de quo infrà.

39. Probatur secundò exemplo claro Divi Thomæ relato cap. 3. num. 7. Divus ergo Thomas sustinet dictum, quòd ad Sacram Ordinationem non requiratur tactus physicus; postea docet oppositum. Certè sustinet primam opinionem, & illam utique sustinet ut minùs probabilem, cum doceat oppositum statim post quatuor lineas. Tum quia ipse Gonettus Probabiliorista expressè dicit, quòd Divus Thomas tenet primam opinionem ut minus probabilem, secundam ut probabiliorem. Ergo voluntas Divi Thomæ flectebat suum intellectum ad assensum opinionis, quam cognoscebat esse minùs probabilem.

40. Divus Raymundus allatus suprà dat licentiam *eligendi* unam ex duabus opinionibus, quamvis una esset *aliquatenus tutior*. Ego illud adjectivum, *Tutior*, accipio pro *Probabiliori*; loquitur enim

enim ibi Sanctus Doctor de duabus opinionibus speculativis; in speculativis autem Tutioritas nequit distingui à veritate. Unde una opinio speculativa est tutior per hoc, quòd habeat minùs periculum dicendi falsum, quia nullum aliud periculum invenies, in ordine ad quod opinio speculativa dicetur tuta; nam opinio per hoc formaliter, quòd elongetur à falsitate, accedit ad veritatem. Ergo Opinio speculativa *Tutior* est Probabilior. Cum verò voluntas ex Divo Raymundo possit flectere intellectum ad opinionem aliquatenus minùs tutam, sic flectet ad opinionem *aliquatenus* minùs probabilem. Video exemplum Divi Raymundi non probare de opinione absolutè minùs Probabili; cum sit de *aliquatenus* minus probabili; tamen clarè probat de opinione, quæ non est omninò æqualis.

41. Glossator Raymundi lib. 4. de matrim. §. 10. V. *abstinendum.* refert opinionem dicentium, quòd tam Maritus, quàm Uxor peccant mortaliter exigendo debitum matrimoniale tempore menstrui, postea subdit. Alii dicunt, quod exigere in menstruo debitum scienter non est peccatum mortale inter conjugatos, sed tantùm veniale; prima tamen opinio videtur verior, & magis consonat auctoritatibus Sanctorum; in talibus autem non est præcipitanda sententia *in foro pœnitentiali, nec deneganda absolutio*, si nolit conjugatus tempore menstruorum continere, sed via tutior est consulenda, & terror ex periculo incutiendus. Ita Glossator Raymundi. Ecce hic Doctor tenet expressè ut probabiliorem, & magis consonam Doctrinæ Sanctorum opinionem rigidam, adhuc tamen concedit, ut pœnitens sequatur oppositum; ergo dum concedit, tunc voluntas debet flectere intellectum, ut assentiatur opinioni oppositæ probabiliori; opinio autem opposita probabiliori est minùs probabilis. Infra videbimus proprio loco, quòd omnes Antiqui, qui hunc calum evolverunt, docuerunt, Confessarium, saltem Parochum, posse permittere, ut pœnitens sequatur opinionem oppositam illi, quam ipse Confessarius tenet ut probabiliorem.

42. De Richardo nulli dubium esse debet, quòd doceat voluntatem posse flectere intellectum ad partem minus probabilem, sicut hoc concessit expressè in æquè probabilibus. Duos textus solùm affero, unum speculativum, alium practicum. Speculativus est in 3. dist. 34. art. 1. quæst. 3. Ibi refert duas opiniones, quarum prima erat, quòd Dona Spiritus sancti non sint necessaria ad salutem, & hanc vocat probabiliorem. Secunda erat, quòd Dona sint necessaria ad salutem. De his duabus opinionibus resolvit consueto modo: *qui vult tenere primam opinionem: qui vult tenere secundam opinionem.* Ecce expressè *per voluntatem* flectit Richardus intellectum ad sustinendam opinionem oppositam illi, quam credit probabiliorem; ergo hæc alia opinio erat minùs probabilis.

43. Practicus habetur in 4. dist. 6. art. 4. quæst. 2. Affert duas opiniones, prima dicebat, bis baptizatum, quamvis ignoranter, esse irregularem. Secunda negabat esse irregularem. Primam dicit esse magis consonam textui Canonico; ergo illam fatetur esse probabiliorem. Concludit quæstionem eodem modo: *qui vult tenere primam opinionem; qui vult tenere secundam opinionem.* Hic textus est adeo clarus, ut Adversarii nequeant illum aliqua tergiversatione solvere; nam est moralis, & pars probabilior est etiam strictior, & tamen voluntas potest flectere intellectum ad sequendum oppositum: *qui vult tenere secundam opinionem.* Alios textus Richardi referam infrà, dum tractabo quæstionem principalem, an liceat, sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam.

Astensis lib 8. tit. 19 art. 2. quæst. 7. fin. scribit: qui verò volunt tenere secundam opinionem, *possunt dicere* ad decretum allegatum contra eam, per illud verbum, *similiter convertatur*, intelligendum est sic: nisi malit suum conjugem

jugem revocare, & sic solvunt quidam, & Glofs. solvit ibidem. *Vel potest dici, & melius*, quòd dicit similiter convertatur; *quia revocando peccat &c.* Ecce in voluntate est dicere, id quod *melius est*, & sic quod verius est; vel dicere oppositum, & sic dicere minùs probabile.

44. Dices, motivum probabilius determinare intellectum ad unam partem in actu primo; ergo intellectus nequit flecti nisi ad illam partem; sicut enim Sol prævenit candelam, & determinat aerem ad recipiendum effectum à Sole prodeuntem, & non à candela; ita à pari de motivo probabiliori, & minùs probabili.

Respondetur ex Divo Thoma q. 14. de verit. art. 1. motivum probabilius non determinare intellectum ad unam partem *totaliter*. Si non determinat totaliter ad illam partem, ergo in alia parte adest aliquid, quod non est in probabiliori. Ergo etiam intellectus potest determinari ad hanc aliam partem. E' contra Sol totaliter continet effectum candelæ; & cum sit agens efficacius, & necessarium, prævenit candelam, & producit effectum, qui posset produci à candela. Motivum probabilius non est agens necessarium ex dictis; ergo non prævenit in actuali motione motivum minùs probabile; sed, ut moveat, requirit electionem quandam voluntariam ex Divo Thoma toties allato. 2. 2. quæst. 1. art. 4. Ex alia parte cum motivum minùs probabile non amittat actum primum; si accedat voluntas, habebit omnia requisita ad producendum assensum probabilem quidem, sed minùs. Relege nostram primam probationem.

45. In publica concertatione olim audivi, quendam Amicissimum meum, & quidem Probabilistam, quique hoc meum Opusculum, qualecunque est, dignatus est evoluere, & approbare; audivi, inquam, hoc argumento prementem Probabilioristam, amicum etiam meum: Opinio minùs probabilis est verè probabilis; ergo possumus sequi opinionem minùs probabilem. Antecedens probabat, quia magis calidum supponit minus calidum; ergo magis probabile supponit minùs probabile: Respondit defendens, disparitatem esse inter calorem, & Probabilitatem, quia calor potest esse in pluribus subjectis, veritas verò in uno solo, ut est evidens; hinc in nostro casu veritas est in parte probabiliori, & sic ipsam solam sequi possumus; & sic nec physicè voluntas poterit flectere intellectum ad partem minùs probabilem.

46. Sed contra, & est argumentum efficacissimum pro antecedenti conclusione, quia in speculativis, maximè prophanis, possumus *liberè* sequi hanc, vel illam opinionem, saltem si sint æqualis Probabilitatis, ut expressè tenet in materia sacra speculativa Major in prolog. 4. senten. quæst. 2. concl. 2. §. *tertio arguitur*, *dicta Hieronymi* vers. *ex his patet* scribit: si assertiones eorum oppositæ sint æquè apparentes.... *quare non licebit tenere, quod voles, dummodo rationi alterius satisfacias?* Ergo ex eo, quòd veritas est in una sola parte, non sequitur, quòd debeam sequi hanc, & non illam, & voluntas nequeat flectere intellectum ad unam, vel ad oppositam; nam etiam, dum utraque pars est æquè probabilis, in una sola parte reperitur veritas; ad summum sequitur, quòd voluntas nequeat flectere intellectum ad utramque simul, quia sic certò flecteret intellectum ad falsum, quòd est impossibile.

47. Nostri Probabilistæ respondent, ut patet ex cap. 3. num. 52. veritatem objectivam reperiri quidem in una parte; veritatem verò formalem, & probabilem, & juxta phrasim Divi Bernardi loquendo, *quasi veritatem* reperiri in utroque extremo, & sic voluntatem posse flectere physicè intellectum ad utramque partem.

48. Sed concedendo intellectum posse solùm uni parti physicè assentiri, assero non probari ab Adversariis, veritatem reperiri solùm in parte probabiliori,

liori, nec unquam hoc probare poterunt, quia *Probabilitas*, inquiunt Parisienses, & Nider relati c.ant. n.48. *quantacumque sit, non ingerit credulitatem, seu fidem ex necessitate* hominibus intelligentibus, & exercitatis, *cum ipsi certi sint, non omne, quod videtur verum, esse verum.* Ergo est certum, veritatem necessariò non reperiri in parte probabiliori: & sic potest reperiri in parte minùs probabili, & sic parti minùs probabili intellectus poterit assentiri. Nec major efficacitas motivi probabilioris obstat, quia, ut dicebam, *Probabilitas quantacumque sit*, non ingerit credulitatem *ex necessitate;* ergo possimus assentiri parti oppositæ minùs probabili. Relege omnino textum Parisien, & Nider.

49. Instabis. Est quidem verum, nos non necessitari ad actu assentiendum parti probabiliori, quia hoc est proprium objecti evidentis, & sic talis assensus est liber quoad exercitium; necessitari tamen quoad speciem; unde supposito, quòd intellectus moveatur actu, movebitur ad partem probabiliorem. Sic Fides Christiana est libera quoad exercitium, tamen quoad specificationem est necessaria, quia *homini docto*, inquit Pater Gonzalez dissert. 3. c. 2. §. 2. num. 32. *penetranti credibilitatem nostræ fidei, omnino apparet impossibile eidem dissentire, eam falsam reputando.*

50. Sed contra, quia negamus assumptum, ad exemplum de Fide illo dato, assignamus disparitatem evidentem, quia cum motivis Fidei Christianæ non possunt simul componi motiva opposita; nam motiva nostræ Fidei sunt evidenter credibilia, & sic opposita motiva nullius sunt roboris, quia evidentia cogit, & ad nihilum reducit opposita. Hinc hoc argumentum est bonum: hæc res est evidenter credibilis; ergo impossibile est credere oppositum. Evidentia ergo credibilitatis unius de necessitate excludit à credibilitate partem oppositam. At motiva probabiliora non excludunt de necessitate aliam partem *vel à Probabilitate, vel à Veritate.*

51. Hinc hæc argumenta non valent: hæc opinio est probabilior: ergo opposita est falsa. Hæc opinio est probabilior; ergo opposita non est probabilis; quia Probabilioritas *de necessitate non ingerit credulitatem*, & comparativum non excludit formam comparationis ab alio extremo. Igitur Probabilioritas de necessitate excludit ab opposito Probabilioritatem, non verò Probabilitatem, velint, nolint Adversarii; sicut magis calidum in uno excludit magis calidum ab alio, non verò excludit ab illo calorem simpliciter.

52. Probatur quartò ex Divo Augustino Epist. 7. ubi refert quatuor opiniones de exortu Animæ Rationalis, quarum meminerat lib. 3. de lib. arbitr. prima erat, quòd Animæ nostræ *omnes propagarentur ab Anima Adæ.* Secunda, quòd *singillatim in singulis fiant.* Tertia, quòd *extra creatæ mittantur.* Quarta, quòd *in Corpora spontè merguntur.* Omnes autem ut probabiles sustinet, & de omnibus explicat, verificari illud Ecclesiastes c. 7. *Convertatur pulvis in terram, sicut fuit, & Spiritus revertatur ad Deum, qui dedit eum.* Maximè verò docet verificari de prima, & de tertia; & propter hoc videtur forsan, quod illas credat probabiliores, quod enim magis est conforme Scripturæ Sacræ est probabilius, & verius.

53. Denique dicit, quòd, si quis *illarum aliquam* voluerit astruere, atque defendere, hoc faciat vel Scriptura Sacra, *quæ non possit aliter accipi;* sicut est, quòd Deus hominem fecit: *vel ratione tam certa*, ut contradictio, aut nulla existat, aut insaniæ similis judicetur. Nota primò, quòd idem textus Sacræ Scripturæ verificatur de oppositis opinionibus; quin maximè verificatur de prima, & de tertia opinione, quæ formaliter sunt oppositæ, idem enim nequit propagari, & creari.

54. Nota secundò pro præsenti materia,

teria, quòd Divus Augustinus exigit, ut quis defendere *velit illarum aliquam*; & sic non omnes quatuor velit tueri; exigit, inquam, ut inveniat vel Scripturam Sacram, *quæ non possit aliter accipi*, sicut est, *quòd Deus hominem fecit.* Ecce ad deserendas, & abjiciendas plures opiniones, & ut cogamur solùm unam defendere, requiritur textus clarus, & certus; textus enim, qui nequit aliter accipi, est certus; & ipse Divus Augustinus dans exemplum quantæ certitudinis debeat esse ille textus ait: *sicut est, quòd Deus hominem fecit.* Si in Sacra Scriptura invenietur textus clarus, est ille, in quo dicitur, Deum fecisse hominem; Est enim adeo apertus, quantùm per verba res clarè exprimi potest.

55. Quia verò Divus Augustinus non erat illius genii, & ingenii quorumdam Probabilioristarum, qui si legunt aliquam quæstionem sacram sine sacro textu agitatam, torquentur, & exclamant, difficultatem benè non solvi, quia rationibus solvitur; ideò subdit: *aut inveniatur ratio tam certa, ut contradictio nulla existat.* Igitur, Probabilioristæ, si vultis, nos cogere, ut prætenditis, ad sequendam illam vestram unicam, & rigidam opinionem, quam unicam soletis referre, & approbare in vestris scriptis, hanc regulam ex Magno Augustino debetis observare. *Inveniendus est textus clarus, qui nequeat aliter accipi. Vel afferenda est ratio tam certa, ut contradictio nulla existat.* Usque dum non observabitis hanc legem, *voluntariè* perseverabo in meis pluribus opinionibus, licèt sint minùs probabiles; nam ratio, & textus, qui probabiliori̇ter militant pro opposita, non sunt clari, & sine ulla contradictione, cum possint aliter se habere. Similia dixi cap. anteced. num. Hìc nota, hoc tempore esse de Fide ex Divo Thoma part. 1. quæst. 118. art. 2. quòd Anima rationalis *non traducatur cum semine.* Vide etiam Opuscul. 2. c. 73. Plurimis in locis Sanctus Doctor asserit Animam creari, quos brevitatis gratia relinquo, & quia res est certa apud Catholicos.

56. Objicies primò ex eodem Gonzalez num. 19. licèt voluntas inserviat, ut fundamenta alicujus Opinionis urgentiora appareant, quia facit, quòd intellectus vividiùs attendat ad illa, & minùs ad opposita, tamen supposita omni diligentia possibili circa illa fundamenta, si urgentiora appareant, nequit voluntas flectere intellectum ad partem oppositam; quia sic crederet esse unicè veram illam partem, quæ est minùs verisimilis; impossibile est autem, quòd absolutè credatur verum illud, quod minùs verisimile apparet.

57. Juxta principia Probabilistarum argumentum supponit id, quod est probandum; supponit scilicet, quòd assensus opinativus sit judicium absolutum de veritate rei à parte rei; hoc autem negant ipsi. Dicunt insuper, illud, quòd minùs verisimile apparet, judicari esse verum, *sed probabiliter*; minùs enim verisimile habet fundamenta, quæ continentur intra lineam Probabilitatis, sicut fundamenta partis magis verisimilis, cum sola differentia Graduum: differentia autem graduum, ut sciunt Philosophi, non variat res specificè; quando verò causæ differunt penes magis, & minùs causant effectus non specie diversos, sed tantùm *Gradualiter*; ergo fundamenta magis, & minùs verisimilia non debent causare cognitiones specie diversas; ergo utraque cognitio debet esse probabilis; ex eo autem, quòd una sit probabilior, de necessitate non infert falsitatem in opposita, ut dicebam; ergo etiam supposita Probabilioritate unius partis, potest judicari *vera*, probabiliter tamen, pars opposita.

58. Objicies secundò ex eodem n. 18. si intellectus posset ex voluntatis imperio flecti ad amplectendam ut veram eam sententiam, quam ipse exercitè, & signatè judicat esse minùs verisimilem opposita, posset quis hunc actum habere: Quamvis ego evidenter experiar majora, & validiora fundamenta

ad judicandum contractum A. esse peccaminosum, quàm ad judicandum oppositum; *nihilominus censeo contractum non esse peccaminosum*, & hanc partem, *ut unicè veram amplector*, & oppositam rejicio ut falsam. Quis autem non videat eum actum omnino repugnare, sicut repugnat iste: quamvis ego videam, hunc colorem esse magis similem Albo, quàm nigro; nihilominus judico esse nigrum, & non album. Et quis non rideret Magistrum, qui defendens aliquam conclusionem ut veram; v. g. quòd Deus cognoscat futura libera in Decreto prædeterminandi causam secundam; Cæterum nihilominus censeo fundamenta sententiæ oppositæ, asserentis cognosci independenter à Decreto, esse validiora; & urgentiora, & ita mihi repræsentantur in actu primo. Ridiculus haberetur, qui ita pronunciaret, & non posset defendere suam sententiam, & oppositam impugnare, nisi ore tenus, non autem seriò, & ex Animo. Quis enim ex animo præferat alteri sententiam, cujus fundamenta apud ipsum minoris sunt momenti? Ita Gonzalez, qui alia affert ibidem, quæ tamen sunt ejusdem rationis.

59. Meo judicio illud, quod non potest credere Pater Gonzalez, credunt Probabilistæ; ipsi enim expresfsè dicunt, nos posse sequi in praxi opinionem minùs probabilem relicta probabiliori. Credunt ergo esse veram partem minùs probabilem; nam, si falsam judicarent, illam non possent sequi. Ergo Probabilistæ præferunt opinionem minùs probabilem; & sic habentem fundamenta minùs urgentia, opinioni probabiliori; & sic habenti fundamenta urgentiora. Igitur id, quod nequit credere Pater Gonzalez, Probabilistæ credunt.

60. Præterea quis sustinet dictum Magni Alberti, & docet opinionem oppositam; hic certè, dum sustinet dictum Alberti, præfert opinionem minùs probabilem Probabiliori. Hoc fecit Divus Thomas, ut expendi num. 39. Richardus dat mihi expresfsè licentiam sequendi opinionem oppositam *Probabiliori*, & opinionem contrariam illi, *quæ magis est consona textui Canonico*; Ergo Richardus dat mihi licentiam præferendi opinionem, habentem fundamenta minùs urgentia, opinioni habenti urgentiora fundamenta: Opinio enim probabilior, & opinio magis consona textui Canonico habent fundamenta urgentiora.

61. Respondetur igitur, si quis judicet vel *certò*, vel *probabiliориter* ut veram illam partem, quæ habet contra se fundamenta urgentiora, procul dubio hic haberet actum repugnantem, ut est evidens; si quis verò judicet ut *probabiliter veram* illam partem; quæ habet quidem fundamenta gravia pro se, habet tamen fundamenta graviora contra se; hic non haberet actum repugnantem; & hæc est ipsa doctrina Probabilistarum: & si Pater Gonzalez credit, esse actum repugnantem, debet afferre fundamenta hujus suæ credulitatis. Ratio hujus distinctionis est, quia omnis cognitio, quæ dicitur vera, vel est de objecto necessario, vel contingenti, ut liquet ex dictis; si de necessario; ergo fundamenta opposita, nedum non sunt urgentiora, sed nullius sunt roboris. Si de contingenti, tunc hoc objectum ex se non est sufficiens, ut cogat intellectum, sed requirit electionem quandam *voluntariè* declinantem in unam partem magis, quàm in aliam ex Divo Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 4. toties allato. Ex alia parte de objecto contingenti possunt dari rationes graves pro utraque parte, & urgentiores pro una. Voluntas non se jungit cum urgentioribus; ergo non datur assensus de parte probabiliori; voluntas autem se jungit cum parte opposita; & sic tunc datur objectum, movens quidem graviter, sed minùs, quàm oppositum; movet, inquam, graviter, *sed insufficienter*; & datur electio quædam voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam; ergo dantur omnia, quæ requirit Divus

Thomas

Thomas, ut habeatur assensus ille, qui *est opinio*; & tamen est de objecto minùs probabili.

62. Eadem distinctione satisfit aliis, quæ subdit Pater Gonzalez. Igitur non implicat, quòd fundamenta ex sua natura gravia, sed gradualiter minùs, quàm opposita, producant suum actum, & non opposita; & ratio est evidens, quia ad productionem obscurorum actuum requiritur electio voluntaria ex Divo Thoma; voluntas verò, cum sit libera, potest se jungere, cui vult; ergo fundamenta minùs urgentia possunt habere determinativum proximum ad actum producendum, & non motiva urgentiora, & sic illa producent suum actum, & non ista. Producent, inquam, suum actum, qui erit in linea Probabilitatis juxta naturam suorum fundamentorum, secundùm tamen gradualem intensionem, in qua sunt sua fundamenta. Relege primam nostram rationem.

63. Dices, fortius superat minus forte; ergo probabilius, utpotè fortius, superabit minus probabile. Tum quia minus probabile, qua tale, importat carentiam probabilioritatis; ergo si probabilioritas est in linea veritatis, minor probabilitas erit in linea falsitatis.

Respondetur ad primum, illud antecedens valere in causis physicis, & in causis objectivis valere in evidentibus, quæ necessariò movent potentiam, non verò in obscuris, quæ necessariò non movent potentiam; & sic unum non producit effectum ante aliud: & sic quoad actum secundum non se superant. Nec se superant quoad actum primum, quia in sensu composito ad objectum probabilius datur objectum oppositum, quod est in linea probabilitatis, ut patet ex dictis. Ad secundum, si argumentum urget, probat, minus calidum non esse in linea calidi, & universaliter qualitatem remissam non esse ejusdem naturæ cum intensa, quod est contra Philosophos. Igitur Probabilioritas, qua talis, non importat lineam entis, sed gradum juxta Philosophos; hinc minùs Probabile, qua tale, importat carentiam Graduum Probabilioritatis, non verò carentiam lineæ entis, quam dicit Probabilioritas; & sic nec excludit veritatem; & sic non est in linea falsitatis. Lege caput sequens, quia invenies aliqua pertinentia ad materiam hujus capitis, sed præcipuè quæst. 3.

CAPUT VI.

De Dubio, & Suspicione.

1 CUm in dubiis tutior pars sit eligenda juxta Sacros Canones c. ad audientiam, c. significasti el. 2. c. petitio de homicid. c. juvenis de Sponsal. & Clement. §. *nos itaque.* de verbor. signific. hinc sedulò incumbendum est in tradenda definitione Dubii; sic enim cognita natura ejus, facilè poterimus inferre in particulari, quando obliget regula illa: *In Dubiis tutior pars est eligenda.* Doctrina hujus capitis maximè spectat ad hunc Tractatum; quia Probabilioristæ confundunt Dubium cum Formidine, quæ spectat ad Probabilitatem; unde sæpius contendunt allegatum axioma valere etiam in Probabilibus, quod est alienum à veritate

2. Joannes Nider consolat. timor. conscien. part. 3. c. 1. Et Divus Antoninus 3 part. tit. 3. c. 10. § 9. definiunt Dubium, quod sit interminatus motus rationis super utramque partem contradictionis *per æqualia media.* Angelus. V. *Dubium.* ait: Dubium secundùm Isidorum &c. est motus indifferens in utramque partem contradictionis. Vel dic, quòd Dubium est rationum contrariarum æqualitas secundùm Philosophum. Has duas definitiones amplectuntur Sylvester. V. *Dubium.* n. 1. & Tabiena. V. *Dubitatio.* n. 1. Silvest. subdit: Unde propriè homo dubitat de aliquo, quando habet rationes ad utramque partem æqualiter, aut quasi æqualiter

sive moventes. Fumus. V. *Dubitatio.* ait: Dubitatio provenit ex eo, quòd quis ad utramque partem rationes habet; ideò non determinat se ad unam partem secundùm Divum Thomam in 3. dist. 17. art ult. Sylvester quoque ait, secundam definitionem esse juxta Divum Thomam ibidem. Supplementum Pisanellæ. V. *Confessor.* 2. § ult. ait, quando aliquis non habet aliquam rationem, quare magis debeat adhærere opinioni unius, quàm alterius, remanet in Dubio.

3. Albertus tom. 19. qui est *Summa de Creaturis,* part. 2. tract. 1. quæst. 51. art. 1. fin. distinguit Dubium ab Ambiguitate, & utramque definiens ait: Dubitatio est interminatus motus rationis super utramque partem contradictionis. Ambiguitas autem est motus rationis ambiens utramque partem contradictionis *per æqualia media.* Definitionem eandem dubitationis habet in 3. dist. 17. art. 8. Hic vides Divum Antoninum, & Nider definitionem Dubii composuisse partim ex definitione Dubii, & Ambiguitatis, quas tradidit Magnus Albertus.

Hæc definitio Opinionis, quòd sit interminatus motus rationis *per æqualia media,* vel quòd sit contrariarum rationum æqualitas, nec est juxta Divum Thomam, ut dicitur, nec secundùm Aristotelem, ut pariter affirmatur.

4. Legamus Divum Thomam loco citato in 3. dist. 17. art ult. Dubitatio, inquit ipse, dupliciter dicitur; Primò enim, & principaliter signat motum rationis supra utraque parte contradictionis cum formidine determinandi. Secundò translatum fuit &c. Hic non lego rationum æqualitatem. Nec potest dici, argui æqualitatem rationum ex illis particulis, *cum formidine determinandi*, cum formido sit proprietas rationum probabilium; Nam Divus Thomas quæst. 14. art. 1. scribit: Intellectus noster possibilis respectu partium contradictionis se habet diversimodè; quandoque enim non inclinatur magis ad unum, quàm ad aliud, vel *propter defectum moventium*, sicut in illis problematibus, *de quibus rationes non habemus;* vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem; *& ista est dubitantis dispositio.* Ecce clarus textus, in quo Angelicus Doctor admittit Dubium accidere in duobus casibus. Primò, *propter defectum moventium*, sicut in illis problematibus, *de quibus rationes non habemus.* Secundò, *vel propter apparentem æqualitatem.* Ergo juxta claram mentem Divi Thomæ Dubium nequit definiri, quòd sit *æqualitas rationum;* quia sic definitio non competeret omni definito, quod est contra omnem Philosophiam; & ex definito non valeret consequentia ad definitionem, quod pariter est contra Philosophiam, & contra l. 1. ff. *de dolo malo.* Ego subdo, qui nullam rationem habet pro aliqua parte, in neutram partem inclinat, ut est evidens; ergo tunc datur propriè dubitatio juxta Doctorem Angelicum. Ergo sine æqualitate rationum datur dubitatio propriè sumpta. Et nota, quòd in textu ex quæst. 14. de verit. primo loco posuit *deficientiam moventium* causare dubitationem, ut denotaret, hanc esse principalem causam dubitationis.

5. Hæc quoque definitio non est juxta Aristotelem, imò est contra ipsum expressè, qui 6. topic. c. 2. tex. 19. ait: Similiter autem & dubitationis videbitur effectivum esse contrariarum æqualitas ratiocinationum, quandocunque enim ad utraque ratiocinantibus nobis similiter videntur omnia secundùm utrumque fieri, dubitabimus, utrum agamus. Ecce expressè Philosophus asserit, æqualitatem rationum contrariarum esse *effectivum dubitationis*; ergo Dubium non est æqualitas rationum, quia definitum est quidem ejus causa intrinseca, & formalis, non verò extrinseca, & effectiva. Lege Philosophum, & Averroem, & Patrem Maurum hunc textum explicantes, & videbis, Aristotelem illam definitionem Dubitationis rejicere, ut malam; unde

de nescio ; quomodo Angelus illam tradiderit tanquam de mente Philosophi.

6. Hæc quoque definitio est contra rationem aperte, nam proprie, & in rigore dubitamus, num grana arenæ sint paria, vel disparia, & tamen nedum æqualitatem rationum non habemus, sed nec levem. Item, ut dicebat Angelicus, in illis Problematibus, de quibus rationes non habemus, verè, & propriè dubitamus; siquidem Aristot. 3. metaphyc. c. 1. tex. 3. dicit, Dubitationem ita se habere ad procedendum in via intelligibili, sicut vinculum in corpore ad deambulandum in via materiali; sicut enim per vinculum impeditur corpus, ne progrediatur ulterius; sic dubitatio impedit mentem, ne viam veritatis percurrat; patet autem, tunc maximè impediri mentem à veri via, quando nullum argumentum habet; cum argumentum sit medium ad acquirendam veritatem; ergo, quando nullum argumentum habemus, tunc maximè dubitamus. Paritatem vinculi amplectitur D. Thomas in explic. hujus text.

7. Dices, parùm refert, an æqualitas rationum sit ipsa dubitatio, an causa ejusdem; semper enim sequitur, quòd dubitatio habeat secum annexam talem æqualitatem rationum, ex quo ulteriùs sequitur, quòd intellectus inter duas opiniones æqualiter probabiles remaneat dubius, ut contendunt Probabilioristæ, & præcipuè Vendrochius in not. 1. Epist. 5. sect. 4. §. 3.

Sed contra, imo multum refert; quandoquidem ejusdem effectùs possunt esse plura effectiva, non verò ejusdem definiti plures definitiones. Sic lux causatur & à Sole, & ab igne, & à Deo. Lux tamen unicam definitionem habet. Sic valet inevitabiliter consequentia à definito ad definitionem, ut dicebam; hinc, si Petrus est homo, necesse est esse animal rationale; non tamen bene argueris: Petrus calefit hìc: ergo adest ignis hìc. Primum argumentum est adeo verum, ut impossibile metaphysicè sit esse falsum. Ab effectivo verò ad effectum, & è contra multoties non valet consequentia, quia, & causa efficiens habet plures effectus, & idem effectus habet plures causas: & sic non valet consequentia ab uno ad aliud determinatè; tum quia causa effectiva pluries impeditur ad suum effectum producendum ab alia causa, & sic accidit in casu nostro: Nam in obscuris intellectus subordinatur imperio voluntatis, & ab ipsa determinatur quoad exercitium; & sic saltem physicè voluntas potest flectere intellectum existentem inter æquales rationes, ut uni adhæreat; & sic ratio unius partis producet suum effectum: & sic tollitur Dubium. Quòd si æqualitas rationum esset formaliter ipsum Dubium, impossibile esset metaphysicè dari talem æqualitatem, & non dari Dubium, quia data definitione metaphysicè datur definitum.

8. Instat Vendrochius ibidem, & ait, quòd cœca illa dubitatio, ubi nil utrimque rationis affulget, placida quodammodo est, *& ignorantiæ, quam dubitationi vicinior.* At qui æqualem utrimque lucem aspicit, nec veram à fallaci valet internoscere, hic propriè æstuat, angitur, & sensum longè acriorem habet dubitationis suæ. Subdit Vendrochius. Et pulchrè Terentius Hegionem auditis variantibus amicorum sententiis ita loquentem inducit: *Bene fecistis; incertior sum multò ante quàm antea.*

9. Nunc vellem scire, an Divus Thomas, qui clarè sustinet utramque partem contradictionis in quæstione de Creatione Mundi, quàm adeo longam instituit, incertior fuerit post adeo longum studium, an verò antea. Si primum, ergo Divus Thomas in vanum laboravit; si secundum, jam habeo intentum. Idem quæro de Richardo, & de aliis Antiquis, qui relatis diversis sententiis cum suis fundamentis concludunt, *elige, quam volueris.* Præterea hi Doctores de opinionibus, de quibus nullam rationem habebant, non dabant libertatem eligendi aliquam ex pluribus: ergo

ergo hi Doctores post inventas æquales rationes pro opinionibus, si dabant hanc libertatem, procul dubio non erant adeo incerti, sicut antea. Tum quia Major dicit expressè, quòd teste experientia, licèt non possimus assentire propositioni inevidenti sine ratione, tamen cum motivis aqualibus, quantum est de se, possumus *ex passione animi* uni parti assentire. Certè Major evidenter opponitur cum doctrina allata Vendrochii. Quia autem cuique in propria arte credendum est, arg. l. un. ff. *de inspic. ventre*; & cognitio de Dubio pertineat ad Philosophum, & Theologum, non verò ad Poetam; hinc relinquam Terentium, & cum Terentio Vendrochium, & adhærebo Majori tanquam magno Philosopho, & Theologo.

10. Nunc autem probo evidenter, quòd *illa cæca dubitatio* sit vicinior dubitationi, quàm ignorantiæ. Deberet sufficere textus ille ex quæst. 14. de verit. art. 1. Divi Thomæ, in quo clarè dicit, *Dubitantis* dispositionem reperiri *vel propter defectum rationum*, *vel propter æqualitatem apparentem earum*; & præcipue, ut dicebam, quia primo loco posuit carentiam rationum, quasi esset prima, & principalis causa *Dubitandi*. Tum quia ille propriè est ignorans, qui dicit nescientiam eorum, quæ quis scire potest, & tenetur ex Divo Thoma part. 1. quæst. 101. art. 1. ad 2. 1. 2. quæst. 76. art. 2. quæst. 3. *de Malo*, art. 7. & alibi. Porrò hæc nescientia est carentia scientiæ debitæ; hinc ille maximè nescit, qui nullam cogitationem, & actum intellectus habet: nam scientia est conclusio, & sic tertia operatio intellectiva; ergo ille maximè erit ignorans, qui nullam operationem intellectivam habet. Ex alia parte dubitatio importat aliquem actum intellectus: cum dubitans fluctuet inter duas partes ex Divo Thoma de verit. & 2. 2. quæst. 2. art. 1. dicit: dubitantem habere *cogitationem informem in neutram partem inclinantem*. Porrò ille, qui dubitat, quia non habet aliquam rationem, hic certe habet aliquem actum: habet enim cogitationem informem, & neutri parti inclinat; ergo noster dubitans maximè accedit verè dubitanti, & elongatur maximè ab ignorante, quia hic nullum actum habet. Breviùs: ignorantia maxima nullum actum importat. Dubitatio propriè dicta importat aliquem actum. Noster dubitans habet aliquem actum intellectivum: ergo noster dubitans magis accedit Dubitationi, quàm ignorantiæ.

11. Præterea ex Aristot. 3. metaphys. c. 1. num. 1. & Divo Thoma ibidem dicitur: quærens scientiam aggreditur primùm, *de quibus dubitare primùm oportet*. Ergo Dubitatio est primus gradus in via ad habendam scientiam. Ignorantia ex alia parte non est gradus ad habendam scientiam, imò est ejus oppositum. Sed illa cæca dubitatio, de qua loquimur, est primus gradus ad habendam scientiam, quia importat apprehensionem terminorum, & primus gradus scientiæ est apprehensio terminorum scientiæ; ergo illa *cæca dubitatio* magis participat de dubitatione, quàm de ignorantia; & sic erit vicinior Dubio, quàm ignorantiæ.

12. Quòd verò magis æstuet, fluctuet, & magis dubitet, qui habet illam cæcam dubitationem, quàm habens æquales rationes, probatur, quia ille magis distat à solutione Dubii, quam iste. Audiamus Divum Thomam ubi suprà litt. B. Dubitatio de aliqua re eodem modo se habet ad mentem, sicut vinculum corporale ad corpus, & eundem effectum demonstrat; inquantùm enim aliquis dubitat, intantùm patitur aliquid simile his, qui sunt strictè ligati. Sicut enim ille, qui habet pedes ligatos, non potest in anteriora procedere secundùm viam corporalem, ita ille, qui dubitat quasi habens mentem ligatam, non potest ad anteriora procedere secundùm viam speculationis. Et ideo, sicut ille, qui vult solvere vinculum corporale, oportet

tet, quòd priùs inspiciat vinculum, & modum ligationis; ita ille, qui vult solvere dubitationem, oportet, quòd priùs speculetur omnes difficultates, & earum causas. Sic Doctor Angelicus. Ecce per Divum Thomam, ut habeatur veritas, oportet, *priùs speculari omnes difficultates*, ad illas solvendas, quibus solutis veritas acquiratur. Ergo, qui nullas rationes habet, magis distat à veritate illo, qui habet rationes pro utraque parte; & sic magis angitur, & fluctuat. Si enim intellectus quiescit acquisito fine suo, qui est veritas, maximè erit inquietus, fluctuabit, & angetur, quo remotior erit à suo fine.

13. Confirmatur ex ipsa ratione Vendrochii. Intantùm intellectus *angitur*, & *astuat*, inquantùm nequit internoscere, quænam sit lux vera, dum æqualem utrimque aspicit; sed habens illam cœcam dubitationem multò magis nequit veram lucem aspicere; ergo hic multò magis *astuat*, & *angitur*. Minor probatur, quia, ut aspiciatur vera lux, hoc est, ut attingatur veritas, ex Divo Thoma, & Aristot. ubi suprà requiritur, quòd *priùs speculemur omnes difficultates*, & *earum causas*; ergo non habens has difficultates, & earum causas multò magis nequit internoscere, quænam sit veritas, quàm ille, qui habet has difficultates, & causas; patet autem quòd ille, qui nullam rationem habet, non habeat has difficultates, & causas, bene verò ille, qui æquales rationes habet pro utraque parte: sic enim iste aspicit ligamen, quo tenetur, ne progrediatur ulteriùs in viam speculationis: ille verò nullum ligamen aspicit. Relege textum Divi Thomæ, & Aristotelem ibidem. Lege etiam Maurum in explicatione hujus loci Aristotelis.

14. Sed res postulat, ut subjiciam alias definitiones Dubitationis, quas ex Antiquis potui colligere, ex hoc enim, & fiet manifestum, quid sit Dubitatio juxta Antiquos, & quòd illa cœca dubitatio Vendrochii sit dubitationi, quàm ignorantiæ vicinior. Alensis part. 2. quæst. 118. membr. 1. art. 4. dicit, *dubium quantum est de se, in neutram partem inclinare*. Divus Bonaventura in 3. distinct. 17. in explic. litt. dub. 3 scribit: *Dubitatio propriè dicit indifferentiam judicii rationis respectu utriusque partis contradictionis, ita quòd neutrum praeligat alteri*. Durandus in 3. dist. 17. quæst. 2. num. 10. hæc habet: *Notandum est, quòd dubitatio primò, & principaliter significat motum rationis super utramque partem contradictionis cum formidine determinandi alteram*. Iisdem verbis explicat dubitationem Paludanus in 3. dist. 17. quæst. 2. fin. hæc definitio est eadem, quam habet D. Thomas relatus num. 4.

15. Parisiensis de Fide c. 1. columna 6. scribit: *Dubitatio non est, nisi mutatio ipsius* (idest intellectus) *qua nunc in alteram partem contradictionis, nunc in alteram partem inclinatur*. Altisiodorensis in 2. tract. 30. c. 3 quæst. 1. ait: quòd non inter affirmationem, & negationem titubat, non est suspicio, sed judicium, quia tantùm in alteram partem vergit. *Item si non magis in alteram vergat, non est suspicio, sed pura dubitatio*. Ad hoc ut opinio sit suspicio duo concurrunt, scilicet ut & opinio titubet, & non per firmas conjecturas magis vergat in alteram. Judicium verò est post controversiam deliberationis sententia firma, & certa.

16. Scotus in 3. dist. 39. §. *universaliter*. dicit: universaliter autem, sive in favoribus, sive in odiis jurans de illo, cujus oppositum magis credit, vel de illo, de quo est dubius, id est, *quod non magis assentit uni parti, quàm alteri*, peccat mortaliter. Rosella. V. Confessio. 1. num. 12. ait: dubitare propriè dicitur, quando quis ad aliquam rem quoad assensum est indifferens, & in æquilibri, ita quòd non magis moveatur ad unam partem, quàm ad aliam.

17. Omnes istæ definitiones verificantur de illa cœca dubitatione, nisi fortè excipias illas ex Parisiensi, & Scoto

Scoto allatas. Explico exemplo: quæritur, an grana arenæ sint paria, vel disparia. Intellectus conatur invenire rationes pro utraque parte, & nullam pro alterutra reperit; hinc habetur illa dubitatio, quam cœcam Vendrochius appellat, & quam asserit esse viciniorem Ignorantiæ, quàm Dubitationi. Intellectus ergo in hoc casu habet motum super utramque partem contradictionis, quia utramque partem cogitat utramque apprehendendo per primam operationem intellectivam; nec unam alteri prælegit; & sic verificatur definitio Divi Bonaventuræ, & etiam illa Alberti Magni allata num. 3. Insuper *formidat alteram determinandi*, quia non habet rationem pro determinatione alterutrius; & sic verificantur definitiones Durandi, Paludani, & Beati Thomæ juxta doctrinam ex 3. distinct. 17. art. ultim. relatum num. 4. Item nec vergit ad unam, aut ad aliam, atque ideo verificatur definitio Altisiodorensis. Definitio verò Alensis manifestè liquet, quod verificetur, sicut illa Rosellæ.

18. An verificetur definitio Parisiensis, nescio: quia nequeo percipere, quid intelligat per ly, *Inclinatur*. Si significet secundam intellectùs operationem, unde dicat, tunc intellectum dubitare, quando modò assentit, rem ita se habere, postea dissentit; tunc certè non verificatur, ut liquet.

At definitio sic accepta non bene explicat Dubitationem: nam, quando assentit, *vel tenetur levi signo;* & sic hæc est dispositio *Suspicantis* juxta Divum Thomam 2. 2. quæst. 2. art. 1. & nemo potest negare. Vel tenetur gravi motivo, & urgenti; & sic hic actus erit potiùs opinio. Hoc idem inquiro, quando postea intellectus dissentit.

19. Potest dici, quòd, dum intellectus leviter motus assentit, postea statim ex alio levi motivo dissentit, potest, inquam dici, quòd hæc facilitas intellectùs transeundi ab assensu ad dissensum; & è contra, significetur à definitione Parisiensis, & quidem ego ita credo, voluisse significare dictum Authorem. Sed hæc quoque explicatio non debet approbari, quia dubitans est quid minùs in ordine ad veritatem, quàm Suspicans, ut colligitur ex Divo Thoma ibidem; ergo Dubium non componitur ex duplici suspicione. Tum quia ex Alensi, & ex communi consensu dubitatio in neutram partem inclinat; ergo qui declinat utrique parti, non dubitat. Hoc meliùs patebit quæst. 2.

20. Potest etiam dici, per illa verba significari, per motiva unius partis intellectum inclinari, idest, *allici ad illam*; modò per motiva alterius partis *allici ad aliam*, absque tamen affirmatione, & negatione. Si ita intelligit Author, tunc hæc definitio non verificatur de illa cœca dubitatione. Sed ipsi clarè opponitur Divus Thomas in tex ex quæst 14. de verit. art. 1. & ipsi etiam opponitur Irrefragabilis Alensis, ut speculanti ejus textum patebit, & etiam Rosella.

21. Circa definitionem Scoti observo, ibi tradere definitionem Dubii in casu de juramento præstando, in quo casu non opportebat dare definitionem de Dubio strictè accepto: eadem enim ratio erat & de Dubio strictè, ac largè accepto, tam enim ille peccat mortaliter, qui jurat de aliquo, quòd probabiliter existimat verum, & probabiliter judicat falsum æqualiter, ac ille, qui in neutram partem per secundam intellectus operationem tendit, quia non possumus vocare Deum in testem de re, quæ potest esse falsa.

22. Tum quia vel Doctor Subtilis intelligit, quòd intellectus neutri habeat assensum, & sic verificatur definitio Scoti de illa cœca dubitatione; vel intelligit, quòd utrique assentiatur: & tunc in rei veritate definitio Scoti non congruit illi cœcæ dubitationi; at hæc definitio maximè urget Adversarios dicentes, inter motiva æqualia intellectum remanere suspensum, & neutri parti assentiri.

23. Hinc jure inferes, illam cœcam dubi-

dubitationem esse adeo vicinam dubitationi, quantùm est vicina rei definitæ illa res; quæ habet definitionem definiti; & hinc dices, & esse viciniorem dubitationi, quàm ignorantiæ, & esse propriè dubitationem.

24. Quæres primò, an Formido, & Dubitatio sint idem. Apud Grammaticos certè accipiuntur pro eodem, sed apud Philosophos, & Theologos accipiuntur pro diversis; nam vidimus cap. secundo, & tertio Opinionem stare cum formidine, & in ordine ad ipsam definiri; Dubitatio autem est incompossibilis cum opinione, unde, qui opinatur, propriè non dubitat; hinc Divus Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 1. & quæst. 14. de verit. art. 1. clarè distinguit Opinionem, & Dubitationem.

25. Dices Sanctus Doctor in text. de verit. scribit: Intellectus *accipit quidem unam partem*, tamen semper dubitat de opposita; *& hæc est dispositio opinantis*. Et 2. 2. quæst. 1. art. 4. si assensus sit *cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio*.

Sed contra, quia Doctor Angelicus clarè in illo art. 4. asserit, opinionem importare assensum, & in text. de verit. clarè etiam fatetur, intellectum dubitantem non inclinare magis ad unam, quàm ad aliam, & hanc non inclinationem haberi, etiam in problematibus, *de quibus rationes non habemus*; & sic patet, quòd in dubitatione intellectus non assentit; quia assensus in obscuris haberi nequit sine ratione, ut patet clarè, & dicebam ex Majore: ergo dubitatio secundùm Divum Thomam excludit de sua ratione formali assensum intellectivum; & sic impossibile est, quòd de eodem quis opinetur, & dubitet; nec enim quis de eodem potest habere assensum, & suspendere assensum. Debemus ergo dicere, quòd in locis allatis Divus Thomas accipiat dubitationem non strictè, sed largè, pro timore scilicet, ne pars opposita sit vera; Hæc significatio est ipsa formalis formido, ut patet ex c. 3. quæst. 5. num. 77.

26. Quæres secundò, dato, quòd quis probabiliter assentiatur utrique parti, an hic propriè dubitaret.

Respondetur negativè: nam, quando Divus Thomas utramque probabiliter opinionem sustinuit in materia de Creatione Mundi, utique non fuit dubius. Tum quia dubitatio propriè accidit ex Divo Thoma de verit. art. 1. etiam in problematibus, *de quibus rationes non habemus*; & tunc certè neutri parti assentimus; ergo dubitatio formaliter sumpta stat sine assensu de aliqua parte. Tum quia, qui probabiliter utrique parti assentit, habet quid magis erga objectum, quàm ille, qui nulli parti assentit: ergo si secundus dubitat, non dubitat primus. Antecedens est evidens, quia assentiri probabiliter objecto importat secundam intellectûs operationem; secunda autem operatio plus attingit objectum, quàm prima operatio, cum qua stare potest Dubitatio propriè sumpta.

27. Præterea dubitatione non dicimus verum, aut falsum; ergo dubitatio non importat assensum, quo semper vel verum, aut falsum dicimus: Antecedens probatur ex Aristot. & Divo Thoma 3. metaphysic. lect. 1. princ. ubi dicitur, quòd dubitatio præcedit veritatis determinationem, & qui priùs determinarent veritatem, quàm dubitarent, *essent similes illis, qui, quonam ire oporteat, ignorarent*. Ergo si dubitatio præcedit veritatis determinationem, per dubitationem non dicimus verum, aut falsum.

28. Tum quia ex definitione dubitationis data à Divo Thoma, Durando, & Paludano habetur, quòd sit motus rationis super utramque partem *cum formidine determinandi alteram*; ergo in dubitatione nulla determinatio intervenit: ergo, quando datur determinatio ad utramque, tunc nulla datur dubitatio: consequentia liquet, quia gemina determinatio opponitur cum nulla determinatione. Porrò in nostro casu datur gemina determinatio intellectûs, quia datur geminus assensus;

ergo

ergo in nostro casu nulla datur dubitatio.

29. Dices: In hoc casu intellectus ita se habet ad veritatem , sicut ille , qui neutram eligit partem.

Sed contra , quia , qui nullam eligit partem , hic nec verum dicit , nec falsum , sicut facit , qui assentit utrique.

30. Replicabis. Hic fluctuat inter duas partes , sicut ille ; ergo uterque dubitat.

Sed contra , quia fluctuatio propria dubitationis est , quæ stat sine assensu ex Divo Thoma quæst. 14. de verit. art. 1. & est ante determinationem intellectivam , ut dixi num 27. hujusmodi autem fluctuatio non reperitur in nostro casu. Et certè Divus Thomas ob reverentiam Sanctorum sustinens utramque partem in difficultate de Creatione Mundi non fluctuabat dubitans , sed probabiliter constans navigabat æquor Theologicum.

31. Urgebis. Hic nescit veritatem , sicut ille : ergo uterque dubitat. Sed contra , explicetur ille terminus , *Nescit.* Vel significat incertitudinem rei , vel indeterminationem ad alterutram: si primum , concedimus: at non proinde hic dubitat , quia sic dubitaret opinans , cum etiam ipse non sit certus de re. Secundum negamus , quia probabiliter est determinatus ad utramque partem. Hic est maximè advertendum , ne terminos confundamus , aliud esse dubitationem , & incertitudinem , quæ est idem ac formido: suprà autem probavi evidenter dubitationem , & formidinem non esse idem. Tum quia omnis opinio , etiam Divi Augustini , Divi Thomæ &c. est incerta , nulla tamen est dubia. Est incerta , quia de ratione opinionis est , quòd possit aliter se haacre. Non est dubia , quia est regula bonæ operationis.

32. Quæres tertiò , an inter motiva æqualiter probabilia possit intervenire dubitatio.

Respondetur primò affirmativè , quia expressè Divus Thomas illa quæst. 14. de verit. art. 1. ait , dubitationem intervenire vel ob deficientiam rationum utriusque partis , vel *ob apparentem æqualitatem eorum* , quæ movent ad utramque partem. Tum quia quodl. 8. art. 13 scribit : *Sed tamen in quandam dubitationem inducitur* ex contrarietate opinionum ; *& sic , si manente tali dubitatione plures præbendas habet , periculo se committit , & peccat.....* aut ex contrariis opinionibus *in nullam dubitationem adducitur ; & sic non committit se discrimini , nec peccat.* Ecce *ex contrarietate opinionum inducitur quadam dubitatio* juxta Doctorem Angelicum.

Tum quia ex dictis proposito objecto obscuro intellectus , nisi aliud accedat , non assentitur eidem , nec assentietur: ergo in nostro casu nulli parti assentitur ; ergo fluctuat inter duas partes animi pendens , & indeterminatus.

33. Respondetur tamen secundò , non semper intellectum remanere dubium inter æqualia motiva existentem , sed aliquando assentiri uni parti.

Posset probari ex ultimis verbis Divi Thomæ ex illa quæst. de verit. *aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur;* ergo juxta Divum Thomam intellectus inter contrarias opiniones positus aliquando *in nullam dubitationem adducitur.* In rei veritate Cardenas part. 3. disp. 56. c. 17. art. 4. num. 944. existimat esse rem claram , per hæc verba probari , per Divum Thomam intellectum non esse semper Dubium inter motiva probabilia existentem.

34. Meo tamen judicio res non est ita clara , nam potest dici , quòd si una opinio sit minùs probabilis , alia verò probabilior , quòd tunc intellectus non sit dubius , sed sit determinatus , in actu primo tamen , ad partem probabiliorem : cum enim ille sit dubius , qui non habet modum acquirendi veritatem : jam habens motiva probabiliora habet modum acquirendi veritatem , quæ in hoc casu acquiri potest, probabilem scilicet. Assumptum

probatur ; quia probabilioritas est speciale motivum, per quod potiùs potest se determinare ad unam, quàm ad aliam partem. Tum quia ille est dubius, qui æqualiter se habet ad utramque partem: in dato autem casu intellectus, licèt sit in actu secundo suspensus ad utramque partem, tamen in actu primo magis propendet in unam partem, quàm in aliam: unde potest potiùs se determinare ad unam, quàm ad aliam partem.

35. Probatur ergo aliter nostra conclusio, quæ colligitur clarè ex dictis cap. antecedenti, in quo probavimus, voluntatem posse physicè flectere intellectum existentem inter motiva tum æqualia, tum inæqualia, etiam ad partem minùs probabilem: probatur, inquam sic. Intellectus cum non cogatur à ratione probabili, potest illam solvere: cum autem in exercitio dependeat in rebus obscuris à voluntate, ut dicebam, jam voluntas solvit rationes probabiles, quæ erant pro una opinione: solutis illis, restant in suo robore rationes pro alia parte; & sic voluntas potest flectere, saltem physicè, intellectum ad hanc aliam partem.

36. Hunc modum progrediendi intellectivum puto exercuisse magnum illum Antiquum Theologum, Richardum de Mediavilla. Retuli c. 4. num. 30. sæpissimè ita processisse in suis quæstionibus. Primò refert fundamenta pro utraque. Ecce intellectus habens rationes vel æquales, vel inæquales. Posteà subdit: *Qui vult tenere primam opinionem, potest respondere ad objecta.* Ecce clarè, & expressè docet modum determinandi intellectum existentem inter rationes æquales, vel inæquales; & hìc modus sistit in volitione defendendi unam opinionem, ex qua volitione intellectus actualiter movetur ad enervandas rationes oppositas, quibus solutis juxta Richardum defendet, & illam opinionem amplectetur, quam determinaverat voluntas. Si meus intellectus non me decipit, puto evidenter meam conclusionem deduci ex doctrina Richardi. Puto etiam deduci ex doctrina Divi Raymundi dantis licentiam nobis existentibus inter duas solemniores opiniones, (quamvis una esset aliquatenus tutior) sic nos determinandi: *Elige, quam volueris.* Lege cap. 4. num. 12. & ibi invenies Divum Hieronymum retulisse diversas explanationes juxta communem consuetudinem, *ut unusquisque eligat, quod velit.* Scotus etiam semel sequutus est modum determinandi Richardi, ut patet cap. ant num. 34.

37. Hic subdo textum ex Divo Bonaventura, & Durando. Primus habetur in 4. dist. 38. art. 2. quæst. 3 & scribit: *Quænam istarum trium opinionum* (circam illam difficultatem, an Summus Pontifex possit dispensare in voto) *sit verior; fateor me nescire, & satis potest qualibet sustineri: & ideo nullam assero.* Dicebam suprà, & intrà demonstrabo, per *Assertionem* Antiquos intellexisse cognitionem certam.

Igitur per Doctorem Seraphicùm quælibet ex his tribus opinionibus *satis potest sustineri*; ergo est in mea potestate sustinere unam ex illis; ergo, licèt sim inter opiniones satis sustinibiles, *& sic satis probabiles*, possum me determinare ad unam sustinendam. Si autem unam sustines, utique illi assensum præbes. Illæ tres opiniones erant: Prima, quòd Papa possit dispensare omnia vota. Secunda excipiebat votum continentiæ, & tertia excipit tria vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ. Nota illam causalem: *& ideo*; cum enim dicat, illas tres opiniones esse sustinibiles; hinc rectè infert, *ideo nullam assero*; quia assertio est de re certa, non de opinabili, & propter hoc Divus Bernardus scripsit opinionem esse temerariam, si sit cum assertione.

38 Secundus habetur in 4. dist. 15. quæst. 11. num. 9. & est talis: Istud autem, *& si sit probabiliter dictum* (quod in qualibet comestione in die jejunii frangatur jejunium, & sic novum peccatum

catum committatur) *videtur tamen multum durum ; & ideo aliter dici potest , & mitius.* Igitur ego constitutus inter æquales probabilitates video unam esse *multùm duram.* Quid faciam? sequar exemplum Antiqui Durandi , & dicam: *ideo aliter dici potest , & mitius* , & amplectar opinionem benignam , probabilem tamen. Et jure sequar exemplum Durandi , nam c. *de quibus.* 20. dist. juncta Glosſ. V. *Exempla.* possumus decidere quæstiones , quando jus in illa difficultate non invenitur expressum , juxta exempla. Nec dicas , Durandum credidisse opinionem rigidam esse minùs probabilem; nam sicut opinionem , quam sequitur , vocavit , *mitiorem* , quæ ratio per Adversarios potiùs movet , ad relinquendam opinionem , quàm ad sequendam ; ita si benignam opinionem credidisset , esse probabiliorem , vocaret illam probabiliorem , & oppositam non dixisset absolutè esse *Probabilem* , sed addidisset ly *Minùs* ; Illa enim ratio est motivum sequendi opiniones : hæc verò deserendi. Tum quia per Adversarios Durities , & Rigiditas non est motivum discedendi ab opinione , sed sequendi illam : unde volunt nos teneri ad sequendam rigidam , quando sumus inter æquales. Minor verò Probabilitas per ipsos est motivum retrahens intellectum ab opinione. Si ergo opinio rigida erat minùs probabilis , Durandus debebat tacere Rigiditatem , & referre Minorem Probabilitatem. Sed oppositum facit Durandus ; & sic clarè Durandus opponitur cum Adversariis , vel in puncto de Rigiditate fugienda , vel quòd illa opinio rigida fuerit minùs Probabilis. Sed si velimus loqui candidè , in utroque opponitur ; nam sic Durandus propriè loquutus fuisset ; cum enim utraque opinio absolutè vocatur probabilis , intelligitur de æquali probabilitate , quia verò in argumentis nihil ponitur superfluè , ergo ly , *multum durum* , positum in antecedenti à Durando debet aliquid operari ; ergo est causa ex qua provenit illa cautalitas , *& ideo aliter dici potest.* Igitur juxta Durandum *æqualis Probabilitas multùm dura* movit ipsum ad relinquendam opinionem , & sic ad aliam amplectendam.

39. Tum quia Adversarii dicunt , quoties Antiqui utuntur hoc nomine , *Probabilitas* , toties intelligere de *Probabilioritate* ; ergo dum Durandus dixit , *hoc est probabiliter dictum , sed multùm durum* , & deferit hoc dictum , deserit opinionem probabiliorem *ob suam duritiem nimiam* ; ergo intellectus existens inter motiva probabiliora , *sed multùm dura* , & motiva minùs probabilia , *sed multùm mitia* , poterit relinquere Dubium , & se determinare ad partem *minùs probabilem* multùm mitem , & hoc est , quòd unicè volunt Probabilistæ.

40. Dices ex Vendrochio not. 1. Epistol. 5. sect. 4. §. 3. *Si quis ab homine hoc in statu constituto* (scilicet inter æquales rationes) *quæsierit , quænam illarum sententiarum sit vera , si verè respondere voluerit ; ingenuè fatebitur , nescire se , incertum esse , dubitare.* Si ergo nescit , si est incertus , si dubitat , nequit se determinare , & uni parti assentire.

41. Respondetur primò , etiam opinantem nescire rem , & esse incertum , quia solùm per scientiam rem scimus , & sumus certi. Insuper , si nihil aliud accedat , intellectus existens inter probabiles rationes est etiam dubius , at si accedat voluntas , *qui vult tenere primam opinionem* , inquiunt Richardus , & Scotus , tunc potest solvere objecta contraria , quibus solutis , est liber sustinendi primam opinionem , & sic amplius non est dubius , sed probabiliter cognoscens objectum.

42. Respondetur secundò juxta Durandi exemplum , intellectus existens inter rationes probabiles æqualiter est dubius , si habeatur respectus præcisè ad *æqualem probabilitatem* ; si habeatur verò respectus ad duritiem , & benignitatem illarum , non est dubius , nam ipse relinquit *probabiliter dictum* , quia erat multùm durum. Hæc doctrina

Durandi erat valdè communis apud Antiquos, qui dicebant inter duram, & benignam opinionem, *cæteris paribus*, esse eligendam benignam *in Præceptis Dei, & Ecclesiæ*, de quo puncto satis dicam in quæstione, an liceat sequi quamlibet opinionem inter plures æqualiter probabiles.

43. Instabis ex eodem Vendrochio, & aliis Probabilioristis. Libra si habet æquale pondus in utraque lance, stat in æquilibrio, sicut stabat, quando nullum pondus habebat, & impossibile est, quòd in aliquam partem inclinet; ergo etiam intellectus habens æquale pondus rationis stabit æquiliber, & impossibile erit, quòd in aliquam inclinet, sicut impossibile est, quòd intellectus inclinet in aliquam partem, si nullam rationem habet; & paritas maximè currit, quia tam intellectus, quàm libra sunt potentiæ necessariæ. Mirum, quantùm Adversarii sibi complaceant de hoc argumento.

44. Sed respondetur facillimè cum Divo Thoma 1.2. quæst. 17. art. 6 quem retuli cap. 4. num. 13. Intellectum dupliciter moveri, primò naturaliter, ut accidit in cognitione primorum principiorum, *quorum assensus, vel dissensus non est in potestate nostra, sed in ordine naturæ*; & ideo propriè loquendo, *naturæ imperio subjacet*. Secundò movetur à talibus objectis, *quæ non adeo convincunt intellectum, quin assentire possit*, vel dissentire, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam: *& in talibus assensus ipse, vel dissensus est in potestate nostra, & imperio subjacet*. Hinc dicimus intellectum in motu naturali assimilari libræ, quæ naturaliter movetur: in motu verò, *qui est in nostra potestate*, non assimilari Libræ, quæ non habet motum dependentem à nostra potestate.

45. Confirmatur hæc disparitas. Posito minimo pondere in una ex lancibus statera movetur absque alio adminiculo; posito infinito objecto in intellectu, obscurè tamen, si tamen non accedat voluntas, intellectus nullum actum elicit, quia ex Augustino tom. 4. 26. in Joann. super illa verba, *nemo potest venire*, dicitur: *quòd cætera potest homo nolens, credere non potest nisi volens*. Hunc textum refert, & approbat Divus Thomas quæst. illa 14. de verit. art. 1. de quo cap. 4. Ergo intellectus in suis motibus non semper assimilatur Libræ.

46. Respondetur secundò assignando aliàm disparitatem: nam intellectus habet virtutem dissolvendi rationes, quando sunt probabiles, cum ab illis non convincatur; dissolutis autem rationibus unius partis, tunc intellectus inclinat in aliam partem propter suas rationes; hinc Richardus volentem sustinere unam ex opinionibus probabilibus docebat modum solvendi objecta opposita. *Qui vult tenere primam opinionem, potest respondere ad opposita &c.* E' contra Libra non habet virtutem minuendi pondus alterutrius lancis, & sic semper stabit immota.

47. Respondetur tertiò ex doctrina Durandi; nam juxta ipsum intellectus inter æquales rationes positus potest se determinare, si illæ rationes sint diversæ *in duritie, & benignitate*; hinc potest intellectus relinquere opinionem probabilem, & alteri adhærere probabili, si tamen illa sit *multùm dura*, & hæc sit *mitior*.

48. Urgebis. Est contra rationem, quòd voluntas applicet intellectum ad solvendas rationes hujus partis, & non illius, cum sint æquales.

Sed contra: nam exemplum Richardi, & Scoti dicentium, *qui vult tenere primam opinionem, ad objecta potest dicere*, clarè demonstrat assumptum esse falsum. Quòd verò illæ rationes sint æquales, sequitur solùm, quòd æquè æqualiter moveant, non verò, quòd una nequeat solvi ante aliam.

49. Reurgebis. Dum solvitur ratio pro hac opinione, solvitur simul ratio pro altera opinione; sicut, si adsit unus testis de visu ad probandum Petrum occidisse Paulum, & adsit alter testis de

visu,

visu, qui diceret Titium occidisse Paulum, & nullum alium interfuisse illi homicidio, si quis vellet infirmare unum ex his testibus, qui supponuntur æquales quoad conditiones, infirmaret & alterum; unde v.g. si diceret, non credo Petro ex eo, quia, cum sit homo, potest dicere falsum: certè hic infirmaret etiam testimonium Titii, cum sit ipse quoque homo, & homo æqualis conditionis. Idem à pari dicendum est in nostro casu.

50. Cardenas in sua Crisi Theologica part. 1. disput 6. c. 6 art 2. num. 100. & par. 3. disp. 56. c. 16. ait, diversam esse rationem, quando intellectus est inter æquales rationes in quæstione Juris, ac in quæstione Facti, & hanc disparitatem esse ipsam experientiam, qua constat in quæstione Facti intellectum hærere dubium, non sic in quæstione Juris, dum æquales sunt rationes. Sed Adversarii negabunt hanc experientiam, & dicent, ipsos æqualiter hærere tum in quæstione Juris, tum Facti.

51. Igitur ego assigno disparitatem desumptam ex ipsa objectione. Intantùm, dum infirmatur unus testis, infirmatur etiam testis oppositus, quia idem motivum, quo infirmatur primus, reperitur in altero; nam si infirmatur testimonium Petri, *quia est homo;* Titius quoque est homo; & sic infirmatur simul testimonium Titii. At in quæstione Juris, in qua proceditur per rationes, motivo, quo infirmantur rationes unius partis, non infirmantur rationes alterius partis; quin magis firmantur: unde Richardus volentem tenere unam opinionem docet modum solvendi rationes opinionis oppositæ. Tum quia doctrina, qua solvuntur rationes pro opinione Divi Thomæ, non inservit ad solvendas rationes, quæ probant opinionem Scoti, sed confirmant ipsam: hinc, ut quæstio sit plenè soluta, debent solvi objecta opposita, & solutio dubitatorum est determinatio veritatis ex Aristotele, & Divo Thom.. metaphysic. 3. princ. & retuli num. 12. quod explicat, & confirmat Ægidius in 3. dist. 23. part. 2. quæst. 2.

52. Confirmatur: Si testes pro utraque parte sint numero æquales, & credantur habere conditiones æquales, tunc intellectus est dubius; si tamen postea inveniatur, quòd testes unius partis habeant aliquam conditionem pravam, quam non habeant testes alterius partis: v.g. fuerint perjuri, sint infames, &c. tunc intellectus non est amplius dubius, sed se determinat. Sic in quæstione juris, motivum, quo intellectus solvit rationes unius partis, non invenitur in rationibus alterius partis; & sic, si illæ solvuntur, non solvuntur istæ, sed magis firmantur; & sic intellectus postea ex imperio voluntatis actu determinatur ad istam partem, ut liquet ex exemplo Richardi, & aliorum Antiquorum, & meliùs suo loco patebit.

53. Ex hoc potest colligi modus, quo intellectus possit relinquere opinionem probabiliorem, & amplecti ex imperio voluntatis minùs probabilem, ut posse facere ex exemplis claris, præcipuè Richardi, probavi cap. antecedenti num. 42. & 43. Iste ergo est modus: Intellectus ex imperio voluntatis potest solvere opposita: *qui vult tenere primam opinionem*, dicebat Richardus, *potest solvere objecta &c.* Solvendo autem opposita non solvit rationes illius opinionis, *quam vult sequi;* quia motivum solvendi non reperitur, nisi in rationibus oppositæ opinionis. Solutis autem objectis unius partis, intellectus ex imperio voluntatis actu se determinat ad aliam opinionem, probabilem quidem, sed tamen minùs probabilem.

54. Quæres quartò, quot, & quænam sint requisita ad Dubium. Cardenas part. 1. disput. 6. c. 1. num. 1. & seqq. tenet tria requiri. Primum, quòd intellectus suspendat assensum in utramque partem contradictionis. Secundum, quòd intellectus cogitet de utraque parte contradictionis. Debet ergo cogitare v. g. de dormitione Petri, & de

de non dormitione Petri. Cum autem hæc cogitatio non sit assensus, ut patet ex primo requisito, erit simplex apprehensio; quicquid sit, an hæc simplex apprehensio debeat esse complexa, vel incomplexa. Tertium, quòd illa suspensio assensûs in utramque partem contradictionis non sint ratione distractionis ad alia objecta, sed defectu motivi actualiter moventis ad assensum unius partis; unde, si intellectus non assentiatur uni, quia ab alio objecto distrahitur, non per hoc dicetur dubitare de illo: Ita Cardenas; hinc juxta hanc doctrinam intellectus existens inter motiva probabiliora ex una parte, & minùs probabilia ex alia parte ante assensum esset dubius, quod non credo concessuros Probabilioristas.

55. Posset addi quarta conditio, quòd nempe intellectus non inclinet in actu primo magis ad unam, quàm ad aliam; & hæc conditio clarè colligitur ex definitione Dubii data à Supplemento, & allata num. 2. ratio est, quia si habet motivum magis inclinandi in unam partem; ergo habet modum se solvendi ab illa suspensione, & sic à Dubio; ergo in actu primo non est dubius. Tum quia intellectus æquali modo se habet ad utramque partem contradictionis in dubio, ut colligitur ex definitionibus Antiquorum de Dubio supra allatis; ergo, quando in actu primo intellectus inæqualiter se habet, si volumus sequi Doctrinam illorum Antiquorum, tunc non est dubius in actu primo. Ergo tunc erit in opinione quoad actum primum, si illa major inclinatio procedat ex gravi motivo; erit verò in suspicione, si proveniat ex levi motivo, quæ doctrina videtur colligi ex Divo Thoma 2. 2. qu. 2. art. 1. in quo loco ait, dubitantem *in neutram partem* declinare; suspicantem declinare magis in unam partem, sed *levi signo*; opinantem adhærere uni parti cum formidine alterius.

56. Sed clariùs colligitur ex quæst. 14. de verit. art. 1. ubi ait, dubitantem *non inclinare magis ad unum, quàm ad aliud*, & hoc vel ob defectum rationum, vel ob apparentem æqualitatem moventium; opinantem inclinare magis in unam partem, quàm ad aliam, ita tamen, ut illud magis inclinans non determinet intellectum ad unam partem totaliter. Ecce dubietas, quando intellectus non magis se habet ad unum, quàm ad aliud. Ecce opinio, vel suspicio, quando magis ad unum declinat intellectus.

57. Ex alia parte ille textus ex poten. Dei quæst 4. art. 2. relatus cap antecedenti, num. 23. & seqq. in quo Doctor Angelicus, ne præjudicium inferat opinionibus oppositis Sanctorum, *sustinet*, & quòd Mundus formatus fuerit successivè pluribus diebus materialibus, & quòd fuerit factus *in eodem instanti temporis*, clarè demonstrat, intellectum non esse dubium, quamvis in actu primo habeat motiva æqualia ad utramque partem: nam dubitans nulli parti assentitur; Divus autem Thomas in hoc casu utrique assentit. Sic etiam ille textus ex 4. distinct. 24. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 5 ad 3. & 3. part. addit. quæst. 34. art. 5. ad 3. relatus cap. 3. num. 71. & memini etiam cap. antecedenti, num. 39. in quo sustinet ut minus probabile, & quòd non requiratur tactus physicus ad sacram Ordinationem, & ut probabilius, quòd requiratur: clarè probat, intellectum non determinari ad partem probabiliorem, sed posse etiam determinari ad partem minus probabilem; ergo motiva æqualia, vel inæqualia non sunt aliquid per se requisitum ad Dubium, sed adhuc illis stantibus poterit adesse, & abesse dubium, si nempe voluntas non determinet ad exercitium intellectum, vel determinet.

58. Nos juxta doctrinam allatam cap. antecedenti, & in præsenti dicimus primò, posse intellectum ex imperio voluntatis determinari ad unam partem æquè probabilem amplectendam, in obscuris enim, inquit Major, quamvis nequeat determinari sine ratione: potest tamen determinari stantibus moti-

vis æqualibus pro utraque parte , *& hoc ex passione animi* ; & in hoc casu Richardus , Scotus , Raymundus , & alii Antiqui dant electionem opinionis voluntati. *Qui vult tenere primam opinionem ; qui vult tenere secundam opinionem , &c.* elige , quam volueris. Potest etiam intellectus ex dictis determinari à voluntate ad partem minùs probabilem , quod authoritate Glossæ clarè confirmo. c. *quidam intravit.* de convers. conjug. V. *Non exigere.* scribit : *Tancredi dicit , quod tenet matrimonium , quia votum non fuit solemne...... Alii dicunt , quod non tenet matrimonium , & debent separari......* & hoc videtur verius , *quia quantùm ad continentiam servandam satis solemnizavit ipsum votum per suam professionem.* Vel si vis dicere , *quòd matrimonium teneat ipse tamen debitum ab uxore exigere non debet.* Ecce expressè sententia *verior.* Et tamen est in potestate voluntatis sequi oppositam , & sic minùs probabilem , opinionem: *Vel si vis dicere , quod matrimonium teneat.*

59. Secundò , possumus sequi utramque , solvendo utriusque rationes , & hunc modum practicavit Divus Thomas in illa quæstione de productione Mundi. Relege illum textum , qui habetur , ut dicebam , cap. antecedenti , num. 23. & seqq. & observa , quòd Divus Thomas expressè sustinet utramque opinionem: *utramque opinionem sustinentes* , & , ut utramque sustineat , respondet utriusque rationibus: *Utriusque rationibus , respondendum est.* Utramque porrò sustinet , *ut neutri præjudicetur.* Tu ergo fac similiter. Ne opinionibus Doctorum , utique magnorum , præjudicium pares , omnes illorum opiniones sustine ; ut verò sustineas , responde rationibus omnium. Sic faciendo imitabere Divum Thomam , & doctrinam Probabilitatis defendes , & demonstrabis intellectum posse non esse dubium , dum reperitur inter motiva æqualia.

60. Hic textus , sicut probat clarè in casu de motivis æqualibus , forsan etiam probat in casu de motivis inæqualibus , non enim esset extra rationem , si credamus , Divum Thomam judicasse opinionem Divi Augustini minùs probabilem , difficile namque credo , quòd tanti æstimaverit authoritatem solius Augustini , quanti aliorum Sanctorum , si tamen Adversarii judicent , Divum Thomam existimasse illas opiniones æqualiter probabiles , adhuc hic textus dat nobis modum determinandi intellectum ad partem minùs probabilem. Ratio est , quia motiva probabiliora sunt solubilia ; & ratio insolubilis non est probabilis , sed certa , ut alibi dixi : ergo , solutis motivis probabilioribus , poterit intellectus , ut dicebam num. 53. determinari ad partem minùs probabilem. Interea instruant me Adversarii modum , quo Doctor Angelicus sustinet dictum asserentium tactum physicum non esse necessarium ad sacram Ordinationem , & tamen doceat etiam oppositum ; & tunc eodem ego utar , & sic me determinabo ad partem minùs probabilem , & hinc ut minùs probabiles sustinebo opiniones Scoti v. g. & ut probabiliores opiniones Angelici Præceptoris.

62. Colligitur primò Dubium esse suspensionem intellectûs quoad secundam operationem intellectivam in ordine ad utramque partem contradictionis , ortam ex deficientia motivi actualiter moventis ad unam partem. Hoc corollarium deducitur ex dictis à num 54. & seqq. & de hac definitione Dubii mihi videtur saltem plures definitiones datas ab Antiquis de Dubio verificari , ut Lector singulas perpendendo poterit animadvertere

63. Colligitur secundò , cum opinio probabilis , & Dubium differant , illud axioma canonicum: *In dubiis tutior pars est eligenda* , non posse verificari de opinione probabili. Ratio est , quia axioma loquitur de Dubio ; ergo non debet trahi ad probabilia , quia à diversis non fit illatio. Hanc explicationem illius axiomatis amplectuntur Divus Antoninus part. 1. tit. 3. c. 10. §. 10. regul. 6. fin.

fin. & Angelus. V. *Opinio.* num. 2. est tamen verum, quòd Divus Antoninus accipere videtur opinionem pro opinione probabiliori. Vide Bordon. in Propugn. opin. prob. c. 14. per totum, in quo latè defendit hanc interpretationem.

64. Pro coronide eorum, quæ ad dubium spectant, sciendum Modernos dividere dubium in negativum, & positivum. Primum est idem Dubium, quod usque modò explicuimus. Secundum est idem cum opinione probabili; Hæc autem vocatur Dubium, quia, cum sit essentialiter incerta, communiter, & vulgò incertum, & Dubium pro eodem sumuntur; & credo Adversarios sic accipere hos terminos, cum tamen in rigore sint omninò diversi.

65. Nunc breviter videndum est de suspicione, quæ est alia pars præsentis capitis. Alensis part. 2. quæst. 117. memb. 7. triplicem distinguit suspicionem; alia est enim temeraria, quando sunt multa signa boni, pauca mali. Alia est suspicio probabilis, quando multa sunt signa mali, boni pauca. Alia est suspicio violenta, quando omnia signa mali apparent, nulla boni. Subdit verò, quod judicare aliquem, idest, condemnare ex prima suspicione, sit peccatum mortale; Judicare ex secunda suspicione *sit veniale, dum stat in suspicione:* Si verò *veniat* ad assertionem firmam, tunc ex pertinacia præsumitur esse mortale. Vide Rainerium. V. *Præsumptio.* c. 2. Divum Bernardinum part. 2. Fer. 5. post 1 Domin. art. 2. cap. 1. Angelum, Pisanellam, & ejus Supplementum. V. *Communicare.* propè finem. Divum Antoninum 3. par. tit. 9. c. 12. ante §. Et Albericum. V. *Suspicio.* Hanc triplicem divisionem suspicionis priùs tradiderat Glossa in c. oves. 6. quæst. 1. V. *Suspicio*, & dicit, primam esse abjiciendam juxta illum Canonem *oves*, secundam inducere purgationem, tertiam sufficere ad condemnationem.

66. Idem Author ibidem membr. 1. tenet, suspicionem non esse judicium, secundùm quod suspicio dicitur *acceptio unius partis cum formidine alterius;* Judicium autem sententia firmata. Est tamen suspicio, quæ relinquitur ex judicio, cum aliquis habet *rationem levem, vel probabilem*, & secundùm illam judicat, ex illo judicio relinquitur suspicio, & aliquando potest dici illa suspicio judicium materialiter. Membr. 4. dicit judicium, & suspicionem differre, quòd judicium importat firmam sententiam, suspicari verò est dicere aliquid ex levitate, sed non firmare. Membr. 6. scribit, quòd suspicio potest dici opinio boni, vel mali, vera vel falsa: in Angelis autem bonis non est opinio, secundùm quod suspicio est acceptio unius partis cum formidine alterius; unde nec suspicio; in Angelis autem malis potest esse opinio, vel suspicio.

67. Divus Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 1. scribit: quidam actus intellectûs habent cognitionem informem absque firma assensione, sive in neutram partem declinent, sicut accidit dubitanti, sive in unam partem magis declinent, sed tenentur aliquo *levi signo*, sicut accidit suspicanti, sive uni partis adhæreant, tamen cum formidine alterius, quod accidit opinanti. Quæst. 60. art. 3. dicit ex Tullio suspicionem importare opinionem mali, quando ex levibus indiciis procedit; dicit verò hanc suspicionem provenire ex triplici capite. Primo, quia suspicans est malus. Secundo, quia malè afficitur erga aliquem. Tertio, ex longa experientia. Subdit postea tres gradus suspicionis dari. Primus est, cum quis *ex levibus* indiciis incipit dubitare de bonitate alicujus. Secundus est, cum quis ex levibus inditiis pro certo æstimat malum de aliquo. Tertius est, cum Judex ex suspicione procedit ad condemnandum aliquem. Hæc omnia habent etiam Rainerius. V. *Suspicio.* Astensis libr. 1. tit. 38. art. 1. & Sylvest. V. *Judicium.* num. 5.

68. Nider in consolat. timor. consc. part 3.

part. 3. cap. 1. ait, quòd scrupulus *sit quædam vacillatio consurgens cum formidine ex aliquibus conjecturis debilibus, & incertis.* Et paulò post: *scrupulus videtur idem esse cum suspicione ex levibus saltem procedente.* Divus Antoninus part. 1. titul. 3. cap. 10. §. 9. scribit: *Scrupulus ex levibus conjecturis, seu mediis, & multum debilibus movetur ad unam partium, & hic etiam dicitur suspicio, & pusillanimitas spiritus.* Divum Antoninum sequitur Tabien. V. *Dubitatio.* princ.

69. Ex his patet suspicionem aliquando confundi cum opinione probabili, & hæc est *suspicio probabilis.* Et sic fecit Altisiodorensis, qui, ut retuli numer. 15. scripsit: *ad hoc ut opinio sit suspicio, duo concurrunt, scilicet ut & opinio titubet, & non per firmas conjecturas.* Aliquando etiam confunditur cum morali certitudine, & hæc est suspicio violenta; nam quis nequit condemnari, nisi delictum sit certum. l. fin. C. de probat. c. *sciant cuncti.* 2. quæst. 8. si ergo, quis per violentam suspicionem condemnatur, illa suspicio erit moralis certitudo.

70. Nos hic loquimur de suspicione prout est distincta ab opinione, & sic multò magis à morali certitudine; hinc amplectimur definitionem suspicionis datam à Divo Thoma 2. 2 quæst. 2. art. 1. & dicimus, suspicionem esse, quando declinamus magis ad unam partem, sed tenemur *levi signo*; hinc subdimus opinionem probabilem, & suspicionem distingui inter se ex diversitate motivorum; si enim motivum sit grave, illud judicium erit opinio; si verò sit leve, & leviter moveat, illud judicium erit suspicio. Nec potest dici, opinionem, & suspicionem distingui, quasi quòd opinio sit secunda operatio intellectùs, & suspicio sit prima; nam omnino teneo, etiam suspicionem importare secundam operationem intellectivam; siquidem, ut dicebam cap. 2. princ. & fin. suspicione possumus dicere verum, & falsum, nam Aristotel. 6. Æth. c. 3. excludit à ratione virtutis suspicionem, & opinionem; quia *suspicione, & opinione contingit dicere falsum*; ut notat etiam Divus Thomas ibidem lect. 1. princ. & ex ipso Divo Thoma observat Albericus. V. *Suspicio.* Porrò est certum ex Philosophia, sola enunciatione dici verum, vel falsum; ergo suspicio consistit in enunciatione, quæ est secunda operatio intellectiva. Hæc doctrina videtur esse contra Gonzalez dissert. 3. cap. 2. §. 3. num. 39.

71. Hic observa, quod, quando dixi, *in suspicione intellectum magis declinare in unam partem.* Ego non facio vim in ly *magis*; unde existimo, quòd, si quis haberet motivum leve ad unam partem, & ad aliam nullum motivum haberet, adhuc ille actus esset suspicio, sicut esset opinio, si quis haberet motivum grave pro una parte, & pro alia nullum. Ergo de ratione opinionis, & suspicionis non est, importare ly *magis* propriè sumptum, prout scilicet importat comparationem. Tum quia opinio, & suspicio sunt habitus, & qualitates intellectuales; habitus autem in sua essentia non sunt quid comparativum, sed quid positivum.

72. Quæres, an suspicio, & opinio differant penes magis, & minùs, ita ut opinio minùs probabilis sit suspicio, opinio verò probabilior sit opinio simpliciter.

Respondetur, differre simpliciter, & in ratione entis, non verò in ratione graduum, & differre, sicut *gravitas* Terræ, & *levitas* Aeris. Ratio est, quia nos hic loquimur de *opinione probabili*, quæ scilicet juxta Antiquos procedit *à ratione probabili*; Probabile verò per Aristot. natum est movere sapientes; Leve autem non movet sapientes, & doctos, sed indoctos, & homines leves. Doctus ergo, & indoctus cum non differant in his rationibus gradualiter, sed simpliciter, & eo modo, quo ens, & privatio entis, sequitur, quod nati sint moveri à motivis simpliciter diversis; hinc in allato Canone *oves* dicitur, quòd omnis su-

spicio

spicio est potiùs repellenda, quàm recipienda.

73. Nec potest, dici opinionem minùs probabilem se habere ut suspicionem respectu Probabilioris, quia vidimus Divum Thomam, Richardum, Glossam, & alios viros Doctissimos sustinuisse opiniones minùs probabiles; ergo opinio minùs probabilis potest movere Sapientes, & sic non est suspicio, de qua loquimur in præsenti. Tum quia opinio, quæ mihi videtur probabilior potest evadere minùs probabilis ex eo, quia pro parte opposita sunt inventa fundamenta nova magis urgentia, & tamen eadem sunt fundamenta meæ opinionis; nam, si mea fundamenta urgebant ut quinque, opposita possunt evadere urgentia ut sex. Ergo minùs probabile nequit esse leve, & habere motivum leve, consequentia probatur, quia aliter, quando erat opinio probabilior fuisset in rigore suspicio, quia ex parte objecti habebat fundamentum leve.

74. Confirmatur. Doctores, pene omnes, mutant opinionem, & hoc fecit etiam ipse Doctor Angelicus; unde illam, quam probabiliorem judicabant antea, nunc reputant minùs probabilem, & hoc, quia inveniunt rationes efficaciores pro hac secunda; non per hoc tamen fundamenta prioris opinionis sunt levia; aliter prius etiam fuissent levia, & illa opinio in rei veritate fuisset suspicio, maximè in sententia Patris Gonzalez ubi suprà numer. 41. qui ait, *judicium esse temerarium, quando ex fundamento in se levi, sed mihi apparente magno moveor ad tale judicium.*

CAPUT VII.

Quinam sint Doctores Antiqui.

1 HÆc quæstio maximè spectat ad hunc Tractatum, & facit ad intelligentiam ejusdem tituli, in quo asseritur esse illum componendum *ex principiis Antiquorum*. Quinam ergo sunt isti Doctores? Prius suppono, me simplici nomine Antiquorum non intelligere Sanctos Patres; hi enim communi nomine non sunt appellandi; hinc nec approbo illam Glossam in c. *& purgabit.* 50. dist. V. *Antiqui.* explicantem illud psalmi, *sicut anni antiqui, id est*, ait, *Patres Sancti*. Igitur memoriæ altè retinendum est, quando dicam *Antiquos esse postponendos Modernis*, *Modernos melius explanasse quæstionem*, *quam Antiquos &c.* me non comparare Modernos cum Sanctis Patribus. Quòd si aliquando ratio, propter quam æquiparo Modernos *cum Antiquis*, valeret etiam de Patribus, tunc potiùs dicas, me errasse in comparatione, quàm fecisse comparationem cum Patribus. Tunc ero allegandus pro comparatione Patrum cum aliis, quando expresè Patres nominabo. Mihi noti sunt strepitus, olim excitati contra Celotium, & Reginaldum ex eo, quòd subobscurè videbantur hujusmodi comparationem instituisse.

2 Suppono secundò, pro Doctoribus Antiquis me non intelligere illos, qui longam vitam duxerunt, & senes solemus vocare; in hoc enim sensu Suarez, qui septuaginta annos vixit, esset Doctor Antiquus; Divus verò Thomas, & Scotus essent Moderni, qui ad sexaginta nonpervenerunt. In hac significatione esset concedendum, Modernos esse Antiquis postponendos. Hinc, cæteris paribus, sapientior est, qui plures habet annos eo, qui pauciores; & hinc rectè Divus Augustinus de natur. Dæmon. c 3. relatus in c. *sciendum* 26. quæst. 3 & 4. ex diuturno tempore, quo Dæmones vivunt, arguebat, ipsos esse sapientiores hominibus. Hinc etiam Divus Thomas 2 2. qu. 60. art. 3. dicebat senes ob experientiam reddi magis peritos, quàm alii; unde in casibus, in quibus alii suspicionem habent, ipsi ad certitudinem accedunt.

3. Igitur pro Antiquis accipio pro eodem,

dem, ac Leges accipiunt hoc nomen, *Veteres*, de quo pluries ipsæ mentionem faciunt. *Veteres definiebant.* leg. *cum ex.* §. 1. *ff. de solut.* Veteres putaverunt. leg. 1. §. fin. *ff. de peric. & commod.* Veteres receperunt. l. qui non. §. 2. de hæred. instituend. Veterum opinionem existimantium. leg. perpetuo. § de condict. indeb. secundùm Cassii, & veterum opinionem. leg. is, cui. ff ad Leg. Falc. ferè omnes veteres intellexerunt. l. si servus. §. *inquit lex.* Cum veterum sententia displiceat. l. cum veterum. C. de donat. ante nupt. In plurimis etiam aliis locis Leges meminerunt hujus nominis, *Veteres.* Porrò hoc nomen in hisce textibus significat eos, qui vixerunt ante Latores illarum legum. Nos ergo pro Antiquis intelligimus eos, qui ante nos vixerunt.

4. Nunc difficultas insurgit, quantum temporis requiratur ad constitutionem Antiquitatis. Divus Thomas Opusc. 22. cap. 2. vocat Guilelmum de Altisiodoro, & Guilelmum Episcopum Parisiensem, vocat, inquam, *Antiquos, & famosos Magistros.* Juxta Bellarminum isti Guilelmi floruerunt anno 1240. Divus autem Thomas defunctus est anno 1272. hinc constat, spatium triginta annorum constituere Antiquitatem per Divum Thomam. Hinc obiter notare placet, opinionem de Probabilitate sectanda *non esse amplius novam*, sed esse *Antiquam.* Hæc tradita est primò à Bartolomæo Medina, qui mortuus erat anno 1582. ut colligitur ex dedicatione Petri Gonzalez, quam fecit de Commentariis in tertiam partem ejusdem Medinæ Cardinali Alexandrino. Meus Codex editus est Venetiis anno 1590 apud Bernardum Bazan. A tempore ergo Bartolomæi Medinæ usque ad præsentem annum 1706. transierunt centum, & vigintiquatuor anni; ergo juxta Divum Thomam hæc opinio jam evasit antiqua. Erat etiam antiqua tempore Vendrochii, qui scribebat anno 1660.

5. Glossa in Clement. de Summ. Trinit. §. fin. V. *Sanctorum, & Doctorum* Modernorum ponit inter Modernos Magistrum, Alexandr. Albert & Divum Thomam. Author hujus Glossæ fuit Joannes Andreas, qui vivebat anno 1348. juxta Bellarminum de Scriptor. Eccles. Magister autem Sententiarum juxta eundem Bellarminum floruit anno 1145. Hinc juxta hanc Glossam spatium ducentum annorum non constitueret Antiquitatem.

6 Tuscus. V. *Antiquum.* concl. 341. Bertachinus in Repert. V. *Antiquitas.* Barbosa tract. de appell. verb. utr. jur. V. *Antiquum.* Spatium octuaginta, sexaginta, quin & triginta annorum antiquum appellant.

7. Vendrochius Not. 1. Epistol. 5. sect. 4. §. 1. ubi refert, quinam Doctores veteres sequuti sint partem probabiliorem, affert Joannem Majorem, Adrianum, Conradum, Caietanum, Scotum, Sylvestrum, Tabienam, & etiam Navarrum. Jam scimus Navarrum obiisse anno 1586. & natum 1494. ex Bellarmino de Scriptor. Ecclesiast. hinc Navarrus mortuus est, antequam scriberet Vendrochius, si scribebat anno 1660. ante annos 74. & sic per Vendrochium spatium centum annorum certò constitueret Antiquitatem.

8. Antonius Maria Coratius sua Syntagmata opin. commun. excussit primò Lugduni anno 1595. hic lib. 1 tit. 5. numer. 24. dividit tempus *in antiquum, medium, & modernum.* Cuilibet tempori assignat spatium centum, & sexaginta annorum circum circa, & subdit tempus antiquum incœpisse à tempore Irnerii, qui primus glossavit leges civiles, & vivebat anno 1080. & durasse usque ad annum 1240. Tempus medium exordium habuisse à dicto anno 1240. usque ad annum 1400. ab hoc verò anno usque tempus ipsius Coratii fuisse tempus, quod ipse vocat *modernum.* Si calculum ergo hujus Doctoris volumus sequi, ad Antiquitatem requiritur spatium tercentum annorum circum circa. Juxta hanc computationem Vendrochius non poterat vocare opinionem de sequenda probabiliori communem apud An-

Antiquos, cum solus Henricus ex allatis Doctoribus ab ipso tantum temporis Vendrochium præcesserit Hic Author nullam rationem, aut textum affert pro hac sua divisione, cum aliàs sit Juris Doctor.

9. In rei veritate nequit aliqua ratio, aut textus efficax inveniri ad decernendam hujusmodi quæstionem, quæ, licèt formaliter sit speculativa, virtualiter tamen est practica; cum enim ab Alexandro Septimo sit damnata hæc propositio num. 27. *Si liber sit alicujus Junioris, & Moderni debet opinio probabilis censeri*, sequitur evidenter, quòd, si ad Antiquitatem non sufficiunt centum anni, Authores non habentes hoc tempus, sint Juniores, & Moderni; & sic opinio eorum ex vi Authoritatis extrinsecæ non erit censenda probabilis, & sic nec tuta in praxi.

10. Ego accipiam nomen, *Antiquum*, pro Doctore, qui saltem per annos ducentum ante nos floruerit, & pro hac opinione erunt Divus Thomas, Tuscus, Bertachinus, Barbosa, & ipse Vendrochius, ut ex ipsorum dictis erit manifestum. Ipse aliam rationem præter horum Doctorum authoritatem non habeo, nisi quia hoc tempus mihi tale esse videtur. Tum quia tempus illud assignatum à Coratio videtur nimis longum, & assignatum à Vendrochio videtur nimis breve, medium ergo erit decernendum, ut feci.

11. Colligitur, omnes Doctores fuisse Modernos, & futuros Antiquos, & Antiquissimos. Ratio est evidens, quandoquidem aut parvum tempus transiit ab ipsorum morte; & sic sunt Moderni, & Juniores; aut longum tempus, vel longissimum præteriit post eorundem mortem, & sic sunt Antiqui, & Antiquissimi. Hinc Doctores, quos Thomas Argentinas in 4. dist. 25. qu. 1. art. 3. & Tostatus in Defensor. par. 2. cap. 18. §. *sed nunc objiciunt*. vocabant Modernos, jam sunt Doctores Antiqui, cum transierint jam plusquam ducentum anni: propter quam rationem Doctores modò viventes post decem Sæcula Antiquissimi appellandi erunt.

Hic esset agitanda illa quæstio, an majoris Authoritatis sint Antiqui, an Moderni tum absolutè, & in omni materia, tum in materia peculiari de Probabilitate, sed melius puto illas infrà peculiariter tractare.

CAPUT VIII.

De Propositionibus damnatis à Summis Pontificibus, & solvitur Quæstio de Infallibitate Pontificis, & ejus Superioritate in Concilium.

1 POntifices Summos, scilicèt Papas, semper solitos fuisse judicare de Quæstionibus ad fidem, & mores pertinentibus, illas sententia lata definire, nemo est, qui ignorat, & legentibus Epistolas Decretales hoc liquet, etiam loquendo de ipsis extra Concilium. Hinc Innocentius Tertius Archiepiscopo Arelatensi scribens, & refertur. c. majores de Baptism. ait: *Majores Ecclesiæ causas, præsertim Articulos Fidei contingentes, ad Petri Sedem referendos intelliget, qui eum, &c.* Notanda est illa particula (*Præsertim*) quæ, ut notat Barbosa in tract. de dict. usu frequ. *Exprimit casum minus dubitabilem, & implicat magis dubitabilem*. ex l. fin. & Gloss. V. *Præsertim*. ff. de liber. exhiben. c. pro humani. V. *Præsertim*. in l. 6. & Doctores ibidem. Isti verò casus magis dubitabiles alii esse nequeunt, quàm quæstiones ad mores pertinentes. Hinc Alexander Tertius, & refertur c. 1. eod. decidit, Baptismum esse nullum, si relinquantur verba: *Ego te baptizo*. & c. 2. decidit, dubium de Baptismo esse rebaptizandum. Et Innocentius Tertius c. 4. determinat, neminem posse seipsum Baptizare, & c. 5. si deficiat, vel aqua, vel forma, Ba-

Baptismum esse nullum. Quæ decisiones, & factæ sunt extra Concilium, & spectant ad mores. Legantur Duvallius Doctor Sorbonicus in tractatu de Supr. Rom. Pontific. in Eccles. potest. Diana part. 11. tract. 2. addit. & Cardenas in opere posthumo, quod super Propositiones damnatas ab Innocentio Undecimo composuit Dissert. 1.

2. Hunc morem Antiquissimum non intermiserunt posteriores Pontifices, & sicut in Cathedra successerunt honore, dignitate, & jurisdictione, ita & in exercitio supremæ hujuscemodi jurisdictionis. Hinc Beatus Pius Quintus anno 1567. die prima Octobris damnavit plurimas Opiniones speculativas Michaelis Baji Doctoris Lovaniensis; quam damnationem confirmavit ejus Successor Gregorius Decimustertius anno 1579. Kalendis Januarii, quas sententias videre possumus in Bulla Urbani Octavi, quæ incipit *In eminenti*, edita anno 1643. 19. Junii, & reperitur in Bullario Romano collecto per Angelum à Lantusca, & Joannem Paulum à Roma, & hæc Bulla est 284. ejusdem Urbani.

3. Clemens verò Octavus anno 1602. 19. Julii in Bulla, quæ incipit *Sanctissimus Dominus Noster* in Bullario Romano Laertii Cherubini, & est Octuagesimaseptima in ordine, proscripsit ad minùs *uti falsam, temerariam, & scandalosam* hanc propositionem: *licere per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Innocentius Decimus Bulla 54. Incipit: *Cum occasione*, edita anno 1653. Pridie Kalendas Junii apud Bullarium Romanum Angeli à Lantusca &c. damnat quinque propositiones *ut Hæreticas* Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis. Hanc verò damnationem fecit Papa ad instantiam complurium Episcoporum Galliarum. Hanc sententiam confirmavit Alexander Septimus anno 1656. 17. Kalendas Novembris in Bulla, quæ incipit: *Ad Sanctam*, & est vigesima-octava in Bullario Romano Angeli à Lantusca.

4. Idem Pontifex Alexander anno 1665. Bulla 157. Incipit *Regiminis Apostolici* exhibet formulam subscribendam ab omnibus Ecclesiasticis in Regnis Galliæ pro confutatione dictarum quinque propositionum Jansenii. Hanc formulam infrà referam num. 42.

5. Hanc Constitutionem Pontifex edidit ad instantiam Regis Christianissimi Ludovici Decimiquarti, ut ex secundo Paragrapho Bullæ liquet. In ejus porrò primo Paragrapho dicitur: *Archiepiscopos, & Episcopos Galliæ egregium studium contulisse executioni earundem Apostolicarum Constitutionum*, (scilicet Innocentii Decimi, & Alexandri Septimi damnantium quinque propositiones Jansenii) *& Regem Christianissimum quoque eidem executioni auxiliarem dexteram singulari pietate strenuo, ac constantissimo animo porrexisse.* Precor Lectores meos, ut menti altiùs infigant damnationem hanc Jansenii, & hanc formulam subscribendi huic damnationi, & studium Episcoporum, & Regis, ut exetutionem obtineat proscriptio illa.

6. Si in omni genere scientiarum nostris temporibus homines dare operam satagerunt, præcipuè Religiosi viri hoc præstiterunt; maximè verò hi facultates sacras illustrarunt, Theologiam nempe; in hoc obedientes Sacro Canoni *Super specula*, ne Clerici, vel Monachi, &c. in quo sub excommunicationis latæ sententia obligantur ad studium Theologiæ. Et quidem illam partem, quæ Moralis dicitur, tot libris explicarunt, ut in hoc postremo sæculo plures Authores floruerint in hac scientia, quàm olim in pluribus Sæculis. Scio Vendrochium, & Gonettum hanc multitudinem Doctorum risibus excipere, & comparare multitudini *Ranarum incumbentium Ægypto, & illam devastantium.* Qua conscientia id faciant, ipsi viderint. Cum omnes autem homines, quamvis pii, sint erroribus subjecti; hinc, ex hac multitudine, non est mirum, si opinandi licentia multùm excreverit, in dies magis excretura, ni Sedes Apostolica frænum poneret, &

F obicem.

obicem. Hoc perpendens idem Summus Pontifex Alexander Septimus fœliciter cœpit opus adeo expetitum à bonis. Igitur edidit Bullam anno 1665. die 24. Septembris. Incipit *Sanctissimus Dominus Noster*, & aliam publicavit anno 1666. die 18. Maii. Incipit *Sanctissimus Dominus Noster*, & reperiuntur in Bullario Angeli de Lantusca &c. In appendice In his Bullis damnat Quadragintaquinque Propositiones morales *partim antiquatas, & partim noviter prodeuntes, & illas damnat ut minimum tanquam scandalosas.*

7. Prosequutus est negotium adeo grave, & utile Innocentius Undecimus, & anno 1679. die 2. Martii damnavit, ut minimum scandalosas sexagintaquinque propositiones morales *partim ex Libris, Thesibus, scriptis, partim noviter adinventas.* Bulla incipit *Sanctissimus Dominus Noster.* Illam nondum legi in Bullario Romano, sed in libellis excussis Venetiis, & Ferrariæ, sicut & alias sequentium Pontificum. Idem Pontifex die 23. Novembris ejusdem anni prohibuit duas propositiones speculativas. Bulla incipit *Cum supradictis.*

8. Sed anno 1688. die 19. Februarii damnavit sexagintaocto Propositiones *tanquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas, & seditiosas respective*, quas asserebat Michael Molinos. Bulla incipit *Cœlestis Pastor;* Quarum quidem multæ formaliter sunt speculativæ, multæ morales, omnes tamen tendebant insensibiliter ad omnem libidinem, etiam horribilem, introducendam.

9. Alexander Octavus anno 1690. die 21. Augusti, Bulla incipit *Sanctissimus Dominus Noster*, reprobat duas Propositiones, & die 7. Decembris, Bulla incipit *Sanctissimus Dominus Noster*, pariter reprobat 31. Propositiones *partim speculativas, partim morales tanquam temerarias, scandalosas, malè sonantes, injuriosas, &c. & hæreticas respectivè.*

Denique Innocentius Duodecimus anno 1699. die 13. Martii. Bulla incipit *Cum aliàs*, damnavit 23. Propositiones *tanquam temerarias, scandalosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respective*, excerptas ex libello composito Gallico Idiomate ab Illustrissimo Archiepiscopo Cameracensi Francisco de Salignac Fenelon; qui libellus magnos rumores in Gallia excitaverat. Unde Rex Galliarum multùm nostris temporibus apud Pontificem instaverat (ut Epistolæ publicæ sæpiùs referebant) pro condemnatione doctrinæ hujusmodi Libelli.

10. Hic Operæ pretium velle videtur, ut tractem quæstionem illam celeberrimam: An Papa extra Concilium, dum facit Bullam pro tota Ecclesia, sit infallibilis. Ob duo verò capita hanc difficultatem aggredior; primùm, quia, cum Probabilitas nequeat compati cum principio certo opposito, hinc agendo de Probabilitate, videnda sunt, quænam sint principia certa, quæ destruunt probabilitatem in opposita parte; sic enim sciemus in quanam materia Probabilitas possit inveniri. Secundum, quia aliqui Probabilioristæ tangunt hanc materiam.

11. Divus Thomas part. 1. quæst. 1. art. 8. ad 2. ait: Theologiam ex necessitate argumentarii ex Sacra Scriptura, ex Authoritatibus verò Doctorum Ecclesiæ argumentari *probabiliter*, quod utrumque probat textu claro Divi Augustini Epist. 19. relato in c. *ego solus* 9. dist. circa hoc secundum nota, ex Tridentino sess. 4. de edit. & usu sacr. libr. Unanimem sensum Patrum de aliquo textu Scripturæ facere rem certam: unde Divus Thomas intelligendus est de Doctoribus Ecclesiæ seorsim sumptis.

12. Doctores nunc communiter loca, ex quibus Theologia sumit sua argumenta, dividunt in decem, & sunt: Sacra Scriptura, Traditio Christi, & Apostolorum, Ecclesia Catholica, Authoritas Conciliorum Generalium, Autho-

thoritas Pontificis Romani, Authoritas Patrum, Authoritas Theologorum, Ratio Naturalis, Authoritas Philosophorum, & Humana Historia. Videantur Vasquez 1. par. quæst. 1. art. 8. & Cano diffusissimè in Lib. de Locis Theologicis. Communiter autem creditur fide Divina quatuor priora loca tribuere argumenta certa, cum omnes fundentur in Divina revelatione; quia autem ab eodem fonte hauriunt certitudinem, ideo Divus Thomas, ut observat Vasquez numer. 2. solius Sacræ Scripturæ meminit. Hoc tamen de quarto admitto, si Pontifex adhæreat Concilio Generali, si enim non adhæreat, tunc insurgit difficultas, quæ modò est examinanda.

13. De hac quæstione Montaltius (si tamen hæc Epistola ab ipso conscripta est) Epist. XIX. pag. 419. Ita scribit è Gallico Idiomate in Latinum translatus: *Post aliquot Sæcula Pontifices ingentem numerum ediderunt Decretorum, Decretalium, Bullarum, & Constitutionum Antiquis Decretis Contrariarum, ipsi etiam Sacræ Scripturæ.* (Nota hæc ultima verba Lector, & decerne, an hæretici magis detrahere possint Sedi Apostolicæ) & pag. 423. dicitur; *Est ergo certum absque dubio, si Papam infallibilem credimus, oportere, ut nos sua mancipia esse dicamus*, aut nos tanquam hæreticos reputemus, quia potestati infallibili resistimus.

14. Vendrochius, si benè recordor, non credo, quòd expressè sit contra infallibilitatem Papæ; benè quidem de consequenti, ait enim nota a. In Epistol. VI. sect. 1. §. 3. *Omninoque Episcopis Ecclesiasticæ Potestatis plenitudinem adeptis divinitùs; & multò magis Summo Pontifici, qui præcipuam quandam in totam Ecclesiam Authoritatem habet, parum idonea apud Deum excusatio erit &c.*

15. Post Vendrochium excussum Hemelstadii adnectitur triplex disquisitio Pauli Irenæi, in quarum calce ponuntur duo Decreta Senatùs Parisiensis de anno 1663. die 30. Maii, & 22. Januarii. His prohibetur, ne Sorbona defendat hasce propositiones: *Summus Pontifex est supra Concilium Æcumenicum. Summus Pontifex nullo accedente Ecclesiæ consensu est infallibilis.* Hæ continentur in primo Decreto. In secundo verò hæ vetantur: *Christus Sanctum Petrum, ejusque successores summa supra Ecclesiam authoritate donavit. Concilia Generalia ad extirpandas hæreses, schismata, & alia tollenda incommoda admodum sunt utilia, non tamen absolutè necessaria.* In primo Decreto Propositiones damnantæ vocantur *ausus, & monstra*, & decernitur, ut Facultas Sorbonica contrarias tueatur juxta antiquam Doctrinam Ecclesiæ, Sanctorum Canonum, Decretorum Generalium, & libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, ac Antiquorum Decretorum Facultatis Theologicæ sub pœna animadversionis exemplaris. Anno 1682. publica documenta retulerunt, à Clero Gallicano fuisse defensas hasce theses. *Papa non est infallibilis: Ipsius Decreta ad suam validitatem exigunt Concilium Generale. Concilium Generale est supra Papam. Pontifex nequit se extendere super temporale Principum.* Vide Michaelem Foscarenum in sua Veneta Historia anno 1688.

16. Quid quæso, Lector, dixisti, dum legisti Decretum illius Parlamenti? Num spectat ad Parlamentum Sæculare, judicium ferre de Propositionibus, & Thesibus Theologicis, quæ tangunt etiam privilegia Sedis Apostolicæ? hoc est contra c. *cum venientes.* de Judic. Num spectat ad Sæculare Parlamentum decernere, an hæc, vel illa explicatio Evangelii sit *ausus, & monstrum?* Et ponere pœnam Facultati ex Ecclesiasticis Personis constitutæ, si secus fecerit? Certè in c. *Ecclesia.* de constitut. dicitur: *Laicis, etiam Religiosis, super Ecclesiis, & Personis Ecclesiasticis nullam esse attributam facultatem, quos obsequendi manet necessitas.* Ego quidem jure pacto, *monstrum, & ausum*, quòd hoc Parlamentum nolit, Pontificem Summum posse cer-

tò explicare illa verba: *Quodcunque solveris super terram; Pasce oves meas; Et tu conversus confirma fratres tuos.* Et ex alia parte tam confidenter dicat explicationem factam ab ipsis Pontificibus, & à Summis Theologis, inter quos Divus Thomas, de Evangelio, esse *ausum, & monstrum*; Et insuper prohibeat (& hoc Ecclesiasticis Personis) sub pœnis exemplaribus, ne sequantur dictam explicationem Pontificum, & Theologorum. Ego gratias ago maximas Deo, qui me nasci, & vivere facit extra territorium talis Parlamenti. Unde absque periculo veritatem hanc certissimè sequi possum; Hinc venerans, & obsequens Decreto Alexandri Octavi damno ad minùs ut temerariam, & scandalosam hanc Propositionem damnatam ab eodem numer. 29. *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Æcumenicum authoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.*

17. Ego, ut verum fatear, credere nequeo illi Decreto in ea parte, in qua dicit, Sorbonam antiquitùs edidisse decreta tales opiniones defendendi. Scio quidem Joannem Gersonem Doctorem Sorbonicum tractatum parvum composuisse, ut patet in Tomo editionis Parisiensis de Anno 1520. fol. 85. in quo pro posse tuetur *Papam, etiam cum Collegio Cardinalium, esse deviabilem à Fide.* Pro hac quoque opinione allegantur Almainus, & Joannes Major Doctores quoque Sorbonici. Ex hoc tamen inferre non opus est, Sorbonam Antiquam talem Doctrinam ut suam defendisse, & decrevisse.

18. Duvallius, ipse pariter Doctor Sorbonicus, qui scripsit anno 1636. in tract. de Suprem. Pontificis Authoritate, qui reperitur in fine tom. 2. in 2. 2. Divi Thomæ, in Antiloquio primæ partis, narrat, post necem Henrici Quarti Galliarum Regis prodiisse Libellum, ratione cujus fuisse in Sorbona gravissimam controversiam de *Supremi Pontificis Potestate* tanto dissidentium animorum ardore agitatam, odioque partium ita implacabili, ut à probris, & contumeliis, quibus mutuò se se impetebant, ad suprema tribunalia ventum sit. Ergo liquet evidenter per Duvallium testem ocularem suo tempore in Sorbona fuisse opiniones oppositas de Suprema Pontificis Authoritate, an scilicet extra Concilium possit infallibiliter decernere, nec ne. Ergo Sorbona antiquitùs decretum non fecerat, ut vult Parlamentum, quòd Pontifex non sit infallibilis extra Concilium. Nunquid non debet credi Duvallio de gestibus, quibus ipse præsens intererat, sed potiùs Parlamento conflato ex Viris, qui forsan tunc erant pueri, & qui præsentes esse non poterant illi concertationi Sorbonicæ?

19. Ante meam Conclusionem respondebo iis, quæ in textibus Adversariorum dicuntur. Igitur ad Montaltium dico, objectionem illam, quòd data infallibilitate Papæ &c. esse objectum hæreticorum, qui si unicè huic veritati crederent, Catholici evaderent. Certè Papa, & Concilium in unum consentientes per omnes sunt infallibiles, hoc solùm hæreticis negantibus. Nunquid per hoc Catholici mancipia evadunt Papæ, & Concilii? Hoc discrimen reperio inter Papam, & Concilium, quòd cum Papa semper existat, potest filios rebelles, & hæreses nascentes statim compescere in exordio, ut fœliciter præstiterunt Innocentius Decimus, & Alexander Septimus de Hæresi Janseniana. E' contra, cum Concilium Generale rarissimè existat, & rarissimè ob difficultates ingentes, & nisi post longum tempus, cogi possit, ut patuit præcipuè in Tridentino, quod fuit ultimum, & in Nicæno omnium primo; hinc difficiliter posset errantes in viam salutis reducere; & potest dari casus, quòd tale remedium applicetur, cum hæresis summas vires obtinuerit; & sic, vel parum, vel difficillimè morbum radicitus extirpet.

20. Exemplis patet hæc veritas. Insurre-

surrexerat Hæresis Lutherana, insurrexerat & Hæresis Janseniana. Illam Leo Decimus, hanc Innocentius Decimus, & Alexander Septimus condemnant. Lutherana adhuc viget cum deplorabili Animarum detrimento. Janseniana feliciter extincta est; nisi fortè excipias aliquas reliquias, & illas quidem latentes. Nunc inquirere licet discrimen talis eventûs. Cur Lutherana vivit, & lues Jansenii jacet?

21. Dicam, quod sentio, & mea sententia fundatur in experientia. Principes Germani pro extinctione nascentis Lutheranæ sectæ voluere Concilium Generale. Hoc dum longo tempore colligitur, Hæresis vires acquirit adeo validas, ut remedium per Concilium Generale adhibitum non fuerit sufficiens postea ad illam debellandam. Si Carolus Quintus, & alii Germaniæ Principes Damnationem Leonis credidissent infallibilem, nonne pullulantem hæresim nullo negotio compressissent?

Ex hoc præterito funestissimo malo edoctus Ludovicus Decimusquartus Galliæ Rex juxta c. *scribam tit.* de præsumpt. judicavit similem eventum habituram doctrinam Jansenii; hinc habita Pontificia condemnatione parens statim Decreto cum Galliæ Episcopis insequitur perniciosa dogmata, & faustè fautores illorum reprimit, & extinguit. Vide num. 27. & 42.

Postremis temporibus, ut retuli, Archiepiscopus Cameracensis quasdam Propositiones seminabat, quæ Catholicis suspectæ videbantur; statim insurgunt motus, & tumultus. Multi Episcopi Galli clamant, sed parùm feliciter. Rex sapientissimè recurrit ad Papam; damnat hic asserta dubia Archiepiscopi; qui, cùm peccaret ignorantia, non malitia, audita damnationis sententia è suggestu se retractat; motus cessant, & pax redit. Quæro, si Archiepiscopus Pontificem fallibilem tenuisset, nonne potuisset reclamare, & appellare Concilium, & interim spargere sua dogmata? posita appellatione legitima nihil est innovandum. c. 1. de appell. & toto tit. *ut lite penden.* &c.

Archiepiscopus ergo diffudisset per totam Diœcesim sua dogmata, & populi facillimè ea didicissent, & potuissent rationabiliter illa credere, dum audissent suum Præsulem, non obstante Pontificia sententia, illa è suggestu sæpius inculcare; Ab illa verò Diœcesi nullo negotio in alias migrassent. Congregandum erat Concilium. (hoc opus, hic labor.) Hic linquo Adversarios, ut modum speculentur facilem, & brevem congregandi Generale Concilium illo tempore, in quo tota Europa funestissimo Bello affligebatur.

Nec valet dicere, licèt Papa sit fallibilis, esse ipsi obediendum; & sic non potuisse Episcopum Cameracensem, adhuc posita appellatione ad Concilium, spargere suas opiniones.

Nam contra manifestè, quia sic appellatio, quæ supponitur legitima, ad nihil inserviret, cum appellantem non sublevaret à prætenso gravamine; & sic in ordine ad appellandum à Papa idem esset appellare, ac non appellare; & hinc in rei veritate Adversarii concedunt à sententia Papæ non dari appellationem, quod est illud, quod volumus; sic enim sequitur Papam esse infallibilem. Si bene perpendantur exempla harum Hæresum, liquet clarè esse necessarium ad extinctionem celerem, & totalem, ut teneamus Papam esse infallibilem in decernendis rebus fidei, & morum.

22. Venio ad Vendrochium dicentem Episcopos adeptos *Ecclesiasticæ plenitudinem Potestatis*, & hoc parum erat, unde addit originem, ex qua tanta Authoritas fluxit, & hoc *Divinitùs*, inquit, nullam rationem reddendo, quasi sit certum, quod dixit. Facio ergo hoc Argumentum: Episcopi adepti sunt *Divinitus* plenitudinem Potestatis Ecclesiasticæ; Sed Archiepiscopi Moguntinus, Trevirensis, Parisiensis sunt Episcopi; ergo adepti sunt *Divinitus* plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ:

sticæ: Poterunt ergo hi Prælati absolvere ab excommunicatione lata per Canonem, *Si quis suadente*; poterunt dispensare à votis Castitatis perpetuæ, Peregrinationum Compostellæ, Hierosolymæ, & Sanctorum Petri, & Pauli; poterunt dispensare in quarto gradu Affinitatis ad contrahendum Matrimonium; poterunt concedere in hoc die unum diem Indulgentiæ. Si ergo hi Archiepiscopi non possunt hæc minima, ut est certum, quomodo poterit dici, Episcopos fuisse adeptos *plenitudinem Ecclesiasticæ Potestatis*, & hoc *Divinitus?*

23. Nec potest dici, Vendrochium intelligere de Episcopis in Concilio Generali collectis; namque loquitur de Episcopis, quibus incumbit officium Curandi, ne Sacri Canones per corruptellas aboleantur. Porro hoc officium spectat ad quemlibet Episcopum in particulari arg. c. *omnia*. 25. quæst. 3. tum quia ibi comparat Episcopos, & Papam in allegato officio, & dicit multò magis spectare ad Summum Pontificem. In sententia Vendrochii scimus Concilium Generale esse majoris Authoritatis, ac Papa; proindè magis spectat ad ipsum officium conservandi Canones; ergo, dum Vendrochius dicit, magis spectare ad Papam custodire Canones, quam ad Episcopos, intelligendus est de Episcopis in particulari, non de eisdem congregatis ad Concilium. Interea audiat Vendrochius Canones c. *decreto*. & c. *qui se scit*. 2. quæst. 6. *Qui se scit aliis esse Præpositum, non moleste ferat, aliquem sibi esse Prælatum; Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesiis vices suas credit largiendas, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis; Unde omnium appellantium Apostolicam Sedem Episcoporum judicia, & cuncta majorum negotia causarum eidem Sedi reservata esse liquet.* Idem dicitur c. *ad honorem*. de author. & usu palii. *Solus Romanus Pontifex in Missarum Solemniis pallio semper utitur, & ubique, quoniam assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ Potestatis, quæ per Pallium significatur. Alii autem nec semper, nec ubique, sed in Ecclesia sua, in qua Jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus.* Liquet ergo evidenter hanc Propositionem, *Episcopi adepti sunt plenitudinem Ecclesiasticæ Potestatis*, esse falsam, & erroneam, & directè contrariam allatis textibus.

24. Interea fateor de fide esse, quòd Episcopi sint divinitus adepti suam Potestatem; dicitur enim cap. 20. Actuum Apostolorum. F. num. 28. *Esse positos à Spiritu sancto ad Ecclesiam Dei regendam.*

Si velimus verò concedere, quòd Vendrochius loquatur de Episcopis congregatis in Concilio; tunc, cum illos separet à Papa, dicit illud, de quo controvertitur modò; Nequit tamen negari illam propositionem esse deceptoriam, cum in ipsa reticeatur terminus, ratione cujus propositio solùm est vera, si tamen est vera. Absolutè ergo loquendo, & juxtà Sacros Canones debemus dicere: *Episcopi adepti sunt partem sollicitudinis Ecclesiasticæ.*

25. Dicebat Vendrochius, quòd Summus Pontifex obtinuerat *præcipuam quandam Authoritatem in totam Ecclesiam.* Cum ipse in antecedenti propositione attribuisset plenitudinem potestatis ex jure Divino Episcopis, certè aliam potestatem dat Pontifici Summo; & cum illa sit tota, hæc pars necesse erit. Illa nomina *præcipuam quamdam* mihi videntur significare quidem singularem, & magnam, non tamen omnem potestatem; &, quod magis est, de Episcopis expressè dicitur ipsorum potestatem *Divinitus* emanare; de Papa verò tacetur. Hic patet evidentissimè, Vendrochium Authoritatem Episcopalem velle extollere plusquam potest, Papalem verò deprimere supra posse; sed in vanum laborat. Cuncti enim sciunt, omnes Episcopos, etiam Patriarchas habere limitatem Authoritatem quoad locum, ... ubique Jurisdictionem non habent;

quoad personas, quia in solùm Parisienses, & suæ Provinciæ fideles Archiepiscopus Parisiensis imperium exercet; & quoad ipsammet Jurisdictionem, quia in sua Diœcesi, & in fideles sibi subditos plenitudinem potestatis nequit exercere, cùm, extra casum permissum, nec horam Indulgentiæ possit concedere. Igitur in allatis Sacris Canonibus expressè dicitur: Romanum Pontificem obtinere *plenitudinem Potestatis*. Audiat etiam Vendrochius Tridentinam Sess. 14. cap. 2. Synodum dicentem: *Unde merito Pontifices Maximi pro Suprema Potestate sibi in Ecclesia Universali tradita, &c.* Audiat Maximum, & evidentissimè Concilium Æcumenicum Lateranense Tertium sub Innocentio Tertio dicens: In c. 62. & refertur c. cum *ex eo.* de pœnit. & remiss. §. fin. Cùm Romanus Pontifex, *qui plenitudinem obtinet Potestatis*, hoc in talibus moderamen consueverit observare. Ergo apertè contradicit Sacris Canonibus, qui absolutè non fatetur hanc propositionem: *Pontifex obtinet plenitudinem Potestatis.*

26. Ad Decreta Senatus Parisiensis quod attinet, nunc relinquendo priores propositiones, quibus respondebo in corpore Quæstionis, solvo ultimam, in qua dicitur: *Concilia Generalia esse solum utilia, nec absolutè necessaria ad extirpandas hæreses, schismata, & alia incommoda tollenda.* Porro Senatus jubet, ut Sorbona contradictoriam defendat. Si unquam aliqua propositio defendenda erat à Gallis, & totis viribus sustinenda, procul dubio erat hæc. Audivi, in Gallia inceptam, & auctam cum maximo strepitu hæresim Jansenianam; audivi, & dolui, timuique ne Florentissimum illud Regnum pateretur clades, & ruinas, quas passum fuerat per tot annos occasione Calvinianæ sectæ. Sed Dei beneficio timor omnis evanuit, & nova hæresis, cum plurimùm metuebamus, tunc extincta obiit. Forsan post Tridentinam alia Synodus Æcumenica indicta fuit, ut pestem grassantem comprimeret? Neutiquam unquam. Tentavere quidèm Episcopi illius Regni fidei ardore succensi hydram suffocare, sed omnia in irritum cadebant, & Authores, cum scirent definitionem Causarum Fidei spectare ad Summum Pontificem. ex c. *majores* de Baptismo, nihili, aut parvi faciebant sententias Episcoporum. Hoc attendentes quamplures Episcopi, ut vidimus, ad Innocentium Decimum confugerunt. Factum narro verbis Caramuelis tunc viventis. Hic in Theologia Fundamentali Romæ impressa Anno 1656. Fundamen. 4. numer. 250. sic scribit.

27. *Pius Quintus, & Gregorius Decimustertius condemnaverant in Michaele Bayo multas Propositiones, è quibus præcipuas Cornelius Jansenius revocavit, cui statim Urbanus Octavus contradixit, & iterum Innocentius Decimus. At quia aliud est interdicere, & aliud condemnare Doctrinam; Octuagintaquinque Galliæ Pontifices ad Innocentium Decimum, ut ad universalem Magistrum confugerunt, & ut definiret, quid rei esset, buxiliter postularunt.* Hic habes quamplures illos Episcopos, quos ex Bulla Innocentii Decimi constat scripsisse eidem, fuisse Octogintaquinque. (paulò plures amplectitur Gallia.) *Epistolam habes apud Patrem Stephanum Dechamps in initio Operis de hæresi Janseniana edito Lutetiæ Parisiorum in folio,* (Nota hanc Epistolam editam fuisse in Urbe Regia Galliarum; unde nequimus suspicari esse fictam, & falsam.) *Anno 1654. ex qua ego has paucul as lineas exscribo: Precamur, Sanctitas tua, quid in hac re sentiendum sit*, clarè, distinctèque definiat. *Obtestamur ergo, ut has præsertim propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior est, Sanctitas tua expendat*, ac perspicuam, & certam de quacumque sententiam ferat, &c. *Experta est nuper Beatitudo Tua, quantùm Apostolicæ Sedis in gemini Ecclesia capitis errore profligando valuerit Authoritas.* Continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem, & imperium venti, & mare

enare obedierunt. *Quamobrem flagitamus, Beatissime Pater*, ut clara, firmaque de propositionum istarum prolata sententia, *cui Reverendissimus ipse Jansenius morti proximus opus suum subjecit*, caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, *dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem, splendoremque restituas &c.* Hucusque Caramuel.

28. Hæc Historia evidenter probat ex confessione penè omnium Episcoporum Gallorum, per Papam ita posse sedari tempestates, quæ ingruunt Ecclesiæ Navi, sicut per vocem Christi olim procella imminens naviculæ Petri compressa est, & maris fervor efferbuit, & venti quievere. Posse quoque per ipsum, & quidem sine Generali Concilio, *caliginem omnem discuti, animos fluctuantes componi, dissidia prohiberi*, & Ecclesiæ tranquillitatem, splendoremque restitui: Ergo evidenter sequitur, per Episcopos Gallos *ad extirpandas hæreses, schismata, & alia tollenda incommoda* non esse necessarium Concilium Generale, cum Papa se solo possit hæc omnia præstare. Tum quia in Gallia, ut experientia patet, hæresis Janseniana extincta est; sed hoc sola potestate Papæ absque Generali Concilio factum est; ergo ad tollendam hæresim insurgentem non est necessaria Congregatio Concilii. Sic etiam per Innocentium Duodecimum flagitante Rege, absque Generali Concilio extincta sunt in Gallia semina discordiarum, ut dixi, quæ ab Archiepiscopo Cameracensi jacta fuerant. Ergo est falsum Decretum Parlamenti Parisiensis dicentis, *Concilia Generalia esse necessaria ad extirpandas hæreses, schismata, & alia incommoda tollenda.*

29. Solutis hisce objectionibus pono meam conclusionem, quam certissimam puto, & assero, Papam extra Concilium esse infallibilem in decernendis fidei, & morum quæstionibus. Probatur verò ex illis Authoritatibus Evangelii: *Quodcumque ligaveris super terram, &c. Tibi dabo claves Regni Cœlorum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, &c. Pasce oves meas.* In his textibus datur summa potestas; dicitur enim: *Quodcumque ligaveris super terram.* Et insuper datur singulari personæ; dicitur enim, *Tibi*, & *Tu*, quæ est personissima particula, & rem ponit sub oculos, ut observat Barbosa in dict. usu freq.

30. Respondent, Petrum accepisse claves nomine Ecclesiæ, quia Petrus significabat Ecclesiam. c. *quodcunque* 24. qu. 1.

Sed contra; quia Petrus significans Ecclesiam, & accipiens claves cœlorum nomine Ecclesiæ, vel illas accepit solùm pro Ecclesia, ita ut Soli Ecclesiæ darentur, ut illis uteretur, sicut procurator accipit possessionem domùs nomine Domini, qui solus disponet de domo. Et sic Petrus, & Papa nihil accepissent à Christo, & sic Papa haberet illam Authoritatem, quam daret ipsi Ecclesia, & sic Ecclesia posset illam tollere, limitare, &c. Et sic posset cuilibet Episcopo illam committere. Hoc Argumentum fusiùs infrà prosequar. Si verò illas accepit etiam pro se; ergo, cùm in illis textibus data sit suprema potestas, Petrus pro se, & Successoribus suis accepit supremam potestatem; & sic æqualem, quam habet Ecclesia; & sic in Ecclesia darentur duo domini æqualem supremam Jurisdictionem habentes; quod quàm sit absurdum, expendant Adversarii. Tum quia illa verba: *Pasce oves meas*, & illa alia: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, Pontifices explicant pro seipsis, & agnoscunt in illis sibi ipsis datam esse à Christo supremam potestatem, per quam præcipuè hæreses compescerent, ut patet ex Bulla, *Cœlestis Pastor* edita ab Innocentio Undecimo Anno 1688. 19. Februarii, in qua damnat plurimas propositiones Michaelis Molinos tanquam hæreticas, scandalosas, &c. patet etiam in c. *aliorum.* §.

rum. 9. quæst. 3. ubi dicitur: *Replicabo Uni Actum: Tu es Petrus, & super hanc petram &c. Et rursus Sanctorum vocem pates*, idest, explicat Glossa, V. *Sanctorum*. in Sanctis Conciliis confirmantur. Ecce secundùm Papam, & Concilia illa verba soli Papæ dicta sunt. Certum est autem, ad Pontificem spectare declarationem Scripturæ, ut liquet ex c. *majores.* de Bapt. & c. *cum* Marthæ de celebr. Missarum. & aliis Sacris Canonibus. Hinc, si daremus textum illum Augustini c *Quodcumque.* facere sensum, quem intendunt Adversarii, quod non credo, adhuc in hoc esset cum reverentia dimittenda Authoritas Augustini, & sequenda explicatio Pontificum. Undè meritò corrigendus est Abbas in c. *tuo.* de decim. ubi dicit: *Dictum alicujus Sancti, si juvetur authoritate Juris Divini potius et standum esse, quàm interpretationi Papæ;* Corrigendus est, inquam, omninò, quia interpretatio Sancti est solùm doctrinalis, Papæ verò Authentica, ut patet in c. *majores.* & c. *cum Martha* allegatis. Hinc Alexander Octavus in sua Bulla condemnante 31. Propositiones num. 30. proscribit sequentem: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

31. Secunda conclusio. Papa est supra Generale Concilium. Pro hac conclusione faciunt plurimi Canones. c. quis nesciat. 11. dist. c præceptis. 12. dist. c. si Romanorum. c. ita Dominus. 19. dist c. in novo. c. nunc autem. c. quamvis. 21. dist. c. omnes. c. Constantinopolitana. c. Sacrosancta. 22. dist. c si Papa. 40. dist. c. considerandum. c. fidelior. 50. dist. c. Petrus. c. in istis. 80. distinct. c. bene quidem. 96 dist. c. arguta. 2. q. 6. c. Petrus. quæst. 7. c. dudum 3. quæst 6. c. aliorum c. patet. c. facta c. ipsi. c. nemo 9. quæst. 3. c. hæc est fides. c. est aliud. c. quoties. c. rogamus. c. si Deus. c. cum Beatissimus. 24 quæst. 1. c. confidimus. 25. quæst. 1. c. significasti de elect. c. proposuit de concess. præben. c. ubi majus. c. Antiqua de privil. c. fundamenta de elect. in 6. c. licet de constit. in 6. c. quoniam de renunc. in 6. Clement. si Summus de sentent. excommun.

32. In his Textibus dicitur, Papam judicare omnes, ipsum à solo Deo accepisse plenitudinem potestatis: Habere curam universalis Ecclesiæ; non dari majorem Authoritatem, quàm sit sua; & similia dicuntur, quæ certè clarissimè præferunt Papam Concilio.

33. Nec dicas cum Adversariis, hos Canones esse editos à Pontificibus, qui potuerunt errare, dum de seipsis loquerentur.

Nam contra evidenter, siquidem fuerunt Antiquissimi, & Sanctissimi Pontifices; unde nulla præsumptio potest inveniri, qua suspicemur eos ex passione loqui. Tum quia cum loquantur clarè, & apertè, Ecclesia illos correxisset, nec enim agitur de dicto alicujus Episcopi particularis, sed de Papa.

34. Præterea illi Antiqui Pontifices, & Moderni se cognoscunt solùm subjici Deo, & nullum alium habere Superiorem, cur non debemus dicere hanc esse Traditionem Christi, vel Apostolorum? si hæc non est hujusmodi Traditio, non video, quæ talis sit tenenda. Ex hoc capite credo evenisse, quòd omnes Ecclesiæ ab initio, & usque nunc consulunt Pontificem Summum in majoribus causis, ut expressè dicitur in c. *majores.* de Bapt. Et fatetur Innocentius Primus rescribens Concilio Milivitano, conflato ex sexaginta, & uno Episcopis. Hæc Epistola est 93. inter Divi Augustini. Ecce aliquot verba: Diligenter ergo, *inquit*, & congruè Apostolico consulitis honori; Honori, inquam illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxiis rebus, *quæ sit tenenda sententia.* Antiquæ scilicet regulæ formam sequuti, *quam toto semper ab Orbe mecum*, nostis, *esse servatam.* Verùm hæc missa facio; *neque enim hoc vestram credo latere prudentiam;* quod etiam actione firmastis, nisi scientes, quòd per omnes

omnes Provincias. De Apostolico petentibus responsa semper emanent; præsertim quoties Fidei ratio ventiletur, arbitror, omnes fratres, & Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, idest sui nominis, & honoris Authorem, referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, *quòd per totum Mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse.*

35. Ecce Historia clara, & expressa, in qua narratur, ex toto Mundo in rebus anxiis, præcipuè Fidei, Romanam Sedem consuli; & hoc ex debito. *Referre debere.* Et responsio Pontificis non erit dicenda Opinio, idest *responsio cum dubitatione*, ut loquar cum Glossa civili, sed est appellanda *Sententia. Qua sit tenenda sententia*, inquit Innocentius; Nomen autem *Sententia*, significat rem certam apud Antiquos; nam per sententiam *finem controversiis imponimus.* l. 1. ff. de re judic. Sola autem certitudo finem controversiis imponit, quia opinioni quantumcunque probabili, ut vidimus, possumus contraire; quod apud veteres erat adeo verum, ut Major dixerit, nos posse contraire opinioni, quam Concilium Generale Viennense cum Papa amplexus erat *tanquam Probabiliorem.*

36. Nota insuper illa verba: *Antiqua scilicet regula normam sequuti.* Hæc denotant, consuetudinem hanc consulendi Romanam Sedem à toto Orbe ad habendam sententiam *in rebus anxiis, & præcipuè Fidei*, esse juxta *Antiquam regulam.* Hoc testimonium Innocentii datum Concilio nequit dici esse suspectum, quamvis sit in causa propria, quia fuisset redargutum à Concilio, si verum non fuisset; maximè cum Innocentius asserat, hoc etiam sciri ab ipso Concilio.

37. Sed expendamus in particulari textum ex c. *significasti.* de elect. Ibi proceres Siciliæ mirabantur, quòd Papa ab Archiepiscopis Juramentum fidelitatis exigeret, cùm non legeretur hoc juramentum statutum fuisse à Conciliis? Respondet Papa, nulla Concilia legem posuisse Romanæ Ecclesiæ, sed ipsam omnibus Conciliis robur dedisse, & ipsius Authoritate facta fuisse, & in ipsorum statutis patenter excipi Authoritatem Ecclesiæ Romanæ. Ex hoc Textu sequitur, Concilia robore carere sine consensu Papæ, & Leges Concilii Generalis non tangere Ecclesiam Romanam; & Ecclesiam Romanam non subjacere Concilio; & sic, si Ecclesia Romana non est subdita Concilio, necesse erit, quòd Concilium subdatur Pontifici. Quando ergo Concilium Generale universaliter Legem statuit, patenter excipit Papam; ergo Concilium legem non dat Papæ; ergo non est ejus subditus; & si non est subditus, erit Dominus Concilii, quia, ut dicebam, nequeunt esse duæ Supremæ potestates.

38. Nec potest dici, Textum loqui de Conciliis Provincialibus, non Generalibus; aliter admiratio illa procerum fuisset prorsùs ridicula. Ridiculum est etenim dicere, quòd Papa solùm illa possit, quæ conceduntur à Conciliis Provincialibus. Evidens enim est, Concilia Provincialia, & Nationalia subesse Pontifici, cum ab illis detur appellatio ad Papam. c. *omnis.* c. *si quis.* c. *ad Romanam.* c. *ideo.* 2. quæst. 6. Et Sedes Apostolica fundavit alias Ecclesias Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, & breviter totius Orbis. c. *quis nesciat.* 11. dist. & vices suas, in partem tamen sollicitudinis Ecclesiasticæ, demandavit. c. *decreto.* c. *qui se scit.* 2. qu. 6. Tum quia Sedes Apostolica sine ulla Synodo præcedente solvit, quos Synodus iniquè damnaverat; & damnat, quos oportet nulla existente Synodo. c. *cuncta.* 9. q. 3. Igitur illi proceres loquebantur de Conciliis Generalibus, quæ solus Papa congregat. dicto cap. *significasti.* & sic dicebant: *Papa debet solùm facere, quæ ipsi conceduntur à Conciliis Generalibus; sed hæc tale Juramentum non concesserunt; ergo, &c.* Cui objectioni optimè Papa respondet, nulla Concilia legem Papæ præfixisse, quin ejus Authoritatem ab illorum legibus patenter excipi, & omnia Concilia Authoritate Papæ esse

facta.

facta, & robur accepisse. Quæ verba de Provincialibus accipi nequeunt, cum Provincialia congregentur ab Archiepisc. c. *si Episcoporum*. 18. dist. quod probat Tridentina Synodus sess. 24. de reform. cap. 2.

39. Morem excipiendi patenter Authoritatem Papalem servat eadem Æcumenica Tridentina Synodus, & sess. 7. de Reformatione. & sess 25 cap. 21. sancivit, *Quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina in hoc Sacro Concilio statuta sunt, declarat, ita decreta fuisse*, ut in his salva semper Authoritas Sedis Apostolicæ, & fit, *& esse intelligatur.*

40. In confirmationem utriusque conclusionis afferendus est Divus Thomas, qui pluribus in locis expressè pro illis pugnat. Igitur 1. part. quæst. 36. art. 2. ad 2. ait: *Quòd in quodam Concilio, in Occidentalibus congregato, expressum fuit Authoritate Summi Pontificis in Symbolo, quòd Spiritus sanctus procederet à Filio; cujus Authoritate etiam Antiqua Concilia congregabantur, & confirmabantur.* Et 2. 2. quæst. 10. asserit: Ad Summum Pontificem pertinere *finaliter* determinare ea, *quæ sunt Fidei, ut ab omnibus inconcussa Fide teneantur*, ad quem majores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur. 2. quæst. 6. c. *omnis oppressus*, & aliis Canonibus, unde & Dominus Luc. 22. *Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ, secundum illud Corinth. cap. 1. Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, quod servari non potest, nisi quæstio fidei de Fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut *sic ejus sententia* à tota Ecclesia *firmiter teneatur; & ideo ad solam Authoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum, & alia hujusmodi. . . . . Unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus Authoritate Synodus congregatur, & ejus Sententia confirmatur. . . . . . Athanasius non composuit manifestationem Fidei per modum Symboli. . . . Sed quia integram Fidei veritatem ejus Doctrina breviter continebat, Authoritate Summi Pontificis est recepta, ut quasi regula Fidei habeatur.*

41. In Quæstione Decima de potentia art. 4. ad 13. hæc habet: *Sicut autem posterior Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum à priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua, ut ex prædictis patet*, ita etiam Romanus Pontifex hoc sua Authoritate potest, *cujus authoritate sola Synodus congregari potest, & à quo Sententia Synodi confirmatur*, & ad ipsum à Synodo appellatur. *Quæ omnia patent ex gestis Calcedonensis Synodi; nec est necessarium, quòd ad ejus expositionem faciendam Universale Concilium congregetur, cum quandoque id fieri prohibeant bellorum dissidia, &c.* Hucusque Divus Thomas. Quæ mihi adeo clara videntur, ut à nemine puto negari posse, Divum Thomam apertè stare pro meis conclusionibus.

Nota illa verba: *Ad Summum Pontificem pertinere* finaliter determinare ea, quæ sunt Fidei, *ut omnibus inconcussa Fide teneantur.* Nota etiam illa: *Ad ipsum à Synodo appellatur.* Nota pariter illa: *Nec est necessarium, quòd ad ejus expositionem Universale Concilium congregetur.* Poterat loqui clariùs Angelicus Doctor?

42. Posset adduci in validam confirmationem, præcipuè primæ conclusionis, Juramentum, quod præstant in Gallia omnes Ecclesiastici in successione alicujus Dignitatis, & etiam omnes Sæculares, dum Lauream Doctoralem accipiunt, & Collegiorum Rectores, & Magistri. Formula hujus Juramenti edita est ad instantiam Regis Galliarum ab Alexandro Septimo Bulla 157. quæ incipit: *Regiminis Apostolici.* Porro facta est ut reliquiæ Jansenistarum extirparentur. Tenor ergo Juramenti est talis. *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii Decimi datæ die 31. Maii 1653. & Cum-*

& Constitutioni Alexandri Septimi datæ die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii Libro, cui nomen, Augustinus, *excerptas, & in sensu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, & damno, & ita juro, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Galli ergo jurant se damnare sincero animo propositiones Jansenii, *prout illas Sedes Apostolica damnavit.* Sed Sedes Apostolica illas damnavit tanquam hæreticas; ergo Galli jurant se sincero animo damnare propositiones Jansenii tanquam hæreticas: Facimus ergo hoc dilemma: Vel ad Summum Pontificem spectat determinare propositiones de Fide, vel non spectat; Si primum, jam habeo intentum, Papam scilicet esse infallibilem; Si secundum, quomodo potest obligare Gallos ad credendas de Fide illas propositiones, si non sunt de Fide? Certè Episcopus non posset arctare suos subditos ad sic credendum, quia Episcopus nequit propositiones de Fide decernere. Et ratio à priori est, quia Fides impossibile est, quòd aliter se habeat; ergo impossibile est, quòd detur Fides in aliqua materia, nisi sit statuta in linea necessaria, & quæ non possit aliter se habere; ergo, si Papa est fallibilis, impossibile est quòd det firmitatem, & necessitatem; & sic Papa nequit statuere objectum, in quod tendat Fides, & sic non potero obligari à Papa, ut jurem me de fide credere objectum, quod statuitur à Papa. Assumptum patet ex Innocentio Undecimo proposit. 21. in qua decernitur assensum fidei stare non posse *cum notitia solùm probabili*, quòd Deus sit loquutus.

43. Alias rationes non affero pro mea sententia, quia pro meo instituto hæ poterunt sufficere; tum quia hic tractatus nimiùm excresceret; est enim materia præsens adeo ampla, ut de ipsa nedum longissimæ disputationes, sed Libri integri circumferantur. Horum aliquos infra referam.

44. Non abs re tamen erit, si solvamus aliquot objecta magis obvia, & in quibus Doctores sequentes oppositum plurimùm fidunt: Primum est Authoritas Concilii Constantiensis, & Basiliensis. Concilium ergo Constantiense Session. 5. declarat, quòd ipsa Synodus Constantiensis habeat immediatè à Christo potestatem, *cui quilibet cujuscumque status, & dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem dicti Schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite, & in membris.* Item declarat: *Quòd quicumque cujuscumque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis hujus Sacræ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis legitimè congregati, legitimè super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur.* Hæc duo Decreta confirmata sunt à Basiliensi Sess. 2. 16. 18. 33. 38. & tandem Sess. 45. Toties hæc congregatio Prælatorum inculcabat sua Decreta, poterat enim prævidere, si solùm semel edidisset, statim à memoria hominum delenda. Nedum verò Basiliensis cœtus confirmavit illa Decreta Constantiensis, sed definivit etiam esse de Fide, & contrariam assertionem judicavit hæreticam, quod non fecerat Constantiense.

45. Ego nihili facio Conventum Basiliensem propter multa. Primò, quia, ut patet ex ejus Sess. 1. collectus fuerat ob tria; nempe primò, ut hæreses extinguerentur. Secundò, ut Bella inter Christianos sedarentur. Tertiò, ut vitia extirparentur. Huic fini non inserviebant illa Decreta, cum ad summum non valeant, nisi pro tollendo Shismate, quod tunc nullum vigebat. Hinc Pontifex videns pariter illos Prælatos non incedere per viam, ad quam vocabantur, ut advertit Divus Antoninus titul. 22. suæ Historiæ cap. 10. §. 4. Dissolvit illam Congregationem.

46. Se-

46. Secundò non tractabantur in ipso negotia spiritualia eo ordine, dignitate, modestia, & charitate, ut fas erat, & necessarium pro cœtu, in quo est de Fide Spiritum sanctum assistere. Legatur Æneas Sylvius, qui totis viribus pro potestate Concilii decertavit in Historia, quam scripsit de tali Concilio, & patebit, in Congregatione Basiliensi datam fuisse potiùs speciem duorum Exercituum adinvicem dimicantium atrociter, quàm concertationem Sacram Prælatorum differentium, quid definiendum veniret pro Fide, pro Spe, pro Pace, pro Charitate Christiana. Audiamus Æneam testem ocularem libr. 1. § *Hic cum Arelatensis* In hæc verba scribentem: *At Cathelani, quoniam negari sibi dilationem viderant, ne concordata duodecim Virorum legerentur, strepitu, ac vociferatione obstabant, magno conatu studentes, ut lecturam concordatorum protestatio, quam Panormitanus effecerat, præcederet; nec res sine violentia fuit, cum nec mandata Præsidentis reciperentur, nec ordo in rebus agendis solitus custodiretur; erat namque ubique clamor, ubique strepitus, ubique jurgia effundebantur. Nunc Panormitano, nunc Ludovico sermo erat; nulli tamen sine festinantia loqui licuit. Episcopi cum Episcopis, Inferiores cum Inferioribus verbales habebant rixas, omniaque contentionibus, & probris insonabant, &c. Quo verbo veluti Cœlesti fulmine tacti Panormitanus, Ludovicus, ac Mediolanensis, uno impetu assurgentes, Libertas, inquiunt, nobis eripitur. En quid est, quod frangenda nobis capita Patriarcha minatur?* Tunc ille Patriarcha, Aquilejensis scilicet, curavit humilibus verbis placare furentes Prælatos, sed incassum; Sic enim prosequitur Æneas: *Nequaquam tamen Patriarchalis humilitas clamores extinxit, sed quoties legendi concordati fiebat mentio, toties major strepitus, ac vociferatio, impedimentum extollebatur.*

47. Idem quoque Æneas narrans postea aliam Sessionem, advertit fuisse clamoribus, & tumultibus plenam. Nec mirum, si sine ordine cuncta fiebant. Quomodo enim membra poterant benè se regere, & in præfixum finem se ordinare, si omnes conatus dirigebant ad deprimendum Caput? Legatur paragraphus sequens: *Quo verbo, inquit Æneas, tantus clamor est exortus, quantus solet in prælüs tubarum clangor, & equorum fremitus audiri, cum signis collatis duo invicem concurrunt Exercitus, &c.* Fateor plurimùm risisse, dum legi historiam hanc apud Æneam. Quis enim non rideret legens hæc ridicula? Irascebar tamen contra Æneam, & contra defensores Basiliensium, dum videntes talia monstra crederent adhuc esse Generale Concilium.

48. Tertiò adest aliud caput evidens negandi Authoritatem Basiliensis, quia tandem elegit Antipapam, qui per Ecclesiam Catholicam semper fuit existimatus Antipapa, & fuit Amedeus Dux Sabaudiæ, qui postea errorem suum recognoscens Nicolaum Quintum Eugenii Successorem, ut Christi Vicarium, veneratus est ex Divo Antonino cap. 12. Quis poterit credere illud esse verum Concilium Generale, quod eligit Antipapam, qui dividit Ecclesiam, quæ debet esse una Sponsa Christi? Præterea, quomodo credam Concilium Generale, à quo recessit Caput Ecclesiæ Jesu Christi Vicarius Romanus Pontifex? Ego cum capite potius mori mallem, quàm vivere cum aliis membris, quia membra sine capite Fidem habere nequeunt, quæ fundatur in capite, & est in petra Ecclesiæ, quæ est Divus Petrus, & ejus Successores Summi Pontifices.

49. Quartò in Sess. 45. in Decreto quinque propositionum dixit: *Nec unquam aliquis Peritorum dubitavit, Summum Pontificem in his, quæ Fidem concernunt, judicio eorumdem Conciliorum Universalium esse subjectum.* Credemus ne huic Conventui in obscuris, dum falsum asseruit in manifestis? Nonne Divus Thomas asseruit, ut dixi, 2. 2. quæst. 1. art. 10. *Ad Papam spectare*

tiare finaliter determinare ea, qua sunt Fidei, ut ab omnibus inconcussa Fide teneamur? Ergo per Divum Thomam *ante consensum Papa non possumus Fide inconcussa aliquid tenere*; ergo per Divum Thomam, quamvis Concilium determinat aliquid de Fide, si tamen non confirmet Papa illum Articulum, Papa non tenetur credere definitum à Concilio; ergo per Divum Thomam Papa in rebus Fidei non subditur Concilio Generali. Quomodo ergo Basiliense potuit dicere, nullum peritorum dubitare *de suo Decreto?* Numquid Divus Thomas non fuit peritus?

50. Accedit his omnibus, quòd licet Basiliense Sess. 36. accesserit ad opinionem faventem Immaculatæ Conceptioni B.V. & definierit tenendam, & amplectendam ab omnibus Catholicis, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare, & docere; tamen nullius roboris fuit hoc decretum, nec observatum. Et Divus Antoninus par. 1. titul. 8. c. 2. Instituens quæstionem de Conceptione Beatæ Virginis, & afferens Doctores, & Textus pro utraque parte, non meminit hujus Decreti Basiliensis, quod solum, si aliàs processisset à vero Legislatore, debebat præponderare omnibus in contrarium. Necdum verò non meminit, sed Sanctus Doctor asserit propter Doctorum Authoritates, & rationes probabilius esse, quòd Beata Virgo fuerit genita in peccato originali. Et, quod mirum est, Divus Antoninus scribebat immediatè post Basiliense; Unde, si tunc aliquam Authoritatem habuisset Basiliense, non fregisset sic apertè præceptum adeo solemne, & clarum expressè dicendo: *Probabilius esse Beatam Virginem conceptam fuisse in originali peccato.* Sed quid plura? Ipse Antoninus 3. part. tit. 23. § 6. fine dicit, Basiliense effectum fuisse Conciliabolum. Denique Concilium Lateranense sub Leone Decimo, Sess. 11. In decreto condemnatorio Pragmaticæ Sanctionis vocat Basiliensem cœtum Conciliabolum. Si ergo Papa, & Concilium Lateranense Congregationem illam nihili faciunt, idem faciam ego absque scrupulo.

51. Petrus Annatus in Apparatu ad Theologiam positivam asserit Congregationem Basiliensem fuisse legitimam usque ad Sessionem 25. inclusivè. Legens ego Historias Odorici Raynaldi Italicè exaratam de Anno 1430. numer. 1. invenio, quòd hic Author probat Sessionem 24. solùm habuisse decem Episcopos, & tredecim Abbates. Hæc potest dici Æcumenicus Ecclesiæ congressus? Si juraveris hoc non credam.

52 Negotium facessit Constantiensis Synodus, quæ bene cœpit, & meliùs absoluta fuit, & in ipsa repressum illud horrendum Schisma, quod diu vexaverat Ecclesiam Catholicam. Ego puto, illa duo Decreta prout edita ab illo Concilio explicari commodè posse de Papa dubio, non de certo, prout quæstio præsens procedit. Ratio est, quia, quando Textus, & Leges videntur opponi, debent conciliari, ut est regula certa in Jure. Cum ergo ex c. *significasti.* de elect. dicatur, nulla Concilia posuisse legem Romanæ Ecclesiæ, jam patet, quòd hic Textus, & alii suprà à me relati loquuntur non de Papa, qui potest esse aliquando dubius, sed de Authoritate Papalis dignitatis, quæ est certa, quod detur in Ecclesia. Et contra Constantiense loquitur de quocunque cujusque statùs, etiamsi Papalis existat. Ecce, quòd loquitur de hominibus, qui sunt Papa, quod potest esse dubium, ut tunc temporis accidebat, nam tunc tres erant, qui Papæ dignitatem sibi arrogabant. Quòd sic possit intelligi, & debeat Constantiense ex duobus deduco.

53. Primum est, quia Ecclesia non solet decernere res, nisi ita necessitas postulet. Porrò necessarium erat decidere de Papa dubio, & hoc ad tollendum funestum Shisma; Nulla verò necessitas aderat decidendi de Papa certo Quin talis decisio potuisset parere Schisma inter Papam certum, & Concilium; Papa siquidem totis viribus propugnasset,

c. si.

C. significasti. de elect. & dixisset usque modo nullum Concilium Sedi Apostolicæ legem fixit, quin excepit patenter ejus Authoritatem; ergo nec modo patiar, quòd Ecclesia Romana subeat legem ab alia; & ita se gessisse Martinum Quintum in Constantiensi liquet; Nam in Sess. ultima in publico Concilio confirmavit quidem decreta Concilii, sed non omnia, sed decreta *in materia Fidei conciliariter facta, ipsaque sic conciliariter facta, & non aliter, & non alio modo ratificavit, & illud idem iterato fecit dici per Organum Domini Augustini de Pisis.*

54. Ecce Martinus verus, & certus Pontifex, etiam in ipso Concilio, non omnia decreta approbavit, *sed solum in materia Fidei*, nec quomodocunque decisa, *sed conciliariter facta*, nec semel ita dixit, *sed iterato*; nec dissoluto Concilio, *sed in ipso Concilio*. Ecce quod verus Pontifex noluit recipere aliquam legem pro Ecclesia Romana; Ipsas res Fidei, quas amplectitur, non amplectitur absolutè, sed cum illa conditione, nempe *conciliariter factas, & non aliter, nec alio modo.* Cum ergo illa decreta Constantiensis, de quibus loquimur, non sint definita à Constantiensi tanquam Fidei Dogmata, jam illa decreta non sunt approbata à Martino. Fuit quidem mirum, quod Martinus in ipso Concilio non approbaverit omnia decreta, sed solùm materias Fidei, & has etiam limitatè approbaverit; adhuc tamen nullus Patrum se opposuit; quia scilicet veritas evidens illos retinuit, quia in rei veritate Papa non cogitur recipere legem ab alio, cum nullum in terris Superiorem agnoscat. Igitur ex his constat evidenter, vel quòd illa decreta Constantiensis, in quo Papa subjicitur Concilio, non debeant intelligi de Papa certo, sed Dubio; vel quod Martinus coram ipso Concilio fregerit illa. Et hinc jure faciunt à fortiori Pontifices, dum extra Concilium nullum Superiorem agnoscere volunt, & se supra Concilium extollunt.

55. Secundum verò caput, propter quod illa decreta non sunt intelligenda de Papa certo, est, quia Ecclesia Catholica, & Pontifices Successores illa non receperunt. Omnes Itali, omnes Hispani, ait Caramuel in Theolog. Fundam. Romana libr. 1. Fundament. 14. & seqq. Sustinent Papam non subjacere Concilio, & esse infallibilem; quin credit, hoc idem asserere omnes Galios, & in confirmationem refert illam Historiam, quòd Octuagintaquinque Episcopi Gallorum confugerunt ad Pontificem, ut certam, & indubitatam sententiam de quibusdam propositionibus Jansenii promeret; tum quia semper floruerunt Doctores, qui constantissimè refragarunt Constantiensi; & licèt Divus Antoninus 3. part. titul. 23. §. 6. fateatur in concernentibus ad Fidem Concilium esse supra Papam, & propter hoc Concilium potest judicare Papam de hæresi. c. *si Papa.* 40. dist. tamen dixit, quòd in his, *quæ sunt Juris positivi indubitanter, si Papa supra Concilium, quia ipse est Caput Ecclesiæ.* Ecce quòd in aliquo contrariatur Constantiensi, scilicet quòd Papa teneatur obedire Concilio in his, *quæ pertinent ad reformationem Ecclesiæ in capite, & in membris.*

56. Nedum verò Constantiensi se opposuerunt Doctores plurimi, sed ipsi etiam Summi Pontifices totis viribus se opposuerunt, & se ut infallibiles gesserunt, & soli Deo subjectos se agnoverunt, adhærentes in hoc vestigiis suorum Prædecessorum, qui talibus prærogativis se decoratos crediderunt, ut patebit legenti Canones allegatos suprà pro prima conclusione. Et quidem in c. *facta.* 9. quæst. 3. Anterus Papa expressè dicit: *Facta subditorum judicantur à nobis, nostra verò judicat Deus.* Et Gelasius Papa in c. *cuncta.* ead. ait: *Siquidem ad Ecclesiam Romanam de qualibet Mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus.*

57 Pontifices etiam post Constantiense sequuti sunt hanc Doctrinam. Et primò Pontifices omnes in Bulla Cœnæ Domini excommùnicant appel-

appellantes à Pontifice ad futurum Universale Concilium. Secundò non servant illud statutum Sess. 39. Incipit *Frequens*. In quo decernitur in perpetuum Concilium Generale de decennio in Decennium celebrandum fore; & ita hoc expresse imperat, ut nollit, Papam etiam cum Concilio, Cardinalium posse id tempus prorogare. Primis temporibus Pontifices voluerunt exequi Sanctionem hanc, & Martinus Quintus Concilium Basileæ indixit, & confirmavit Eugenius Quartus. Prælati Basilienses insistentes decretis Constantiensis, & volentes extollere Concilium suprà Papam, noluerunt acquiescere translationi Concilii Ferrariam, & postea Florentiam. Vide hic Argumentum evidens Superioritatis Papæ erga Concilium. Papa indicit Concilium Ferrariæ, postea Florentiæ. Concilium Basiliense contradicit. Ecce primus Papa post Constantiense contradicit apertè Concilio Constantiensi. Sequamur Historiam. Papa incipit, prosequitur, & absolvit cum magno fructu suum Concilium. Conventus Basiliensis obsequutus decreta Constantiensis infœliciter prosequitur, suas Sessiones ad instar pugnantium Exercituum, ut vidimus, conficit; in horrendum Schisma labitur; eligit Antipapam, & tandem cum opprobrio, & irrisione omnium terminat. Ex his habemus Papam immediatè creatum post Concilium Constantiense obstitisse Constantiensi dissolvendo Concilium congregatum juxta statuta Constantiensis contra voluntatem expressam ipsius Concilii, & hanc dissolutionem fuisse approbatam à majori parte Episcoporum, quin & ab ipsis Græcis. Habemus insuper, quòd Basiliense Concilium aliàs legitimè congregatum, quòd totis viribus conatum fuit observare illa Decreta Constantiensis post dissolutionem factam à Papa renitente eodem Concilio, infœliciter prosequutum fuisse, cecidisse in Schisma, Antipapam elegisse, & miserrimè terminasse. Ecce fructus extollentium Papam supra Concilium, & erigentium Concilium supra Papam. Mihi placent fructus extollentium Pontificem, & ideo sequor eorum sententiam firmissimè. Quibus arrident fructus collecti ex Basiliensi cœtu, etiam documenta sequantur.

Quando dico Concilium Basiliense noluisse recipere translationem Concilii factam ab Eugenio, hoc asero, non quasi quòd omnes Patres Concilii hoc detractaverint, sed quia major pars obstitit; nam scio ex Odorico Raynaldo in Annal. latinis de Anno 1437. num. 5. ornatissimam partem, & prudentia potiorem, licèt numero imparem acquievisse voluntati Pontificis.

58. Pius Secundus Pontifex Maximus, priùs dictus Æneas Sylvius, interfuit Basiliensi, & in Historia de eodem laudat, & extollit ipsum Concilium Basiliense supra Papam, licèt videret modum omnino indignum procedendi ejusdem. Electus Papa longissima constitutione deflet, detestatur, & execratur suos errores, & publicè se retractat læsisse enormiter Sedem Pontificiam postponendo Papam Concilio. Tandem omissis pluribus aliis Pontificibus Alexander Octavus in suo illo Decreto condemnatorio 31. propositionum num. 29. proscripsit propositionem illam: *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Æcumenicum Authoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.* Et ejus Prædecessor Innocentius Undecimus in Bulla *Cœlestis Pastor* dicit: *Quod Christus Ecclesiam Catholicam Sponsam suam tanquam novam Civitatem Sanctam Jerusalem descendentem de Cœlo, non habentem rugam, neque maculam, unam, Sanctamque in terris relinquens, armis potentiæ suæ contra Portas Inferi circumvallatam Petro Apostolorum Principi, & Successoribus ejus regendam tradidit, ut doctrinam ab ipsius ore haustam sanctam, rectamque custodirent; ne oves pretioso suo sanguine redemptæ pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent; quod præcipuè Beato Petro mandasse nos Sacræ Litteræ docent. Cui enim Apostolo-*

Apostolorum nisi Petro dixit: Pasce oves meas? & rursus: Ego rogavi Petre, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

59. Notare autem placet, quòd in hac Bulla Innocentius damnat propositiones plures Michaelis Molinos ut hæreticas, erroneas &c. & per hanc constitutionem intelligit docere Ecclesiam Universalem, quam sibi regendam accepisse à Christo in eadem asserit, & subdit, quòd *licet priùs de hoc negotio Decretum ex mandato suo factum fuisset, nihilominùs, ne memoria Apostolicæ damnationis deleri posset, utque Populus Christianus Catholica veritate instructior per viam veritatis incederet, Prædecessorum suorum Summorum Pontificum vestigiis inhærendo, de novo definitivè illas propositiones damnavit.* Hic Pontifex se declarat authenticè Rectorem, & Doctorem Ecclesiæ Universalis, & Populi Christiani. Ergo Ecclesia Universalis, & Populus Christianus tenetur obedire Pontifici in materiis illius Bullæ, quæ sunt Fidei, & morum. Et sic patet, hunc Pontificem, & suos Prædecessores se opponere allegatis Decretis Concilii Constantiensis; & sic sequitur evidenter, quòd vel Pontifices, vel Concilium erraverit. Quòd Pontifices erraverint, nequit dici, quia Ecclesia Universalis illos venerata est ut veros Christi Vicarios, & Divi Petri successores; quod non fecisset, cum tenuissent apertè, & constanter, & in publicis constitutionibus sententiam contra Manifestum Concilii Decretum; & sic, si vera foret opinio Adversariorum, sequeretur, quòd præcipuè Innocentius voluisset docere errorem manifestum Ecclesiam Catholicam, & Populum Christianum; unde per Adversarios debuisset acerrimè corrigi, & Ecclesiæ denunciari, ut puniretur canonicè juxta Decretum Constantiense, & etiam deponeretur, si esset contumax juxta doctrinam Glossæ in c. *si Papa.* 40. dist. V. *A fide devius.*

60. Sed libeat opponere Concilio Constantiensi, & cœtui Basiliensi Concilia Florentinum, & Lateranense Quintum sub Julio Secundo congregatum. Florentinum ergo Sessione ult. in litt. Sanctæ Unionis determinat, *Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi Universalem Ecclesiam à Domino Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis Æcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.* Sed Lateranense Sessione 11. in Decreto abrogante pragmaticam Sanctionem expressè dicit, *Papam esse super omnia Concilia, & plenam habere potestatem eadem indicendi, dissolvendi, & transferendi;* & hanc doctrinam probat exemplis præteritorum Conciliorum; & observa, quod his duobus Conciliis interfuere per seipsos Summi Pontifices, & illos absolutè confirmaverunt. E' contra Basiliensi nunquam Papa adfuit; quòd si interfuit Constantiensi, illud non approbavit absolutè, sed sub modificationibus, ut vidimus.

61. Dices, quamvis Papa non interfuerit cœtui Basiliensi, tamen Eugenius illud approbavit ut patet ex litteris suis, quæ lectæ sunt in Sessione 16. ergo Eugenius approbavit ea, quæ gesta sunt Sessione 2. in illa porrò Sessione confirmata sunt Decreta de Superioritate Concilii in Papam. Ergo juxta approbationem Eugenii Concilium est supra Papam.

Sed perperam gloriantur Fautores Basiliensium de confirmatione Eugeniana. Legantur litteræ Eugenii; quas refert Odericus Raynaldus in Annal. Latinis. Anno 1434 num. 1. & apparebit, Eugenium approbasse, Concilium Basiliense *à tempore prædictæ incboationis suæ legitimè continuatum fuisse, & habere, prosecutionem; habuisse continuari, ac prosecutionem habere debere ad prædicta pertinentia ad ea perinde, ac si nulla dissolutio facta fuisset.* Igitur Eugenius approbat

pro legitimo Concilio Generali cœtum Basiliensem. Hoc fateor, at subdo cum Turrecr. Summ. de Eccl. libr. 2. c. 100. & Cano de Locis Theologicis libr. 5. in solut. arg. ad 9. Eugenium non approbasse doctrinam, quam illud Generale Concilium tradiderat. Non enim est idem approbare aliquem cœtum esse legitimè Generalem, ac approbare ejus doctrinam. Nemo est, qui possit negare, quòd Concilium habitum à Clero Gallicano Anno 1700. Parisiis in Palatio Sancti Germani fuerit legitimum Concilium Nationale Generale. Qui hoc negaret, esset jure plectendus. Ast non per hoc cogimur fateri, doctrinam decisam ab illo Concilio esse veram, quin possumus defendere oppositam, ut ipse aliquoties faciam cum debita reverentia. Igitur Eugenius approbavit, Basiliense esse Generale Concilium, at non approbavit ipsius doctrinam. Vide Turrecrematam latè hanc responsionem prosequentem, quam rescribit verbatim idem Odericus.

62 Unus ex præcipuis, ut dixi, Doctoribus, qui opponitur Supremæ Potestati Papæ est Joannes Gerson Doctor Sorbonicus. Hic post Textum Concilii Constantiensis allegatum conatur, per plura argumenta suadere suam opinionem, & hoc præcipuè ex multis absurdis, quæ videntur sequi ex nostra sententia. Primò sequitur, quòd Papa non subderetur legi Evangelicæ de correctione fraterna, quæ universaliter lata est de omnibus, quòd, si correptus non audiat correctionem fraternam, sit denunciandus Ecclesiæ. Hinc Paulus ad Galat. 2. *Corripuit Petrum Summum Pontificem.*

63. Respondetur, proximus noster si sit Caput, Rector, & Doctor Ecclesiæ debet quidem corripi, non tamen est denunciandus Ecclesiæ, cum ipse debeat illam docere, regere, & judicare. Et hæc doctrina expressè colligitur ex c. *si Papa.* 40. dist. in quo dicitur, quòd si Papa catervatim secum ducit populos in gehennam, *hujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus*, quia cunctos judicaturus à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à Fide devius. Ecce quòd Papa pessimus à nemine est judicandus, & sic nemini est denunciandus. Quid ergo in hoc casu faciendum? prosequitur Textus: *pro cujus perpetuo statu Universitas Fidelium tantò instantiùs orat, quantò suam salutem post Deum ex illius incolumitate animadvertit propensiùs pendere.* Si omnes fideles in Litaniis, & Sacerdotes in Missis impensè semper orant pro Papa, impensiùs est orandum, si Papa esset publicus peccator, & judicium relinquatur Deo, ut expressè dicitur in c. *facta.* 9 quæst. 3. Qui, si permisit, quòd Ecclesia daretur regenda homini peccatori, ex peccatis illius, juxta suum morem, bonum pro sua Ecclesia eruere sciet.

64. Quòd si velimus sequi doctrinam Gersonis, & denunciare Papam Ecclesiæ, procul dubio horrendum Schisma exorietur. Eodem Sæculo, quo habitum fuit Constantiense, vixit Papa sceleratissimus, ut scimus omnes, scandalizans totam Ecclesiam, & tamen Ecclesia non usa fuit doctrina Gersonis, sed instantiùs oravit, & veluti miraculo sublatus est; seipsum enim veneno necavit, quod propinare Cardinalibus destinaverat; quòd si tentatum fuisset, ut Concilium contra ipsum congregaretur, non defuissent plurimi, qui pro Papa stetissent; unde, vel Schisma, vel nihil actum fuisset.

65. Exemplum illud Divi Pauli probat equidem, Pontificem posse corrigi, cum possit ut homo privatus errare, & scandalizare; non tamen probat, quòd possit denunciari Ecclesiæ, quia Petrus non fuit denunciatus. Si quidem Papa esset denunciandus Ecclesiæ, utique Concilium esset supra Papam; & quia ex citato Canone *si Papa*, Papa hæreticus ab Ecclesia judicari potest, ideo in hoc casu Concilium est supra Papam. Dixi, si Papa sit hæreticus, & per hæresim intelligo peccatum, per quod Fides amittitur, & vocatur per Canonem *à Fide devius.* Porrò Fides solùm deperditur ex Tridentino Sess. 6. cap. 15.

per

per infidelitatem, quæ per omnes Theologos sistit in errore intellectûs opposito veritati, quam Fides docet. Hinc non est audiendus Glossator, & alii Canonistæ explicantes illum terminum *a Fide devium* omnem contumaciter peccantem; nam qui contumaciter adulterat, pejerat, &c. si nullum aliud peccatum habet, debet quidem appellari adulter, perjurus &c. non tamen infidelis; & talis adulter, perjurus, &c. est verè, & propriè fidelis, & veram fidem habet, ut colligitur ex Tridentino can. 28. illius Sessionis; tum quia Inquisitores delegati contra hæreticam pravitatem non utique procedunt contra hosce adulteros &c. ergo nec Concilium, quod habet potestatem in Papam *a Fide devium*, poterit procedere in Papam adulterum, perjurum, Simoniacum, &c. Hic peto ab Adversariis, ut me doceant modum denunciandi Papam Ecclesiæ. Numquid est denuntiandus omnibus Episcopis? sed quis hoc munus obibit? est ne denuntiandus Concilio Generali? at quis congregabit illud? tum quia Congregatio Concilii Generalis est res adeo difficilis, ut prius morietur Papa; hinc res tanta inserviret pro nihilo.

66. Aliud absurdum infert Gerson ex nostra sententia; sequitur enim, quod Papa, qui est membrum corporis Ecclesiæ, sicut homines alii, si scandalizaret totum corpus, ipse non esset rescindendus, ut totum corpus sanum fieret, contra Doctrinam Evangelicam fundatam in similitudine juris naturalis Matth 18 Ego nescio cur Gerson non vocet Papam Caput Ecclesiæ, sed solùm illo vocabulo omnibus fidelibus communi *de membro*. Forsan vidit in voce illa, *Caput*, contineri responsionem evidentem suo sophismati, ideò tacuit vocem, *Caput*, & substituit vocem *Membrum*.

67. Licèt ex modo dictis pateat clara responsio, adhuc tamen dico, quòd membrum aliud est caput, aliud non est caput. Si non est caput, tunc procul dubio, si est putrefactum, debet abscindi, ne totum corpus corrumpat Si verò membrum putrefactum sit caput, in naturalibus quidem nunquam est abscindendum, quia cædere caput, & occidere animal est unum, & idem; Hinc serpens, ut salvet caput, omnia membra internecioni concedit, in quo sistit prudentia, quam imitari nos Christus jubet Matth. 10. & animadvertunt Augustinus ...... & Joannes Chrysostomus Homil. 34. in Matth. longè ab initio, cujus Doctrinam approbat Ecclesia die 30. Junii in tertio Nocturno in Commemoratione Divi Pauli. Hinc sistendo in metaphora corporis, potiùs perire deberent omnia membra Ecclesiæ, quàm Caput ejus, quod est Papa. Adhùc tamen assero, in moralibus caput esse abscindendum, sed solùm in unico casu; si nempe moriatur; In aliis morbis quantumcunque magnis medendum est caput, non abscindendum. Utrumque verò probo: Si Caput Ecclesiæ moriatur, hoc est, si Papa sit *a Fide devius* (Fides enim ex Divo Chrysostomo, ubi suprà, *Caput est, & radix, qua servata, etiamsi omnia perdas, omnia tamen rursus majore cum gloria recuperabis*) Tunc jam dixi, est deponendus, & Concilium est supra Papam. Si verò Caput Ecclesiæ non moriatur, idest, non sit *devius a Fide*, quamvis gravissimo morbo laboret, & sic cætera membra gravissimè decumbant juxta illud effatum medicum: dum caput dolet, cætera membra languent, in hoc, inquam, casu caput non est abscindendum, idest, Papa non est deponendus, sed est curandus. Cùm enim caput sit vivum, jam recipit spiritus vitales à corde, idest à Spiritu sancto, qui ex Divo Thoma 3. part. quæst. 8. art. 1. ad 3. est Cor Ecclesiæ. Scimus autem ex Medicis à capite descendere Spiritus animales in cætera membra, & hoc munus præstat, licèt detineatur gravissimo morbo; unde influit spiritus necessarios, ut ita vivant, licèt fatear esse spiritus non ita puros, ut sunt, quando est sanum, Nunquam tamen est abscindendum, quia tunc

membra dè langnidis transirent ad mortua, quod est summum malum. Particu'arizemus doctrinam. Caput acerbissimo dolore cruciatur, & sic cætera membra ita malè decumbunt, ut non se moveant &c. non per hoc tamen homo sibi facit cædere caput. Papa sceleratissimè vivat, sit publicus Simoniacus, Adulter, Homicida, &c. sit tamen fidelis, debet ne præcidi, deponi? neutiquam certè, hoc esset reddere infirmam Ecclesiam pejori morbo. Divideretur in duo capita, ut iniquissimè factum est in Conciliabolo Basiliensi. Medeamur ergo tunc capiti languido, & pareamus Canoni *Si Papa*, & Ecclesia oret instantissimè, ut à se tollatur talis morbus.

68. Adversarii dicunt in moralibus posse tolli caput, & a iud substitui absque morte corporis mystici, & absque alio gravi incommodo. Sed contra, quia est quidem verum, quando caput mysticum moritur physicè; quia tunc cum nihil sit, nullum malum causare valet. At si adhuc existat, & moraliter langueat, difficillimè & cum insuperabili calamitate hoc fieret. Si Concilium Constantiense cum tanta difficultate potuit mutare Caput Ecclesiæ dubium, quomodo potuisset hoc præstare, si astuisset caput, quod fu sset creditum ut certum ab Ecclesia?

69. Nescio, an Gerson neget, Papam esse Caput Ecclesiæ Universalis, ut videtur negare quidam Doctor in Opusculo, quod ponitur post Concilium Basiliense in 4. Tom. Concil. edito Venetiis Anno 1585. Apud Dominicum Nicolinum. Si hoc neget, quæro, quodnam sit Caput Ecclesiæ, non utique Ecclesia Gallicana, non Hispana, &c. ergo erit Romana, ut dicitur in c. 1. 12 dist. Si insteiur, Caput Ecclesiæ esse Christum. Contra est, quia nos hìc loquimur de Ecclesia, quæ sit Sponsa Christi, & thalamus ipsius, juxta c. *quamvis universæ* 21. dist. & sic loquimur de Ecclesia totaliter distincta à Christo, atque adeo debet habere aliud Caput præter Christum; tum quia Ecclesia militans est in terris; tum quia Christus est Caput per modum causæ principalis; & sic debet dari caput in genere causæ Instrumentalis. Tum quia quælibet Ecclesia habet proprium Caput, Pontificem, & Rectorem; Quælibet Sponsa proprium Sponsum in terris. Ergo Ecclesia Catholica habebit etiam in terris Caput, Pontificem, Rectorem, & Sponsum, qui utique erit Papa, ut clare dicitur in c. *ubi periculum de elect. in sexto.* Nec valet, si dicas, nefas esse, quod Ecclesia, quæ est sancta, & munda non habens maculam, nec rugam, habeat pro capite, & Sponso Pontificem, qui est homo peccator, &c. Nam Ecclesia Romana non habet maculam, neque rugam, nec aliquid ejusmodi, ut expressè dicitur in d.c. *quamvis*. Hinc Ecclesia Romana poterit esse Caput Sanctum, quale decet Sponsæ Christi. Tum quia Ecclesia Romana ita est caput, ut omnes aliæ Ecclesiæ debeant sequi doctrinam ejus. c. 1. 12 dist. Papa ergo docet opiniones Jansenii esse hæreticas, alias esse scandalosas, &c. Quæro, an aliqua Ecclesia possit illi non obedire; si aliqua; ergo hac non obediat; ergo membrum potest à capite discedere contra canonem.

70. Confirmat 1 Suppono, quòd Ecclesiæ in toto Orbe sint mille; Pontifex ergo omnibus illis Ecclesiis intimat suam Doctrinam; si aliqua ex his non pareat, jam discedit contra Textum à capite. Quando verò dicitur Papam esse peccatorem, &c. nihil valet, quia etiam Episcopi constituentes Concilium Generale sunt homines peccatores. Et licèt per revelationem sciremus, quòd Episcopi, qui dederunt votum pro aliquo Decreto Fidei in Concilio Generali, sint Adulteri, &c. adhùc tamen illud Decretum est validum, sanctum, & ipsi obediendum, nam illi adhuc sunt veri Episcopi, & contrarium erat hæresis Joannis Hus in suo Articulo 30. ut patet ex Constantiensi Sessione 15. ubi refert articulos illius Hæretici. Ut ergo Papa sit Caput Ecclesiæ Sanctæ,

Sanctæ, sufficit, quòd dum loquitur Ecclesiam, vera, & sancta loquatur: *Hinc Christus dicebat, esse obediendum Pharisæis sedentibus super Cathedram Moysi, non tamen esse faciendum, sicut illi faciebant.* Sic etiam Divus Petrus Epistol. 1. cap. 2. admonebat esse audiendos præpositos etiam discolos; ergo ad Caput visibile Ecclesiæ Sanctæ militantis sufficit, quòd doceat Sancta, nec est necesse, quòd faciat Sancta.

71. Gerson ex eo, quòd Divus Paulus reprehenderit Divum Petrum, infert Papam *posse publicè redargui per Doctorem Theologum*, qui in officio prædicationis succedit Paulo, etiam ubi non hæreticaret, vel erraret in fide. Quando quis posuit conclusionem falsam, nil mirum est, si falsa, & absurda accipiat pro illa stabilienda. Ridiculum, falsum, & periculosum est dicere, quòd Doctor Theologus succedat in officio prædicationis ipsis Apostolis. Nunquid Theologi poterunt prædicare sine licentia Episcopi? Si succedunt, vel succedunt ex officio, vel ex delegatione. Si primum; ergo Theologi, qui non prædicant, peccant mortaliter. Si secundum, ubi reperitur hæc delegatio? Præterea scimus, quantum Episcopi obstiterint Regularibus, etiam in Theologia peritissimis, quamvis haberent privilegia Apostolica, ne prædicationis munus obirent. Quæro insuper, quibus Gentibus Doctor Parisiensis prædicare debebit? quibus Salmaticensis? Audiant hæc Sectatores Gersonis, ut cum viderint illum errare in re manifesta, credant potuisse errare in alia difficili, & obscura. Episcopi successerunt in locum Apostolorum ex Tridentino Session. 23. cap. quarto.

72. Aliud absurdius audiamus. In quinto Argumento asserit, data nostra Sententia sequi, quòd injustè oppressus à Papa non haberet refugium, & defensorem suæ innocentiæ, cum supponamus Papam, non habere Superiorem in terris. Hoc Argumentum, si probare aliquid, destruit Regimen Monarchicum; & tamen Aristoteles dixit: *Monarchiam esse Dominationem perfectam.* Sequela probatur, quia in Regno Monarchico non datur Tribunal Superius; & in temporalibus hi Reges clamant, se non habere alium Superiorem præter Deum. Insuper omnes Reges sunt homines peccatores, & habent plures occasiones, commoditates, & facultates injustè persequendi Innocentes. Scimus factum Uriæ, & plurima alia similia. Persecutio Papæ secundùm potentiam Papalem jam scimus esse Spiritualem. Me excommunicet, quod est maximum malum, quod potest inferre. Si est excommunicatio injusta, eo quòd sum innocens, in foro Conscientiæ me non ligat. Quòd si in foro fori apparebit justa, hoc non est adeo malum grave, quòd propter hoc debuerit Christus instituere Concilium Generale Superiorem Papa. Nunquid, etiamsi Papa excommunicaret centum injustè, propter hoc esset congregandum Concilium Generale?

73. Tum quia hoc tardum remedium inserviret pro honore mortuorum, non pro solatio viventium; tum quia, sicut in temporalibus, qui casus frequentiùs accidere valet, si subditus à Rege injustè insectatur, fugit, & se abscondit; sic faciat in Spiritualibus. Post mille annos hic casus nondum lectus est; cum ergo sit adeo rarus, à Legislatore Christo Domino non erat curandus. Nam Legislatores solent inspicere, quæ sæpe eveniunt. l. *nam ad ea. ff. de leg.* Non est autem adeo rarus casus, quòd insurgant novæ Hæreses. Et si Christus instituisset, quòd Concilium esset Judex infallibilis Fidei, jam ante congregationem Concilii, & Judicis ultimi Sententiam, hæreses figerent radices, & difficiliter postea eradicarentur, quòd non succederet, si Papa esset infallibilis, quia tunc fideles statim edocerentur veritatem; & sic ab Hæreticis non deciperentur. Si verò supponamus Papam fallibilem, Hæretici tunc dicerent, Papam in sua decisione errare; & sic expectandam esse decisionem Concilii, quæ dum attenditur, interim Hæretici deci-

piunt auditores, ut factum est in hæresi Lutherana, ut dixi.

74. Absurdissimum verò est, quod ibi dicit Gerson. Audiamus. *Si Concionator coram Papa prædicet, & magna multitudine, & dicat Christum fuisse verum Prophetam, & Papa jubeat, ut propter hoc Concionator tradatur in Carcerem, si credat Concionator, quòd, si se appellet ad Concilium Generale, Populus proteget eum, & manebit in Fide recta. Si autem non appellaverit, Populus reputabit, quòd Papa verum dicat, & bene faciat, & ita deserat Fidem.* Tunc, subdit Gerson: Concionator potest dicere: *Concilium appello, sicut Paulus timens à seditiosis occidi, clamavit; Cæsarem appello.* Addit hanc Doctrinam latissimè, & studiosissimè prosequutum fuisse Ocham in suo dialogo.

75. Hic Gerson confundit potestatem Spiritualem Papæ cùm potestate Temporali ejusdem, quam per accidens habet.

Dico primò, hunc innocentem non tradi in carcerem ex vi, & potestate directa, quam Christus dedit Papæ, sed ex potestate Temporali, quam Constantinus donavit Pontificibus. Si enim Papa non esset à Cæsare constitutus Dominus temporalis, difficulter haberet Satellites, à quibus Concionator duceretur in carcerem.

Jam scimus, omne jus, & omnem potestatem, quam habebat Populus Romanus translatam fuisse in Imperatorem. l. 1. ff *de const. Princip.* Unde Imperator est Supremus Dominus, nec ab ipso poterat appellari ad Populum. Nunc quot Imperatores sceleratissimi fuerunt, qui injustissimè persequuti sunt non unum, non mille, sed innumerabiles homines, familias, &c. qui innocentes aliud Tribunal non habebant, ad quod appellarent, nisi Deum; & tota eorum salus sistebat in fuga. Nunquid propter hoc non est optimè statutum, & optimè translatum Imperium in Imperatorem? Inveniri Regimen, in quo nullum absurdum, & inconveniens, etiam per accidens, sequatur, est impossibile in hoc Mundo, in Empyreo dabitur solùm. Potest statui Regimen in terris, quod sit aptum ad tollenda incommoda, quæ frequenter possunt accidere, & hoc est Monarchicum in Papa quoad negotia Spiritualia. Tum quia si Papa habet potestatem trudendi in carcerem Concionatorem in illo ficto casu adeo injusto, habebit etiam vires compescendi plebem; & si supponitur adeo injustus, & impius; debet etiam supponi callidus, & astutus, ut priùs modum secum exegerit ad tutè in carcerem conjiciendum Concionatorem. Videte subtilitatem Adversarii; Fabricat casum moraliter impossibilem, & prætendit, quòd Christus respexerit ad illum in fundanda Religione Christiana.

76. Dico secundò, supponendo, quòd Papa habeat solùm potestatem Spiritualem, quæ per se ipsi competit, jam Concionator non truditur in carcerem; fingere verò, quòd appellatio ad Concilium sit medium aptum ad retinendam plebem in fide, hoc fit omnino gratis, nec ulla videtur connexio inter illa, nisi ad summum per accidens, de quo non est curandum; quæ enim per accidens eveniunt, non veniunt in considerationem scientiæ, ait Divus Thomas in 2. dist. 24. quæst. 2. art. 4. ad 6. & alibi pluries. Medium aptum retinendi auditores in fide erit, quòd Concionator doceat illos afferendo Scripturas, & Patres. Vera enim Doctrina tollit errores. Quando verò dicit Gerson Doctrinam suam fusissimè tractari ab Ocham, nihil juvat, cum hic Doctor fuerit infensissimus Pontificibus. Sic etiam nec illi juvat, suam opinionem defendi præter Doctores suprà allatos à Glossa in c. *legimus.* V. *Urbe.* 93. dist. & in c. *nemo.* 9. quæst. 3. V. *neque ab omni Clero.* & ab Angelo. V. *opinio.* num. 1. & Pelbarto in Rosar. V. *opinio* num. 12. Qui duo Summistæ dicunt, Concilium præponi Papæ in concernentibus rebus fidei, quia Orbis major est Urbe. d. c. *legimus.* In aliis verò præponi Papam. *Sunt quidam.* 25. quæst. 1. & c. *Anastasius.* 19. dist. Non, inquam, juvat illi,

nam multitudo Doctorum nihil prodest, quando moventur levibus argumentis, & contra ipsos militant rationes convincentes.

77. Quòd Orbis sit major Urbe, si quid probat, potiùs probat, quòd quoad mores debeamus sequi sententiam Concilii, non Papæ, quia Hieronymus illud dictum profert ad probandum, quòd mos potius sequendus sit Orbis, quàm Urbis. Et ad hoc intentum affertur à Glossa in d. c. *legimus*. V. *Major*. Adhuc tamen nec ullo modo favet Concilio hujusmodi probatio; quia consuetudo Ecclesiæ Romanæ est duplex, ut notat Glossa ibidem. V. *Urbis*. Una, quam servat, & mandat, ut servetur ab aliis, de qua loquuntur c *nolite*. & c. *quis nesciat*. 11. dist: & hæc prævalere debet Concilio, & omnes debent illi obedire, ut patet ex dictis. Alia, quam servat, sed non mandat, ut servetur ab aliis, & de hac loquitur c. *legimus*. & tunc valet: *Orbis major est Urbe*.

78. Denique pro mea Sententia aliud propono, quòd mihi evidens apparet. Videmus, Papam supremam Jurisdictionem in toto Orbe exercere. In foro pœnitentiali absolvit omnes fideles in omni loco ab omni peccato, & censura, ut in Jubilæis. Dispensat ab omni voto, & impedimento Canonico, ut patet in Sacra Pœnitentiaria, utque uno verbo dicam, ipse utitur in praxi illis universalissimis Regulis: *Pasce oves meas*; *Quodcumque ligaveris super terram*. Quod verò hæc tanta jure faciat, videantur Summistæ, Angelus, Nicolaus de Ausmo ex Antiquis; ex Modernis Sylvester. Verb. *Papa*. Legatur etiam Divus Antoninus 3 part. tit. 22. per totum Nunc quæro, an Papa hæc faciat Authoritate Divina, an Ecclesiastica, sicut Vicarius Episcopi facit authoritate data sibi ab Episcopo. Si primum dicatur; ergo, si hanc Authoritatem habet independenter ab Ecclesia, Ecclesia non potest illam coarctare, nec limitare.

79. Ex alia parte Adversarii fatebuntur Concilium Generale habere talem Authoritatem; tunc quæro iterum, si Concilium, & Papa differrent, cui standum esset? Papæ? Ergo in plurimis Papa esset supra Concilium; & si hoc concedatur, non adest ratio, cur non concedatur in cæteris; præcipuè cum Authoritas Pontificis deducatur ab illis Regulis: *Pasce oves meas*; *& quodcumque ligaveris, &c.* Quæ cum sint Universales, nulla adest ratio ad illas limitandas ad hæc, & non ad illa. Prætera si Concilium quoque habet illam Authoritatem, vel habet à Papa, & sic idem sequitur. Vel habet à Deo; & sic, cùm Authoritas Jurisdictionis ordinariæ possit delegari, jam Concilium Generale posset suam Supremam Jurisdictionem alicui Episcopo delegare; & sic constituere Episcopum tantæ Authoritatis, ac Summus Pontifex, cum hac sola differentia, quòd Papa polleret Authoritate Divina Christi, ut dicitur c. *omnes*. c. *sacrosancta*. 12. dist. & alibi pluries; Ille verò Episcopus tanta Authoritate fulgeret Ecclesiastica lege. Et quidem Concilium haberet motivum sufficiens hoc statuendi in India Orientali, & Occidentali, quæ adeo distant à Romano Pontifice. Si hoc concedatur, ut debent concedere, qui volunt Concilium sine Pontifice habere Jurisdictionem immediatè à Deo, jam vident Schismata, & divisionem Ecclesiæ, & subtractionem ab obedientia à Christi Vicario, unde unus posset dicere: *Ego sum Pauli*, *Ego sum Cephæ &c.* contra id, quod volebat Paulus 1. Cor 1. & contra id, quod Canones, & Tridentinum asserunt, Ecclesiam Romanam esse Matrem, & Magistram omnium aliarum Ecclesiarum.

80. Si verò Adversarii dicant, hæc tanta peragere Authoritate Ecclesiæ, & Concilii Generalis, ut videtur tenere Glossa in c. *Concilia*. 17. dist. V. *Jussione*. jam sequitur evidenter, jure Divino Papam non habere majorem Jurisdictionem, ac habeat quilibet Episcopus; sequitur ulteriùs per Concilium posse statui Episcopum, qui polleat ma-

jore Authoritate Papæ; & sic divisio, & Schisma Ecclesiæ, ut dixi; tum quia, cùm ex Trident. Seff. 14. c. 7. & Sessione 24. cap. 1. de Reformat. Pontifex habeat curam, & Sollicitudinem Universæ Ecclesiæ; ergo hoc privilegium nequit ipsi tolli absque hæresi, *quia, qui Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso Summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur....... fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quæ mater est Fidei, & illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur.* Unde & ipse Sanctus Ambrosius *se in omnibus sequi Magistram Sanctam Romanam profitetur Ecclesiam.* Sunt formalia verba. c *omnes.* 22. dist.

81. Hæc breviter dicta sint pro aliquali solutione tantæ quæstionis. Pro qua videantur ex Antiquis Divus Joannes à Capistrano, & Turrecremata in Summ. Eccles. nec omittatur Divus Antoninus ubi suprà cap. 6. §. 20. & hic tenet ad Papam pertinere confirmationem Concilii; A Synodo appellari posse ad Papam; Papam posse sine Concilio determinare Articulos Fidei; & Joannes de Neapoli in Quæst. variis. quæst 39. Ex Modernis verò legantur Magnus Suarius de Virt. Theol. disp. 5. 9. & 10. qui diligentissimè tractat hasce quæstiones; & de Fide contra Anglos disp. 10. Canus de Locis Theologicis præcipuè lib. 6. Cardinalis Tuscus. Verb. *Concilium.* concl. 552. & Bellarminus de controvers. Fidei. Tom. 1. controvers. 3. & Tom. 2. lib. 2. de Concil. Nec omittatur Diana part. 11. tract. addit. 2. qui resolut. 2. more solito adducit plurimos. & resolut. 4. affert censuras, quas nostri Doctores jactant in Doctores sustinentes Pontificem non esse infallibilem. Legatur etiam Antonius Vaira Lector Primus Juris Canonici in Celeberrimo Lycæo Patavino, qui Tomum integrum de hac materia edidit Anno 1704. & acerrimè confutat Aloysium Mayburgum, qui ausus est sustinere oppositum.

82. Denique videatur Antiquus Astensis lib. 6. titul. 39. de Papa. Hic art. 2. refert, & explicat plures versus, in quibus explanantur, quæ propria sunt Papæ. Erat proprium Antiquorum redigendi ad metrum illa, quæ apud ipsos veluti effata, & axiomata erant; & hoc faciebant, ut facilè memoriæ mandarent. Primus versus erat: *Si sit Catholicus, Papam non judicat ullus.* Decimusnonus dicebat: *Nec Legi subditur ulli.* Ecce apud Antiquos erat axioma Papam Catholicum à nullo judicari, & nulli esse subjectum.

83. Claudamus quæstionem, & cum Divo Hieronymo Epistol. ad Damasum in Exposit. Symboli relato in c. *hæc est Fides.* 24. quæst. 1. ad Beatissimum Pontificem præsentem Clementem Undecimum humili corde dicamus: *Hæc est Fides, Papa Beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamque semper tenuimus, & tenemus, in qua si minus peritè, aut parùm cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te,* A te, inquam, & sic sine Concilio etiam. Sed quare à te, cùm aliàs esses fallibilis? Ecce rationem evidentem: *Qui Petri Fidem, & Sedem tenes. Sin autem hæc nostra Confessio Apostolatûs tui judicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum,* (nota hanc vocem) *non me hæreticum comprobabit. Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino providente, & Beato Petro Apostolo opem ferente, in futuro manebit sine ulla Hæreticorum insultatione prævalente, firma, & immobilis omni tempore persistet.*

CAPUT IX.

De Propositionibus damnatis à Clero Gallicano, & ab aliquibus Universitatibus.

1 QUamvis sit decisum in Jure c. *majores.* de bapt. Causas Fidei esse refe-

referendas ad Sedem Apostolicam; tamen Antiquis etiam temporibus Concilia Provincialia, & Nationalia quæstiones Fidei decidisse constat ex pluribus Conciliis Aphricanis, Toletanis, & Arausicanis. Hinc hæc exempla sequens Clerus Gallicanus Anno præcipuè 1700. in Palatio Sancti Germani congregatus ad Comitia Generalia, idest, Nationalia Galliarum, edidit Decretum spectans ad Fidem, & mores. Hoc decretum legi ego in fine Libri, cui titulus: *Quæstiones Paralipomenæ Natalis Alexandri.*

2. Supponendum est autem ut certum apud omnes, decisiones Concilii, etiam unius Nationis integræ, non facere rem certam; quia possunt esse falsæ. Et de facto Provincialia Concilia erravere, unde Divus Thomas 3. part. quæst. 80. art. 6. ad 3. asserit derogatum fuisse c. *Sæpè contingit.* 2. quæst. 5. & est Decretum Concilii Vormaciensis, in quo jubebatur, ut in purgationem de crimine suspectus Eucharistiam acciperet. Ibi verò dicit Divus Thomas, hoc factum esse tentationem Dei; unde sine peccato fieri non posse. Insuper Divus Cyprianus cum octuaginta Episcopis decrevit Baptismum hæreticorum non esse validum. 32. dist. c. *præter hoc.* §. *Verum principia.* fin. quod Decretum postea tanquam hæreticum explosum fuit ab Ecclesia, ut notat Bellarminus in controvers. Fidei Tom. 2. cap. 10. Alia exempla Conciliorum Provincialium errantium affert Cano de Loc. Theol. lib. 5 concl. 4. Ratio verò suppositi est, quia nullibi reperitur concessum tale privilegium Conciliis Provincialibus; quin reperitur statutum, ut à Conciliis Provincialibus ad Romanam Sedem provocetur, ut legenti 2 quæst. 6. per totam patebit.

3. Ex hoc supposito sequitur, decisionibus talibus non esse necessariò credendum, sed posse contrarium sustineri, & adhærere aliis Doctoribus, licèt non sint in Episcopali dignitate constituti arg. c. *ego solis.* 9. dist. ubi Glossa Verb. *Quantalibet.* expressè dicit, quòd veritas à quocunque prolata semper præferenda est ex c. *quæritur.* 2. quæst. 7. & aliis juribus. Ratio etiam est, quia cum illæ decisiones sint fallibiles, jam intellectus non cogitur ab illis, cum solùm ab evidentia cogatur, ut alibi dixi.

4. Hic posset inquiri, an Episcopi valeant præcipere suis subditis, ut sequantur suas decisiones. Quæstio est de subditis, quia Lex non obligat, nisi suos subditos, ut patet ex Juribus. In hoc est certum, quòd subditi, si sint extra territorium Episcopi, & sic etiam Concilii Provincialis, non tenentur obedire, & sequi decisiones Episcoporum, & Conciliorum, quia *extra Territorium jus dicenti impunè non paretur.* Dubium ergo restat de subditis existentibus intra Territorium. Circa quod, loquendo de obedientia quoad actus voluntatis, puto certum subditos debere obedire. Hinc puto certum, quòd Galli existentes in Gallia, excipio Regulares exemptos, debent in praxi uti decisionibus Cleri Gallicani. Hinc, quia Clerus Gallicanus num. 66. videtur damnavisse opinionem de æquivocis, Galli in suis actionibus nequeunt uti æquivocis sine peccato. Sic etiam nec possunt defendere res suas occidendo, licèt inde sequatur gravissimum nocumentum, quia pariter hæc opinio damnata est à Clero Gallicano num. 36. Ratio est, quia tenemur obedire Superioribus, etiam in probabilibus, & dubiis. arg. c. *quid culpatur.* 23. quæst. 1. & expressè ibi Glossa. V. *Iniquitas.*

5. Loquendo verò de obedientia quoad actus intellectûs, scilicet, an teneamur tenere opinionem decisam ab Episcopis, hìc mihi nec opus est, nec juvat talem quæstionem decidere. Vide Asten. l.6.t.47.ar.3 q.8. Ego sum in Regione, in qua Episcopi non solent hæc præcepta incere, & damnant solum propositiones, quæ à Sede Apostolica proscribuntur; & in hoc plurimùm illos laudo, nam indecorum valdè esset, si contingeret, quòd aliqua propositio damnata ab Episcopis, aliquando falsa comperiretur; ergo, si aliqua propositio videtur Episcopis

scopis falsa, & lapsa, consultius erit, si prohibeant solùm praxim, quod certò facere possunt, & nihil decernant de ejus veritate, ne fortè ipsi errent; tum quia non per hoc Doctores opinionis contrariæ mutabunt opinionem, immò possent conqueri, dum videant suas opiniones proscribi sine ratione evidenti, & ab iis, ad quos ex officio non spectat juridicè interpretari. Loquimur enim hìc de opinionibus in materia juris Naturalis, Divini; & Ecclesiastici; Horum porrò juridica declaratio spectat ad Summum Pontificem; cum enim illius sit interpretari, cujus est condere juxta legem fin. *ff. de leg.* & c. *inter alia. de Sentent. excomm.* Et juris Ecclesiastici communis sit Author non Synodus Nationalis, sed Generalis, & Papa; ergo interpretatio juridica juris Ecclesiastici communis ad Papam spectat. Juris quoque Naturalis, & Divini est Deus Author, cujus cum vices gerat in terris Vicarius Christi Summus Pontifex, non verò Episcopi, sequitur, quòd juridica interpretatio horum jurium spectet ad Papam, non verò ad Episcopos. Hinc in c. *multis.* 17. dist. Jubetur, ut, *si in Conciliis Provincialibus exortæ fuerint majores, & difficiliores quæstiones, (ut Sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit,) ad Sedem Apostolicam semper referantur.* Idem dicitur c. *majores.* de bapt. Nota illam particulam *Semper.*

6. Ego consulerem semper Episcopis, ut abstineant à damnatione propositionum, quæ adhuc hinc inde inter Catholicos Doctores controvertuntur; sic enim non se exponerent periculo erroris, & impugnationis, quæ posset fieri à Doctoribus sequentibus opinionem oppositam; tùm quia allatis Sacris Canonibus adamussim obedirent, sicut & Decreto Innocentii Undecimi, in quo damnat illas 65. propositiones; In fine enim illius dicitur: *Tandem ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scolastici, aut alii quicumque imposterum* (nota quòd omnes comprehendit) *se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute Sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in Libris imprimendis, ac Manuscriptis, quàm in Thesibus, disputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni censura, & nota, nec non à quibuscumque conviciis contra eas Propositiones,* quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, *donec à Sancta Sede recognitæ super iisdem Propositionibus judicium proferatur.*

Si dicamus, hoc Decretum ligare solos Doctores in particulari, non verò Universitates, nec Episcopos, & multò minùs Concilia Provincialia, si, inquam, hoc dicamus, adhuc Episcopi, Concilia Provincialia, & Universitates debent abstinere, me judice, à censurandis Catholicorum opinionibus; nam ex verbis Pontificiis habetur, quod tales censuræ pacem turbant; sed nemo etiam Episcopus, debet pacem turbare, ut liquet; ergo nemo, etiam Episcopus debet, censurare opiniones Catholicorum; Sed si Episcopis videntur contrariæ bonis moribus, praxim prohibeant illarum, quod possunt, sed non censurent veritatem earundem.

Hìc autem reticere non possum (salva semper reverentia Illustrissimo cœtui) aliqua, quæ mihi digna notatione videntur super modum procedendi prædicti Conventùs Gallicani. In Præfatione illius dicitur: Illud Concilium celebratum fuisse, *ut occurreret Ecclesiæ laborantis incommodis.* Sed hoc officium ad Caput Ecclesiæ pertinet procul dubio, non ad Ecclesiam Gallicanam; nam hæc, sicut & cæteræ, sunt vocatæ in partem Sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, ut dixi ex c. *decreto.* c. *qui se scit.* 2. quæst. 6. & in Conciliis Provincialibus, sic & Nationalibus non sunt tractandæ majores, & difficiliores quæstiones, (*ut Sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit*) Sed ad Sedem Apostolicam sunt referendæ. c. *multis* 17. dist. c. *quoties.* 24. quæst. 1. Quia tamen, ut dixi, introductum est per consuetudinem, quòd in Galliis in Comitiis Generalibus tractentur negotia

tia Fidei, quæ sunt majores Quæstiones, ut notat Glossa. V. *Majores.* d. c. *multis.* Non tamen introductum fuit, nec introduci potest, quòd Ecclesia Gallicana debeat gerere curam Ecclesiæ, membrum siquidem regere corpus non debet, sed solùm Caput, Ideò Episcopi Gallicis incommodis Ecclesiæ Gallicanæ, *non Ecclesiæ* providere debent. Præterea in hoc Concilio examinantur, & discutiuntur propositiones jam damnatæ à Sede Apostolica; & quæ discuti tempus non permisit, non proscribuntur. Hinc, licèt Alexander Octavus ante decem annos damnaverit 31. propositiones, hæ à Clero Gallicano non notantur, una excepta. Ex quo videtur sequi, quòd Decreta Pontificia in Gallia recipiant firmitatem à Concilio. Et tamen scriptum est: *Nec ullum ratum est, aut erit unquam Concilium, quod non fultum fuerit ejus authoritate.* c. *Regula.* 17. dist.

7. Denique observo, quòd in margine Propositionum damnatarum aliquando ponitur Censura Pontificum, aliquando alicujus Episcopi Gallicani, aliquando etiam alicujus Vicarii Generalis particularis Episcopi; aliquando verò simul Pontificis, & Episcopi, vel Vicarii. Nescio, an hæc margo sit in actibus Concilii, an verò sit notatio alicujus Doctoris. Hæc notatio nullo modo mihi placet, quia sicut stellæ augere nequeunt lumen Solis, ita nec Episcopi augere possunt Authoritatem Pontificum, qui assumpti sunt in plenitudinem potestatis, & qui ita vices suas aliis Ecclesiis impertiuntur, ut hæ Ecclesiæ, & ita illarum Episcopi, in partem sint vocatæ Sollicitudinis, ut dicebam ex allato c. *decreto.* & c. *qui se scit.*

8. Si Episcopi, & Concilia Provincialia non sunt infallibilia, multò minùs erunt infallibiles Universitates, quin puto, cæteris paribus, plus valere decisionem Concilii Provincialis, quàm alicujus Universitatis, etiam Magnæ. Hinc pluris æstimandæ sunt decisiones Conventùs Gallicani, quàm Universitatis Parisiensis. Ratio est, quia Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; ergo cum Jure Divinò teneantur regere, & docere populos, populi debent jure Divino obedire Episcopis, è contra populi non tenentur obedire Universitatibus, quarum potestas est solùm dandi Lauream Candidatis, & explicandi veritatem, non verò imperandi.

Dices: In jure Doctores, & Universitates habent facultatem interpretandi Leges; ergo Doctorum explicatio est Juridica, & Autentica. Antecedens constat ex Præfatione Decretalium Gregorii, & aliorum Decretalium, in quibus Pontifices mittunt Decretales Universitatibus quibusdam, ut illas interpretentur, & legant.

9. Respondetur, Interpretationem legis factam ab Universitatibus, & Doctoribus esse quidem derivatam à legibus, quatenus hoc leges concedunt, non tamen esse necessariam, quasi quòd teneamur sequi illam interpretationem, sed esse liberam, ut colligitur ex l. un. C. *de profess. qui in Urbe Constant.* & notant Glossa. §. *ex his omnibus.* el. 1. 11. qu. 1. & Divus Antoninus 1. part. tit. 17. §. 7. Quando autem assero, interpretationem Doctorum non esse juridicam, intelligo de necessaria, quæ habet vim legis, de qua agitur l. 1. C. *de leg.* & hæc prodit ab eo, qui legem tulit. Vide Gloss. & Antoninum ibid.

10. Hìc posset fieri Quæstio, an per prædictum Innocentianum Decretum Universitates teneantur imposterum abstinere à censurandis opinionibus, quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur.

Respondetur primò, ipsos Doctores omnium Universitatum in particulari procul dubio teneri, quia hoc Decretum loquitur de Doctoribus expressè.

11. Respondetur secundò, mihi non esse certum, teneri ipsas Universitates, ut sunt quoddam corpus morale, & unum Collegium; quia in dicto Decreto nullum datur verbum, quod expressè, & clarè loquatur de communitatibus.

12. Re-

12. Respondetur tertiò, Motivum tamen, propter quod factum est illud Decretum, reperiri etiam in Universitatibus, quia Censuræ Universitatum de aliqua opinione possunt frangere pacem, & causare rixas; Nanque Doctores opinionis censuratæ conquerebuntur de tali Censura, cum Universitates, ut dixi, habeant solam facultatem interpretandi liberè leges, & earum interpretationes non cogant, & possint errare.

13. Ex his omnibus sequitur clarè, me ritè, & rectè processurum, nec ab ullo culpandum fore, eo quòd in hoc Libro sequar aliquando propositiones censuratas à Clero Gallicano, & ab aliquibus Universitatibus. Hoc enim faciam innixus validissimis rationibus, & salva semper honorificentia nedum illis Magnis Episcopis, sed aliis viris doctis, ac aliis omnibus. Ego enim omnes colere volo, & nullum spernere, aut denominatione minùs digna aliquem appellare, ut faciunt Adversarii, præcipuè Vendrochius, qui quos Theologos sibi faventes videt, quamvis communiter non censeantur maximi, maximi illos facit, & in Theologorum choro reponit; qui verò sibi adversantur, nihil ducit, & spernit. Hoc idem facit de Episcopis. Ipse laudat magnopere quemlibet Episcopum in particulari, qui in Gallia Decreto damnaverat Probabilitatem. Benè facit; Episcopi sunt venerandi, ac magni faciendi. Martinus Bonacina fuit Episcopus, & Doctor Theologus, & Canonicus, & insuper composuit magnam Summam Moralem, quam solus invidus non laudabit; Hunc verò Episcopum nullius authoritatis virum vocat Vendrochius.

14. Dicat Vendrochius mihi: Illi viri Galli fuerunt Episcopi, & Doctores; Sic fuit Bonacina; in hoc sunt pares. Bonacina fuit Doctor in duplici facultate, quod de illis Gallis Episcopis non constat; ergo in hac ratione Bonacina excellit illos Gallos. Bonacina composuit Summam, quæ undique expetitur, & ab omnibus legitur, & à Moralistis, exceptis paucis Probabilioristas, summis laudibus effertur. Episcopi illi summam ullam Moralem non fecerunt, nec de Moralibus quæstiones publicè tractarunt, unde licèt illos ut Magistros Theologiæ Speculativæ, utpotè Laurea Theologica decoratos; vel ut Sacrorum Canonum peritos; & sic Casuum Conscientiæ legis humanæ gnaros, utpotè Juris Doctores, debeamus colere, & venerari, non tenemur eosdem credere totius Moralis Sapientes. At Bonacinam ob hunc quoque titulum venerandum esse, liquet manifestissimè. Cur ergo tantoperè laudat Vendrochius quoslibet illorum Episcoporum, & Episcopum Bonacinam sic vituperat? Ego aliam rationem diversitatis non video, nisi quia illi favent Vendrochio, hic verò adversatur. Ego sic non faciam, omnes laudare placet, & si doctrina non placeat illorum, sequendo monitum aureum August. epist. 111. *Illos cum reverentia dimittam*, ut sæpius Lectores meos monui.

CAPUT X.

Errores plurimi Glossæ Canonicæ.

1 INvitus accingor ad narrationem errorum Glossatoris Canonici, & aliorum Antiquorum; ego enim volo aliorum defectus tegere, vel defendere, si fieri posset. Invitus accingor tamen ad hujusmodi evulgationem, in qua si aliqua culpa erit, tota Adversariis erit tribuenda. Ipsi contra nos sic argumentantur. Doctrina, ex qua sequuntur plurima absurda, est abjicienda; sed Probabilitas est doctrina, ex qua plurima absurda oriuntur; ergo Probabilitas est abjicienda. Major est lumine naturali notissima, & ipsis Summulistis Logicis datur pro regula, *Ex verò nonnisi verum sequi.* Probant ergo minorem, & illam probant afferendo plures propositiones, quas ut probabiles docent Probabilistæ. Hujusmodi argumento utuntur Fagnanus. c. *ne innitaris*.

de

de constitut. num. 335. ubi dicit: *Innumeras propositiones falsas, velut ab Equo Trojano, egredi ab opinione probabili.* Vendrochius Not. 1. epistol. 5. sect. 3. §. 5. dicens: *Probabilitatem pandere latissimum aditum ad omnem impietatem.* Gonettus Tom. 3. dissert. de probab. art. 3. num. 64. & seqq. referens *monstra Probabilitatum.* Vincentius Baron apud Cardenas disput. 15. num. 361. & sequ. asserens: *per Probabilitatem scelera omnia evadere licita.* Jacobus à Sancto Dominico apud eundem Cardenas disp. 56. cap. 21. art. 5. probans: *Probabilitatem relaxare Conscientias plurimis laxis opinionibus.* Sed nihil mirum esset, quod hi Doctores tali argumento inniterentur; nam scribunt in Probabilitatem tanto ardore, & acri disputatione, ut possimus suspicari, quòd calor disputationis ita ipsis cerebrum calefecerit, ut mens non potuerit haurire species claras ad discernendam imbecillitatem argumentationis. Res mira est, eandem argumentationem adhibuisse Fogarinum disp. 3. part. 3. sect. 2. num. 36. & seq. ubi dicit: *Propositiones damnatas a Pontificibus provenire a Probabilitate;* & alios *Probabilioristas*, qui stylò gravi Probabilitatem insectantur. Quin Illustrissimus Clerus Gallicanus *in §. de dilectione Dei.* scribit: *Probabilitatem esse initium damnatarum propositionum*

2. Non est hujus loci respondere prolisè directè huic argumento; suo loco hoc faciam. Sufficiat dicere, illas propositiones, quas docent Probabilistæ, non tradi ut probabiles, vel minùs probabiles, sed ut plurimùm tanquam *Probabiliores*; unde si argumentum probaret, probaret nec etiam *Probabilioritatem* esse bonam regulam morum contra ipsos.

3. Sed demus id, quod volunt; nunc cogor respondere ad hominem, contra ipsos retorquendo argumentum evidenter. Dico evidenter, nam assero, quòd Adversarii non poterunt aliquid reponere; ecce argumentum. Doctrina ex qua sequuntur plurima absurda, est abjicienda; *Sed ex Doctrina Antiquorum sequuntur plurima absurda;* ergo Doctrina Antiquorum est abjicienda. Minor patebit capite præsenti, & seqq. in quibus Glossæ, & aliorum Antiquorum plurimas propositiones falsas, & laxas referam. Et nota, quòd plures referam, & quasdam etiam laxiores, & perniciosiores. In materia de Confessione potestne inveniri opinio laxior, & perniciosior, *quòd non tenemur confiteri peccata?* In materia eleemosynæ, *quòd ad eleemosynam non obligamur?* In materia Duelli, *quod consuetudo excuset a Duello?* Hoc autem faciam, quia sic meliùs nostros Probabilistas defendam.

4. Sed jam incipiamus historiam errorum Antiquorum, & ordiamur à Glossa Canonica. Nescio, an, exceptis Sanctis Patribus, tantam doctrinæ æstimationem aliquis Doctor consequutus fuerit, ut Glossator. Hic de Canonico sermonem habeo. Amplissimo calamo hasce laudes scripsere Bertachinus, & Cardinalis Tuscus. V. *Glossa.* Superfluum puto iterum eas enarrare, quin & tædio plena res esset. Scire sufficiat, tot esse, ut fidem humanam longè superent. Inter minores hanc dices, quòd sua Authoritas prævalet aliis, ut notavit, probavitque Bordonus Theologus in Propugn Opin prob. cap. 5. num. 84. & Textùs defectum supplere dictum ejusdem. Joannes Andreas, ut refertur in Glos. fin. de regul. jur. scripsit de Glossa Decretalium, *tantam sibi adeptam fuisse gloriam, ut, licèt occiderit, fama perennis erit.*

5. Sed pauca in laudem Glossæ dicta à Probabiliorista Fagnano audiamus in *c. ne innitaris.* de const. num. 352. *Quod maximè*, inquit, *in opinionibus Glossæ procedit, cujus Authoritas alias antecedit, si credimus Baldo in l. cum hereditas. C. de pos. & propterea idem Baldus in l fin §. necessitatem. C. de bonis, quæ liber. adhæreas*, inquit, *Odofredi veritati, idest Glossæ, & in perpetuum non errabis. Et in c. contingit de dolo, & contum. asserit B somniasse, sicut accidit Doctoribus volentibus infringere opiniones Glossa-*

Glossarum. & *Cynus in l. non mortuum. C. de contrahen.* & *commutt. stipul. Advocate*, inquit, *audi Idolum tuum*, *idest Glossam.* Hinc juxta Fagnanum, Glossator est idolum Canonistarum. Hic peto ab ipso, quare vocet ritè Idolum Glossatorem, & Moderni nequeant vocare Dianam Agnum Dei? Nec quis credat Idolum dici, sumendo Idolum, ut sonat apud Catholicos Numen falsum.. & fictum, & mendax. Neutiquam certè. Hoc nomine significant virum tantæ scientiæ eruditum, & imbutum, ut honorem summum mereatur, & ut ita dicam, thus, & adorationem à Sapientibus in genere Sapientiæ, ut quidam Philosophus, *Confusius* nomine, apud Sinas philosophicè adoratur, ut narrat Pater Bartolus in Historia Sinensium lib..

6. Ego potiùs supponens esse vera tot encomia, quàm talia credens, inquiram, an hoc Idolum semper velut oraculum, & sic veraciter, an verò, ut Idolum, & sic mendaciter, sæpius loquutum fuerit. Igitur obiter quærens in Glossa, quorum opus habebam, notavi hasce Propositiones, quas, an sint aut hæreticæ, aut erroneæ, aut temerariæ, aut scandalosæ, aut improbabiles, aut ridiculæ, & quædam contra evidentiam naturalem, ut tales ipsas pro certo habeo, munus erit Adoratorum Glossæ, & omnium Probabilioristarum, demonstrare hisce Censuris non subjacere. Ita verò illas noto, nec transgredior mandatum Innocentii Undecimi, quia hæ opiniones apud Catholicos hinc inde ampliùs non controvertuntur. Ego utor Glossa in Decretum, & Decretales excussa Anno 1528 Tertio Kalendas Maii Venetiis. Hoc animadverto, quia Glossator fuit aliquando correctus, unde nollem, quòd Adversarii me falsarium nuncuparent, si Glossa correcta uterentur.

7. Igitur in c. *consuetudo.* 1 distinct. V. *Quod Religioni conveniat*; ait: *Multa enim sunt contra rationem, tamen congruunt Religioni, ut Virginem peperisse* & infrà V. *Quod saluti proficiat: Licet ratio sit, quòd homo debeat persequi inimicum, tamen non proficit hoc ad salutem.* In dist. 5. princ. V. *Sed cum naturale.* dicit: *Puerpera, & menstruata usque ad certum tempus prohibebantur intrare Ecclesiam, sed modò neutra prohibetur: & hæc prohibitio est de jure naturali; ergo restat, quod jus naturale sit variatum.*

8. In c. 1. dist. 13. V. *Item adversus.* asserit: *Mendacium officiosum prolatum à perfecto, idest, qui renunciavit omnibus, esse peccatum mortale, dictum verò ab aliis, peccatum veniale.* Eandem opinionem amplectitur. c. *ne quis arbitretur.* 22. quæst. 2. Verb. *Non occiditur.* Hæc Glossa à Divo Thoma 2. 2. quæst. 110. art. 4. vocatur rationabiliter irrationalis. Sed si hìc Glossa est nimiùm scrupulosa, 14. dist. c. *quod ait.* V. *Periculosissimè*, non videtur adeo severa; nam inquirens, an liceat pro salute spirituali proximi peccare venialiter, utramque opinionem refert, at nihil decidit. Quia tamen veram opinionem ponit secundo loco, potest dici illam sequi. Sed modus hic amplectendi opiniones in Doctore non arguit firmitatem in ipsis, sed Dubium.

9. In c. *In his igitur.* 23. dist. V. *Pro beneficiis.* c. *quicquid invisibilis.* V. *Consolatione.* c. *honorantur* 32. quæst. 2. V. *Honorantur*, & V. *Desponsata.* & in aliis textibus, quos infrà refero, sustinet, Matrimonium gratiam non conferre, & ne videretur hoc casu dicere, probat, ut est moris Canonistarum, Canone *Connubia.* 32. quæst. 1. At hic Canon eodem modo probat hanc hæresim, ut veritas errorem, & falsitatem. Hæc hæresis damnatur à Tridentino Sessione 7. can. 7 & 8. de Sacramentis in genere. In c. *qui Episcopus* eadem. V. *Dimittantur*, ait: *idest dimissa ostendantur, nam per Contritionem dimittuntur adulto peccata, non per Baptismum.*

10. In c. *unum Orarium.* in casu, qui incipit, *Habet*, ait: *Dicitur enim Crimen quodlibet peccatum mortale, vel veniale, quod ex deliberatione procedit*, & non

non deletur ; nisi per pœnitentiam. *Quæ verò procedunt ex infirmitate , vel ignorantia præcipit Jacobus alterutrum confiteri , quia facilè dimittuntur.* & V. *Criminale.* afferit , *quòd assiduitas , & contemptus vitandi veniale fiat mortale* . Vide Glossatoris falsissimam rigiditatem.

11. In c. *acutius.* 26. dist. V. *Significat.* hæc habet verba : *Et ita ipse Episcopus est Sacramentum* (scilicet Episcopatus) *sicut aqua ipsa.* 1. quæst. 1. detrahe. In c. *non nos.* 40. distinct. V. *Quis enim.* dicit : *Facta Papæ excusantur, ut homicidia Sampsonis , & Furta Hebræorum.* & in c. *bomo Christianus.* eadem dist. V. *Calix.* habet hæc alia : *Alii dicunt , quòd circumstantia non aggravant peccatum , sed solus contemptus.* Quàm benignus Glossator!

In c. *pervenit.* 95. distinct. V. *Concedit.* asserit , quòd *Diaconus ex mandato Papæ potest conferre Diaconatum , & confirmare in fronte ; Sed non potest Papa ei demandare , ut conferat ordinem , quem non habet.* & in c. *illud.* ead V. *Chrisma.* affirmat , quòd *Episcopi debent honorare Presbyteros , quia & ipsi Presbyteri sunt , & insimul debent Dei Ecclesiam gubernare. Quòd autem unus Episcopus est major , hoc fuit de consuetudine.* Legatur Tridentinum Sess. 23. & constabit jure Divino Episcopos Superiores esse Presbyteris.

12. In c. *detrahe.* 1. quæst. 1. V. *Detrahe.* decidit , Puerum non esse baptizatum , nisi perseveret in aqua usque ad ultimum verbum formæ ; ibi quoque videtur tenere cum Gandulpho , quòd elementum aquæ sit ipse Baptismus. Hinc lepidè illuditur à Scoto in 4. dist. 6. quæst. 3. Attamen in cap. 1. de Consecr. dist. 4. tenet absolutè , Baptismum consistere jn aqua ; Nevè sequatur illud absurdum , quòd Sacramentum bibatur ab Asino , & aliis animalibus vastæ molis , forsan vult consistere equidem in aqua , sed tamen in solo ultimo instanti verborum. Sed facile esset , vitare hoc periculum quoad Asinum , & animalia similia , non nullo labore cohiberi possunt , ne ingrediantur in locum , ubi Baptisma datur. Labor esset , & opus magnum remorari Catellos ; Bestiolæ hæ siquidem leves pedibus huc , ac illuc currunt tanta celeritate , ut nequeant , junctâ suâ corporis parvitate , tam facilè capi , & prohiberi. Hinc dubitarem , ne in ultimo etiam verborum momento Baptisma sorberent. Hortarer ergo Parochum , si cultor Glossæ esset , ne talia animalia aleret , & juberet , ne Populi illa secum ducerent in templum. Hæccine poterant hæc ridicula , & inepta evulgari à Canonistarum Magistro ?

13. In c. *sicut ficti.* ead. V. *Ficti.* jubet , dandum esse Baptisma ei qui fictè accedit , & in c. *remissionem.* V. *Necessitatis.* dicit : *Videtur etiam, quòd Baptismus non sit necessitatis Sacramentum.* Tridentinum Sessione 7. de Baptism. Can. 5. decidit: *Si quis dixerit Baptismum liberum esse , hoc est , non necessarium ad salutem , anathema sit.* In c *manus.* V. *Impositio.* asserit , quòd manus impositio *in pœnitentibus , si est publica* , est Sacramentum , & ideo non reiteratur , *& convenit tantum Episcopis* , ut 26. quæst. 6. c. 1. & 50. distin. *in capite.* Si est privata non est Sacramentum , *& iteratur , & convenit etiam Presbyteris* , ut 26. quæst. 6. c. *Presbyteri.* §. *ecce.* Si mens mea non fallit credo , Textum hunc continere geminuam hæresim. In c. *quod quidam.* V. *Homini.* dicit arg. quòd *sententia heretici valeat , & ligatio , & solutio , cùm jus ligandi , judicandi , atque solvendi à tempore consecrationis acceperit.*

14. In c. *Præsul* 2. quæst. 5. audacister asseruit : *Nunquid contra Papam duplicabuntur testes ? Immò duo sufficiunt* , (scilicet ad condemnandum Papam) *& in hoc est deterioris conditionis , quia ipse sine comparatione aliorum creatus est major , & ideo sine spe venia condemnandus est ut Diabolus.* De pœnit. dist. 2. princ.

In c. *nihil.* 7. quæst. 1. V. *Minimum.* tenet , *Sacerdotem debere abstinere à Celebratione Missæ , nisi cibus sit digestus.* Hinc

Hinc sequitur eos malè agere, dum nocte Natalitia paulò ante mediam noctem jentaculum sumunt, & ipsa peracta celebrant. Addit tamen: *Medicinam fortè potest sumere*, ante Missæ celebrationem, *quia illa non connumeratur inter alimenta. ... quod non credo.*

15. In c. *tempus*. 13. quæst. 2. V. *Pro Baptizatis*. vult tam prodesse quibuslibet orationes in generali, & in particulari. Quæ Glossa quantum glossanda sit, lege Divum Thomam quodl. 2. art. 14. & Theologos, qui communiter asserunt, cæteris paribus, plus prodesse Orationes factas pro aliquo determinatè, quàm pro omnibus in generali. Et in V. *Pro valdè*. determinat, Orationes pro decedentibus in peccato mortali, si non sint valdè mali, valere iis ad mitiorem pœnam.

16. In princ. 15. quæst. 1. V. *Quòd autem*. ait: *Infirmitas carnis duplex est. Una est fomes peccati, scilicet originale peccatum, & quæ ex hac causa fiunt, imputantur.* Tridentinum Sessione 5. in Decreto de Originali peccato statuit de Fide, per gratiam Baptismi tolli reatum Originalis peccati. Adhuc tamen subdit: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hac Sancta Synodus fatetur, & sentit.* Supra verò dixerat, per Baptismum *tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet.* Unde damnatur alius error Glossæ. c. *si Concupiscentia*. V. *Habitat*. eadem. ubi ait: *Non enim tollitur penitùs Originale in Baptismo quoad sui essentiam, sed ejus effectum mitigat Baptismus, ne per illud damnemur.*

17. In c. *sanè*. quæst. 3. eadem. V. *Ad instar*. ait: Item *Simonia est majus crimen, quàm hæresis*, ut 1. quæst. 1 c *eos. Immò est majus crimen, quam aliud crimen.* Simonia est peccatum in res Sacras quidem, tamen creatas; Hæresis verò, odium Dei, & desperatio, cùm sint vitia opposita Virtutibus Theologalibus, sunt peccata immediatè in Deum. Numquid major erit injuria facta Creaturis, quàm Creatori, famulis, quàm domino, rebus, quàm personæ, subdito, quàm Supremo rerum omnium Creatori? In c. *quam sit*. 18. quæst. 2. V. *Ad ordinandum*. ait: *Quòd si Monachus sit factus Papa invito Abbate, debetne redire? sic, & ipsemet compellere se redire.* Nemo certè potest, se compellere, quia coactio est ab extra, & electus Papa, cùm jam sit Papa, est supra omnes, & nulli tenetur obedire, & soli Deo est subjectus, ut diximus.

18. In c. *ne quis*. V. *Non occiditur*. 22. quæst. 2. ait: *Videtur ergo, quòd perfectus homo mortaliter peccet mentiendo pro vita alterius.* Hunc errorem tenuit etiam c. 1. dist. 13. V. *Item adversus*. ut suprà retuli. In c. *quid ergo*. 23. quæst. 5. V. *Levis*. ait: *Ecce quod levem dicit culpam maledicere Deo, cùm magis sit maledicere Deo, quàm Principi.* Quas quæso execrationes Montaltius, & Vendrochius jactassent in Modernos, si hanc lassitatem hæreticam propugnassent, & falsitatem evidentissimam? In c. *qui recedunt*. V. *Amentibus*. 26. qu. 6. asserit: Si quis fuerit amens à nativitate, talis potest baptizari, & *Corpus Christi in necessitate recipere.*

19. In c. *Diaconissam*. 27. quæst. 1. V. *Ordinari*. ait: *Alii dicunt, quòd, si Monialis ordinetur, benè recipit characterem, quia ordinari facti est, & post Baptismum quilibet potest ordinari. c. final. de Presbyt. non baptiz.* Non credo, quòd hæretici nostri temporis asserentes Ordinem non esse Sacramentum tantùm audeant c. *si quis votum* eadem. V. *Eodem*. ait: *Numquid simpliciter vovens potest contrahere cum alia, quæ simpliciter vovit? Non videtur*, quòd teneat Matrimonium, *cùm neuter possit debitum exigere.*

20. In c. *Beata Maria*. Verb. *Voti virginalis*. ait: *Sic ergo patet, quòd Maria non voverat continentiam, sed proposuerat vovere, & Virginitatem servare.* Legatur Textus ipsius Augustini, & patebit, Beatam Virginem votum virginitatis non expressisse ore; ergo videtur corde expressisse, quod sufficit ad votum, ut Glossa quoque fatetur. V. *Ore*.

21. In

21. In c. *quomodo virginibus*. V. *Per se*. 31. quæst. 1. ait: *Matrimonium enim propter se non appetitur, quia non ducit ad vitam*. Omnes Catholici contra hæreticos asserunt, Matrimonium esse opus bonum, & Sacramentum; ergo ducit ad vitam supernaturalem. In c. *hi qui Matrimonium*. 32. quæst. 7. V. *Exsecti sunt*. concedit spadonem contrahere Matrimonium, *si habet virgam erectam, sive resolvat sperma, sive non; nam talis satisfacit mulieri, sicut mulier satisfacit viro, sive resolvat, sive non; nec requiritur, quòd semper in Matrimonio sit filiorum procreatio, quia sufficit, quod non evitent prolem*, ut suprà eadem quæst. 2. c. *solet*. audite lassitatem! hìc meliùs quadrarent tacitæ illæ quidem, & propter hoc acutissimæ objurgationes, quas jactat in Jesuitas Montaltius Litter. IX. pag. 196. ob quasdam opiniones indulgentes nimiùm Matrimonio junctis, & sponsis. Parcamus Glossæ errorem philosophicum, dum non agnoscit discrimen inter semen virile, & fœmineum. Canonistæ enim non tenentur studere Philosophiæ. Nullo tamen modo ignoscendus est illi error Theologicus simul, & Canonicus. Ibidem ipse fatetur, quòd frigidi sunt inhabiles ad Matrimonium, & habetur. c. *requisisti*. 33. quæst. 1. & ibi dicitur, quòd possunt vivere hi frigidi simul ut frater, & Soror, si scilicet ambo sic vivere velint. *Quod si mulier causatur, & dicit: Volo esse mater, & filios procreare, tunc videtur, mulierem secundas nuptias contrahere posse. Vir autem, qui frigida est natura, maneat sine Conjuge*. Ecce quòd Textus clarè, & expressè separat illos, quia vir nequit facere, *ut Uxor evadat mater, & filios procreet*. Hoc autem fit *non erectione virgæ, sed effusione spermatis; & erectio virgæ satisfacit voluntati quidem lascivæ mulieris*, quæ sola non sufficit ad Matrimonium, sed non satisfacit voluntati rationali mulieris volentis fieri matrem, & filios procreare, quæ sola potest reddere Matrimonium validum, & cujus solus defectus in dicto c. *requisisti*, attenditur, ut matrimonium dirimatur; ergo Glossa lassitatem ingentem, & destructivam generis humani induxit contra Textum manifestum Canonis, ac proindè juxta regulam Theologicam Glossa est inexcusabilis in hoc errore.

22. Xistus Quintus Anno 1587. 27. Junii in Bulla *Cùm frequenter* damnat matrimonium spadonum utroque teste carentium, si contrahant, *non ut castè vivant, sed ut carnaliter invicem conjungantur*. Scio Probabilistam Basilium Pontium de matrim. c. 56. sustinere ut validum Matrimonium Eunuchorum utroque teste carentium, si *fiat ad vitam castè transigendam*, quam opinionem amplectitur ut probabilem Diana part. 4 tract. 4. resolut. 75. & in Coord. tom. 2. tract. 6. resolut. 142. Ego huic opinioni calculum præbeo, & forsan multi Moderni benigni præbebunt; Sed omnes damnabimus lassitatem Glossatoris, quia licèt Probabilistis placeat invehere opiniones benignas, quando materia est obscura, nec Lex est aperta, & clara; tamen hoc displicet, & refugimus, quando res est clara, & textus expressus, quique nulla tergiversatione per interpretationem probabilem explicari potest.

23. Scio Sanchez libr. 7. de matrimon disput. 92. num. 15. afferre pro opinione Glossæ plures Legistas, & Canonistas, & Summistas Theologos, qui dicuntur esse in Probabilioristarum numero, scilicet Angelum. Verb. *Matrimon*. Impedim. 16. num. 11. Tabien. V. *Impediment*. impediment. 12. quæst. 6. num. 7. Armill. Verb. *Matrimon*. num. 51. quibus addo Astesanum lib. 8. titul. 28. & vide etiam Bertachinum in suo Repertorio Legali. V. *Castratus*. Sed numerus Doctorum nihil facit pro hoc errore, quem esse intolerabilem dicit Soto in 4. dist. 34. quæst. 1. art. 2. & miror, quomodo Philiarcus Tom. 1. de offic. Sacerdot. part. 2. libr. 2. cap. 10 cum limitatione *Si Uxor scivit hanc impotentiam, dum nupsit*, sequatur opinionem Glossæ tanquam veram. Ipse est inexcusabilior, quàm

quàm Glossa, quia scripsit Anno 1589. & sic post Bullam Xysti, in qua clarè damnatur opinio Philiarchi.

24. Si Glossa in allata opinione lassa fuit, & concessit licentiam amplam in genere libidinis sub titulo matrimonii, §. *bis ita respondetur.* 33. quæst. 1. aliam benignam licentiam in eodem genere concessit, ait enim juncto textu Gratiani: Conjugium confirmatur officio *Carnis*, ut suprà probatum est, postquam verò *Carnali commixtione* confirmatum fuerit, nisi causa fornicationis non licet viro uxorem dimittere, vel uxori à viro discedere: *Verùm antequam confirmetur, impossibilitas officii solvit vinculum Matrimonii.* Hæc Glossa corrigitur ab Antonino 3. part. tit. 1 c. 21. §. 3. concl 3. Ego non damno hanc opinionem, nam pro ea stat D. Th. quodl. 11. art. 10. solùm assero, Adversarios illam potiùs debuisse rejicere, cùm damnaverint opiniones magis probabiles.

25. De pœnitent. distinct. 1 princip. V. *Utrum.* scribit: *Baz. dixit, quòd sola cordis contritio non delet peccatum, ubi copia Sacerdotis habeatur, & in hoc videtur Gratian. declinare, sed quicquid dicat Baz.; dic, quòd nec cordis Contritione, nec oris Confessione peccata dimittuntur quoad culpam, sed tantùm gratia Dei.* De consecr distin. 4 nemo tollit. *Sed ipsa cordis Contritio signum est peccata esse dimissa, sicut exterior satisfactio est signum cordis Contritionis, gratia enim præcedit Contritionem*, arg. infrà eadem *non potest quis, Contritio remissionem; Unde remissio est attribuenda gratiæ, quæ est causa causæ.* Ibidem. V. *Sunt enim.* fin. scribit: *Sed ad quid fit oris Confessio, cum jam peccatum sit dimissum per Contritionem propter Confessionem? Sol: hæc fit ad humilitatem, & justitiam exercendam, & ut satisfaciat Ecclesiæ, quam læsit, & ut ipse, & alii reddantur cautiores. Si tamen subtiliter intueamur, Gratiæ Dei est attribuenda remissio peccatorum, non Contritioni, ut dixi in princ & no.* infrà eadem. c *dixi confitebor.* & c. *is potestatis.*

Legatur Tridentinum Sess. 14. Can. 4. & ibi deciditur ut fidei dogma, ad integram peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem. Legatur etiam Caput quartum, & quintum ejusdem Sessionis, & apparebit falsitas Glossæ.

26. In c *magna.* V. *Dimiserit.* scribit: *Remissio peccatorum præcedit cordis Contritionem, non enim potest quisque verè confiteri, nisi habeat priùs fidem per dilectionem operantem.* In c. *si cui.* V. *Voluntas.* in Glossa marginali habetur: *peccata, quæ sola voluntate contrahuntur, sola voluntate delentur.* & in Glossa ordin. *Peccata, quæ sola voluntate contrahuntur, sola voluntate dimittuntur secundùm Baz, ar. ff. de pac. ab emptione. Sed contrarium credo, si ad consensum voluntas pervenit.* In c. *omnis.* §. *alii è contrario testantur.* Verb. *Justificeris.* asserit Confessionem oris requiri, non ut justificemur Deo, *apud quem jam justificatus es, sed ut justificemur quoad alios.* Legatur Tridentinum Sess. 6. cap. 7. & Sess. 14. & videbuntur errores harum Glossarum.

27. In c. *tres autem.* Ver. *Collecta.* non minùs scrupulosè, quàm erroneè scribit: *Perinde ergo judicandum est de pluribus minutis* (peccatis scilicet venialibus) *ut de uno grandi, & gravi delicto, cui minora coacervata æquantur. l si idem. C. de ju. sancimus. §. pe.* & in V. *Opprimeat.* ait: *Illa multa venialia*, idest, contemptus eorum, & vilipensio, *quod quidem peccatum est mortale, vel ipsum veniale peccatum est mortale, dum placet.* Veh hominibus, si hæc vera essent. Si septies in die cadit justus, ut Scriptura clamat, & per Glossam plura peccata venialia gravi delicto æquantur, jam omnis justus habebit peccatum mortale, si non formaliter, saltem æquivalenter; & consequenter erit dignus gehenna; & sic jam non erit justus. In c. *quamvis.* V. *Utraque.* videtur supponere cum Gratiano utramque Sententiam circa illam quæstionem, An confessio peccatorum sit Sacerdoti facienda, esse probabilem,

bilem, in qua sententia negativa procul dubio deterior est hæresi Lutherana, quæ saltem volebat Confessionem de peccatis externis saltem in generali esse faciendam Sacerdoti. De hoc errore in fine sermo erit.

28. In c. *de quotidianis.* V. *Brevibus.* dist. 3. asserit, peccata venialia brevia ratione temporis esse venialia, evadere verò mortalia, si durant. Et in c. *nihil.* V. *Prodest.* sustinet, quòd orare, jejunare, & alia opera religionis facere, licèt mens ab iniquitate non revocetur, *prodesse ad minus supplicium subeundum; Unde non est deneganda pœnitentia super uno peccato, dum quis remanet in aliis.* Et in c. *Ille Rex.* V. *Deletur,* ait: *Siquidem in Baptismo deletur originale, ne obsit, non, ut non sit.*

29. In c. *Sacerdos.* distin. 6. V. *Recitet,* quærit, an Confessarius teneatur revelare peccatum, auditum in Confessione, cujus revelationem præcipit Episcopus sub excommunicatione, & sic decidit: *Dic, quòd in secreto Episcopo dicere potest,* utpotè, qui prodesse possit, non obesse 22. quæst. 5. hoc videtur, vel dic, ibi scivit ut homo, hic ut Deus. Hic duo evidenter patent, primum, Glossam sequi probabiliter utramque opinionem; Secundum, primam opinionem esse errorem intolerabilem ex c. *omnis utriusque.* de pœnit. & remiss. unde, & licèt Papa jubeat, Confessio non est revelanda.

30. In c. 1. de consecr. dist. 2. V. *Calix,* tenet opinionem asserentium aquam esse miscendam in Calice, dum Missa celebratur, *de honestate tantùm,* & quòd possit confici Sanguis Christi de aceto, si ex vino factum sit; & addit rationem ex l. in venditionib. *ff. de contrahen. empt.* in qua dicitur, quòd vini, & Aceti prope eadem usia est. Sed Glossa in decernenda materia Sacramentorum debebat recurrere ad Theologos, & Sacram paginam, non ad legem, & Legistas, quibus non est jus de rebus Sacris decernere.

31. In c. *In Sacramento.* V. *Frumentis.* eadem habet: *Numquid si framento additur Piper convertitur in Corpus Christi? Non, sed reliquum tantùm, quare non ita reliquum convertitur, si fermentum addatur? Quia ibi nihil est Azimi, cujus possit fieri consecratio, & ideo nihil convertitur.* Vide inconsequentiam Glossæ. Ipse putat dist. 5. de pœnit. §. *in pœnitentia.* V. *Pœnitentia.* Græcos non confiteri peccata Sacerdoti, & propter hunc morem asseruit hæreticum errorem, quòd Confessio facta Sacerdoti non sit sub præcepto Divino. Quare ergo propter morem Græcorum consecrandi in fermentato non debebat asserere veritatem Catholicam, quòd scilicet Christus non vetaverit consecrationem in fermentato?

32. In c. *tribus gradibus.* Verb. *Miscere*) ait: *Sed nec species illæ* (Eucharistiæ *aliis cibis permiscentur; Non enim in stomachum descendunt; quare per secessum non emittuntur; Licèt enim aliquis reficiatur ex ipsis, non tamen incorporantur, nec in stomachum descendunt, nec per secessum emittuntur.* Interdum enim odore recreatur homo, (non tamen reficitur, & alitur homo odore,) *qui tamen, nec in stomachum, nec in secessum dirigitur......... Unde fortè per sudorem emittitur de corpore. Certum, quòd species quam citò dentibus teruntur, tam citò in Cœlum rapitur Corpus Christi.*

Audisti ineptias, & errorem? Nostris oculis cernimus in die Natalis Domini, in quo species Eucharisticæ non modicæ assumuntur à Sacerdote, Sacerdotem non solùm non emittere sudorem, sed frigore rigere, & tremere. Insuper Tridentinum Session. 13. can. 4. decrevit, post usum Eucharistiæ remanere verum Corpus Christi; ergo non est certum, contritis speciebus, volare Corpus Christi in Cœlum, sed est error.

33. In c. *timorem.* V. *Corpus.* scribit: *Item ideò Sacerdos ea* (verba Consecrationis) *non profert significativè, quia non posset, ea verè proferre; mentiretur enim, si diceret: Hoc est Corpus meum: Item quid, si quis proferret verba hæc post mortem Christi ante Resurrectionem, conficeret*

ficeretne? Videtur quòd non, quia Corpus Christi tunc erat mortuum, & inanimatum; ergo si transubstantiatio fieret, tunc transiret in corpus mortuum, & inanimatum, & sic inutiliter sumeretur. Quomodo ergo vivificaret Corpus mortuum? Hic Glossa supponit, vel quòd Anima Christi, & non Verbum Divinum, producat in nobis gratiam in Eucharistia, vel quòd Corpus mortuum Christi non esset in triduo mortis Christi unitum realiter cum verbo Divino, quod utrumque est error gravissimus.

34. In c. *non iste.* V. *eod.* scribit: *Non iste panis est, qui vadit, idest non incorporatur, sicut cæteri cibi in stomacho digeruntur, vel non descendit in stomachum, sicut ille cibus corporalis, vel non transit in Sustentationem, sicut ille, est enim cibus animæ, non Corporis; species tamen benè vadunt in corpus.* Sed numquid ibi est Sacramentum? *Non, quia desinit ibi esse Corpus Christi; & tandiu ibi est Sacramentum, quandiù est Corpus Christi. Sed quandiù hoc fit, idest, usque ad quem locum procedat per Gulam, nescio.* Sed, licèt non sit Sacramentum; cùm est in corpore, *si tamen evomuerit illud, cum veneratione est servandum, quia Sacramentum fuit.* Est certum, si in vomitu species in suo esse decernantur, esse Sacramentum; de quo quid sit faciendum, recolendum est Rituale Romanum.

35. In c. *qui benè* Verb. *Comederit.* hæc habet: *Nec dicendum, quòd mus sumat Corpus Christi;* statim enim desinit esse Sacramentum, ex quo ab eo tangitur, *Si tamen dicatur, quòd sumat, non est magnum inconveniens, cùm sceleratissimi homines illud sumant. Sed B. non concedit, quod ab eo sumi possit, immò statim desinit esse Sacramentum. Sed iterum non posset consecrari, quia non est jam panis, immò tantùm species.* Quando hæc lego, & ex alia parte lego Probabilioristas velle, ut pro discenda veritate consulamus Antiquos, statim cogor dicere Probabilioristas non vidisse Antiquos, quorum multi de Eucharistia non benè procul dubio scripsere. Antoninus 3. part. tit. 13. c. 6. §. 3. de voto ... Eucharistiæ dicit, esse de Fide Christum remanere sub speciebus, usque dum remaneret substantia panis, & vini; & Divus Thomas 3. par. quæst. 80. art. 3. ad 3. ait, Opinionem contrariam derogare veritati Sacramenti. Tridentinum autem Sessione 13. can. 3. damnat ut hæreticos asserentes, sub speciebus Eucharisticis *separatione facta*, non adesse Christum. Nota, quòd Concilium non dixit *separatione facta ab homine*, sed absolutè *separatione facta;* ergo sive casu, sive ab homine, sive à bestia Eucharistia dividatur, adhùc ibi aderit Corpus Christi; & sic, licèt Eucharistia tangatur, & frangatur à mure, adhuc ibi erit Corpus Christi; & sic à mure sumetur Corpus Christi. Unde, si mus ille caperetur statim, debemus certò credere habere Corpus Christi. Miror, quomodo Pasqualigus Sacr. moral. doctrin. disput. 107 sect. 1. referat opinionem Glossæ, pro qua alios Antiquos allegat, & nihil decidat, cum clarè sit damnanda, & rejicienda, ut derogans veritati Sacramenti, ut dicebat Divus Thomas.

36. In c. *Solet.* dist. 4. V. *Fidem*, ait: *Quomodo possumus habere talem fidem, & non charitatem, cùm qui habet unam virtutem, habet & omnes*, de pœnitent. 5. distinct. *c. fin. Non posse quidem, nisi miraculosè, secundùm quod mali etiam miraculosè prophetizant.* 1. quæst. 1 *Prophetizavit.* Et infrà in V. *Implorandum.* asserit: *Ad hoc dico, quòd, si baptizans, intendit baptizare, qualemcunque intentionem baptizatus habeat, recipit Sacramentum.* Quòd baptizandus, si sit adultus, debeat habere intentionem aliquam recipiendi Baptismum, sine qua Sacramentum est invalidum, est omninò certum apud Theologos. Clariùs Glossa in c. *majores.* de baptism. & ejus effect. §. fin. V. *Perdurare.* expressit hunc errorem, ait enim, Baptismum esse validum, *si baptizandus ore velit, & corde dissentiat.* Vide propositionem 28. damnatam ab Alexandro Octavo.

In c. *tunc valere.* V. *Assalutem.* ead. ci-

dicit: *Res significata per Baptismum tunc incipit*, (ablata fictione) *habere remissionem peccatorum*, non propter Baptismum, *sed propter cordis Contritionem, idest per charitatem, vel humilitatem mentis, quam habet, dum habet cordis Contritionem.* Et tamen Textus ibi contrarium decidit, & Tridentinum Sess. 14. cap. 4. docet, quòd Contritioni non sit adscribenda reconciliatio *sine Sacramenti voto, quod in illa includitur.* In cap. *quando.* V. *Pedes lavet.* ait: *Unde Pœnitentia magis, quàm Baptismus est necessaria.*

37. In princ. dist. 5. V. *Omnes.* ait de *Confirmatione...... quæ ultimum est inter alia Sacramenta necessitatis, præter Unctionem Infirmorum*, quæ non ita propriè dicitur Sacramentum, *maximè secundùm opinionem eorum, qui dicunt iterari posse; nam Sacramenta non iterantur.* Jam liquet de Fide ex Tridentino Sessione 7. & 14. Extremam Unctionem esse propriè, & verè Sacramentum, *licèt, si Infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari possint.* Tridentinum Sessione 14. de Extrema Unctione. c. 3.

38. In Proœmio Decretalium. V. *Subditos.* explicat: Idest, *Prædestinatos*; quasi quòd solos Prædestinatos Christus Rex pacificus disposuerit fore pudicos, & pacificos, & modestos. In Rubr. de Summ. Trinit. §. *species.* asserit: *Species autem Fidei sunt duæ; Una est formata, quam habent Sancti, & Boni; & alia est informis, quam habent mali, & etiam Dæmones, &* Infideles, *& existentes in mortali peccato.* Si infidelis habet Fidem, quando est ipsi infusa, cum baptisma ex Tridentino Sessione 6. cap. 7. sit Sacramentum Fidei? & in §. *principales autem.* scribit: *Principales autem Articuli Fidei nostræ sunt septem, secundum quod sunt septem dona Spiritus Sancti, quos quilibet Christianus scire tenetur, Clerici explicitè, Laici implicitè, & credere, sicut tenet Ecclesia; & sunt hi: Incarnatio, sive Nativitas, Baptismus &c.* Vide propositionem 64 damnatam ab Innocentio Undecimo, & Cardenas in hanc propos.

39. In c. *quanto de Consuet.* V. *Reservata.* scribit: *Dico, quòd Papa potest hoc delegare Sacerdoti* (scilicet dare Sacramentum Confirmationis) *& non Laico, sicut credo; & sic ex tali delegatione, & in adminiculo habiti Sacramenti potest conferre quicquid habet. Immo quilibet Clericus hoc facere potest; quæ verò non habet, non potest conferre.* Sed inauditum est apud Theologos, Ostiarium v. g. ex mandato Papæ posse confirmare. In c. *pastoralis.* de offic. jud. ord. Verb *Præterquam.* ait: *Quidam dicunt contrarium, quòd nunquam licet Laico à tali excommunecatione absolvere..... & sic prima opinio benignior, & securior est.* (Ecce quantùm benignitas, an summa lassitas? placuerit Glossæ, quòd etiam appellet eam securiorem, ut faciunt Moderni de opinionibus, quæ dum sunt benignæ, securiores appellant.) *Et sicut potest Laicus in necessitate injungere pœnitentiam, vel absolvere ab aliis peccatis mortalibus, cùm recipit confessionem illius, quare non eodem modo ab excommunicatione? Non videtur ratio, quare potiùs in uno, quàm in alio. Vel dic, quòd Laico potest quis confiteri, sed Laicus non potest istum absolvere.* Ecce quòd Glossator assumit ad probandam conclusionem dubiam, an scilicet Laicus *absolvere possit ab excommunicatione*, errorem, & hæresim manifestam, quòd nempe *Laicus possit absolvere à peccatis*, cùm solis Apostolis Sacerdotibus dictum sit: *Quodcunque solveritis super terram, &c.* Vide Tridentinum Sessione 14. cap. 6. & can. 10. hunc eundem errorem videtur repetere de transact. c. *veniens.* Ver *Necessaria.* dicit enim, quòd pœnitencia in necessitate à quocumque conferri potest, sicut Baptismus, nam *confiteri possumus*, inquit, *cuicunque juxta illud: Confitemini alterutrum peccata vestra.* Nota verò in priori Textu, quòd ibi videtur Glossa amplecti duas opiniones probabiles oppositas, scilicet quòd Laicus possit absolvere à peccatis, & non possit absolvere.

 40. In

40. In c. *in præsentia.* de probat. V. *Durum.* ait : Sed istud est hodie propter religionem, pro qua multa contra rationem statuta sunt. Et in c. *causam.* de Testibus, & attestat. V. *Rationi.* *Quare dicit obvia rationi, cùm privilegia indulgeantur contra jus commune, & ita contra rationem.* In c. *ex studiis.* de præsumpt. V. *Ex studiis.* asserit : *Primò ponuntur verba Salomonis in Parabolis. c. 20. .... Et pone casum, ut in Cap. præcedentibus referendo consultationem ad Papam : An dicta Salomonis citra Canonizationem sint approbata ab Ecclesia, cùm sint incorporata in Biblia.* Dic, ut dicit Glos. no. in cap. 1. 16. dist. & idem tenet Hieronymus in Præfat. super Libro Proverbior. *& videntur concludere, quòd sint Apocrypha, quod est notabile.* Ecce vocat notabile hæreticum dictum; est enim de Fide ex Tridentino Sess. 4. in decr. de Canonicis Scripturis, quòd Liber Parabolarum Salomonis sit Canonicus, & non Apocryphus.

41. In c. *ex parte.* de celebrat. Missar. V. *Nesi forte.* dicit : *Quòd si conficeret Sacerdos post aliquem cibum, vel potum sumptum, malè faceret, tamen conficeret* de consecr. distin. 2. *liquidò.* *Hugo dicit contra super decreto illo* 70. dist. *à patribus.* Certè Hugo gravem errorem asserit, & ex modo dicendi Glossa putat illum probabilem. In c. *Cum Martha.* eadem. §. *Ex eo autem.* V. *Sanguinis veritatem.* dicit : De Corpore Christi sunt tres opiniones....... *Tertia dicit, quod remanet substantia panis, & vini, & in eodem loco, & sub eadem specie est Corpus Christi.* Huic Glossæ quadrant verba Divi Thomæ, quæ scripsit in expositione distinct. 17. in 4. super verba Magistri, quibus vocabat opinionem, errorem illum magnum asserentium Confessionem peccatorum non esse sub præcepto. Ait autem Sanctus Doctor : *Hoc, quod ponitur hic pro opinione, hæresis est, non quòd explicitè sit contra aliquem Articulum, &c.* Ergo illa tertia Sententia, quæ à Glossa vocatur opinio, est hæresis, & quidem damnata expressè in c. *firmitèr.* de Summ. Trinit. Hunc textum ipsa Glossa allegat pro secunda opinione, unde nescio, quomodo possit vocare opinionem illum errorem. Posset dici, quòd Antiqui acciperent pro opinione tam propositionem veram, quam falsam; Unde mirum non sit, si Antiqui non existimaverint opinionem, seu probabilitatem, regulam sufficientem pro moribus. In §. *Tertio loco.* sustinet, morientem in peccato mortali non valdè magno juvari orationibus viventium.

42. In c. *Perniciosus.* V. *Consuetudinem.* scribit : Quasdam enim consuetudines solus usus approbavit 11. dist. Ecclesiasticarum, *& ita solo usu Antiquorum Patrum ponitur plus de vino, quàm de aqua. Et alia ratio posset assignari; vinum delectabilius est ad bibendum, quàm aqua; & ideo ponitur plus de vino, quam de aqua; Nam si plus poneretur de aqua, non transiret ita suaviter, & ne horrorem generaret.* In c. *Litteras.* V. *Fermentato.* scribit : *Unde dicit Ugutio, quòd si quis conficeret de fermentato pane in Ecclesia Occidentali, nihil fieret.*

43. In c. *si quis puerum.* V. *Patris.* de baptism. Sustinet etiam hodie valere Baptismum, si baptizetur in nomine Christi, relinquendo expressam invocationem Trinitatis, & tamen in Textu deciditur contrarium. Et in c. *veniens.* V. *Per Sacramentum Fidei.* docet in Sacramento Matrimonii non conferri gratiam, ut etiam alibi animadverti.

In c. *causam.* qui filii sint legitim. V. *Ad Regem.* dicit : *Item Moyses utrunque gladium habuit, cujus Successor est Papa.* In c. *significante.* V. *Repellentes*, qui matrim. accus. poss. retinet suum solitum errorem, *quòd Matrimonium non confert gratiam*; & ideò in Matrimonio Simonia committi non possit. Si ideò in Matrimonio non committitur Simonia, quia ibi non confertur gratia, jam quisque videt palliari plurimas Simonias. De hoc alibi.

44. In c. *vir autem.* V. *Iterari.* de secund. nupt. ait : Fallit etiam secundùm quosdam in Exrrema Unctione ; Quid enim impediret hanc iterari, *cùm non sit*

Sacra-

Sacramentum, sed oratio super hominem 1. q. 1. manus?

In c. *fœlicis.* de torneam. V. *Sepultura.* docet, vilem Sepulturam, idest in campis, non nocere defunctis. Si non nocet; ergo frustra Ecclesia denegat Ecclesiasticam Sepulturam quibusdam peccatoribus. Idem docet c. *quamquam.* V. *Denegetur.* de cognat. spirit.

45. In c. *Civitate de Usuris.* V. *Comparant.* asserit contrahentibus in venditione, & emptione licere se se ad invicem decipere usque ad dimidium justi pretii. In c. *omnis utriusque.* de pœnit. & remiss. Verb. *Alieno Sacerdoti.* tenet, Regularibus Sæculares non posse confiteri sine licentia Parochi; Quæ opinio jam damnata est à Joanne Vigesimosecundo de Schismat. in extravag. comm. c. 2. In c. *à nobis.* de Sent. excomm. Verb. *Non potuerit.* sustinet, in articulo mortis laicum posse absolvere. Hic non dicit à peccatis, vel à censuris. Saltem debet intelligi à censuris. Si intelligitur de censuris, nihil dico tunc de hac opinione. In c. *quantæ.* V. *Interpretamur.* Sequitur solitum errorem, quòd favore Religionis multa *contra rationem* instituuntur.

46. In c. *altercationis.* de bigam. in 6. in additione incipit: Idem Guid. Bar. docet Sacerdotem bigamum, qui homicidium committit, puniendum esse per Judicem Sæcularem. In c. 1. de cognat. spirit. Verb. *Frontis.* asserit, quem non esse verè Christianum sine Sacramento Confirmationis. Si hæc Glossa intelligatur, ut sonat illud adverbium *verè*, est error hæreticus, cùm per Baptismum efficiamur verè, nedum debitores Fidei, sed etiam universæ Legis Christi servandæ ex Tridentino Sessione 7. canon. 7. de baptism. In regul. juris. regula *Peccatum.* in figuratione casùs scribit: *Propriè autem loquendo Sacerdos peccata non dimittit, sed solus Deus, sed quod facit Sacerdos est signum, quòd dimittitur à Deo.* In regula *Peccati venia.* Verb. *eod.* ait: Per contritionem deleri peccatum quoad Deum, & per pœnitentiam susceptam à Sacerdote ostendi deletum quoad Ecclesiam. In regula *quod omnes.* Verb. *eod.* in fine ait: *Secundum primum casum de jure Archiepiscopus consecrandus est ab omnibus Suffraganeis, Papa tamen sibi hoc usurpat:* hic error nascitur ne ab illo alio, quòd Papa non habet plenitudinem potestatis?

47. In capite *Gravi.* Clement. 1. de celebrat. Miss. asserit, satisfieri Horis Canonicis, si cor divertat ad alia, & labiis serviamus. Plures Probabilioristæ damnant hanc opinionem ut falsam. Ego illam suo loco defendam, ne dicam errasse plures Antiquos, inter quos Divum Antoninum, & plurimos Modernos. In Clement. *Exivi.* de verbor. significat. §. *ideoque volumus.* Ver. *Quamvis.* ponitur in quibusdam codicibus hæc Glossa: *Tertiò nota, quòd Deus respicit cor, seu animum, non manum, idest operationem;* & tamen Deus in Decalogo primo loco prohibet operationem, postea verò desideria prava.

48. Denique pro coronide errorum Glossæ ponam in ultimo loco, quæ habet de pœnitent. dist. 5. §. *in pœnitentia autem.* V. *In pœnitentia.* & ideo ultimo loco pono, ut altiùs remaneant in memoria. Si meis oculis hæc non legissem, fabulam narrare crederem. Igitur sic „scribit: Videndum est, quando oris „confessio fuerit instituta, utrùm ne„cessaria sit, vel tantùm voluntaria: „qualiter sit facienda, cui, & quando. „Dicunt quidam, institutam fuisse in „Paradiso statim post peccatum, dicen„te Domino ad Adam: Adam ubi es? „Ideo enim quæsivit, ut ipso confiten„te peccatum, daretur forma aliis im„posterum confitendi; sed quia in illa „interrogatione Dominus minùs expres„sè videbatur ad confitendum movisse, „ideo post exquisivit à Cain fratricida „expressiùs: Ubi est Abel frater tuus? „Alii dicunt, quòd sub lege fuit pri„mò instituta, quando Josue præcepit „Achor, crimen suum confiteri, & la„pidatus est 45. distinct. *Sed illud.* Alii „dicunt, quòd in novo Testamento „à Jacobo dicente: *Confitemini alteru„trum peccata vestra, &c.* Sed melius

„ dicitur, (*si hac opinio est melior, ergo priores hareses erant bona*) eam „ institutam fuisse à quadam Universalis Ecclesiæ traditione potiùs, quàm „ ex novi, vel veteris Testamenti authoritate. Et traditio Ecclesiæ obligatoria est, ut præceptum ar. 11. dist. „ in his rebus: ergo est necessaria confessio in mortalibus apud nos, apud „ Græcos non; quia non emanavit traditio talis: Sicut nec conficiunt in „ Azymis. Illud ergo Jacobi: *Confitemini &c.* Fuit consilii primò, alioquin ligaret & Græcos non obstante „ eorum consuetudine. Est autem faciendæ &c. Sacerdoti si adest, vel „ proximo in necessitate. Possuntne legi hæc sine stomacho? tot ineptiæ in quinque lineis? Probabilioristæ, & omnes laudatores Antiquitatis, & aspernatores Modernorum afferant, non dicam primarium ex Modernis, sed infimum Casuistam, qui tot errores gravissimos, & lassos in paucis lineis dixerit. Ad hæc quid dicent Adversarii vituperantes Modernos, quasi introductores laxitates in moribus? Durandus in 4. distin. 17. quæst. 8. numer. 9. indignabundus fremit in præsentem Glossam.

Ex his patet, manifestè me probasse minorem argumenti, quod ad hominem formabam contra Adversarios, & erat, *quòd ex Doctrina Antiquorum sequebantur absurda.* Probavi autem illam eo modo, quo faciunt Adversarii; sicut enim, ut hoc probent de Probabilitate, afferunt errores, quos Probabilistæ docuerunt; ita hoc feci afferendo errores, quos tradidit famosissimus Glossator Doctor adeo Antiquus, & infrà idem præstabo errores aliorum Antiquorum referendo.



CAPUT XI.

Errores Antiquorum laudatorum à Vendroebio.

1 Vendrochius asserit Epist. 5. not. 1. sect. 4. §. 1. opinionem, qua astruitur in praxi esse sequendam probabiliorem, fore Doctrinam Antiquorum Theologorum, & pro illa duodecim affert; & sunt Henricus, Divus Antoninus, Gerson, Angelus, Panormitanus, Cajetanus, Sylvester, Conradus, Maior, Soto, Adrianus, & Tabiena. Hic non est locus inquirendi, an verè sint Antiqui. Ex dictis cap. 7. liquet, solùm priores quinque jure inter Veteres collocari.

Nunc errores horum Doctorum, excepto Antonino, enumerare lubet. Hoc verò præstabo, non ut eos deprimam, sed ut evidanter evincam Adversarios, qui ita laudant Antiquitatem, ut non erubescant canere, à Modernis morum laxitatem, & corruptellam provenisse; ut convincam, inquam, Adversarios ad fatendum laxitatem hanc, & doctrinam corruptam introductam fuisse olim; & sic probata manebit ulteriùs propositio minor mei argumenti, quod ad hominem instituebam cap. antecedenti num. 3. contra Adversarios. Pauca tamen errata horum Authorum detegam, quia libros ita pridem legebam, ut discerem, non ut errores notarem; & hoc minus solùm aggressus sum post lecturam Adversariorum.

2. Quod attinet ad propositum, scio Navarrum ducem extitisse opinionis sustinentis restrictiones mentales, quæ sunt proscriptæ ab Innocentio Undecimo numer. 26. & 27. Memini etiam legisse, quòd Sylvester. Verb. *Eucharistia.* 3. num. 1. asseruerit, verius esse, quòd in articulo mortis, si quis negligat sumere Eucharistiam, non peccet mortaliter; quod, an sit verum, alii judicent. Insuper num. 16. scribit: *Volenti Communicare Contritio non sufficit, sed* requi-

requiritur Confessio, sine qua communicare habita copia Confessoris est mortale secundùm Sanctum Thomam, nisi forè secundùm Richardum expectetur in brevi devotiùs, & securiùs quis confiteatur.. Et suprà 2. num. 9. afferens causas, quibus Sacerdos possit Missam dicere sine confessione ait: *Ego autem puto, quòd hic sub nomine necessitatis intelligatur omne excusans ab irreverentia Sacramenti, ut si est obligatus ad celebrandum...... vel nuper decessit anima indigens Sacrificio probabiliter.* (Quæ autem est anima nuper demortui, quæ non probabiliter, sed certò indigeat Sacrificio?) *Aut si imminet Solemnitas Magna, in qua valdè sit Anima celebrare; aut si tantus fervor sit in eo, qui peccavit, quòd inde ex Sacrificio speret magnum juvamen contra peccatum, & hujusmodi, quia in talibus potest esse reverentia major in aliquo non confesso, quàm aliàs plerumque in multis confessis.*

3. Quòd non sit necessaria confessio peccati mortalis volenti communicare sub mortali, tenuit etiam Cajetanus (alter Theologus Vendrochii) V. *Sacramentalis Communio.* Tridentinum tamen Session. 13. can. 11. statuit, necessariam esse Confessionem, quantumcunque quis existimet habere contritionem, si velit communicare.

4. Panormitanus habuit suos errores, & lassitates. Et primò in c. *de homine.* de celebr. Missar. num. 7. inclinat in opinionem prædictam de non præmittenda Confessione ante Communionem. Secundò in c. *omnis utriusque.* de pœnit. & remiss. num. 18. affirmat, præceptum Confessionis Sacramentalis non esse de jure Divino, unde asserit, *Græcos non peccare non utendo Confessione. Confitentur enim soli Deo in secreto.* Tertiò in c. *statuimus.* de custod. Eucharist. num. 3. recitat opinionem Vincentii, quam vocat notabilem, qui dicebat, *quòd licèt in foro contentioso ferens falsum testimonium puniatur de falso, & de omni damno inde sequuto, tamen in foro Animæ solùm punitur de falso testimonio, licèt aggravetur per sequentia, & tu vide Innoc.* In c. *sicut dignum.* de homic. *ubi dixit singulariter, quòd in foro Animæ non punitur quis ad Satisfactionem, si damnum intulit præter propositum, sed punitur de negligentia, quasi velit, quòd in foro Animæ habeatur respectus ad voluntatem delinquentis, & dic ut ibi latiùs noto.* In d. c. *sicut dignum.* Abbas non loquitur de teste, sed de dante consilium, & de auxiliante, v. gr. dum quis simul cum alio capit Urbem, spoliat Civitatem &c. & asserit utrumque teneri ad restitutionem; nescio, an ex hoc Abbas asserat, testem falsum damnificantem teneri ad restitutionem. Lector judicabit, an teneat sententiam Vincentii, necne.

5. Quartò procul dubio in c. *à crapula.* de vita, & honestate Clericor. num. 2. asserit, ebrietatem non esse mortale: *crederem, quod etiam non supponendo aquam in vino potenti non peccet quis mortaliter, nisi assiduè quis inebrietur per text. notab.* In cap. *vinum.* §. *alias ead. num.* 25. distin. (nota verba sequentia) *ubi habes textum semper menti tenendum, quòd ebrietas non est peccatum mortale, nisi sit assidua. Et ad alium Textum, & ad motivum Doctor: dicas, quod non loquitur præceptivè.* Nota quantùm sibi complaceat de tam monstruoso, & lasso errore, dum vult, quòd semper recordemur textum, ex quo putat illum deduci. Hic error fuit etiam plurium Canonistarum Antiquorum, ut advertit Fagnanus in d. c. *à crapula.*

6. Quintò in cap. *debitum.* de baptism. num. 3. asserit, *quòd nemo potest alium baptizare, quin posset esse pater suus carnalis, & sic quod præcedat baptizandum saltem per decem, & octo annos*, nec ipsi placet opinio Ancharani dicentis sufficere, si per quatuordecim annos præeat. Vide apertam, & expressam injustitiam contra Episcopum, & Parochum quadragenarios, qui non possent baptizare Judæum sexagenarium.

7. Sextò in Rubric. hujus tituli asserit, quòd Aqua sit *propriè Sacramentum*, & quòd sit *satis probabilis illa opinio*, quæ tenet aquam esse solùm tunc Sacramentum, cum dicuntur verba: *Ego*

te baptizo: & aqua tangit corpus. Hæc opinio est quidem speculativa, unde non est ad rem nostram, sed non potest negari multùm derogare authoritati, quam Vendrochius Panormitano attribuit, ut in veterum Theologorum choro illum collocet. Derogant etiam multum ejus authoritati ea, quæ scripsit in Rubr. fin. de observ. jejunii non enim est certus, an jejunium Ecclesiæ obliget ad mortale, *nisi fiat ex contemptu.*

8. De Dominico Soto nullum errorem habeo, quia parùm ipsum lego. Scio tamen ipsum fuisse Authorem opinionis, quòd non adsit obligatio gravis præmittendi recitationem Matutini ante Missam. Oppositum docuerunt omnes Antiqui, qui hoc punctum tetigerunt, quique nec pauci, nec indocti fuerunt. Unde Adversarii juxta sua principia ipsum carpere, & damnare deberent.

9. Joannes Major in 4. dist. 4. quæst. 1. concl. 2. ut alibi etiam observavi, tenuit, quamvis Concilium Viennense sequutum fuerit quandam opinionem *tanquam probabiliorem*, adhuc posse nos sequi oppositam, *quia possumus invenire rationes fortes oppositas.* Et distinct. 33. quæst. 2. docuit *probabile esse* fuisse licitum repudium in Lege veteri. Quæ opinio licèt nunc sit speculativa, ex se tamen posset esse practica, ut fuit in illa Lege veteri. Sic etiam licèt illa Viennensis sit speculativa, idem diceret ob paritatem rationis, si Concilium sequutum fuisset opinionem practicam. An verò hæc sint errores secundùm Doctrinam Adversariorum execrantium *Probabilitatem*, judicent ipsi. Sic etiam judicent, an sit verum, quòd asserit distinct. 31. *§. contra sextam Conclusionem.* ubi ait, quòd copula conjugalis habita ob moderatam voluptatem non sit culpa respiciendo lumen naturale; subdit tamen: *Sancti rationabiliter rigidè, & severè loquuti sunt de carnali copula, non quia judicarunt eam utrobique esse malam; sed ob pronitatem, quæ in ea delinquitur. Verùm eorum dicta non oportet extendere, sed potiùs in hac parte restringere, ne omnes Conjuges damnemus; & Theologo expedit tum in Confessione audienda, tum in consilio dando scire, qui in ea re sunt culpabiles, & qui non.* Vide propositionem 9. damnatam ab Innocent. Und.

10. Circa Adrianum, dato quòd sit pro Vendrochio, non habeo alium errorem, quia illum parùm legi, nisi quòd existimet esse errorem, quòd Beatus Gregorius Magnus concesserit Presbyteris, ut chrismarent in absentia Episcopi. Hanc opinionem non esse errorem, sed verè probabilem, solus ille negaverit, qui viris doctissimis credere noluerit. Hunc errorem habet Adrianus de Confirmat. art. ult. Vide Bellarminum tom. 1. in controver. Fidei de Rom. Pont. lib. 4. cap. 10. in Gregorio Magno, ubi acriter carpit Adrianum propter hanc suam audaciam.

11. Circa Conradum Summenhart, Adversarii ipsum condemnabunt de errore, & quidem gravi, nam de contract. quæst. 100. concl. 3. tenet, Confessarium ordinarium debere absolvere pœnitentem sequentem opinionem oppositam illi, quam tenet Confessarius ipse.

12. Circa Henricum Gandavensem, fateor sæpè plura de quodlibetis legisse, & illum judico esse Doctorem rigidissimum; & potiùs peccavit (si peccavit) sequendo semper partem strictiorem. Nec verum est, quòd Bordonus in Propugnac. Probabilitatis cap. 6. numer. 42. ex Cassaing asserit, quòd Henricus quodl. 29. quæst. 30. sustinuerit, non esse mortale omissionem Divini Officii, nisi fit per plures dies; Nam Henricus quodl. 11. quæst. 29. clarè dicit, non recitantem Officium peccare mortaliter, si sit Ordine Sacro insignitus, vel Beneficio Ecclesiastico donatus. Si verò est Religiosus, *nec in Sacris constitutus, & habet Religio bona Ecclesiastica sibi deputata*, unde vivat, tenetur sicut Clerici beneficiati non existentes in Sacris ratione juris percipiendi Beneficium, ita quòd Religiosi ratione Religionis simpli-

pli-

pliciter non obligantur ad Horas; quòd si obligantur ad Horas ex aliquo statuto, vel Papa, vel ipsius Religionis, hoc est ratione, qua sunt Clerici Religiosi. Legatur etiam quæst. 12. quodlib. 15. & videbit, quòd Henricus decidit, *si Magister, vel Scholaris* tenetur ad Horas Canonicas sub mortali, non posse illas omittere hodie cum proposito dicendi illas die sequenti. Nec potest dici, quòd Henricus non sit certus de obligatione dicendi Horas Canonicas, dum facit illam propositionem conditionalem *si Magister, vel Scholaris tenetur &c.* Nam, cùm faciat illam quæstionem de Magistro, & Scholari, jam hæ personæ, quantùm est ex se, non tenentur ad Officium Divinum, cùm, & Magister, & Scholaris possint esse non Sacro Ordine insigniti, nec beneficiati; quas personas jam supra decideratsub mortali teneri ad Horas. Igitur ego nequeo Henricum damnare de erroribus lassis legendo Quodlibeta in duos Tomos distincta, & Venetiis 1613. excussa. Porrò in his non adsunt nisi quindecim Quodlibeta; unde allegatio illa Bordoni non adest in meo Codice. De nimis rigorosis possum damnare Henricum. Ipse pluries agitavit Quæstionem, an confessi privilegiatis, scilicet Regularibus, teneantur eadem peccata confiteri Parochis; in qua quæstione quodl. 7. quæst. 23. & 24. quodlib. 10. quæsti. 2. quodlib. 12. quæsti. 31. semper tenet scrupolosissimam partem, quòd scilicet iterum teneantur eadem peccata confessa Regularibus confiteri suo Parocho. Quæ opinio videtur damnata à Joanne Vigesimosecundo in extravag. *Vas electionis.* de Hæreticis. Ibi enim damnatur ut falsa, erronea, *& multùm periculosa* illa opinio, quæ asserit, quòd *Confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi Confessiones tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti, idest Parocho.* Hìc nota obiter contra Adversarios, quòd opinio prædicta vocatur *periculosa multùm.* Quæro propter quam rationem? Forsan peccatum est iterum eadem peccata confiteri? immò est multùm laudabile, & proficuum. Est ergo multùm periculosa, quia cùm sit multùm difficile confiteri alteri propria peccata, esset difficillimum iterum illa eadem alteri à primo dicere, & cùm nos simus fragiles, sequitur, quòd facere illam secundam Confessionem vix adduceremur. Hinc plurimi illam omitterent; & sic, si hæc secunda Confessio esset sub præcepto, jam illa opinio scrupulosa esset *multùm periculosa*, quia multos, & plurimos in peccatum mortale adduceret; ergo contra Adversarios sequitur, quòd non sola opinio lassa, sed stricta, & scrupulosa sit non solùm *periculosa, sed multùm periculosa*; & ideo abjicienda. Hinc ex hac Regula sæpiùs inferam, multas opiniones esse rejiciendas, quia cùm obligent ad difficillima, & sic multi, & perplurimi non observarent, ideò essent *multùm periculosæ*, & ideo rejiciendæ.

13. Secunda opinio Henrici multùm scrupulosa, & sic forsan multùm periculosa, & ideò abjicienda, est, quòd *potens æquali facultate faciendi majus, & minus bonum*, teneatur exequi melius bonum. Sic decidit quodlibet. 4. quæst. 32. & ex hoc deducit, quòd peccator oblato Confessore teneatur statim confiteri. Conclusionem hujus sequelæ non rejicio; illam equidem rejicio ut nimiùm scrupulosam, ex qua sequitur.

14. Pono aliam Doctrinam sub oculos, quam habet quodlib. 1. quæst. 29. Asserit ibi, inferiorem posse absolvere pœnitentem à peccatis, & si pœnitens habeat Casus reservatos, remittere illum ad Superiorem pro absolutione reservatorum. Hæc opinio est admodum benigna; quia tamen est multorum Antiquorum, & puto esse etiam Divi Thomæ, ideo illam, licèt non mihi placeat, non damno. Objiciebatur Henrico, quòd nequeat fieri absolutio per partes; respondet, quòd sicut potest imponi Satisfactio per partes, *ita & Absolutio.* Subdit posteà: *Vel si omnibus modis velimus, quod Absolutio de omnibus*

omnibus debeat esse unica, dicamus, quòd prima Absolutio sit sub ratihabitione de secunda subsequenda, ita quòd factum in prima suspenditur, nec habet effectum suum quousque eveniat secunda, & tunc secunda agens in virtute propria, & primæ præcedentis agit totum, quod unica Absolutio de omnibus simul facta agere deberet. Hic dicitur, quòd prima Confessio peccatorum, & absolutio data ab inferiori non habet effectum suum. Ibi tamen est verum Sacramentum pœnitentiæ; adest enim confessio integra peccatorum, dolor de peccatis, & absolutio Sacerdotis ab habente Jurisdictionem, saltem super aliqua peccata; ergo debet producere effectum suum, scilicet gratiam sanctificantem, quia hanc nostra Sacramenta gratiam producunt, quando homo non ponit obicem ex Tridentino Session. 7. can. 6. de Sacram. in genere.

15. Adeamus Magnum Cancellarium, Gersonem nempe, Antiquum Theologum laudatum à Vendrochio. Hic part. 3. tract. de vita Spiritual. Animar. qui incipit pagin. 319. lect. 4. corollar. 2. „ hæc scribit: Quantumcunque legislatores intendant per suas leges suos subditos debere fieri meliores interiùs, & sanctiores quoad Divinum forum occultum, tales tamen intentiones suæ non cadunt sub eorum præcepto. Itaque si fiant actus exteriores suorum jussorum (*nota hæc verba*) cum perversissimis intentionibus, & finibus occultis, non erit ibi transgressio legis humanæ, ut humana est, sed ut Divinæ. Et ita si dicam Horas meas Canonicas cum quacunque mentis evagatione, & nulla attentione; Si jejunem in Quadragesima tantummodò, ut sanior fiam, vel ut postmodum voraciùs & inde voluptuosiùs comedam; Si feram Tonsuram clericalem, vel vadam Dominicis diebus ad Ecclesiam auditum Missam pro vana gloria, aut fraude alia; Similiter de aliis actibus extrinsecis præceptorum, ago quidèm malè apud Deum peccans in legem suam, me tamen pro transgressione humanorum præceptorum nemo accusabit. Et hìc accipiunt fundamentum dicentes, quòd in casibus prædictis non teneretur aliquis Horas iterare, nec aliam Missam audire. Sed sufficit de peccato in Deum commisso conteri, confiteri, & satisfacere. Hæc autem Sententia mitis est pro scrupulosis.

16. In Corollario 3. scribit: *Stat simul aliquem observare præceptum humanum, & tamen peccare mortaliter, sicut aliquis merendo apud Deum poterit humani præcepti violator accusari. Patet primum in casibus prioribus, ubi fit actus præcepti humani ad finem perversum.* Has duas opiniones Adversarii tenentur damnare de laxitate; Probabilistæ tamen forsan illas non rejicient.

17. In Corollario 4. *Omissio Horarum Canonicarum, transgressio jejuniorum Ecclesiasticorum, & generaliter omnium statutorum, & Regularum, & Canonum nunquam est mortale peccatum*, nisi pro quanto Divinæ Legi præceptivæ dissonans invenitur, *& ita quantùm Lex aliqua habet admixtum de Lege Divina præceptiva, tantundem, & non ampliùs est ejus transgressio mortaliter vitiosa.* Si meus intellectus non me decipit, ex hac Doctrina sequitur, quòd cùm audire Missam in die v. gr. Sancti Matthæi nil de lege Divina præceptivè habeat, non sit peccatum mortale omissio auditionis Missæ in tali die. Hoc idem dico de Communione Paschali, & de Confessione annuali. Communio quidem est in Præcepto Divino, sicut & Confessio, non tamen Communio de Paschate, & Confessio de quolibet Anno. Hinc si quis mense Januarii communicaret, & non in Paschate, non peccaret mortaliter, quia jam satisfecisset præcepto Divino. In Corollario sequenti doctrinam similem habet.

18. In Corollario 6. habet: *Ex quo amplius videtur non esse securum, asserere*, tot Leges, & Canones, & Regulas obligare ad peccatum mortale, *tum ex multis causis, tum nominatim ex eo, quòd multa hujusmodi Constitutiones imperti-*

pertinentes sunt Legi Divinæ, *quæ in Evangeliis cum suis Expositionibus sufficienter tradita, explicataque est.* In hoc Corollario subdit: *Si peccat quis mortaliter transgrediendo limitationem istam Ecclesiæ*, (idest non audiat Missam in die determinato Dominicæ, & operando serviliter) *hoc non est propriè ex hoc, quòd Ecclesia sic præcepit, sed quia sic limitare expediebat pro Communitate, & jam homo fit contemptor Divini Præcepti, & suorum Superiorum, quibus spontè se submisit...... quamvis adhuc in talibus limitationibus quædam adducuntur magis ad quandam decentiam, quam præcepti necessitatem.*

19. In Corollario 14. asserit constare constitutiones de Excommunicationibus, Suspensionibus ferè omnes esse de jure positivo purè, idest nullam includentes Legem Divinam. Ego subsumo, sed per Gersonem in Corollario 4. nunquam est mortale peccatum, nisi pro quanto *Divinæ Legi præceptivæ dissonans invenitur*; ergo transgressio excommunicationum &c. *ferè semper non est peccatum mortale.*

20. In Corollario 10. *Addimus adhuc, quòd nulla traditio, vel Regula, vel Lex, vel determinatio puri hominis, qui in talibus fallere potest, & falli, obligat ut præcisè talis est subditos ad credendum eam tanquam veritatem Fidei, aut Divinam Legem*, (hoc est verum) *licèt obligare possit sub pœna politica ad exteriorem præceptionem, & ad non impugnandam eam.* (nota ly sub pœna politica) *Exindè patet via ad investigandum particulariter, quid operentur determinationes Summorum Pontificum; quid condemnationes articulorum Parisius, vel alibi factæ. Poterit siquidem fieri, ut absque peccato mortali*, immo cum merito magno, *sit aliquis Theologus, vel alius prudens, qui dissentiat corde ab humanis determinationibus, aut traditionibus, qui tamen obligabitur propter evitationem Scandali, vel aliter non repugnare exterius.* Nescio an hæc verba præseferant majorem reverentiam ergà Summum Pontificem, quàm ea, de quibus adeo conqueritur Montaltius Epistol. VI. pag. 84. ironicè, & acerbè.

Præterea hìc nullam agnoscit differentiam inter decisiones Pontificis, & Academiæ Parisiensis, & tamen in casu de quo agitur intercedit adeo magna; Nam Pontifex potest præcipere, ut suæ Decisiones recipiantur à toto Orbe, juxta illud magnum: *Quodcunque ligaveris super terram, &c.* E' contra Sorbona nulla Authoritate pollet præcipiendi; & impunè potest quilibet Doctus impugnare Decisiones, quas etiam asserit esse de Fide; nullo enim jure cavetur hoc. Loquor de jure communi; si enim aliquis Episcopus præcepisset, tunc subditi illius Episcopi debent obedire illis decisionibus non ut Sorbonicis, sed ut Episcopalibus.

21. In Tomo Secundo, tract. 1. de Avaritia pagin. 131. columm. 1. scribit: Nemo de necessariis suis simpliciter tenetur elargiri, immò nec de necessariis secundùm statum suum, sed nec de superfluis suis, ut sua sunt, sub pœna peccati mortalis, *nisi ubi gravis necessitas* circa alterum ipso præsumere debente quòd alius non succurret, imminerет; *necessitas enim extrema proximi præferenda est soli decentiæ proprii status, quanto magis superfluitati?* Hanc Doctrinam ego puto probabilem, & suo loco defendam; Sed Adversarii illam condemnant ut nimis lassam, & volunt cogere divites ad eleemosynam extra gravem necessitatem. Si per gravem necessitatem intelligat Gersonius, ut videtur intelligere, extremam; tunc prorsus etiam assero, esse Doctrinam valdè lassam, & falsam; & teneo pro certo in gravi necessitate nos teneri ad eleemosynam de superfluis.

22. In eodem Tractat. de Luxuria scribit: *Si sola delectatio quæritur, infra tamen metas vinculi Matrimonialis,...... nec fit cum circunstantiis aliundè prohibitis, illud, aut illum, aut tantùm veniale peccatum est.* Puto textum esse mendosum in illo verbo *Illum*, quia sic aptum sensum non reddit, & debet reponi potiùs, *Nullum*, & sic dicatur, *Illud*, aut

aut Nullum, *aut tantum peccatum veniale est.* Quæ Propositio damnata est ab Innoc. Und. num. 9.

23. In Tractatu de arte audiendi confessiones fin. ait: Injungat Confessor „ pœnitentiam non aliam, quam de consensu peccatoris, & de qua speret impletionem; nisi fortè peccata essent „ publica, & scandalosa, pro quibus ad „ reparationem cogi deberet invitus..... „ Commoneatur tamen ipse confessus, „ ne pœnitentiam hanc, vel aliam acceptet, si non eam proponat, se firmiter impleturum, agnoverit enim se „ in Purgatorio, quàm in hoc Mundo „ gravius omnia soluturum. Videtur Gerson fuisse in opinione, quòd pœnitens non teneatur acceptare pœnitentiam impositam à Sacerdote; & clariùs hoc colligitur in primo Tractat. hujus Tomi Secundi de Regul. moral. de pœnit. pag. 133. column. 2. ubi ait: Tutius „ est cum parva pœnitentia, quæ spontè suscipitur, & verisimiliter adimplebitur, ducere confessos in Purgatorium, quàm cum magna non implenda præcipitare in Infernum. Renuens pœnitentiam in hac vita stultè „ facit, nihilominus absolvendus est, si „ hoc non ex infidelitate, qua credit „ non esse Purgatorium aliud, hoc faciat, sed vel propter teneritudinem „ corporis, aut infirmitatem, aut paupertatem, aut aliud simile. Legatur Tridentinum Sess. 14. c. 8. Ibi dicitur, *quòd Sacerdotes debent pro qualitate criminum convenientes Satisfactiones injungere, ne levissima opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Nota illud v. *Teneritudinem.*

24. Cajetanus in Summ. Verb. *Satisfactio ut pars diversimodè consideranda.* asserit pariter, pœnitentem non teneri ad Satisfactionem, narrando enim casus, in quibus potest omitti impositio pœnitentiæ, tertio loco ponit esse, quando pœnitens *nullam vult pœnitentiam hic peragere, sed offert se in Purgatorio subditurum; talis enim videtur absolvendus..... si casus sit possibilis, quin saltem semel signare se signo Crucis nullus recusaret.* Sed infrà sequitur opinionem omnino falsam, & prorsus rejiciendam; siquidem tenet, quòd omittere Satisfactionem, utique impositam, & acceptatam, non sit peccatum mortale, *si desit contemptus.* Hæc opinio prorsus est error, & omnino eliminandus, & contra Tridentinum loco allato.

25. Quòd pœnitens non teneatur acceptare pœnitentiam, *etiam convenientem*, mihi videtur sustineri etiam à Tabiena. Verb. *Confessio.* 2. num. 18. & seq. & cùm Tabienæ occurreret objectio multiplex ex Divo Thoma num. 20. conatur respondere. Tandem concludit: *Bona igitur videtur distinctio, quando dicitur: Si acceptat, & maximè quando remanet pœna persolvendi. Sed pro certo videtur secundum mentem Sancti Thomæ, quòd teneatur acceptare, quando est discreta.* Ego puto, quòd Tabiena sustineat pœnitentem non teneri ad acceptandam pœnitentiam etiam convenientem, & hoc clarè num. 18 19. asserit, & in fine num. 20. addit in Sententia Sancti Thomæ adesse talem obligationem. In numer. 39. asserit, esse validam Confessionem, & ipsam *hoc modo esse in præcepto*, (intellige de Ecclesiastico) *& non aliter*, scilicet ita ficta, *idest, quando quis confitetur non perfectè contritus*, vel habet ignorantiam, vel negligentiam, quæ non excusant, *vel non sunt perfecta ad consequendam gratiam, non tamen est divisa, neque est omninò sine sua materia, idest, habet aliquam Contritionem, quamvis imperfectam, & intendit recipere Sacramentum, & ista non occurrunt confitenda.* Mihi quidem hæc opinio nunquam placebit; adhuc tamen non damnabo, quia scio esse valdè communem in sententia Thomistarum. Assero tamen Adversarios, à quibus in materia Confessionis opiniones benignæ reprobantur, forsan debere illam damnare.

In V. *Eleemosyna* num. 6. habet duas conclusiones, in prima, quòd judicans se habere superflua suæ vitæ, & suorum teneatur ad eleemosynam habenti talem necessitatem, *ita quòd nisi sibi administretur panis, vel vinum, vel huj-*

jusmodi necessaria, in brevi morietur, vel incurret magnam infirmitatem, & judicat, quòd alius non sibi subveniet.

26. In secunda verò conclusione ita „asserit: Quando aliquis judicat se ha-„bere superfluum secundùm statum, „idest judicat, quòd habet illa, quæ „communiter sunt sibi necessaria, etiam „secundùm decentiam, & quòd habet „alia magnæ quantitatis, ita quòd ex-„pressè cognoscit esse superflua secun-„dùm statum suum, & cognoscit, quòd „est aliquis, qui multùm indiget, si-„ve secundùm individuum, sive secun-„dùm personam, ita quòd nisi illi sub-„veniat de illo superfluo, judicat, quòd „incidet in magnam verecundiam, vel „hujusmodi, tunc iste peccat mortali-„ter, nisi subveniat. Nec etiam ista „conclusio est multùm rigida, ut mul-„ti debeant illaqueari. Ad hoc enim, „quòd faciat contra istam conclusio-„nem, primò requiritur &c. Quar-„tò, quòd appareat secundùm judicium „suum, quòd sit aliquis, qui multùm „indigeat. Quintò, quòd ipse judicet „tunc, quod tenetur pro certo, tunc „si non subveniat, peccabit. Nec hoc „est multùm rigidum, immò valdè con-„sonum rationi &c. In nullo alio casu hic Doctor judicat præceptum Eleemosynæ obligare; & sic per ipsum in necessitatibus ordinariis pauperum non datur præceptum Eleemosynæ. Quam doctrinam, licèt ipse veram reputem, damnare debent Adversarii, ut dicebam suprà.

27. Angelus habet suos errores, & lassitates, & ipse quoque est Doctor collocatus à Vendrochio in veterum Doctorum choro. In primo loco pono, quòd quis potest alium interficere, ne percutiatur ab illo, *quia* inquit V. *Defensio.* num. 4. *Cum injuria personalis sit major, quàm realis*, ut in l. servorum. in fin. ff. de pœnis. *& propter realem irrecuperabilem possum te interficere*, ut in d. l. Furem. *Ergo fortius pro personali.* Ecce, quòd Angelus concedit occisionem, ne quis percutiatur, & ne subeat jacturam irrecuperabilem realem, idest rerum, quæ Doctrina quoad res damnatur ab Illustrissimo Clero Gallicano num. 36. quoad verò percussionem realem, fortassis etiam videbitur nimis lassa severis Probabilioristis.

28. Verb. *Homicidium.* num. 5. eandem Doctrinam de occisione pro rebus habet, ait enim: quando fur nocturnus, vel diurnus cognoscitur, & res possunt rehaberi per Judicem, quod non licet occidere, & facit, quod notat Bartholus in d. l. Furem. aliter sic. Idest, si res non potest rehaberi per Judicem, nec fur cognoscitur, fur potest occidi. Verb. *Confessio.* 1. num. 14. asserit, quòd Confessor injungat aliquam pœnitentiam, quam statim, & in statu gratiæ possit pœnitens peragere, & postea aliam adjicere, quam non intendat pro pœnitentia Sacramentali imponere..... Ita quòd qualitercumque impleat, sufficiat, & etiamsi non impleat, non intendat illaqueare, sed in suo arbitrio ponere. Hæc benignitas placebitne nostris rigidis Probabilioristis?

29. Verbo eodem. 4. num. 13. asserit, Confessorem ordinarium, scilicet Parochum, teneri ad absolvendum pœnitentem sequentem opinionem contrariam illi, quam amplectitur Confessor. Hanc Doctrinam ego puto omnino certam, sed debet reputari error lassissimus ab Adversariis, vide num. Forsan judicabunt errorem illam opinionem, quam habet num. 4. ubi docet, quòd, quando Confessor est dubius de aliquo, debet absolvere pœnitentem, & imponere, ut consulat peritos, & deliberet facere, quicquid faciendum ei fuerit declaratum. Hæc, inquam, Doctrina ab Adversariis est damnanda, qui asserunt, Confessorem non posse se accommodare opinioni pœnitentis, eo quòd Confessarius est Judex, non pœnitens; at nec periti sunt Judices Confessionis, sed solus Confessarius; ergo in hoc casu Confessor juxta Adversarios nequit licentiare pœnitentem, ut sequatur opinionem Peritorum.

Verb. *Confessio.* 6. num. 1. tenet, quòd Confessor debet dare pœnitentiam, *quam sine*

fine murmure, & sponte velit portare, & non aliam propter periculum..... nec debet exigere juramentum, vel promissionem de abstinendo in futurum ab aliquo peccato..... sed absolvat eum simpliciter sine conditione, cum protestatione, quòd si non restituat alienum, vel faciat debitum, quòd evacuabit fructum Confessionis, quamvis sibi videatur, *quod non sit facturus illud, ad quod obligatur.*

30. Sed exhorrescent Adversarii legendo Verbo *Ornatus*. num. 4. ubi habet: *Ego verò in occultantibus defectum*, (fucando, colorando, & adhibendo adulterinos crines) *tenerem opinionem Sancti Thomæ*, (scilicet quòd hujusmodi fictiones sunt peccata, sed non semper mortalia) *in aliis autem, quæ talibus utuntur ad fingendam majorem pulchritudinem, recitarem eis opiniones prædictas* (scilicet quòd sit peccatum mortale) *& inducerem pro posse ad dimittendum ostendens periculum; tamen si vellent tenere opinionem Sancti Thomæ, non negarem eis absolutionem.* (notent Adversarii sequentia, & horreant juxta sua principia) *Sed me exonerarem, & super ipsos, vel ipsas relinquerem.*

31. In Verb. *Feriæ*. numer. 42. docet, Omittentem auditionem Missæ in die festo ex aliqua passione animi, vel pigritia, vel non causa rationabili, si tamen ad hoc non sit assuetus, *esse peccatum veniale*. Idem asserit de omittente Horas Canonicas Verb. *Hora Canonica*. num. 10. & hanc opinionem vocat humaniorem, subdit tamen aliam opinionem esse tutiorem. De quo quis dubitat? Alias lassitates Angeli non recito, quia hæc sufficient ad demonstrandum Vendrochio, Doctores, quos ipse venerabili Theologorum nomine insignit, quo non vult decorare Modernos, licèt famosissimos, habuisse suos errores æquè, ac Modernos. Lector poterit alios in hoc Summista legere errores lassos, quia in rei veritate sæpè nimiùm ipsi placent benignitates.

32. Denique ultimus Doctor, quem Vendrochius ponit, & jure, in veterum Theologorum choro, est Divus Antoninus. Veterem, & Theologum, & Canonistam eum esse fateor. Ejus Summa divisa in quatuor Partes clarissimè demonstrat, quantùm illis facultatibus imbutus fuerit; est verò adeo copiosa, ut ante ipsum nullus, quem viderim, adeo de Casibus Conscientiæ luculenter scripserit. Utinam alii Sancti in hac materia in lucem edidissent, quæ sciebant! Nedum verò Theologum, & Canonistam appello, sed etiam inter Sanctos Patres ipse libentissimè loco, quicquid Vendrochius in contrarium dixerit. Sanctitate, & Doctrina floruit. Insuper Ecclesia Romana in ejus Officio in Lectionibus secundi Nocturni laudat Doctrinam ejus uti *insignem*; Quare non debet appellari Sanctus Pater? Si omnes illi, qui laudantur à Decreto Gelasii relato in c. *Sancta*. 15. distinct. vocantur Patres, cur non ille, cujus scripta celebrantur à Breviario Romano jussu Romani Pontificis edito, præcipuè cum Breviarium Romanum à tota Ecclesia recipiatur?

33. Grande verò nefas committeret, qui in hoc Sancto lassitates, & errores inquireret. Errantem Antoninum nunquam proferam; Illo ut plurimùm benigno utar contra Adversarios, quia in rei veritate benignus valdè exiuit in opinionibus, & multùm à rigidis Decisionibus abstinuit. Aliquas ejus benignas propositiones infra referam, hìc verò nonnulla rescribam, quæ à me probantur, sed ab Adversariis damnanda sunt; & quia injustè damnanda forent, ideo doctrinam Adversariorum jùstissimè proscribenda venit.

34. Igitur 3. part. titul. 4 cap. 3. §. 1. quærens an quis possit defendere bona sua occidendo invasorem, sic scribit: *Sed in secundo casu* (scilicet quando infertur violentia pro rebus) *aut violentia rebus illata potest per viam Judicii reparari, & tunc non licet qualitercunque, immò cum qualitate Armorum, non autem factorum, quia non debeo personam percutere pro defensione. Ubi autem aliter salva esse non possit, modo per viam Judicii reparare non potest*, tunc licet qualiter-

liter cumque defendere, etiam personam occidendo, ut l. furem. ff. ad l. Cornel. de Siccar. Paulò infrà admonet, quòd hæc defensio rerum debet fieri incontinenti, *& tunc dicitur violentia incontinenti repelli pro rebus etiam post fragrantiam facti, dummodo non divertat ad actus extraneos.* Ecce Textus expressus, quo Sanctus Doctor fatetur nos posse occidere invasorem rerum in casu, quo non possimus rem aliter defendere. Hinc nescio, quomodo potuerit quidam Probabiliorista explicare ipsum pro opinione opposita. cap. 45. n. 26. de hoc puncto agam ex professo.

35. In §. 2. iterùm asserit, esse licitam defensionem rerum cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ab hac verò defensione excludit eos, qui nequeunt habere bona sua, ut sunt *Servi*, *& Monachi*, *& similes.* Et ab hac exclusione ego colligo Divum Antoninum pro defensione intelligere, etiam quòd possimus occidere invadentem, quia non credo aliquem dicturum, quòd Monachus nequeat pro rebus sui Monasterii fures claudere, ne aufugiant, aut ipsos etiam ligare, & alia facere præter percussionem personalem. Quod si Glossa in c. *suscepimus.* de homic. Verb. *Ligaverunt.* negat, duos Monachos potuisse ligare quosdam fures, ideo est, quia observat, quòd poterant aliter evadere. Ergo si Divus Antoninus negat Monachis defensionem pro rebus, debet intelligi de defensione occisiva. Hec autem clariùs colligitur ex sequentibus; namque asserit, quòd si quis vim vi repellendo pro rebus occidat, vel mutilet, non incurrat excomunicationem, si percutiat Clericum; incidat tamen in Irregularitatem, quia in hanc incurritur sine dolo, ut patet in Judice condemnante reum. Ecce quòd Sanctus Doctor negat Excommunicationem incurri propter homicidium factum in defensionem rerum, & hoc negat, quia excommunicatio *non incurritur sine dolo, vel diabolica suasione.* Peccatum autem mortale sine dolo, aut diaboli suggestione non committitur. Ergo si defensio occisiva pro rebus esset peccatum mortale, ut volunt Adversarii, jam Divus Antoninus non supponeret, in nostro casu non intervenire dolum, aut diaboli suasionem.

36. In eadem parte tit. 17. cap. 17. §. 5 videtur tñere, nõ esse necessariũ cõfiteri circumstantias aggravantes, v.g *furari multum, furari centum Florenos.* Moncaltius Epist X. pag. 166. sustinet, opinionem dicentem non adesse obligationem confitendi circumstantias aggravantes esse novam deordinationem; hinc per ipsum opinio Divi Antonini rejicienda esset ut causans lassitatem novam in moribus.

37. In cap. 30. ante §. 1. scribit, quòd Confessor debet injungere pœnitentiam peccatori dicenti se non posse aliquam duram peragere, quam libenter suscipiat; & si Sacerdos non potest gaudere de omnimoda purgatione ejus, saltem gaudeat, quòd liberatum à gehenna, transmittit ad Purgatorium. Itaque ut inquit Hostiens: Confessor nullo modo debet permittere peccatorem desperatum recedere à se 16. quæst. 6. Presbyter, sed potiùs imponat ei *unum Pate noster, vel aliud leve.* De hoc puncto vide cap. ult. num. 34.

In §. 3. docet, Confessarium ordinarium in materia, in qua sunt opiniones inter Magistros, licèt credat illud esse peccatum, si tamen pœnitens non vellet cognoscere illud esse peccatum, debere nihilominus illum absolvere, nec reputare eum inhabilem ad absolutionem, quia ex ratione, *& non protervia hæc opinio est.* Ordinarius autem in absolvendo debet sequi commune judicium Ecclesiæ, non suum. Certò debent hæ duæ Opiniones damnari ab Adversariis.

38. In eadem part. tit. 13. cap. 4. §. 7 facit quæstionem, an teneamur ad attẽtionem internam in persolvendo Horas Canonicas, & ipse cum Hostien: Henric. Ulric., Glossa, & Archidiac. sustinet sententiam negativam, & subdit: *Hunc intellectum teneas*, (sẽtentiam scilicet negativam) *qui benignior est, & quia*

quia Ecclesia non debet alicui laqueum injicere. Si obligati ad Officium Divinum sunt in ætate matura, & apta ad attentionem, non tenentur ad attentionem internam, quanto minùs adstringentur ad hanc attentionem, qui obligantur audire Missam, cùm hoc præceptum liget pueros statim, ac ad rationis usum perveniunt, qui pueri non sunt adeo apti ad attentionem, sicut sunt addicti ad Horas Canonicas? Opinio Divi Antonini circa Horas Canonicas est adeo benigna, & in linea meræ Probabilitatis, ut multi Probabilistæ illam sequi refugiant. Aliqui verò Probabilioristæ non desinunt illam proscribere. Scio D. Anton. 2. par. tit. 9. cap. 10. §. 2. prope finē dicere: *Cum maxima ergo reverentia ibi adstare* (idest Missæ) *oportet, & omni mentis devotione.* Adhuc tamē hæc verba non explicant præceptum sub mortali, quia illa infert ex motivis, quæ si inferrent præceptum grave, etiam in Missa ex devotione inferrent.

39. In part. 2. titul. 4. cap. 5. §. 7. quærit, utrùm ornatus mulierum secūdùm morem Patriæ, qui videtur vanus, & superfluus quoad vestes *incisas, perforatas, lingulatas, ricbamatas, caudatas, de auratas, quoad etiam mitras, seu baltheos capitis, capillaturas varias, circa dorsum Margaritas, zonas aureas, planulas altas, fucos, & hujusmodi* sit peccatum mortale. Longissimè S. Doctor tractat quæstionem per varias distinctionēs, in quibus ut plurimùm est ita benignus, ut certò damnaretur à Probabilioristis severis. Audi hæc pauca, quæ habet §. 8. vers. *ex prædictis igitur*, & loquitur de Confessione mulieris nimiùm se ornantis: Si non potest Confessor clarè percipere, an sit mortale, vel veniale, seu ex intentione ipsius, quam nescit intelligere, vel illam exprimere, seu ex qualitate, & quantitate ipsius ornatùs, *non videtur tunc præcipitanda sententia*, ut dicit Guil. Spec in quodam simili, ut scilicet deneget propter hoc absolutionem, vel illi faciat conscientiam de mortali, quia faciendo postea contra illud, etiamsi illud in se non esset mortale, ei erit mortale. . . . . & cùm promptiora sint jura ad adsolvendum, quàm ligandum dist. 50. *ponderet*, & melius sit reddere rationem de nimia misericordia, quàm de nimia severitate, ut dicit Christus 26. quæst. 7. alligant, *potius videtur absolvendam, & divino examini dimittendam.* Ita Sanctus Doctor. Pro certo habeo hæc visura nimium laxa Probabilioristis, sed tamen pro certo scripta sunt à Divo Antonino.

40. In eadem part. tit. 1. §. 10. asserit acquisita per meretricium non esse necessariò restituendum, nec necessariò dandum in eleemosynam. Subdit postea: *Et idem dicendum de acquisito per concubinatum*, & Sodomiam, & Adulterium *eadem ratione. . . . . . quidam dicunt, quòd acquisitum per Adulterium* est dandū ei, in cujus injuriam *est factum. . . . Sed idem videtur dicendum, quod de aliis turpibus lucris, scilicet meretricio, & hujusmodi.* Hæc sententia adeo Montaltio Epist. VIII. pag. 133. nova videtur, ut asserat, se nunquam audivisse Adulterium dare legitimum titulum acquirendi, & quòd Judices hunc titulum non approbarent. Posthac debebit dicere oppositum, cum clarè Divus Antoninus hoc doceat. Eandem doctrinam de acquisitis per concubinatum, lenocinium, adulterium, & hujusmodi habet tit. 2. cap. 1. §. 19. Vide cap. 46.

In materia Eleemosynæ procul dubio Divus Antoninus fuit prorsus benignus: unde part. 2. tit. 1. cap. 24. §. fin. dicit: Tertiò cum quis de superfluo utriusque necessitatis, naturæ scilicet, & personæ, non subvenit magnas necessitates, & miserias patientibus, & si non extremas sibi notas, & hoc videtur esse quasi peccatum mortale secundùm Durandum: *Sed non secundùm Thomam.* Quàm sit benigna hæc sententia nemo non videt, & jam scimus damnari ab Adversariis, ut dixi supra. Alias opiniones benignas hujus Sancti Doctoris non referam, quæ errores per Adversarios reputandi forent, quia sæpiùs infra occasio se offeret illas recitandi.

CA-

CAPUT XII.

Aliorum Antiquorum Errores recitantur.

1 PRo evidentia errorum, & laſſitatum Antiquorum adverto ex Decreto Alexandri Septimi de Anno 1665. 24. Septembris, ex propoſitionibus laſſis ibi damnatis quaſdam fuiſſe *Antiquatas*. Si erant *Antiquata*; ergo ab Antiquis Doctoribus aſſerebantur. Quomodo ergo Adverſarii poſſunt illas omnes Modernis attribuere? Sed de hoc ſuo loco. Incipiamus in particulari narrationem errorum Antiquorum, & exordium ſummam ab illis, quos Magiſter Sententiarum docuit.

2. Doctoris adeo famoſi, & Antiqui errores quatuordecim à Divo Antonino 4. part. tit. 11 cap. 8. enumerantur; viginti verò ſex à Carthuſiano in 4. Sent. princ. & à Bellarmino de Scriptoribus Eccleſiaſtic. Eſt tamen verum, quòd major pars eorum eſt ſpeculativa. Ego referam ſolùm morales, ſive tales formaliter, ſive virtualiter. Igitur in 4. diſtinct. 2. §. *hic conſiderandum*. aſſerit, quòd Baptiſmus Joannis cum impoſitione manuum æquipolebat baptiſmo Chriſti, ita quòd baptizatus baptiſmo Joannis *non erat baptizandus Baptiſmo Chriſti*. Diſtinct. 13. §. *illius verò*, dixit, quòd Schiſmatici degradati, Præciſi ab Eccleſia, Hæretici, Excommunicati non habent poteſtatem validè conſecrandi Corpus Chriſti. Diſtin. 25 §. *de Simoniacis*. dicit, quòd Epiſcopi Simoniaci degradati non poſſunt conferre ordines validè. Diſtinct. 27. §. *ſecundum hoc*. quòd ſecundus maritus alicujus mulieris incognitæ carnaliter à primo reddatur impotens ad Sacros Ordines per copulam carnalem cum eadem. Diſt. 34 §. *de his*. quòd cognoſcens Sororem Uxoris ſuæ non tenetur uxori petenti debitum reddere. Diſtinct. 38. §. fin. ſuſtinet, quòd uxoratus in patria, ſi in alia regione aliam ducit, ſi facti pœnitens velit ad priorem redire, & nequeat, ſed per Eccleſiæ diſciplinam cogatur ſecundam tenere, *incipit excuſari per obedientiam, & timorem, quòd poſcenti mulieri debitum reddit, à qua ipſe nunquam poſcere debet, & ſic de aliis hujuſmodi ſciendum eſt*. Vide, quam laſſitatem in genere libidinis permittit Magiſter ſub titulo colorati Matrimonii. Non credo, quòd Adverſarii in hoc genere laſſitatem ſimilem reperient in Modernis.

3. Errores Gratiani colligit Divus Antoninus eodem loco. Ego ſolùm quoſdam recenſebo 95. diſtinct. c. *Presbyteros*. §. *ſed illud*. dicit, quòd fortè neceſſitate urgente in abſentia Epiſcoporum, ubi eſt conſuetudo, Presbyteri poſſunt chriſmare in fronte. In c. *ad menſam*. 11. quæſt 3. §. *evidenter itaque poſt*. dicit, quòd injiciens manus violentas in Clericum incurrit anathema juxta c. *ſi quis ſuadente*. & exponens verbum *Anathema* ait, ideſt ſeparationem à Sacramentis, & ab ingreſſu Eccleſiæ, non autem à communione Fidelium. In cap *præcipimus*. §. *ſed notandum*. 12. quæſt. 1. tenet, Clericos Orientales poſſe habere proprium; Occidentales verò, qui priùs uxorem, & filios habuerint, non verò, *qui à pueritia ſacra militia traditi ſunt, niſi fortaſſe retinendo ſua à ſumptibus Eccleſiæ abſtineant*.

4. In c. *dilectio*. § *poteſt etiam aliter*. 16. quæſt. 3. ait, ſufficere ad præſcribendum, ſi quis habuerit bonam fidem ab initio poſſeſſionis, etſi medio tempore habuerit conſcientiam rei alienæ. In §. fin. 22. quæſt 4. dicit, quòd, ſi quis poſt votum caſtitatis juret fœminæ ducere eam in uxorem, illicitè quidam jurat, juramentum tamen ſervare non prohibetur, ſed ſibi de violatione voti pœnitentia eſt injungenda. In tractat. de pœnit. diſtinct. 1. per longum diſputat in utramque partem, an Confeſſio ſit de neceſſitate ſalutis. In fine ſic concludit: *Cui potiùs adhærendum ſit, Lectoris judicio reſervatur*. Et ne videatur hanc laſſam hæreticam licentiam grati[s] concedere, ſubdit rationem: *Utraque*

enim, opinio, *habet fautores Sapientes*, *& Religiosos viros*.

5. Nunc recensendi sunt errores aliorum Antiquorum, quos casu potui colligere. Illos enarrabo servato ordine alphabetico excepto primo, quem ideo primo loco ponam, ut Lector statim incipiat cognoscere lassitates ingentes Antiquorum, etiam in jure naturali. Nostri Moderni in rei veritate de Duello valdè lassam opinionem, damnatam ab Alexandro Septimo num. 2. asseruerunt; sed in hac materia Antiquiores magis lassaverunt habenas. En tibi Historiam desumptam ex Divo Raymundo libr. 2. tit. 3. de duello. §. 2. Ibi Sanctus Doctor probat, duellum esse illicitum, postea subdit: Non obstat, quòd crimen læsæ Majestatis crimen perduellionis appellatur; quia illud non fit ideo, quòd in illo crimine, non in aliis, sit admittendum duellum, *prout quidam male intellexerunt*, sed quia perduelles dicuntur hostes. Vult ergo dicere crimen perduellionis, idest crimen hostile. ff. de verbor. signific. *quos nos hostes*. Consuetudo tamen generalis contra ista invaluit *ferè ubique terrarum*; unde solet quæri, an hujusmodi consuetudines generales excusent à peccato mortali, *& dicunt quidam*, *quòd sic*, inducentes pro se verbum Ambros. 32. quæst. 4. objiciuntur Jacob quatuor uxores, quia quando mos erat, crimen non erat. Alii distinguunt, utrum quis offerat, an suscipiat duellum, & cum suscipit, utrum sponte, an delatum à Judice; dicunt enim eum, qui offert, & eum, qui sponte suscipit, peccare mortaliter, *eum vero*, *qui suscipit Judice compellente*, *non peccare*, quia non sponte id facit, sed invitus, cum aliter non possit evadere periculum corporis, vel rerum; quod enim quis facit ob defensionem suam, *vel suarum rerum*, *licitum judicatur*, *si sit etiam Sacerdos*. Eandem horribilem historiam referunt Goffredus Tranensis in Summ. tit. de Clerico pugn. in Duello num. 3. Hostiens. in Summa. Henricus Boic eodem, & alii Canonistæ ibidem. Asten. lib. 1. tit. 27. de duello, Divus Antoninus par. 3. tit. 4. cap 4. §. 2. Alios non refero, quia infrà ex professo tractans de duello afferam reliquos Antiquos. Nec mirum si consuetudo, & Doctores approbabant duellum, cum Lex Longobarda in pluribus casibus duella admittat, quas leges infrà referam. In una harum Legum Otto Imperator statuit, quòd, si quis accusaretur, falsificasse Diploma Imperiale, hic teneretur duello innocentiam suam probare. Hanc Legem Imperator posuit loco alterius, qua hic accusatus tenebatur olim juramento probare se innocentem; & illam statuit interventu *Procerum Italiæ*. Vide Mabillon de re Diplom. libr. 1. cap. 6. pagin. 23.

6. Federicus quoque Imperator in lib. Feudorum. Tit. *de pace tenenda*. §. *si quis hominem*. legem dixit in hæc verba: *Si quis hominem inter pacem constitutam occiderit*, *se per duellum defendere potest*, *quòd ad sui corporis tuitionem eum occidit*. Nec mirum debet esse, si Imperatores erraverint in materia duelli, nam, si credimus Divo Thomæ part. 3. quæst. 80. artic. 6. ad 3. Concilium Vormaciense c. 15. in majorem errorem impegit; dum decrevit, & refertur. c. *cum contingit*. 2. quæst. 4. ad expurgandam infamiam de furto, ut Monachi acciperent Eucharistiam, & Sacerdos ipsos communicans diceret: *Corpus Christi sit tibi hodie ad probationem*. De hoc Decreto Angelicus Doctor sic scribit: *In omnibus talibus esse verè videtur Dei tentatio*; *unde sine peccato fieri non possunt*, & graviùs *videretur*, *si in hoc Sacramento Eucharistiæ*, *quod est institutum ad remedium salutis*, aliquis incurreret judicium mortis; *unde nullo modo Corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine quasi ad examinationem*.

7. Lecta hac funesta historia relinquo judicium penes Adversarios, quinam magis lassaverint habenas in materia duelli an Antiqui, an Moderni. Dum verò ipsi perpendent ad dandum judicium hujusmodi, ipse recitabo errores aliorum Antiquorum.

8 Fra-

8. Franciscus Mayr. in 4. dist. 14. q. 1. art. 2. ad 3. narrat, in provincia Provinciæ fuisse usum sic absolvendi: *Absolvat te Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.* Vide etiam Parisien. de pœnit. c. 19. litt. H. D. Th. Opusc. 22. scribit contra opinionem dicentis, non esse utendum hac forma in Sacramento Pœnitentiæ, *Ego te absolvo*, sed illa; *Absolutionem, & remissionem tribuat tibi Omnipotens Deus.* Et cap. 5. refert objectum Adversarii asserentis, quòd *ante triginta Annos* omnes utebantur illa forma: *Absolutionem, & remissionem, &c.* cui respondet: *Sed quomodo potest de omnibus testimonium perhibere, qui omnes non vidit?* Hæc responsio refutat quidem evidenter objectum *de omnibus*, sed non de plurimis, nam ille Doctor poterat vidisse plurimos, & illos audisse illa forma, *Absolutionem, & remissionem &c.* absolventes. Quisque videre potest, quàm fuerit damnosa illa consuetudo, & illa opinio de forma Absolutionis; nam, si pœnitentes non habebant dolorem charitate perfectum, miserè damnabantur. Gerson part. 2. in Opuscul. super absolutione Confessionis Sacramentalis litt. L. pag. 184. interrogatus, an apud aliquem Doctorem reperiatur forma authentica absolutionis Sacramentalis, respondet, reperiri *in Summa Confessorum, vel Bertholina.* V. *Absolutio.* Sed si quis noluisset credere illis Doctoribus, non aderat liber certæ Authoritatis potentis cogere ad sic tenendum? Poterat quidem allegari etiam Doctor Angelicus Opuscul. citato 22. sed nec Doctor Angelicus potest cogere ad sic credendum. Cum ergo Antiqui non haberent Librum infallibilis Authoritatis in hac materia, mirum non erit, si etiam tempore Gersonis *fuerint tot varietates in forma Absolutionis*, & temporibus Antiquioribus viguerit & consuetudo, & opinio apertè falsa. Nos Moderni in hac materia veritatem certam habemus, & usum. Tridentinum Session. 14. cap. 3. ait, Sacramenti Pœnitentiæ formam in illis verbis positam esse, *Ego te absolvo &c.* Per hunc textum apertè damnatur usus Provinciæ, & Opinio dicentium formam hujus Sacramenti esse illa verba, *Absolutionem, & remissionem &c.*

9. Apud Divum Thomam quodl. 12. art. 30. quidam dicunt, quòd quilibet Sacerdos potest absolvere quemlibet à quolibet peccato; & licèt non benè faciat absolvendo, *tamen absolutus est....* Alii dicunt, *quod nullus*, etiam authoritate Superioris Prælati, *potest absolvere subditum inferioris Prælati* sine ejus voluntate, *puta authoritate Episcopi contra voluntatem Parochi.* Parisien. ubi suprà scribit: Si fortè ille Sacerdos illitteratus fuerit, etiam totum interpreti potest committere, si saltem sit Diaconus, reservata tamen sibi benedictione, & absolutione, quæ sine potestate clavium in peccatis mortalibus locum non habent; *in venialibus autem peccatis*, secundum quosdam, *absolvere possunt etiam Laici in necessitate.* Tridentinum Session. 14. cap. 6. & can. 10. decidit de Fide, *solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis.* Hinc Laici nec venialia possunt absolvere; nec Diaconus habet aliquid speciale in ordine ad Confessionem Sacramentalem, quod non habeant alii Clerici, quia in rei veritate solus Sacerdos est à Christo constitutus minister Sacramenti Pœnitentiæ. Sed quid dicemus de illa hæretica opinione, quam aliqui Antiqui tenebant apud Divum Raymundum lib. 3. de pœnit. & remiss. §. 62 quòd *remissio peccatorum solum à bono Ministro fiat?* Vide Tridentinum Sess. 14. can. 10.

10. In Concilio Basiliensi juxta Divum Antoninum part. 3. tit. 17. c. 12. & cap. 21. §. 3. facta fuit collatio *à multis notabilibus Doctoribus* Theologiæ, & fuit dictum à quibusdam, quòd Confessarius, qui absolvit pœnitentem *aut ex festinatione, aut ex ignorantia, aut ex verecundia*, quem non poterat absolvere, possit *eundem pœnitentem absentem absolvere*, si aliter faciendo timeretur magnum scandalum, & si speratur ab ultima Confessione, quòd sit in gratia. Palud. in 4. distinct. 17. quæst. 2. artic. 1.

dicit, aliquem inclusum in carcere posse scribere peccata Sacerdoti, & hunc posse *rescribere, & remandare absolutionem.* Idem tenet Godescalcus Rosemondo c. 7. §. *confiteri per schedulam.* fol. 171. Alios Antiquos hujus opinionis retuli alibi.

11. Divus Thomas quæst. 2. *de malo.* art. 4. dicit, *apud Antiquos diversas fuisse opiniones de actibus humanis;* quidam enim dixerunt omnes actus de se esse actus *indifferentes,* aliquos esse de se bonos, alios de se malos.

12. Quidam tenuerunt, mutum, & mancum posse simul conferre Sacramentum Baptismi, itaut mancus proferret verba, & mutus ablueret. Canonistæ omnes tempore Hostiens. in Summ de Baptism. num. 7. fin. dixerunt, Baptismum esse invalidum, si formæ præmitteretur, aut interponeretur, aut postponeretur aliquod verbum, v. g. si diceretur, *Arma, virumque cano :* Ego te baptizo in nomine Patris, &c. Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, *& omnium Sanctorum.* Huic opinioni adhæret Hostien. ex eo, quòd *ita omnes hodie in hoc conveniant; ergo credemus eis. ff. qui satis dare coguntur. l. inter omnes.* Idem Doctor num. 16. scribit: Dicas, quòd in baptizante non requiritur intentio, quæ pro baptizato sit, dummodo contraria non adsit; *unde & ebrius baptizat.* 1. quæst. 1. c. *dedit, qui tamen nihil intendit;* nam quod sobrius cavet, *ebrius ignorans committit, nescit, quid loquitur, sepultus jacet.* Multi quoque Canonistæ apud Sylvest. V. *Baptismus.* 4. quæst. 9. tenent illud axioma, *in Sacramentis nihil est iterandum, sed cautè supplendum, quod erat omissum,* ita esse amplè interpretandum, quòd si est omissum aliquod substantiale, ut fiat Sacramentum, non sit repetendum illud substantiale, *sed sufficere ponere omissum.*

13. Potest quis celebrare Missam, & communionem accipere præmissà sola contritione sine Confessione, *si expectetur brevi Confessor, cui devotiùs confiteatur.* Ita Baptista de Salis, V. *Confessio.* 2. quæst. 7. & Richardus; Asten. lib. 5. tit. 11. med. Jam dixi cap. antec. hanc opinionem fuisse Sylvestri. Hugo apud Asten. lib. 8. titul. 18. quæst. 6. sustinuit, Judæos tenentes puerum alterius in Baptismo, vel Confirmatione contrahere cognationem spiritualem. *Sed ipse erravit,* inquit Asten. *in hoc, quod dixit, quod cognatio Spiritualis contrahitur inter Judæos, quia non baptizatus non potest contrahere aliquam cognationem Spiritualem.*

14. Paludanus in 4. dist. 17. q. 7. refert duos modos Antiquorum, qui dicunt confitentem, *sed non pænitentem,* satisfacere præcepto Ecclesiæ, *quia, cum illa fictio sit de actu interno, non subjacet præcepto Ecclesiæ.* Nescio, an hæc opinio subjaceat Propositioni damnatæ ab Alexandro Septimo num. 14. lege etiam Alen. dicentem 4 part. quæst 18. membr. 4. art. 5. §. 7. in solut. arg. propè finem, si autem quæreretur, *utrùm non contritus, si confiteatur in mortali,* ut obediat Ecclesiæ, & ut gratiam inveniat &c. omittat sic confitendo; dicendum, quòd non, sicut dicunt Magistri, sed absolutus est à præcepto Ecclesiæ; unde licèt securius esset, iterum confiteri, tamen non est necesse, quia ex parte Sacerdotis non erravit clavis, licèt ex parte confitentis defuit dispositio conveniens absolutioni; unde expletur sic, secundùm quod est in præcepto, sed secundùm quod est Sacramentalis satisfactoria non impletur. Nihil dico de opinione tanti Doctoris, *& Magistrorum.* Expendant Docti.

15. Alii apud Asten. lib. 5. tit. 10. art. 2. dicunt, *Confessionem non cadere nisi sub præcepto Ecclesiæ.* Unus Doctor apud Mayron in 4. distinct. 17. quæst. 1. fin. tenet, *Confessionem de peccatis oblitis non cadere sub præcepto divino,* sed humano. Quidam Presbyteri, & alii *secundùm morem aliquarum Ecclesiarum* confitentur in Generali Confessione, se commisisse omnia peccata dicendo, *peccavi in omnibus vitiis,* in quibus homo peccare potest..... *vituperandi tamen sunt Presbyteri, qui addunt de pollutione, credentes*

dentes hoc sufficere sibi pro Confessione, quod non est verum, quia ad hujusmodi mortalia requiritur Confessio specialis Sacramentalis. Ita verbatim Asten. lib. 5. titul. 12. quæst. 5. Juxta hanc historiam vel illa Confessio in generali non erat Sacramentalis facta coram Sacerdote; vel si erat Sacramentalis, *non erat specialis*, hoc est de speciebus peccatorum. Hinc rectè Asten. dicit, *non esse verum, hoc sufficere pro Confessione, quia ad hujusmodi mortalia requiritur Confessio specialis Sacramentalis.* Hæc veritas definita est de Fide à Tridentino Session. 14. cap. 5. & canon. 7. Rosella apud Mastrium in 4. disput. 5. quæst. 15. art. 1. docuit, si quis integrè confiteatur, & absolvatur, si nec se complaceat, nec displiceat de peccatis, validè, & licitè recipere absolutionem, & gratiam Sacramentalem suscipere. Clerus Gallicanus in proposit. damn. fin. referens hanc propositionem, in morte mortaliter non peccas, si cum attritione tantùm Sacramenta suscipias, quamvis actum contritionis *tunc omittas liberè*; licet enim sequi opinionem minùs probabilem, *relicta probabiliori*; referens, inquam, hanc propositionem illam damnat multipliciter, & ait, esse *pessimum Probabilitatis fructum.* Cujus, quæso erit fructùs illa *Antiqua* opinio Rosellæ? Certè Clerus Gallicanus debet fateri in Antiquitate fuisse doctrinam deteriorem Probabilitate in hac materia.

16. Confirmatio fuit instituta in quodam Concilio Meldensi. Itaqnidam antiquus, & insignis Doctor. Hæc est hæresis ex Tridentino Session 7. de Sacrament. can. 1. In c. *quanto.* de consuet. V. *Reservata.* narratur, secundùm quosdam Papam posse delegare Laico potestatem conferrendi chrismа. Quidam dixerunt, Laicum posse Extremam-Unctionem conferre apud Baptist. de Salis. V. *Absolutio.* 1. fin. Alii hoc Sacramentum fatentur, fuisse institutum à Divo Jacobo. Ita Magister in 4. dist. 23. c. 2. & Hugo Victorinus apud Salmaticenses de Sacram. in gen. cap. 3. dub. 1. num 7. Divus Thomas in 4. distinct. 23. quæst. 1. art. 1. quæstiun. 3. narrat circa institutionem hujus Sacramenti duplicem fuisse opinionem, prima negabat, fuisse immediatè institutum à Christo; secunda affirmabat, & hanc Sanctus Doctor sequitur ut probabiliorem. Hinc patet, primam opinionem per suos Doctores fuisse probabilem. Tridentinum Session. 14. de Extrem. Unct. cap. 1. docet, hoc Sacramentum fnisse institutum à Christo, & promulgatum à Jacobo Apostolo. Alii apud Divum Thomam art. 4. quæstiun. 1. voluerunt, *nullam formam esse de necessitate hujus Sacramenti.* Hinc juxta hanc opinionem infirmi non recipiebant hoc Sacramentum, quia Tridentinum ibidem docet hoc Sacramentum habere formam ex institutione Christi, & esse illa verba, *per istam Sanctam Unctionem &c.* Si plures Antiqui malè loquuti sunt de Sacramento Pœnitentiæ, malè quoque senserunt de Extrema Unctione, quæ pariter est Sacramentum expiativum *delictorum, si quæ sunt expianda, & abstergens peccati reliquias* juxta Tridentinum ibidem. c. 2.

17. Magister Sententiarum ubi suprà cap. 3. scribit: Quidam de omni Sacramento intelligi volunt, quòd non sit iterandum, scilicet secundùm totum illud, quod pertinet ad Sacramentum, dicentes quædam Sacramenta posse sæpius suscipi, quædam verò non; nec tamen, quæ sæpius sumuntur, totaliter iterantur, ut Sacramentum Altaris, & Unctionis, quæ licèt sumantur sæpius, tamen, quia non iterum benedicitur eadem Hostia, vel idem oleum, non iteratur Sacramentum cum injuria...... *In Conjugio quoque semel tantùm benedicitur quisque, non sæpius; benedicitur enim,* ut ait Ambrosius, *cum prima, & non cum secunda Uxore.* Jam scimus in pluribus locis usum vigere, de quo vide Glossam in c. *vir de secund. nupt.* V. *Iterari.* præcipuè in Italia, dum contrahitur secundum matrimonium, si ambo non sint vidui, iterum matrimonium benedici, & præcipuè si fœmina sit virgo. In iure quidem non deberet bene-

dici ex allato cap. *vir.* tamen ratione consuetudinis licitè hoc fit. Glossa ibidem requirit, ut hæc consuetudo sit licita, debere à Papa cognosci. Ex his patet evidenter, quòd etiam Sacramenta, quæ requirunt benedictionem, iterantur quoad omnia. Forsan Magister credit, requiri ad Matrimonium *Benedictionem*, sicut ad Eucharistiam *Consecrationem*, & ad Extremam Unctionem *ipsam benedictionem*; quod est apertè falsum; nam nequit haberi validum Sacramentum Eucharistiæ sine Consecratione, ut colligitur ex Tridentino Session. 13. cap. 4. & can. 4. nec Extremam Unctionem *sine benedictione*, cum benedictio spectet ad materiam hujus Sacramenti ex Tridentino Session. 14. de Extrem. Unct. cap. 1. E' contra *Benedictio* in matrimonio est mera cerimonia, & ritus Ecclesiæ, & sine ipsa matrimonium est validum Sacramentum, ut patet in matrimonio viduorum, & in matrimonio clandestino sine Parocho celebrato, quod antiquis temporibus validè fiebat, ut patet ex tit. *de cland. despons.* & opinio opposita de errore damnatur à Trid. de refor. matr. c. 1.

18. Igitur ad nostrum propositum de Fide est, tria solùm Sacramenta iterari non posse, *Baptismum nempe*, *Confirmationem*, *& Ordinem* ex Tridentino Session. 7. can. 9. de Sacr. in gen. Hinc certum est alia iterari posse, & oppositum est error. Insuper est certum ex Flor. in decr. Eugenii vers. *quinto*. Sacramenta ex tribus perfici forma, materia, & intentione Ministri. Est etiam certum verba benedicentia balsamum pro chrismate, & oleum pro Infirmis spectare ut materiam remotam Sacramenti, & benedictiones matrimonii esse cæremonias Ecclesiæ, quas ipsa posset licitè omittere, & variare.

Famosissimus Antiquus part. 2. q. 119. membr. 2. art. 3. tenet non esse peccatum eligere bonum ad Beneficium Ecclesiasticum minus, relicta meliori Persona. Beneficia minora vocat ea, quæ sunt infra Episcopum. Nescio, an hæc opinio sit damnata ab Innocentio. Und. n. 27.

19. Aliqui apud Glossam 13. distinct. c. 1. V. *Item adversus*. & c. *nervi*. V. *Et quia*. & c. *vir*. 32. quæst. 4. V. *Voluptate*. & Divum Bonaventuram in 4. distin. 31. art. 2. quæst. 1. dicebant, *Copulam conjugalem non excusari à peccato veniali*. Ex hoc errore sequitur, cum communitas teneatur ex præcepto divino propagare seipsam juxta illud Genesis, *crescite, & replete terras*, sequitur, inquam, præceptum divinum obligare ad peccatum veniale. Alii etiam nimis rigorosi apud Durandum ibidem quæst. 4. copulam maritalem habitam ob voluptatem carnalem *peccatum mortale* asserebant. Ex hac opinione periculum evidens insurgebat viris valdè deditis venereis peccandi mortaliter, dum difficulter tales possunt frænare animum deditum hisce blanditiis, & illum continere intra fines procreandi prolem. Sed audi horribilem lassitatem. Paludanus in 4. distinct. 32. quæst. 2. apud Angelum, V. *Debitum conjugale*. num. 27. tenet, *licere Uxori post copulam ejectionem seminis, ne habeat plures filios, quos nequit alere*.

20. Asten. lib. 2. tit 67. art. 4. quæst. 2. refert, Joann. in Gloss. 2. quæst. 1. V. *Si peccaverit in te*. asserere, quòd *si omnes tenerentur ad correctionem*, & hæc opinio esset dura, *& teneri non debet, eo quod constituet omnes transgressores; & ideo hoc mandatum extenditur solùm ad eos, qui sunt in gradu, vel Magistratu constituti*. Subdit Asten. *Sed contrarium hujus habetur*. 24. quæst. 3. c. *tam Sacerdotes*. ubi dicitur, quòd *tam Sacerdotes, quàm reliqui fideles omnes summam debent habere curam de his, qui pereunt, quatenus eorum redargutione, aut peccatis corrigantur, aut, si incorrigibiles appareant, ab Ecclesia separentur*. Nota obiter, quòd opinio dura non placebat Antiquis, & sic nec placere debet Modernis.

21. Aliqui dixerunt apud Divum Thomam 1. 2. quæst. 19. art. 5. *Voluntatem discordantem à Conscientia erronea* (utique invincibiliter) *non esse malam*. Alii voluerunt apud Divum Thomam

pariter in 4. distinct. 8. quæst. 2. art. 4. quæstiun. 1. quòd verba consecrativa panis non producebant suum effectum, nisi consecrato vino; *adhuc tamen periculosè non adoratur Hostia ante Consecrationem Sanguinis, quia non adoratur, quod est, sed quod erit.* Hugo in c. *quod à Patribus.* 76. distinct. apud Faustum de Eucharist. libr. 1. quæst. 398. vult, Sacerdotem non jejunum invalidè consecrare. Quidam consecrabant aquam, in qua erat pannus musto intinctus Apud Divum Thomam 3 par. quæst. 74. art. 8. & c. *cum omne*. de consecr. dist. 2. Plures apud Archidiac. in c. *in Sacramentorum.* num. 2. de consecr. distinct. 1. tenent, non esse necesse ponere aquam in Calice, sed sufficere, si ponatur in Dolio.

22. Paulus Grysaldus. Verb. *Damnati.* num. 9. refert, Præpositivum, Gilbertum Pictaviensem, Altiosiodorensem, & Rupertum Linconiensem, tres sunt Episcopi, asseruisse, suffragia viventium prodesse damnatis. Apud Divum Thomam quæst. 15. de verit. art. 4. *Antiquitus* aderat opinio, quòd delectatio morosa, v. g. *de fornicatione*, non esset peccatum mortale.

23. Qui non emit infra pretium dimidium, & qui non vendit supra pretium dimidium, licitè facit Panormit. de immunit. Eccl. c. *quia plerique*. quæst. 10. & Ber. Innoc & Hostien. apud Asten. lib. 3. tit. 11. de usur. art. 4. quæstiun. 4. vers. *sed objicitur contra supra dicta.* qui Doctores specificant in cap. *in civitate*. de usur. de emente, & vendente pro septem, quod valet solùm quinque. Secundùm verò Rodon. apud Asten. art. 5. quæstiun. 2. vers. *si tamen in tali.* pœnitens est absolvendus, qui decepit in emptione, & venditione citra dimidium, si nolit restituere, *si tamen contractum facit sine dolo, & fraude.* Hæc doctrina Rodon habetur in Glossa Raymun. libr. 1. de decim §. 14. V. *Bene valet.* his verbis: videtur tamen quibusdam, *& probabiliter*, quod in hoc casu teneatur venditor *in foro pœnitentiali* ad restituendum emptori, quod solvit Ecclesiæ, *cum sit licitum contrahentibus se se decipere*, dum tamen absit fraus, & dolus, & non ultra dimidium justi pretii fiat deceptio. *ff. de minor. in causæ.* §. *ult. C. de resund. vend. l. 2. & l. si voluntate. & extr. de empt. & vend. Cum dilect.* Isti errores sunt pejores, quàm contractus mohatra ab Innoc. Und. n. 40. damnatus.

24. Astensis ibidem quæstiun. 9. tenet esse usuram, si quis mutuet cum pacto de remutuatione, licèt enim mutuatarius obligetur ad antidora. *ff. de peb ared. sed & si lege. §. consuluit. & de testam.* c. *cum in officiis.* illam tamen obligationem naturalem deducere in civilem est spes lucri, & ideo est usura. Gloss. 14. quæst. 3. si fœneraveris. *Movetur tamen Hostien. in contrarium, quia hic nihil accedit sorti, & aliàs illud, quod sine pacto debetur, licitè potest in pactum deduci de elect. significasti.* Hæc doctrina vel est ipsa formalis propositio damnata ab Innocentio Undecimo num. 42. vel est pejor.

25. Circa Eleemosynam impiè erraverunt illi Antiqui, qui apud Abulen. Matth. 6. quæst. 34. negaverunt Eleemosynam esse sub præcepto. Lassi quoque fuerunt illi, qui solùm præceptum hujusmodi agnoverunt in extrema necessitate.

26. Quidam dicunt, *vinum in parasceve converti in Sanguinem per immissionem particulæ Hostiæ* apud Divum Thomam part. 3. quæst. 83. art. 2. ad 2. Alii apud Rainerium de Eucharistia volunt, *peccatores non manducare Corpus Christi.* Unde dum labiis tangunt Eucharistiam, definit ibi esse Corpus Christi. Similem errorem refert Divus Thomas 3. part. quæst. 80. art. 3. Altisiodorensis in 4. tract. 5. cap. 5. quæst. 4. fin. fol. 20. ad vitandum scandalum concedit, *posse dari Hostiam non consecratam pro consecrata.* Alii apud Divum Thomam in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 4. quæstiun. 2. ad 2. sustinent, Aquæ potum non frangere jejunium naturæ, & sic non impedire sumptionem Eucharistiæ. Idem tenuit Goffr. Tranen. Summ. de celebr. Missar. ...

modico.

modico zinziberis sumpto per modum medicinæ.

27. Divus Raymundus libr. 3. de senten. præcep. defin. & excommun. §. 31. *Pone, quod excommunicatus* scribit: *Melendus dicit, quòd semel excommunicatus non potest amplius excommunicari, quia nihil ad nos de his, qui foris sunt* 2. qu. 1. *multi*. De hoc antiquissimo Doctore *Melenda* valent illæ lamentationes, quas in Probabilistas jaciunt Probabilioristæ, quòd scilicet peccatoribus blandiuntur, ipsisque lassant habenas. Ejusdem farinæ est sequens: *Copula Clerici in Sacris constituti juxta Imolam, Gersonem, & Supplementum Gabrielis est simplex fornicatio* apud Sanchez de matrimon. lib. 7. disput. 27 num. 20. & 21. Apud Asten. libr. 7. titul. 8. art. 5. dicitur, illa verba, *Anathema sit*, non dicere sententiam latam. Tridentinum damnans hæreses utitur illa forma, nec potest dici, non importare sententiam latam.

28. Aliqui Antiqui Canonistæ apud Fagnanum. c *firmiter*. de Summ. Trinit. num. 41. voluerunt, nos ex necessitate medii obligari solùm ad sciendum dari Deum, & esse remuneratorem, & nihil aliud. Angelus. V. *Fides*. num. 6. tenuit, *Vetulam credentem Trinitatem esse fœminam peccare venialiter*. Vide propositionem 64. damnatam ab Innocentio Undecimo. Alii apud Gloss. c. *non est* el. 1. 23. quæst. 5. V. *eod*. dicunt, quòd ubi castitas, & Fides periclitatur, *possit quis licitè se occidere*

29. Quidam apud Goffr. de Furtis. num. 9. dicebant, *nullam necessitatem excusare, si quis furetur cibaria, vestem, vel pecus*. Si Monachus, inquit Angelicus Doctor 2.2.q.32.art.8 non habet dispensationem, tunc nequit facere Eleemosynam, *nisi fortè in articulo extremæ necessitatis, in quo licitum ei esset furari, ut eleemosynam daret*. Nequit negari oppositam opinionem esse crudelissimam, & contra humanitatem. Sed audi scrupulum Altisiodorens. in 3. tract. ult. cap 3. fin. Alicui Monacho præcepit Abbas, quòd ferret victualia in Abbatiam; dum fert illa, *aliquis in extremitate vitæ constitutus* exigit ab illo aliquid ex illis ad reservandum se. Quid facere debet Monachus? Audi. Dicendum, *quòd non debet ei dare*, sed exponere coram, & dicit, *quòd si sibi placet, accipiat, quia non sunt sua*. Sed esto, quod semivivus sit, & non per se possit capere, tunc debet illi dare, & postea manifestare suo Superiori, quòd sic fecerit. Sic Doctor. Utique hoc debet manifestare; at ad quid scrupulus ille, *quod non debet ei dare?* Sed urgeo, si ille postea ex disperatione nollet accipere, nonne ipse Monachus debet ex charitate ipsum hortari, ut accipiat, quin & prabere ipsi panem? Igitur præceptum Superioris non intelligitur in casu extremæ necessitatis, & esset crudelis ille Superior, qui vellet ita intelligi.

30. Abbas Antiquus 92. distinct. c. ult. ait, quòd Clerici Beneficiati non obligantur ad dicendum Officium, *si per alios illud recitant*. Glossa ibidem. V. *Deputatus*. narrat, quosdam dicere illum *tantùm* esse obligatum ad dicendum Divinum Officium, *qui alicui Ecclesiæ intitulatus est, aliàs non*, etiam ordinatus sit ad titulum suæ possessionis. Richardus Anglicus apud Angelum. V. *Hora Canonica*. num. 10 asserit, semel relinquere Officium non esse mortale, nec tenetur Beneficiatus omittens Horas Canonicas ad restitutionem fructuum.

31 Apud Panormitan. rubric. de observat. jejun. num. 7. aliqui dixere, Jejunii obligationem incipere solùm expleto Anno vigesimosexto, & num. 11. secundùm Cardin. narrat, jejunium frangere esse mortale solùm, si fiat ex contemptu, vel ex inobedientia. Hæc opinio est damnata ab Alexandro Septimo num. 23. Idem Doctor refert, eandem erroneam opinionem Calderinum tenere universaliter de Legibus Ecclesiasticis.

32. Secundùm aliquos homo tenetur ad impossibile apud Altisiodorens. in 2. tractat. 29. cap. 2. *de omissione*. quæst. 2. quæstione incidenti fol. 105 columnn. 3. princ. Alii apud Gloss. 13. distin. §. *item ad versus*. V. *eodem*. admittunt perplexi-

t..-

tatem; unde per hos Doctores, quis cogebatur ad peccandum. Homicida occultus juxta Antiquum Vincentium apud Angelum. V. *Homicidium*. 5. num. 1. *non erat irregularis*. Aliqui apud Asten. lib. 7. tit. 19. q. 5. dicunt: Excommunicatum *baptizantem solemniter* non incurrere irregularitatem. Tamburinus de irregular. cap. 14. §. 3. asserit, excommunicatum exercentem actus proprios *ordinum Majorum fieri irregularem* ex toto titul. de Clerico excomm. minist. & videtur hanc regulam tenere ut certam; unde illa Antiqua Doctrina per hoc esset error manifestus, & lassus admodum; patet siquidem, quòd *baptizare solemniter est actus proprius ordinum Majorum*. Judex secundùm quosdam apud Baccon. in 2. distinct. 40. & 41. artic. 1. debet judicare secundum scientiam privatam, & non secundùm allegata, & probata. *Clericus, & Religiosus non tenetur audire Missam diebus festis* juxta Joannem de Biblia apud Antonin. 2. part. titul. 9. cap. 10. §. 1. dub. 1. & juxta Richard. quodl. 1. art. 6. quæst. 1. *Saculari est peccatum veniale, die Dominico non audire Missam, cum hoc omiserit non ex aliqua legitima causa, sed ex aliqua infirmitate mentis, sicut ex aliqua passione*, vel ex aliqua pigritia, *si tamen hoc consuetus non fuit.*

33. De mendacio fuerunt varii errores apud *Antiquos*. Alii voluerunt omne mendacium esse peccatum mortale apud Alber. in Summ. part 2. tract. 20. quæst. 125. membr. 3. Multi concesserunt nos posse mentiri pro salvanda vita innocentis apud Altisiodorens. in 3. tract. 23. cap. 1. quæst. 2. colum 3. & ipse paulò post hoc concedit viro imperfecto, & negat viro perfecto.

34. Circa Sacramentum Ordinis Antiqui habuerunt suos errores. Aliqui apud Richard. in 4. distinct. 25. artic. 1. quæst. 3. sustinent Episcopum degradatum invalidè conferre Ordines. Apud Glossam 75. distin. c. *Ordinationes*. V. *Tertia*. aliqui dicunt, Missam esse de substantia Ordinationis Episcopalis. Ex hoc sequitur invalidè consecrari Episcopum sine Missæ celebratione. Hæc opinio videtur contraria iis, quæ habet Florentinum, scilicet Sacramenta perfici his tribus materia, forma, & intentione Ministri. Idem dico de opinione principalium Canonistarum apud Pax Jordan. tom. 1. libr. 5. titul. 11. num. 40. sustinente jejunium requiri de necessitate Sacramenti, ut Ordo Episcopalis conferatur. Alii apud Divum Thomam in 4. distinct. 25. quæst. 2. artic. 1. quæstiun. 1. dicebant, sexum virilem requiri ex sola necessitate præcepti, *non Sacramenti.*

35. Glossa Raymund. lib. 3. de pœnit. §. 21. V. *Unum fit.* inter peccata venialia reponit, *ex aliqua necessitate pejerare, facile, & temere maledicere.* Scotus in 3. distinct. 39. litt. F. scribit: *Quantum ad primum* communiter conceditur, *quod unicum perjurium leve non est peccatum mortale, tamen ex consuetudine perjurare est peccatum mortale*; & hoc videtur *posse poni, quia habitus generatus inclinat ad graviorem actum, quam sint præcedentes.* Doctor Subtilis rectè subdit, habitum nihil facere ad propositum, quia perjurium est contra præceptum primæ tabulæ, & ita esse peccatum mortale. Facit ergo ad propositum, quòd perjurium sit *indeliberatum, vel ex plena deliberatione.* Interea tenementi *hanc communem opinionem*, quam refert Scotus, *quod unicum perjurium leve non est peccatum mortale.*

36. Sed legamus Asten. libr. 2. tit. 69. art. 3. quæst. 4. dicentem: Nunquid potest quis committere veniale, ut alius vitet mortale? Respondet Alexan. Angl. (idest Alensis) part. 2. tit. 2. *de perplexitate*, casu septimo, quòd perfectus secundùm quosdam non debet committere veniale, ut alius vitet mortale, sed pœnam temporalem potest sustinere; *Imperfectus autem potest. Alii dicunt, quod etiam Perfectus potest committere veniale, ut alius vitet mortale, sed quodammodo cadit à perfectione.* Hunc etiam errorem tenuerunt alii apud Glossam in c. 1. 14. distinct. V. *Periculosissimè*. si hi Doctores fuerunt nimis lassi, alii apud Glos-

Glossam 22. quæst. 2. cap. *si qualibet.* V. *Æterna.* fuerunt nimis rigidi dicentes, quòd mendacium ad salvandam propriam vitam sit mortale, & quòd, licèt per veniale quis non damnetur, *tamen impedire potest, ne quis salvetur*; quam doctrinam ibi Glossator justissimè corrigit. Fuerunt etiam impiè rigidi illi Doctores, qui apud Divum Raymundum lib. 3. titul. *de pœnit.* §. 2. dixerunt: Pœnitentiam virtutem fuisse irreiterabilem.

37. Quidam apud Divum Thomam quodl. 9. art. 15. dixerunt, ita esse licitum habere plures præbendas, ac habere *plura poma.* Alii dicunt, inquit Glossa 6. distin. §. 1. V. *quia verò.* quòd dormientes non peccant..... Si ergo in nocturna pollutione homo non venit ad consensum, nullo modo peccat; si verò pervenit, peccat mortaliter secundùm istos, *nisi fortè imaginetur cum Uxore propria*, quia tunc dirigit affectum in Uxorem, & non peccat mortaliter. *Hanc opinionem fovet Hugo, &c.* Hæc opinio est prorsus ridicula, & falsa. Nam vel loquitur de consensu habito in somnis, & tunc certum est nullum esse peccatum, quia dormiens, ut talis, peccare nequit, vel loquitur de consensu habito extra somnum; & tunc directio affectûs in Uxorem non justificat pollutionem, nam Matrimonium non justificat pollutionem voluntariam.

38. Probabilioristæ coguntur fateri, quòd de Sigillo Confessionis Antiqui non benè senserunt, ut faciunt Moderni. Hinc aliqui illorum apud Divum Antoninum par. 3. tit. 17. cap. 22. princ. concedunt, posse revelari Confessionem ad impediendum magnum malum, v. g. *ad impediendum matrimonium illicitè contrahendum*, & §. 3. alii dicunt, complicem peccati non cadere sub Sigillo Confessionis. Glossa Raymund. libr. 3. de pœnit. & remiss. §. 59. V. *Qui peccatum.* scribit, peccatum commissum, & confessum cadere sub sigillo, *non committendum*; quia si quis confiteatur Sacerdoti, quòd vu't interficere hominem, vel aliquid nequiter operari, non tenetur omninò celare; sed tali personæ revelare debet, qui possit prodesse, & non obesse. 22. quæst. 5. hoc videtur. Debet etiam præmonere quantum poterit sine peccato, & scandalo illum, cui alius proponit inferre damnum, vel injuriam, & dicere ei, quòd hujusmodi nequam propositum sibi confessus est, quòd nec recepit, nec tenetur recipere sub sigillo Confessionis. Hìc autem intelligo de illo, qui habet firmum propositum aliquid nequiter perpetrandi; secus est de illo, qui confitetur, se tentari super aliquo flagitio perpetrando, & se aliquando dissentire, *& in hoc casu non debet facilè revelare.* Quòd peccatum perpetrandum, licèt confessum, possit revelari, tenet etiam Archidiac. cap. *Sacerdos.* de pœnit. distinct. 6. num. 2. & allegat dictam Glossam Raymund. sub nomine Rodon. & Alens. part. 4. quæst. 19. membr. 2. art. 2. refert, quòd quidam Magistri docebant, peccatum *secundùm quòd est de futuro*, quòd quis dicit, se proponere facere, repugnare clausioni sigilli. Divus Thomas in 4. distinct. 21. quæst. 3. artic. 1. quæstiun. 1. ad 1. hanc opinionem vocat erroneam. Idem Author ibidem §. 2. & Thomas Argentinas in 4 distin. 11. quæst. 1. art. 1. post tertiam conclus. vers. *sed contra istud.* narrant, quosdam è contrario ita fuisse scrupulosos in materia sigilli Confessionis, ut Sacerdos non posset revelare, quod audivit in Confessione, quamvis postea, vel antea illud viderit, vel alio modo sciverit. Hanc opinionem Angelicus Doctor art 3. dicit, *parere præjudicium veritati, & justitiæ servandæ.*

39. Altisiodorensis in 4. tractat. 6. de Confessione cap. 3. q. 4. quærit, an Confessor possit revelare Confessionem ill us, qui contrahere vult matrimonium, quod ipse Confessor ex vi Confessionis scit fore invalidum. Arguit pro utraque parte; postea subdit pro solutione: *Ad hoc solent dicere Magistri*, quòd in hoc debet Sacerdos revelare Confessionem, *& non infrangit Sigillum Confessionis, sed aperit; quia infrangere importat* differ-

difformitatem, *est enim infrangere indebite revelare.* Postea solvit objecta. Inde subdit : *Alium casum ponunt Magistri*, in quo dicunt esse licitum revelare Confessionem, *cum aliquis Decanus dat licentiam Canonicis suis confitendi alicui Sancto viro*, *& aliqui ex illis Canonicis sunt irregulares tali irregularitate*, *quæ non recipit dispensationem*, *volunt tamen Ordines suscipere*; *& in hoc casu dicunt*, quòd huic Sancto Viro licèt revelare Confessionem Decano, *ut corripiat Canonicos*, *& moneat*, *ne suscipiant Ordines.* Nemo non videt horribilitatem opinionis, quæ certò ad nihilum redigit Sigillum Confessionis. Observa benè illa verba : *solent dicere Magistri*; & illa alia : *Alium casum ponunt Magistri.* Hæc procul dubio innuunt hanc opinionem fuisse *Plurium*. Certè si major pars teneret unam opinionem ego non possem dicere absolutè de opinione opposita : *solent dicere Magistri.* Vel, *aliam opinionem concedunt Magistri*; nam procul dubio dubitarem, quòd Lectores crederent, illam opinionem esse communem.

40. Ipse Altisiodorensis postea de sua mente subdit : *In nullo casu revelanda est Confessio*, nisi fortè ex aliquo matrimonio, vel ex re aliqua, quæ magnum detrimentum incurreret, & nullum periculum immineret Sacramento Confessionis. *Iste casus quasi impossibilis est.....* Si tamen esset possibilis, & magnum periculum immineret Ecclesiæ, si non revelaretur Confessio, *posset eam Confessor revelare ex consensu Episcopi*, *aliter non.* Deinde asserit, quòd Decanus, qui per Confessionem scit, aliquem ex suis Canonicis esse irregularem, & Capitulum facit instantiam, ut illos Canonicos faciat ordinari; Decanus, inquam, in hoc casu, *non debet eos præsentare*, *immo debet projicere crimen in communi dicendo*, nullum præsentabo hodie, quia non est bonum, *& debet assignare aliquas causas*, *licèt insufficientes.* Bone Deus! Hæccine dicta sunt ab Antiquis?

41. Aliqui apud Astens. lib. 6. tit. 55. *de Simonia.* princ. voluerunt sola voluntate non committi Simoniam. Inter hos Doctores sunt Tanc. apud Asten. & Glossa. c. *consulere.* V. *Voluerunt.* & c. fin. V *Affectu animi.* de Simon. Alii apud Divum Antoninum part. 2. tit. 1. cap. 5. §. 2. docuerunt, *Papam non posse committere Simoniam*, quæ opinio, inquit ipse cum Divo Thoma, est erronea. Astens. lib. 6. tit. 55. art. 7. princ. dicit, quòd omnis potestas, & omnis jurisdictio à Deo est, & spiritualis esse videtur, & ex hoc arg. secundùm Hostien. *quod si quis det pecuniam*, *ut promoveatur* in Imperatorem, vel Potestatem, vel Rectorem alicujus Civitatis *Simonia committitur.* Si hæc Doctrina est vera, quod nolo damnare, esset necesse edocere Respublicas, & Aulas Principum hanc veritatem, aliter esset periculum præsens, ne tota Respublica, & Aula inficeretur hac Simonia, non quidem ob munus à manu, sed *ab obsequio*, *& à lingua.*

42. Aliqui scrupulosi apud Altisiodor. in 4. tract. 1. cap. 4. quæst. 2. dicunt, adhuc vigere præceptum *de non comedendo Sanguine*, *& suffocato*, ut olim præceptum erat Judæis, & ab Apostolis confirmatum Actuum 15.

43. Panormitanus in c. *statuimus.* de custod. Euchar. num 3. narrat, quendam Vincent. tenuisse in foro Animæ testem falsum puniri quidem de falso testimonio, non verò de damno inde sequuto.

44. Justus nequit dubitare, inquit Altisiod. in 3. tract ult. cap. 2. fin. an fecerit votum de Religione, & an debeat remanere in sæculo pro Patre paupere, *quia Unctio docebit eum.* Nostris temporibus credo hanc doctrinam esse contra experientiam. Nam multi scrupulosi, quique ex iis, quæ apparent, judicantur valdè timorati in lege Domini, dubitant, & scrupulis anguntur, an votum v. gr. fecerint, an adimpleverint præceptum &c. & Doctores his scrupulosis regulam assignant, quòd præcipuè Patri Spirituali obediant. Ergo nostris temporibus non succedit illud miraculum

quod *justus edoceatur à Deo*, *an votum fecerit &c.*

45. Astensis lib. 6. tit. 47. art. 8. qu. 4. quærit, si quis æger corpore, & sanus mente voveat Religionem intrare, nunquid ad hoc tenetur? *Respondeo*, *quod sic.* Hanc opinionem puto certissimam, subdit tamen: *Dicunt quidam*, *quòd si timore mortis hoc faciat*, *& quam citò convalescentiam sentit*, *contradicat*, non tenetur, *ut in c. ult. de renunc.* Si autem non contradicat, ratificare videtur. Hanc opinionem puto errorem evidentem, quia sanus mente, & faciens votum cum plena cognitione obligatur ad reddendum; nec ad faciendum votum requiritur sanitas corporis, sufficit sanitas mentis; nec canon allatus facit pro hoc errore, nam, ut notatur in rubro, ibi dicitur, *quòd Abbas exemptus sine licentia Papæ renunciare non potest.* Certè subditus debet obedire Superiori; cum ergo hic Abbas esset subditus immediatus Papæ, à quo confirmationem Abbatiæ receperat, utique naturaliter sequitur, quòd sine licentia Papæ nequit renunciare, quia faceret contra jus Papæ. At noster æger est sui juris; & ægritudo non tollit requisita ad votum, ergo facto voto nequit ab ipso resilire; & infirmitas corporalis, & sanitas impertinenter se habent ad votum. Si infirmitas corporalis redundaret in mentem, & tolleret lumen rationis, tunc quidem votum esset nullum, & si convalescentiam sentiret, nec contradiceret, adhuc voto non obligaretur, ut dicit ista opinio in secunda parte; nam hic de verbo ad verbum valet illa regula Canonica; Non firmatur tractu temporis, quod de jure non subsistit. regul. 18. de reg. jur. in 6.

46. Prosequitur Asten. Alii dicunt, quando quis vovet timore mortis, aut hoc facit timore mortis animæ........ & tunc votum tenet; aut timore mortis corporis, scilicet ne cum ense interficiatur, & tunc non tenet, quia tunc non est per divinam inspirationem. *Extra quod metus causa.* Et hoc videtur verius secundum Hostien. Vide hic insufficientem doctrinam hujus opinionis. Casus quæst. est de ægro corporaliter, sed sano quoad mentem Ad quid ergo respondere de coacto per metum necis inferendæ per ensem? fuisset distinctio aptior hujusmodi. Aut facit votum timore mortis animæ, aut corporis; scilicet aut timebat propter sua peccata damnationem animæ, quæ damnatio est mors animæ; aut timebat mortem corporis, quæ instabat ob ægretitudinem. Et in utroque casu debemus respondere, votum esse validum, utpotè simpliciter voluntarium, & liberum. Apud Divum Thomam 2. 2 quæst. 88. art. 12. ad 2. quidam dicebant, Prælatos posse pro libito dispensare in votis, quia supponebant, sed falsò inquit Doctor Angelicus, quòd in quovis voto includeretur conditionalis voluntas Superioris.

47. Quoad usuram, *quidam faventes usuræ*, inquit Astens. lib. 3. titul. 11. de usura. art. 5. princ. *dicunt*, *quòd nunquam committitur usura*, *nisi ex pacto detur.* Ex Innocentio Undecimo propositione 42. habetur, committi usuram, *si ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia*, *& gratitudine debitum.* Ergo datur usura sine aliquo pacto. Aliqui Doctores temporis Alexandri de Nevo, ut ipse refert in suo Consilio contra Judæos fœnerantes, dub. 1. & habetur in fine Supplementi Pisanellæ, dicebant, *Judæos licitè fœnerari Christianis*, & allegant illud Deuteronom. 23; *Non fœneraberis Fratri tuo pecuniam*, *vel aliam rem*, *sed alieno.* Sed malè allegatur, quia dato etiam, quòd hæc opinio fuisset vera, dum Judaica Religio erat vera Religio; nunc est apertè falsa; non enim possumus, vel suspicari, quòd Deus voluerit ex speciali sua voluntate auferre dominium pecuniæ ab illis, qui aliàs sunt veri domini, ut sunt Christiani, & illud concedere perfidis Judæis, inimicis capitalibus Dei, & Christi. Unde hæc opinio est magis scandalosa, quàm illa damnata ab Innocentio Undecimo de Mohatra n. 40.

48. Clau-

48. Claudo narrationem *Lassitatum* Antiquorum cum errore gravissimo, & rigidissimo Parisiensis, qui de leg. c. 21. litt. D. tenuit, ignorantiam facti non excusare, unde ait, quod *si viro supponeretur mulier aliena, tunc, nisi culpa aliqua viri hoc impediat, avertet Deus cor ejus, ne cognoscat mulierem sic juxta eum jacentem, & hoc vel infrigidando eum, vel aliquam cogitationem immittendo, vel aliter ipsum occupando, vel ipsam mulierem terrendo, ita ut inde abeat, vel aliqua alia via.* Ego nunquam credere potero hoc miraculum.

Dixi hoc miraculum, & miraculum magnum, quòd enim vir dormiat cum muliere, & ipsam nec tangat, nec cogitet de re venerea per totum illud tempus, est valdè mirabile. Nos adhæreamus regulæ illæ famosæ Legali, & Canonicæ, *Facti ignorantia, non juris excusat*, & pro certo teneamus doctrinam Parisiensis esse erroneam, periculosam, & inductivam in disperationem. Miror admodum, quòd Probabilioristæ damnaverint Modernos tāquam malè loquentes de Patriarchis, dum dixerunt, *Patriarchas fuisse adhibitos æquivocationem.* Dicunt v.g. Jacob usum fuisse æquivoco, dum Patri dixit, *Ego sum Esau primogenitus.* Exclamant Probabilioristæ, *hoc verti ludibrio Jacob.* Nunquid dicere, quòd Jacob fornicatus sit, dum Liam cognovit, vertitur in gloriam? Peccare potuerunt, inquit Parisien, Jacob, & Loth; sicut enim Loth potuit inebriari, & Judas fornicari, *sic & Jacob; excusantur enim à tanto, sed non à toto.* Ego subdo, si Jacob poterat peccare, & fornicari, cur non æquivocare? Si Probabilioristæ damnant dicentes, Patriarchas æquivocasse, cur non damnant asserentes Patriarcham Jacob fornicatum fuisse?

49. Nunc sinamus laudatoribus solius Antiquitatis, ut sunt Adversarii, considerandum, an ipsa immunis fuerit ab erroribus, an verò multos habuerit, & forsan plures, & deteriores iis, quibus moderna tempora deturpantur. Hinc cum Gregorio Decimotertio concludemus in Bulla Decreto Gratiani præfixa, & typis ædito Anno 1582. in Foribus populi Romani, *Non modo cum Veteribus Glossarum Authoribus, quibus, cùm viri pii, & Catholici fuerint, ignoscendum videtur, si quid vel ob errorem in illis, vel quia nondum pleraque à Sacris Conciliis definita fuerant, liberius locuti sunt.* Subdo tamen, quòd si Adversarii jactant, nos fore confusos in ambiguitates, & probabilitates Modernorū Probabilistarum, ego potiori ratione dicere possum, nos esse valdè incertos inter scrupulositates, lassitates, & obscuritates plurium Antiquorum, ita ut nesciremus, quid foret eligendum, ni Moderni suis lucubrationibus illas obscuritates illustrassent, illas lassitates coercuissent, & asperitates complanassent.

Nunc judices constituo ipsos Adversarios, an sequendo exemplum ipsorum, ego evidenter probaberim ad hominem, *ex Doctrina Doctorum Antiquorum sequi plurima absurda*, ut promiseram cap. 10. num. 2.

50. Hic placet paucas opiniones Antiquas expendere, damnosiores fortassis, quàm lassitates nonnullæ. Paludanus apud Divum Antoninū 3. par tit. 1. cap. 20. §. 4. voluit copulam conjugalem cum uxore prægnante esse culpam venialem. Vide ingens absurdum, quod ex hac opinione sequitur; Sequitur enim, quòd melius esset accipere in conjugem fœminam sterilem, aut vetulam; sic enim hi conjuges certò vitarent hoc veniale. E' contra si fœcundam, & juvenem acciperent, moraliter impossibile esset, quòd illud sæpissime non admitterent; unde Confessarius, qui concubinarium ad matrimonium cum concubina adhortaretur, illum quidem ab inferis eriperet, sed certò mitteret in Purgatorium.

51. Aliqui Antiqui etiam valdè famosi acriter contendebant, fore peccatum mortale petitionem debiti conjugalis tēpore menstruorum; quin alii scrupulosè asserebant, in hoc casu reddentem etiam debitum peccaturum mortaliter.

ter. Has tres opiniones de Matrimonio non damno; Assero solùm, esse periculosas, & junctæ cum illis duabus, quæ antiquitus probabiles reputabantur, quòd actus matrimonii esset peccatum veniale, & copula matrimonialis habita ob delectationem peccatum mortale, junctæ, inquam, simul reddebant prorsus matrimonium intolerabile, & periculosissimũ, & majora peccata inducebant, quàm quædam opiniones lassæ.

52 Theologi autem debent cavere ab opinionibus periculosis, qua periculosæ sunt, quæ ratio tam invenitur in laxis, quàm in rigidis. Hinc Divus Antoninus in sua Summula Confessionali, aliàs dicta *Defecerunt*, scripsit tract. de restit. cap. 6 post med. *Sicut Prædicator debet sibi cavere à prædicando ea, quæ habent homines inducere ad malum, & ab alleviando à malo*, ita debet cavere à prædicando scrupulosa, & ardua, *& quando communis opinio est in contrarium, hoc enim esset injicere laqueum animabus, quod fieri non debet.* 37. quæst. 1. cap. *Viduas.*

53. In hoc genere Pater Natalis Alexandri, salva reverentia, videtur deficere. Ipse ut plurimùm sequitur rigidiores; & licet in præfat. Theol. moral. Dogm. professus fuerit, se sequuturum D. Thom. Raym. & Antonin: tamen quasi solùm illos sequitur in ipsorum severis opinionibus. Hoc unum exemplum sufficiat. Agitat lib. 2. c. 8. art. 1. asser. 8. quæstionem illam famosam, an teneamur ad attentionem in recitatione Horarum Canonicarum. D. Antoninus clarè par. 2. tit. 13. c. 4 §. 7 & 8. sequitur partem benignam, nec hanc decet transeunter, & tepidè, sed ex proposito facit quæstionem, & suadet Lectoribus, ut sequantur opinionem benignam, & quod valdè notabile est, suadet, ut illam teneamus, quia *benignior est*. Lege integrum textum Viri Dei cap. 44. num. 7. Lege etiam num. 11. & seqq. & videbis quot Antiqui eidem benignæ sententiæ suffragati fuerint. Cur ergo Pater Alexandri opinionem benignam clarè, & ex professo traditam à D. Antonino non amplectitur, sed oppositam? Lege cap. 47. num. 1.

In hoc etiam deficit Diana. Ipse ex Probabilistis est benignissimus; adhuc tamen par. 4. tract. 4 res. 6. tenet, Theatinos Professos, non habentes sacros Ordines, obligari ad Horas canonicas ex capite consuetudinis. Pasqualigus de Sacrific. Missæ. q. 89. num. 15. refert, in susceptione habitûs Religiosi apud Theatinos sibi factam fuisse protestationem à Superiore nomine Religionis hisce verbis conceptam: *Item, quod nullus in Congregatione nostra*, ante susceptus sacros Ordines, etiam post expressam in scriptis professionem, *ad Horas canonicas teneatur.* Hanc protestationẽ legi in princ. Libelli excussi Venetiis apud Juntas año 1581. cui titulus: *Ordo recipiendorũ Fratrum secundum ritum Clericorum Regularium.* Si ergo à Religione condita usque ad Pasqualigũ viventẽ eodem tempore, quo Diana, ipsa Religio in Libro autentico, & in Facto publico, & tam sæpe protestatur solemniter, se non habere talem rigidam consuetudinem; cur Diana durè admodum ex capite consuetudinis prætendit obligare suos Theatinos? Ego veritatem semper sequi conabor, sive in parte rigida, sive benigna, & à veritate deviare non credam, si intra Probabilitatis gloriosæ limites opinio contineatur.

54. Ex his colligitur, Doctores illos censura dignos fore, qui opiniones falsas, licet hæ sint rigidæ, tuentur; siquidem non severitas, aut benignitas objectorum, sed veritas, & merita eorundem movere debent viros doctos, & Sapientes. Hinc cernimus Divum Thomam, Divum Bonaventuram, Alensem, Scotum, Durandum, Richardum, & cæteros Theologiæ Antiquos Proceres, opiniones proprias defendere non ob rigiditatem, aut benignitatem, sed ob rationes, & argumenta; quin sæpiùs inveniemus sequutos fuisse opiniones, quia *benigniores, & humaniores.* Propterea Seraphicus Doctor in 2. distinct. 41. art. 1. quæst. 3 decidit,

cidit, dari actiones indifferentes; *Indulgetur enim*, inquit, *naturæ fragili, & infirmæ, ut multa possit talia facere*, (ideſt actus indifferentes.) *Nec Deus requirit ab homine in tali statu distractionis, & miseriæ, quòd omnia referat ad se, quæ facit.* Hæc opinio eſt in materia univerſaliſſima, & ex primis principiis, unde campum aperit valdè patentem ad particulares opiniones benignas. Hinc obiter deduco aliud corollarium, quòd cùm aliqui erraverint in multis opinionibus rigidis, non ſint magnæ authoritatis in reliquis rigidis propoſitionibus, licet nanque ſuſpicari, eas ſuſtinuiſſe non ob motiva, & rationes, ſed ob ſcrupuloſitatem, & rigiditatem, quæ nihil inſerviunt ad veritatem opinionis.

CAPUT XIII.

Plurimæ Opiniones benignæ Divi Thomæ referuntur.

1 EX alio capite Probabilioriſtæ Probabilitatem inſectantur. Exiſtimant ergo ex Probabilitate oriri opiniones, quas ipſi *laſſas* nuncupant. Has Probabiliſtæ *benignas* appellant; Vocant autem *benignas*, quia favent hominibus, & à jugo Legis illos liberant. In hac ſignificatione ſæpiſſimè Leges utuntur hoc termino. Sic dicitur *l. 2. C. de neceſſ. serv. Ea ſcriptura* benigna *interpretatione, perindè habenda eſt &c. & l. 3 de donat. quæ ſub mod.* cum poſtea *benigna juris interpretatione Divi Principis &c. & l. 9. ff. de pactis dotal. Benigna interpretatione poteſt defendi utilem ſtipulationem eſſe & l. 112. ff. de condit. & dem. n. Sed benigna interpretatione dicendum &c. & l. 16. ff. de donat. Dominium ad Libertas benigna interpretatione pertinere.* Plurimos alios textus omitto, quia hìc non eſt ipſorum locus. Infrà alios referam. Porrò Adverſarii opiniones *benignas* appellant *laſſas*, ut extorqueant à Lectoribus imperitis damnationem de ipſis ſi enim benignas dicerent, Lectores omnes illas approbarent, nam benignitas naturaliter hominibus placet, & ſuo loco videbimus, Antiquos, cæteris paribus, Benignitatem prætuliſſe auſteritati.

2. Adverſarii ergo arguunt contra Probabilitatem. Doctrina, ex qua ſequuntur propoſitiones laſſæ, eſt abjicienda; *ſed ex Probabilitate ſequuntur propoſitiones laſſæ*; ergo &c. Minorem probant afferendo plurimas propoſitiones, quæ à Probabiliſtis defenduntur ut probabiles, quas Adverſarii judicant *laſſas*. Ego ſic retorqueo argumentum. Doctrina, ex qua ſequuntur propoſitiones laſſæ, hoc eſt, *benignæ*, eſt eligenda; *Sed ex Probabilitate ſequuntur opiniones laſſæ*, ideſt, *benignæ*, ergo &c. Maior probabitur tot authoritatibus Antiquorum infrà ſuo loco, ut Adverſarii cogentur illam concedere. Igitur probo minorem, & probo afferendo plurimas opiniones benignas, quas docuit Angelicus Doctor, qui in rei veritate fuit valdè benignus, & exploſit multas opiniones auſteras, quæ illis temporibus vigebant. Ipſe pro certo puto, Divum Thomam fuiſſe *benigniorem* cæteris Scholaſticis ſui temporis Illas autem ſeligam, prout legendo Opera Sancti Doctoris mihi occurrerunt, quas quidem opiniones *benignas* non tranſcendere *Probabilitatis metas* certiſſimum puto, quia Doctores graviſſimos, & rationes fortes habent in oppoſitum.

3. Igitur in 4. diſtin. 5. quæſt. 2. art. 2. quæſtiun. 4. dicit, quòd Sacerdos ſolemniter baptizans in peccato mortali peccat mortaliter. *Si autem baptizet in articulo neceſſitatis, non quaſi Miniſter Eccleſiæ, ſed ſicut vetula baptizare poſſet, non peccat.* In quæſtiunc. ſequ. tenet, quòd Adultus non poteſt dare nummos Sacerdoti nolenti illum baptizare ſine pretio. Poſtea ſubdit: *Quidam verò dicunt, quòd poteſt pretium dare, quia hoc non eſt Simoniam committere, ſed redimere vexationem ſuam. Sed primum melius videtur.* Per hac ultima verba cer-

tè non damnat secundam sententiam benignam, sed ex modo loquendi, si Divus Thomas loquitur in sensu proprio, supponit illam esse bonam; & sic probabilem.

4. Distin. 6. quæst. 1. art. 1. quæstiun. 1. docet, quòd puer in maternis uteris totaliter existens nequeat baptizari. Hæc opinio est solùm probabilis, & videtur esse contra charitatem, qua tenemur amare proximum in extrema necessitate existentem, & sic sequendo ipsam adest periculum peccati; & sic contra ipsam militant omnia, quæ jactant contra Probabilitatem Adversarii. Nos infra sequemur opinionem oppositam in casu. Distinct. 8. quæst. 1. art. 4. quæstiun. 2. ad 2. tenet, *quòd ea, quæ propter alios cibos accipi consueverunt, vel dirigendos, sicut electuaria; vel ducendos per membra, sicut potus vini, vel aquæ, hujusmodi Jejunium* (Ecclesiæ) *non solvunt, quamvis etiam aliquo modo nutriant.* Doctrina hæc de potu vini est adeo in linea probabili, & benigna, quòd Montaltius Epist. V. pag. 68. & 69. illam damnet, & contra ipsam militant plures Antiqui. In responsione ad 3. ait: *Quæ interiùs geruntur sine exterioris cibi sumptione, non videntur solvere jejunium naturæ, nec impedire Eucharistiæ perceptionem, sicut deglutio salivæ; & similiter videtur de his, quæ intra dentes remanent, & etiam de eructationibus.* In quæstion. 2. art. 4. quæstiun. 2. asserit, *quòd si Sacerdos consecrato Corpore deficiat, alius Sacerdos debet explere.......... ita quòd incipiens sequens Sacerdos, ubi primus dimisit, si sciatur; si autem nesciatur, debet à capite incipere;* Non enim dicitur iteratum, quod nescitur esse factum. *Secundùm tamen Innocentium Tertium consultius est, uti illa Hostia jam consecrata seorsùm posita super aliam, deinceps totum officium iteretur.* Tota hæc Doctrina non excedit lineam probabilitatis, excepto illo axiomate Canonico. Quin, si debeo proferre meam mentem, credo, quòd Angelicus Doctor sequatur duas opiniones oppositas; quatenus laudat opinionem Innocentii, quæ est opposita illi, juxta quam Divus Thomas priùs dixerat esse faciendum.

5. Distin. 9. quæst. 1. art. 2. quæstiun. 2. dicit: *Si aliquis per hujusmodi signa facta diligenti discussione suæ Conscientiæ, quamvis fortè non sufficienti, ad Corpus Christi devotè accedat, aliquo peccato mortali in ipso manente, quod ejus cognitionem subterfugiat, non peccat, immo magis ex vi Sacramenti remissionem consequetur.* In art 4. quæstiun. 1. ad 5. affirmat: *Si placeat nocturna pollutio, ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur.* Sic etiam ego credo, & credo etiam, hoc solùm esse probabile, & valdè benignum.

6. Distinct. 15. quæst. 2. art. 1. quæstiun. 4. in corpore quæstionis solùm duas necessitates agnoscit, ob quas dives teneatur *ex superfluo* dare eleemosynam, scilicet necessitatem extremam, & necessitatem conditionatam, *quæ est, cùm quis indiget aliquo ad sui status decentem conservationem.* Hæc Doctrina est contraria illi, quam amplectitur Montaltius Epist. XII. pag. 209. ubi asserit, dari præceptum de eleemosyna *in necessitatibus ordinariis Pauperum.* Ordinariæ autem necessitates Pauperum, credo ego, non important indigentiam alicujus requisiti ad sui statùs decentem conservationem; Ergo Montaltius fateri debet, aut Doctrinam Divi Thomæ esse *solùm probabilem, vel falsam.*

7. In Responsione ad quartum ejusdem quæstiunculæ benignè scripsit, quòd tempus præcepti dandi eleemosynam ex parte accipientis tunc instat, quando *aliquis vidit alios impotentes, vel pigros ad subveniendum, & pauperem indigentem cibo, & potu, & aliis vitæ necessariis:* Nota illud verbum, *vidit*, quòd in propria significatione denotat cognitionem certam. Dicit ergo Divus Thomas, quòd, quando dives *scit*, alios esse impotentes, vel pigros &c. tunc solùm instat præceptum eleemosynæ. Hanc Doctrinam puto esse eandem cùm illa Vasquii, qua docet, ut dives teneatur ad eleemosynam, requiri, ut *sciat nullum alium opem laturum.* Hanc porrò acriter impu-

impugnat Montaltius Epistol. illa XII. pag.210.

8. Articulo 3. quæstiunc. 2. ad 1. ait: Sicut dare eleemosynam corporalem *non cadit sub præcepto obligante*, nisi ad tempus necessitatis, & ut alicui in necessariis suæ vitæ subveniatur, ita ad doctrinam alterius non obligatur homo propter debitum officium, *nisi in his, quæ sunt de necessitate salutis*, & quando non esset, qui instrueret, vel quando aliquis alium errantem videret; nisi esset alius, qui ex officio id facere teneretur; aliàs autem docere est Consilium. Hæc doctrina confirmat relatam supra de præcepto eleemosynæ, & simul aliam tradit probabilem solùm pariter, quam quis habet docendi alios propter debitum officium.

9. Articulo 4. quæstiun. 2. docet, quòd quis potest retinere ea, & de iis facere eleemosynam, quæ lucratur *lenocinio, vel meretricio*. Nota illum terminum, *Lenocinio*, & legantur Sylvester, Tuscus, Bertachinus, Angelus, & Albericus Rosate. V. *Leno.* ubi videbimus, illum dici *Lenonem* secundùm Leges, qui accipit pecuniam *pro Adulterio, vel pro copula Ancillarum*, quas quis tenet pro commercio carnali. Addunt hi Doctores, quòd lenocinium est majus crimen, quàm Adulterium. Montaltius, qui Epistol. VIII. pag 133. asserit, in conscientia non posse retineri lucrum, quod acquiritur *per actiones infames, turpes, & inhonestas, & per Adulterium*, judicaret à fortiori, pecuniam acquisitam per *Lenocinium* justè retineri non posse; & sic Doctrinam Divi Thomæ esse falsam. Sed ego veram reputo, solùm tamen intra limites Probabilitatis, quia nequit negari esse probabile, quòd leno nequeat retinere in conscientia lucrum acquisitum. Observo etiam, quòd Divus Thomas ibidem videtur docere, in aliquibus sceleribus minimè nos posse retinere pretium, quia lex prohibuit lucrum ex tali actu. Per illum terminum, *Lex*, improbabile non est, Divum Thomam intelligere legem humanam. Et si concedatur hoc, sequitur, esse veram sententiam communem Modernorum asserentium, de quolibet peccato pretium posse retineri, *excepta Simonia*, quia Moderni hoc intelligunt loquendo de jure naturali.

10. Articulo 5 quæstiunc. 1. dicit, quòd *si Uxor habet alias res præter dotem, vel si est lucrosa, tunc potest tales eleemosynas dare, quæ virum non depauperent, etiam non requisito assensu viri, dummodò non prohibeat. Et si etiam prohiberet verbo*, *posset* probabiliter *credere, quòd eam non intenderet simpliciter ab eleemosynis coercere, sed à superfluitate eleemosynarum.* Doctrina, quæ fundatur in *probabili credulitate*, certè non potest esse nisi *probabilis.* In Quæstiuncula 3. ejusdem art. dicit, quòd ancillæ, servi, & famuli liberæ conditionis non possunt, facere eleemosynam de rebus dominorum sine eorum consensu præter panem, & hujusmodi, quæ non inferunt sensibile nocumentum, non quasi habentes potestatem aliquam in re domini, sed quasi tractantes eam in utilitatem domini. Probabiliter quis potest judicare, quòd domini nolint hanc utilitatem; & ideo doctrina Divi Thomæ *solùm est probabilis.*

11. In quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 4. ad 3. respondens objectioni, qua dicebatur, si jejunium esset sub præcepto, *sequi hoc grave*, & sic absurdum, quòd *si quis unum tantùm diem Quadragesimæ frangeret, peccaret mortaliter:* Respondens, inquam, huic objectioni sic scribit: *Intentioni Legislatoris obviat, qui ex contemptu, vel sine aliqua rationabili causa ordinationem non servat*; in quo probabiliter credi potest, *si Legislator adesset*, eum obligare non velle, *talis non est reputandus præcepti transgressor; & ideo non est necessarium, quòd quicunque aliquem diem ab Ecclesia institutum jejunare omittit, quòd mortaliter peccet. Potest enim hoc aliquando omnino sine peccato contingere, aliquando sine mortali cum veniali, aliquando etiam cum mortali, & hoc secundùm diversas occasiones, quibus homo inducitur ad jejunium frangendum.*

12. Antiquitùs erat opinio, ut si quis frangeret jejunium per unum diem, v. g. *ob aliquam passionem, vel ex aliqua pigritia*, dicebat Richardus quodl. 1. art. 6. quæst. 1. judicaretur hoc motivum rationabile, *quòd contingeret sine mortali cum veniali.* Et hæc Doctrina videretur quadrare objectioni, in qua putabatur *grave* obligatio jejunii sub mortali, etiam in unico die. Ego tamen nolo attribuere opinionem adeo lassam horum Antiquorum Divo Thomæ; Assero tamen pro certo, quòd cum hæc Doctrina fundetur in *credulitate probabili*, non sit nisi probabilis. Efformo ergo sic argumentum. Tunc quis non obligatur servare legem, quando *quis probabiliter credere potest Legislatorem non obligare, si adesset*; Sed habens opinionem probabilem, quòd in hoc, vel illo casu non adsit transgressio legis, potest probabiliter credere, quòd Legislator non obligaret, si adesset; ergo habens opinionem probabilem in hoc, vel in illo casu &c. non obligatur servare legem. Major propositio est desumpta formaliter ex articulo Divi Thomæ; Minor verò est evidens; nam opinio probabilis reddit intellectum credentem objectum ita esse probabiliter. Consequentia verò negari nequit, cum sit argumentum in forma.

13. Distinct. 17. quæst. 3. art. 1. quæstiun 3 ad 3. primò dicit, quòd ex præcepto Ecclesiæ tenetur, qui non habet mortalia, confiteri peccata venialia; subdit postea, quòd, secundùm quosdam, nec teneatur confiteri venialia, & sufficit pro impletione præcepti, quòd se præsentet Sacerdoti, & dicat se non habere peccata mortalia. Art. 3. ejusdem quæstionis quæstiun. 5. ad 4. loquens de eo, qui habet solùm venialia tempore adimplendi præceptum Confessionis ait: *Talis debet solùm venialia confiteri, ut quidam dicunt, vel etiam profiteri se à peccato mortali immunem, & Sacerdos in foro Conscientiæ ei credere tenetur.* Observa Lector; In primo Textu secundùm propriam mentem Divus Thomas asserit, adesse obligationem confitendi venialia, & secundùm quosdam sufficere solam præsentationem Sacerdoti, & Confessionem de immunitate à mortali; In secundo verò Textu loquitur vice-versa, quòd scilicet secundùm quosdam debet hic confiteri venialia; & postea absolutè, & sic secundùm propriam mentem, dicit sufficere solam professionem de immunitate à peccato mortali.

14. Si Divus Thomas hìc non sequitur utramque partem ut æqualiter probabilem, non video quomodo clariùs potuisset se explicare. Et ego pro certo habeo, quòd si immunis à mortali consultum petierit à Divo Thoma de adimpletione præcepti Confessionis, responderit; debes confiteri venialia; vel, si *vis* sequi opinionem quorumdam, sufficit, quòd dicas Sacerdoti, te esse immunem à mortali. Qui modus respondendi est opinantium utramque partem, & dicentium modo sic, modo non.

15. Quæstiuncula 4. dicit, esse probabilem eorum opinionem, qui asserunt, peccatorem non teneri statim ad confitendum, & opinionem contrariam vocat *nimis duram.* Hic accipe regulam benignam ex Divo Thoma: Si datur aliqua opinio benigna, quæ tibi *videatur probabilis*, & contraria *nimis dura*, sequere opinionem benignam. Hæc porrò Regula est una ex illis, quas statuunt Probabilistæ nostri. Ibidem Divus Thomas docet, quòd habens superfluum, *non quandocumque pauper offertur, tenetur eleemosynam dare, sed ex hoc, quòd tempus necessitatem urgentem adducit.* Per Divum Thomam ergo ut teneamur, dare eleemosynam *ratione superfluitatis*, non sufficit, quòd præcisè superfluum habeamus, & pauper offeratur; sed requiritur etiam, quòd tempus *necessitatem urgentem adducat*; sicut ut peccator teneatur ad confitendum, non sufficit, si offeratur Sacerdos, sed requiritur etiam, *quòd tempus necessitatem inducat.* Explicent Adversarii, quid significent hæc verba, *Necessitas urgens*, & illa, *Non quandocunque*

docunque pauper offertur, tenetur ad eleemosynam, & si non erro, tenentur sic illa explicare; pauperi in necessitate communi existenti non tenemur facere eleemosynam, *sed tunc*, quando tempus facit illum habere *necessitatem urgentem*, idest, *gravem*; quæ explicatio est valdè benigna, & solùm probabilis, & Probabilioristæ tenebunt, etiam in communi necessitate esse dandum superfluum.

16. Articulo 3. quæstiun. 4. ad 6. docet, quòd Parochus peccat, si non est facilis dandi licentiam suis subditis, ut aliis Confessariis confiteri possint; *quia*, inquit Sanctus Doctor, *sunt multi adeo infirmi, quòd potius sine Confessione morerentur, quàm tali Sacerdoti confiteri.* Mihi narratum est, in quadam Urbe Monialem impœnitentem objisse, eo quia à Superiore non potuit obtinere licentiam confitendi peccata sua alteri Sacerdoti præter Confessorem ordinarium. Hic verò casus tantum scandalum gignit, ut sæcularis quidam Dei zelo ductus acriter Superiorem illum corripuerit de tanto scandalo. Nescio, an Superior ille doctrinis rigidissimis Adversariorum imbutus fuerit, qui cum pœnitentibus volunt, ut solis asperitatibus agamus. Hoc unum scio, Superiorem hunc reum illius Monialis fore, & in judicio redditurum rationem de hac tanta severitate; unde dicitur 26. qu. 6. c. *si Presbyter. Si Presbyter pœnitentiam abnegaverit morientibus, reus erit animarum, quia Dominus ait, cùm conversus fuerit, tunc salvus erit.*

17. In Quæstiuncula 5. ad 4. sustinet, quòd confessi peccata sua *pœnitentiario Episcopi, vel alteri ab Episcopo commissionem habenti, cùm sint dimissa peccata, & quoad Deum, & quoad Ecclesiam, non tenentur ea confiteri proprio Sacerdoti, quantumcunque petat.* Jam scimus sententiam contrariam Glossatori, Henrico, & aliis placuisse, sed placuit Divo Thomæ probabiliter sequi sententiam benignam.

18. Articulo 4. quæstiunc. 1. docet, quòd non contritus potest, se subjicere clavibus Ecclesiæ, & peccata innotescere Sacerdoti, & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam est in aliis Sacramentis; *Unde non tenetur iterare Confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri.* In quæstiunc. 2. ad 4. meo judicio sustinet, quòd habens peccata reservata, & non reservata teneatur omnia dicere Sacerdoti, qui ipsum absolvet, & de illis, de quibus non potest absolvere, ad Superiorem remittet. Hæc opinio antiquitus erat valdè communis, tamen non erat, nisi probabilis; & nunc acriter impugnatur, & opposita rigida defenditur.

19. Distinct. 18. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 3. asserit, *quòd sicut aliquando Medicus prudens non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ita Sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus ex magnitudine pœnæ desperet, & à pœnitentia totaliter recedat.* Adversarii solos rigores amant; & Vendrochius totus est in demonstrando, quòd remissio severitatis antiquæ in ordine ad Sacerdotes fornicarios, quam de facto Ecclesia adhibet, provenerit ex falsificatione Litterarum Pontificum; & insuper quòd illæ pœnæ impositæ fuerint etiam pro occulto fornicario Quæ doctrina quoad occultum fornicarium an desperationem inducat, & à pœnitentia faciat recedere Sacerdotem illum miserabilem, expendent prudentes.

20. Quæstione 2 art. 4. docet, quòd solùm communicans cum excommunicato in crimine, vel in divinis, vel in contemptum Ecclesiæ, peccat mortaliter; & hanc opinionem vocat *Probabiliorem.* Hinc sequitur, quòd quis cœnans cum excommunicato, non quidem in contemptum Ecclesiæ, sed v. gr. ob commodum temporale, non peccet mortaliter; quod dictum est valdè benignum. Hanc doctrinam confirmat in respon. ad 2. ubi ait: *Qui communicat*

excommunicato *in divinis*, *facit contra præceptum*, *& peccat mortaliter*; *qui autem participat ei in aliis*, *facit præter præceptum*, *& peccat venialiter.*

21. Distinct. 20. quæst. 1. art. 2. quæstiun. 2. ad 3. iterum laudat Confessorem aliquandò minorem pœnitentiam imponentem, *quia plus prodest pœnitenti*, *quàm noceat*, *qui fortè magnitudine pœna posset à pœnitentia peragenda impediri propter debilitatem virtutis.* Et in quæstiuncula 3. dicit, non esse permittendum, *ut aliquis pro alio pœnitentiam faciat*, *nisi defectus aliquis appareat in pœnitente*, *vel corporalis*, *per quem sit impotens ad sustinendum*; *vel spiritualis*, *per quem non sit promptus ad portandam pœnam.* Nota benignitatem Doctoris Angelici! Hinc infero, cùm magni peccatores, & inveterati *non sint prompti*, immò quasi inepti ad portandam pœnam; ideò pro his est permittendum, ut alius faciat pro ipsis pœnitentiam. Nescio, an Adversarii tantam benignitatem permitterent; credo benè, quòd ipsi pro illis tantam pœnitentiam non subirent, nec charitatem exercerent.

22. Articulo 5. quæstiun. 4. ad 3. asserit, Prælatum posse secum dispensare in iis, in quibus potest suos subditos. Contrarium sustinent plures Antiqui apud Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 3. num. 9. quæ opinio & strictior est, & probabiliter defendi potest.

23. Distinct. 21. quæst. 3. art. 1. quæstiun. 1. ad 3. dicit, quòd Abbas, qui novit ex Confessione Priorem ratione Prioratùs ruere in peccata, potest ex aliqua alia occasione absolvere illum à Prioratu, ita tamen, quòd omnis suspicio vitetur de Confessionis revelatione. Nescio, an hac opinione uti possint Regulares; cùm Clemens Octavus prohibuerit ipsis, ne ullatenùs in exteriore gubernio domùs cognitione habita ex Confessione utantur. Ita habetur in Decreto Casuum Reservatorum pro Regularibus; quod decretum est post Bullam vigesimamoctavam Urbani Octavi. Hoc scio, opinionem Divi Thomæ esse multùm benignam Confessariis.

24. Articulo 2. sustinet, Confessarium posse ex licentia pœnitentis revelare Confessionem; quæ opinio solùm est probabilis, cùm Scotus, Durandus, & alii Antiqui probabiliter contrarium asseruerint. Distin. 23. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 1. docet, Extremam Unctionem de consequenti remittere mortale, vel veniale, si illa invenit, quoad culpam, dummodò non ponatur obex ex parte recipientis. Hæc opinio benigna, licèt formaliter sit speculativa, virtualiter tamen est practica. Unde si ægrotus sumpta Extrema Unctione recordaretur alicujus peccati mortalis, non esset necesse ad ineundum Sacramentum Matrimonii, quòd vel se contereret, vel confiteretur, ut aliàs ad hunc effectum esset necessarium.

25. Distinct. 25. quæst. 3. art. 2. quæstiun. 2. sic scribit: *Oratio est spiritualis primo*, *& secundo modo*, (& sic est spiritualis ex omni parte,) *quia ex spirituali devotione efficaciam habet*, *& aliquid spirituale in ea debet peti*; *Unde nullo modo debet sub pretio poni*, *nec illi*, *qui dant pecuniam pauperibus*, *ut pro eis orent*, *orationem emunt*, (& sic nec peccant) *sed animos pauperum alliciunt ad orandum pro se*, *& eos faciunt sibi debitores.* Supponamus, quòd Ecclesia nullam legem prohibentem Simoniam in collatione Beneficiorum fecerit, tunc inquiro, an Petrus possit, dare pecuniam collatori, ut alliciat ipsum ad dandum Beneficium ipsi Petro. Si Adversarius negat, assignet rationem, cur hoc liceat per Divum Thomam in oratione, quæ est tàm spiritualis, quàm Beneficium, non verò in collatione Beneficii. Si verò hoc concedat, dicat, an hoc sit certum, an probabile. Si dicat esse certum, assignet principium certum hujus dicti; si dicat esse Probabile, tunc non damnet Probabilitatem.

26. Prætereà per Divum Thomam potest quis, dare pecuniam pauperibus, *ut pro ipso orent*, & eos reddere sibi debito-

bitores. Explicetur, quomodo pecunia possit allicere pauperes ad orandum, & quòd pecunia non sit motivum, ut pauperes orent pro nobis. Si autem dicet, esse motivum, tunc debet concedere hanc propositionem, *potest dari temporale pro Spirituali non tanquam pretium, sed tanquam motivum, ut det spirituale.* Quæ Propositio damnatur à Montaltio Epist. 12. pag. 218. in Escobario.

27. Quæstiuncula 3. sic docet: *Abraham non peccavit emens speluncam duplicem; quia spelunca illa non erat consecrata in sepulturam; vel si erat consecrata, transivit possessio ejus in jurisdictionem cum universitate agri........ vel, ut quidam dicunt, Abraham non peccavit redimens jus, quod habebat sepeliendi mortuum, quod quamvis et Hemor non denegaret, tamen sciebat Abraham, quòd ille moleste acciperet, nisi pretium daretur; sed primum melius videtur.* Hoc verbum *Primum*, puto, referri ad primam responsionem, quæ est Abraham non peccasse, quia illa spelunca non erat consecrata. Adhuc tamen non rejicit alias responsiones. Hinc credo Sanctum Doctorem tenuisse probabiliter, & quòd illa spelunca fuerit, & non fuerit consecrata. Amplectendo verò tertiam responsionem, sequitur hæc propositio: *Possumus dare pretium ad habendam sepulturam consecratam, si aliter, qui habet illam sepulturam, molestè ferret dandi eandem sepulturam, nisi pretium daretur.* Quæ responsio est in mera linea probabilitatis

28. In Articulo 3. ad 7. scribit: *quòd qui dat ratione consanguinitatis prabendam alicui principaliter, aut intendit temporale bonum illius, cui datur, & non alterius; & sic peccat graviter, sed Simoniam non committit.* Ecce quòd sola intentione Beneficium datur, vel non datur simoniacè; multùm autem interest, inquit Montaltius Epist. XII. pag. 221. an peccatum sit Simonia, an non; siquidem ex Simonia oritur obligatio restituendi, non sic autem ex alio peccato. Porrò quòd dare Beneficium principaliter ratione Consanguinitatis sit Simonia, videtur colligi ex Divo Bonaventura in 4 distin. 25. art. 5. ubi docet, quòd nomine pretii, quod ponitur in definitione Simoniæ, intelligitur *omne temporale, quod est tota, & sola causa dationis*; sed in casu præsenti tota ratio dandi Beneficium est consanguinitas, *quæ est aliquod temporale*; ergo in casu nostro præsenti adest Simonia; ergo doctrina Divi Thomæ est solùm probabilis, & insuper est multùm benigna, quia, si non est Simonia, sequitur, quòd non adsit obligatio restituendi. Albertus in 4 distinct. 24. art. 5. ad 3. in hoc casu dicit adesse Simoniam, & nomine pretii in materia Simoniæ explicat illud idem, & iisdem verbis, ut facit Seraphicus.

29. Distinct. 27. quæst. 3. art. 1. quæstiun. 3. ad 2. ait, fuisse plures opiniones, an esset Irregularis ille, qui ducit in Matrimonium puellam, quæ solùm cum eodem carnale commercium ante Matrimonium habuerit; Divus Thomas sequitur partem benignam tanquam quid probabilius. Articulo 3. asserit, quòd Episcopus potest dispensare irregularitatem bigamiæ quoad suscipiendos ordines minores, & subdit; *Et quidam dicunt, quòd etiam quantum ad majores in illis, qui volunt Deo in Religione servire.* Utraque opinio est valdè benigna, & etiam prima est solùm probabilis; quin Fagnanus. c. *super eo. de bigam.* &c. videtur velle, esse parùm probabilem.

30. Distinct. 28. quæst. 1. art. 2. ad 4. loquens de defloratore mulieris, cui promittit matrimonium, ait: *Quòd in tali casu Sponsus, antequam aliam ducat, tenetur eam ducere in uxorem, si sint æqualis conditionis,* (nota conditionem,) *vel si sponsa sit melioris conditionis; sed si aliam duxerit, jam factus est impotens ad solvendum illud, ad quod tenebatur; & ideo sufficit, si ei de nuptiis providerit, & ad hoc etiam non tenetur, ut quidam dicunt, si Sponsus sit multò melioris conditionis, aut aliquod signum evidens fraudis fuerit; quia præ-*

sumi probabiliter potest, quòd sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit. Quis poterit dicere in hoc textu non reperiri gloriosam Probabilitatem, & simul benignitatem pro iniquissimo defloratore? Distinct. 29. quæst. 1. art. 3. quæstiun. 2. ad 2. docet, si sponsa coacta postea liberè consentiat, quòd intelligitur etiam post longum tempus, validatur Matrimonium manente in suo vigore consensu alterius partis. Et in fine illius Articuli tenet, consensum sub conditione de futuro contingenti se habere sicut consensum, qui fit per verba de futuro, & sic neutrum consensum facere Matrimonium. Scimus autem per Canonistas, & plures illustres Theologos primum consensum facere Matrimonium purificata conditione. Hinc Sanctus Doctor tenet probabilem, & benignam opinionem. Articulo 4. sustinet, quòd Pater non potest præcipere filio, ut matrimonium ducat. In contrarium sunt multi, inter quos Magnus Canonista Navarrus unus ex Theologis in Antiquorum choro repositus à Vendrochio, ut videre licet apud Joannem Cardenas in Crisi Theologica part. 3. disput. 56. cap. 8. art. 4. num. 412. & huic sententiæ multùm favet cap. 1. de desponsat. impub. in quo dicitur, quòd filius non adultus *debet omnino adimplere* Matrimonium, cui Pater ipsum priùs tradiderat. Nota illa verba, *debet omnino*, & videbis, melius esse illa interpretari, ut significent obligationem de præcepto, & necessitatis, non verò solius honestatis, ut explicat Glossa. V. *Debet.*

31. Distinct. 32. quæst. 1. art. 1. ad 2. asserit, quòd reddens debitum conjugale sine peccato potest sumere Corpus Christi. Non desunt Doctores strictiorem partem probabiliter sequentes, sicut & plurimi Confessarii; ergo Divus Thomas sequitur partem probabilem, simul & benignam. Articulo 2. quæstiun. 3. asseruit, mulierem menstruatam tandem debere reddere debitum conjugale marito poscenti, & nolenti desistere. Contrarium asseruerunt multi Antiqui tempore Divi Thomæ, & forsan Moderni scrupulosi Probabilioristæ in partem negativam ibunt libentiùs. Articulo 4. ad 3 scribit, super illa difficultate, an matrimonio junctus possit sine consensu alterius vovere castitatem; *Circa hoc est duplex opinio: Quidam dicunt, quòd unus absque consensu alterius potest vovere, quòd non petat debitum, non autem, quòd non reddat, quia in primo uterque est sui juris, sed non in secundo. Sed quia, si alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri Matrimonium onerosum redderetur, dum oporteret unus semper confusionem debiti petendi subire; Ideò aliis probabiliùs dicunt, quòd neutrum unus absque consensu alterius potest vovere.* Nemo negabit probabilissimum esse, quòd tam vir, quàm uxor possint vovere non petere debitum, nullo habito consensu alterius; & hoc credet, si leget cap. *quidam intravit.* & c *placet.* de convers. conjug. Hinc patet, doctrinam Divi Thomæ esse in linea Probabilitatis; est verò evidens, quòd sit benigna.

32. Dist. 33. quæst. 2. art. 2. quæstiun. 2. vocat probabilem opinionem asserentium fuisse licitum libellum repudii in lege veteri; sed fatetur opinionem asserentium fuisse illicitum esse communiorem, ideò ad utrasque rationes respondet. Ego quæro, quid operetur, quòd opinio sit communior contra opinionem probabilem? Meo judicio solùm operatur, vel quòd opinio sit probabilior, vel quòd sit probabilis. Si primum dicatur, sequitur, Divum Thomam vocasse probabilem opinionem minùs probabilem, quæ simul erat benigna; Si secundum, tunc Divus Thomas sequitur utramque opinionem æquè probabilem. Nec valet dicere, hanc materiam esse speculativam; nam si Christus non abstulisset Legem Mosaycam, non per hoc daretur novum motivum, per quod Divus Thomas deberet mutare opinionem.

33. In quæstiuncula tertia quærit Sanctus Doctor, an fœmina repudiata posset nubere alii viro, vivente primo; & dicit

dicit, juxta primam opinionem tenentem esse illicitum repudium non posse, Juxta verò aliam opinionem posse, & affert rationes pro utraque parte. Solvit deinde rationes utriusque; qui modus discurrendi est, cùm Doctor tenet probabiliter utramque partem. In hisce duabus quæstionibus mihi videtur evidens, Sanctum Doctorem sustinere utramque partem probabiliter.

34. In quæst. 3. art. 2. affert opinionem dicentium, virginitatem esse virtutem; affert pariter aliam dicentem, non esse virtutem, sed importare statum virtutis, & subdit, quòd secundùm hanc opinionem facile est respondere objectis. Postea ait: *Sustinendo autem primam opinionem respondendum est ad objecta.* Ecce Divus Thomas sustinet opinionem; fatetur tamen, secundùm opinionem aliorum facile esse respondere rationibus ejusdem. Scio hanc quæstionem esse in materia speculativa; Non video tamen, cur probabilitas unius partis *in speculativis* non adeo excludat veritatem ab alia parte, ut reddat indefensibilem, & sic improbabilem aliam, ita verò debeat excludere *in moralibus*.

35. Distinct. 34. quæst. 1. art. 1. ad 4. dicit, personas esse illegitimas ad matrimonium per legem, qua constituitur; ut Sacramentum verò statuitur Lege Divina; In quantum est officium naturæ, statuitur lege naturæ; *In quantum vero est in officium communitatis, statuitur Lege Civili; & ideo ex qualibet dictarum Legum potest aliqua persona effici ad Matrimonium illegitima; Nec est simile de aliis Sacramentis, quia sunt Sacramenta tantùm.* Hic luce clarius asserit Divus Thomas, quòd Lex Civilis potest reddere illegitimas personas ad Matrimonium; & sic Princeps Laicus poterit statuere impedimenta Matrimonii. Hoc verò est solùm probabile, & opinio contraria est probabilissima; quin Fagnanus de constit. c. *ne innitaris.* num. 335. ausus est, vocare illam opinionem temerariam, & scandalosam. Sed parcendum est viro Canonistæ; nec enim Canonistæ possunt benè capere quæstiones Theologicas.

36. Distinct. 38. quæst. 1. art 3. quæstiunc. 1. ad 5. dicit: *Qui interpretatum votum fecit, ad tria vota Religionis principalia in omni casu tenetur; ad alias observantias, quarum transgressio ex dissimulatione Prælatorum inducitur, qui, dum videntes non corrigunt, indulgere videntur, non videntur obligari, & præcipuè si sint simplices &c.* Quæstiunc. 2. ad 4. dicit, quòd habens votum si nupsit, & consumavit Matrimonium, nequit petere debitum, debet tamen reddere, si mulier exigat vel expressè, vel interpretativè. Mox subdit: *Quidam tamen dicunt, quòd potest & petere, & reddere, ne nimis onerosum reddatur Matrimonium uxori semper exigenti; sed si rectè inspiciatur, hoc est exigere interpretativè.* Ego credo, quòd illa propositio: *Hoc est exigere interpretativè*, talem sensum reddat; Ratio reddendi onerosum Matrimonium erga mulierem est virtualis, & interpretativa exactio debiti, & hæc explicatio est juxta mentem Doctoris Angelici, qui supra distinct. 32. quæst. 1. art. 4. ad 3. ut probabilius sustinuit, quòd junctus Matrimonio nequeat vovere castitatem, ne nimiùm reddat onerosum Matrimonium faciendo, quòd alter semper petat. Quàm verò hæc opinio sit benigna, nemo non videt; insuper negari nequit, quòd solùm sit probabilis, ut suprà dixi.

37. Articulo 1. ejusdem quæstionis dicit, quòd sicut nec servus, ita nec Religiosus aliquod votum emittere potest sine consensu sui Superioris. Articulo 4. quæstiunc. 1. ad 3. ut probabilius sustinet, quòd in voto solemni possit fieri dispensatio. Contrarium tenuit postea 2. 2. quæst. 88. art. 11. quoad votum continentiæ solemnizatum per professionem Religiosam, & de voto paupertatis, & obedientiæ. Si est verum, quod asserit Cajetanus Opuscul. 5. de Eleem. c. 2. quòd Divus Thomas non mutat opinionem, nisi expressè illam retractet; Cùm in hac materia de dispensatione

votorum

votorum solemnium non se retractaverit expressè, sequitur, quòd Divus Thomas per Cajetanum probabiliter asserat in hac materia utramque partem. Sed si daremus, quòd se retractaverit, adhùc sequitur, quòd Divus Thomas tenuerit opinionem in linea probabilitatis existentem, ac simul benignam, ut hic intendo demonstrare.

38. Articulo 4. quæstiun. 4. ad 2. dicit, quòd ingressus in Religionem non tenetur ad vota, quæ fecerat in sæculo, inde subdit: Quidam dicunt, quòd debet Prælato suo exponere, & illa pensatis conditionibus personæ, & voti, poterit cum eo dispensare. Sed secundùm alios hoc non exigitur, quia ex ipsa vi voti Religionis à prioribus votis est absolutus rationibus dictis.

39. Articulo 5. ad 5. dicit, quòd puellæ occultè corruptæ nullo modo sunt velandæ velo virginitatis, (quæ opinio est valdè rigorosa, probabilis tamen,) quia propter vitandum scandalum non debent Ecclesiæ Sacramenta, vel Sacramentalia variari. Subdit postea: Sed, sicut quidam dicunt, quòd potest aliqua cautella adhiberi ad vitandum scandalum, ut scilicet illa, quæ non sunt de substantia virginalis veli, ut accensio candelarum, & alia hujusmodi fiant, mutatis occultè his, quæ sunt de substantia virginalis veli, putà, *quòd nomen virginitatis in Castitatem varietur.* Si ego non erro, vult dicere Sanctus Doctor, quòd consecrator corruptæ debeat peragere ea, quæ non sunt de substantia veli virginalis; ea verò, quæ sunt de tali substantia, v. g. nomen *virginitatis*, mutet occultè, & illud nomen mutet in nomen *Castitatis.* Vellem hic audire Montaltium, quomodo in praxi uteretur hac doctrina. Vel diceret altè nomen Castitatis; & sic non obviaretur scandalo, sed indè magis cresceret. Tum quia Doctor Angelicus ait, quòd mutetur occultè, ergo nomen Castitatis altè non debet proferri, quia non occultè, sed palam fieret mutatio. Si verò dicat nomen Castitatis submissa voce; certè aliæ voces dicerentur voce non adeo submissa, quia Divus Thomas non docet, quòd tota oratio dicatur submissa voce, sed variatio sola debet esse in voce *Castitatis.* Igitur pono sub oculos, ut Lectores determinent, (ego enim nihil hic assero,) an Divus Thomas doceat, quòd Consecrator dicat Orationes pro consecratione virginis; Quando verò pervenerit ad vocem virginitatis, quæ est de substantia veli virginalis, mutet illam in vocem *Castitatis;* Sed ad obviandum scandalum mutet occultè, idest dicat submissè, ne intelligatur ab astantibus; sic enim velum virginitatis non dabitur puellæ corruptæ, & adstantes non venient in cognitionem de corruptione ejusdem puellæ. Si hoc intelligit Divus Thomas, timeo, ne incidat in irrisiones jactatas à Montaltio Epistol. IX. pag. 155. in Filliucium dicentem, nos posse fugere perjurium dicendo partem assertionis altè, partem submissè. Iterum moneo me nihil decidere circa intellectum prædicti textùs Angelici Doctoris; sicut nec data tali explicatione, quòd incidat in irrisiones Montaltii, solùm pono utrumque sub oculos Lectorum, ut ipsi judicent, & decidant.

40. Distinct. 42. quæst. 1. art. 2. tenet, cognationem spiritualem contrahi solùm per duo Sacramenta, Baptisma nempe, & Confirmationem. Aderat tunc opinio strictior equidem, sed probabilis, quòd contraheretur etiam per Catechismum. Distinct. 45. quæst. 2. art. 2. quæstiun. 1. ad 5. ita scribit: *De facto Trajani hoc modo potest probabiliter æstimari, quòd precibus Beati Gregorii ad vitam fuerit revocatus, & ibi gratiam consecutus sit.* Ecce quòd per *Probabilem æstimationem* possumus credere, dari in lege illa, *in Inferno nulla est redemptio*, Epichejam. Scio, nos esse in speculativis; at non video, cur per probabilem æstimationem non possit quis se eximere à lege practica. Idem enim est Deus, qui dixit *in Inferno nulla est redemptio*, ac qui tradidit Decalogum.

CA-

CAPUT XIV.

Referuntur aliæ Opiniones benignæ ex Divo Thoma.

1 ALlatæ Opiniones *Probabiles*, & *Benignæ* desumptæ sunt ex Quarto Libro Sententiarum. Libri autem Sententiarum apud Antiquos asseclas Sancti Doctoris pluris æstimabantur, quàm ejusdem Summa; hinc assumebant pro textu explicando illos, non verò hanc. Nunc verò video Thomistas mutasse Sententiam; Hinc expositiones texunt in Summam, & relinquunt prædictos Libros. Et ego audivi aliquos dicere, quòd Angelicus, si absolvisset Summam, mutasset aliquas opiniones, & præcipuè illam de non confitendis circumstantiis aggravantibus, quas tradidit in sententiis. Pace tamen ipsorum dixerim, hoc est purè divinare, non discurrere rationabiliter. Et quamvis sciam in Summa se retractasse, quæ dixerit in sententiis quoad speculationem, non tamen in practicis; quin potiùs in materia de eleemosyna clariùs est strictior; Unde aliqui voluerunt attribuere Divo Thomæ per ea, quæ dixit 2. 2. quæst. 32. art. 5. quòd dives solùm teneatur dare eleemosynam habenti extremam necessitatem, & hic correxerit, quæ scripsit in Quarto Sententiarum, contra quos agit Cajetanus in Opusc. de eleem. c. 2. & asserit, nunquam Sanctum Doctorem mutare Sententiam, nisi expressè hoc asserat, & conatur concordare dicta in Summa cum dictis in Sententiis ab Angelico.

2. Igitur revertendo ad propositum nostrum 1. 2. quæst. 91. art. 4. docet, quòd de his potest homo legem facere, de quibus potest judicare. Judicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent, sed solùm de exterioribus actibus, qui apparent; & tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quòd in utrisque actibus homo rectus existat, *& ideò Lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter actus, sed fuit necessarium, quod ad hoc superveniret Lex Divina.* Idem dicit quæst. 100. art. 9. Ecce negat Legislatoribus humanis potestatem sufficientem in actus internos humanos, quod solùm est probabile, & plurimi alii probabiliter oppositum strictiùs sustinent. Ex opinione autem Doctoris Angelici alia valdè benigna, & solùm probabilis consequitur, quòd nempè, si Superior jubeat actus merè internos, subditus non teneatur obedire, & hanc doctrinam expressit 2. 2. quæst. 104. art. 5. hisce verbis: *Non tenetur inferior suo Superiori obedire, si ei aliquid præcipiat, in quo ei non subdatur;* dicit enim Seneca in 3. de beneficiis: Errat, si quis existimat servitutem in totum hominem descendere, pars enim melior excepta est. Corpora obnoxia sunt, & adscripta Dominis, mens quidem est sui juris. *Et ideo in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed* solùm *Deo.*

3. Igitur quæst. 96. art. 6. & 2. 2. q. 60. art. 5. ad 2. scribit, quòd nulla ratio juris, aut *æquitatis benignitas* patitur, ut, quæ salubriter pro salute hominum introducuntur, *ea nos duriori interpretatione contra ipsorum commodum perducamus ad severitatem.* Credo, quòd Probabilioristis placeat, & forsan probabiliter, multotiès duriori explicatione interpretari leges contra commodum subditorum, & illos subdere Legi, à qua benigna interpretatione possent eximi.

4. Quæstione 97. art 3. ad 2. dicit: Si autem adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit, *nisi fortè propter hoc solùm inutilis Lex videatur, quia non est possibilis secundùm legem Patriæ, quæ erat una de conditionibus legis; difficile enim est consuetudinem multitudinis removere.* Non deficient severi Probabilioristæ sustinere probabiliter, etiam in hoc casu legem servandam esse, & consuetudinem abjiciendam tanquam corruptellam.

5. In

5. In quæst. 108. art. 2. ad 3. approbat duplicem expositionem oppositam Sanctorum Patrum super illum textum Matth. 10. b. *Nolite possidere aurum, neque argentum &c.* Prima interpretatio Augustini tom. 4. lib 2. de consensu Evangelistarum c. 30. asserebat, in illis verbis *non contineri præcepta, sed concessiones...... alio modo possunt intelligi secundùm aliorum Sanctorum expositionem, ut sint quædam statuta temporalia Apostolis data pro illo tempore, quo mittebantur ad prædicandum in Judæam ante Christi passionem.* Ecce Divus Thomas sustinet probabiliter, & benignè, quòd Christus in illis verbis: *Nolite possidere aurum &c.* non fecerit mandatum, sed dederit concessiones. Sustinet etiam probabiliter, & rigidè juxta alios Patres illa verba continere statuta, & sic præcepta.

6. In 2. 2. quæst. 1. art. 3. ad 1. dicit, virtutes autem perficientes partem appetitivam non excludunt totaliter falsum: *Potest enim aliquis secundùm Justitiam, aut Temperantiam agere habens aliquam falsam opinionem de eo, circa quod agit.* Ecce quòd quis potest cum falsa opinione de eo, quod agit, agere justum, & temperans. Jam scimus, Vendrochium asserere opinionem probabilem falsam non excusare in materia legis naturalis; & sic nec in præceptis Justitiæ, & Temperantiæ. Ergo Divus Thomas hìc sequitur opinionem probabilem, & benignam. Quæst. 2. art. 6. ad 2. asserit, quòd simplices non sunt examinandi de subtilitatibus Fidei... *Si in talibus ex simplicitate deficiant, non eis imputatur.* Contrarium strictiùs, & probabiliter docuerunt Specul. & Alvaro apud Angelum. V. *Fides.* n. 6.

7. In quæst. 10. art. 1. & 6. sustinet benignè, quòd illi, qui non audierunt Fidem Divinam, & moriuntur, damnantur quidem propter alia peccata, *non autem propter infidelitatis peccatum.* Ergo per Divum Thomam in hoc casu illi infideles non peccant non habendo Fidem; & tamen hæc infidelitas dependet à peccatis propriis, etiam per Sanctum Doctorem quæst. 14. de verit. art. 11 ad 1. & in 3. distinct. 25. quæst. 2. art. 1. quæstiun. 1. ad 1. & 2. & per plures Antiquos, Alen. par. 2. quæst. 112. de ignor. memb. 8. casu 1. Altisiod. in 2. tract. 29. de pecc. mort. c. 1 q. 4. ad 4. Alber. in 3. dist. 25. art. 2. ad ult. Bonavent. in 2. dist.... Divum Bernardinum Tom. 1. fer. 2. post Quinquagesim. serm. 3. fin. & Summam, quæ *Destructorium vitiorum* dicitur, par. 4. cap. 36. num. 1. Qui dicunt, si puer nutriatur in sylvis, & rectè juxta naturam vivat, illuminabitur à Deo, vel per se revelando, vel per Angelum, vel per hominem &c. Ergo, qui nihil audivit de Fide, si restat in Infidelitate, ex culpa sua hoc provenit; & tamen ipsa infidelitas non est peccatum per Divum Thomam. Nescio, an hæc benignitas placeat Vendrochio, qui per orationes credit nos obtenturos cognitionem de rebus obscuris; & propter hoc vult nos obligari ad talem orationem, & reos esse culpæ transgressores præceptorum, quæ poterant per orationem cognoscere; & sic illis parere. Ergo si est certum, quòd infidelis illuminaretur, si benè viveret, si benè non vivit, deficientia talis illuminationis per Vendrochium erit peccatum; & sic propter ipsum damnabitur

8. Scio Vendrochium Epist. V. not. 1. sect. 3. §. 7. expressè dicere, se abstinere velle ab illa quæstione, an possit dari ignorantia invincibilis Juris Divini post prædicationem universalem Evangelii. Adhuc tamen propendet in partem negativam, & affert pro ipsa Divum Augustinum, & dicit quamplura Patrum loca pro eadem militare. Hæc scio, inquam, non tamen audeo affirmare ipsum in allata doctrina oppositum Divo Thomæ asserere. Solùm dico, quòd si per Vendrochium imputatur culpæ in jure naturali, si illud ignoramus, eo quòd saltem per orationem, & per bona opera possumus ejusdem cognitionem à Patre luminum impetrare, non video, cur non sit culpæ reputandum carentia cognitionis in jure Divino, dum benè agendo possumus obtinere ab eodem

dem Patre Luminum notitiam illius.

9. In quæst. 13. art. 2. ad 3. dicit, quòd cùm aliquis subitò ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat, & tunc est peccatum veniale, & non habet propriè rationem Blasphemiæ. Alio modo quando advertit, hoc esse blasphemiam considerans significata verborum, & tunc non excusatur à peccato mortali, sicut nec ille, qui ex subito motu iræ aliquem occidit juxta se sedentem. Non video, quòd contrarium non possit strictiùs quidem, sed probabiliter defendi; cum enim teneatur quilibet non dehonorare Deum corde, ore, & opere, ita tenetur advertere ad verba, & opera, quæ sunt dehonoratoria Dei; ergo si non advertit, facit contra præceptum *non dehonorandi Deum*; & sic peccat graviter, & non leviter, ut vult Divus Thomas. Ego, qui admitto ignorantiam invincibilem in jure naturali, in eodem admitto etiam actualem inadvertentiam invincibilem, quæ saltem non sit peccatum mortale. Hinc adhæreo benignitati allatæ ex Divo Thoma; Vendrochius, qui talem ignorantiam reiicit, videtur, quòd debeat rejicere etiam talem inadvertentiam actualem.

10. In quæst. 32. art. 5. ad 2 asserit, quòd divitiæ sunt quidem ipsius divitis *quantùm ad proprietatem, sed quantùm ad usum non solùm debent esse ejus, sed etiam aliorum*, qui ex eis sustentari possunt ex eo, quòd ei superfluunt ... *est panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclavi conservas &c.* Vide Sancti Doctoris in divitem probabilem benignitatem! Dat Petrus huic nudo vestem, ab hinc duo menses hic pauper ad pinguiorem fortunam venit, teneturne diviti restituere vestem acceptam? Respondetur affirmativè, quia usus quidem illius erat *nudi* ex Divo Thoma, sed proprietas erat *divitis*; cum ergo nudus acquisierit propria, ergo propria alterius debet restituere. Hoc idem argumentum facio de pane dato in tali necessitate pauperi. Scimus autem Scotum, in 4. distinct. 15. quæst. 2. in solut. argum. vers. *posset dici* probabiliter tenere contrarium, in casu de re usu consumpta; & sic non adeo benignè cum *divite* se habere, benè verò cum *paupere*. Alii idem dicent de re usu non consumpt.

11. In quæst. 33. art. 5. asserit, peccatorem corripientem proximum cum humilitate non peccare. Plures Antiqui contrarium strictiùs sequebantur. Sed Beato Thomæ hæc nimiùm antiqua, & severa opinio non placet. In articulo seq. liberat quoque à præcepto correctionis, *qui probabiliter æstimat*, (benigna doctrinæ probabilitas!) *quòd peccator* admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur. Quia autem probabilis æstimatio non facit rem certam; hinc posset hic etiam probabiliter oppositum æstimare; & sic obligari ad correctionem; sed Divo Thomæ placent probabiles benignitates, quas iterum astruit art. 8. ad 1.

12. In quæst. 59 art. 4. ad 2. docet, si auferat aliquis alicui unum pomum, vel aliquid tale, *de quo probabile est, quòd ille non lædatur, nec ei displiceat*, non est peccatum mortale. Vide hic benignam opinionem fundari in judicio probabili. In quæst. 64. art. 7 ad 1. asserit, quòd quando Augustinus Epist. 154. & habetur c *de occidendis*. 23. quæst 5. videtur, negare potestatem occidendi alium pro se, & sic nemo possit invasorem occidere, asserit dictum Augustini intelligendum esse in eo casu, quo quis intendit occidere hominem, ut se ipsum à morte liberet. Igitur Augustinus juxta Glossam Angelici dicit, quòd si quis occidit invasorem, ut se à morte salvet, peccat. *Si autem quis intendit salvare se*, inquit Cajetanus, *non destiturus à sui defensione, etiamsi alterius mortem ex sua defensione oporteat sequi; & sic iste non occidit, nisi per accidens.* Hæc doctrina procul dubio est Divi Thomæ. Porrò subdit Angelicus eodem loco: *In quo etiam casu intelligitur authoritas inducta tom. 1. ex libr 1. liber. arbitr. cap. 5. prope finem.* Hæc verba:

In

In quo etiam casu &c. significant eodem modo intelligendum esse textum Augustini recitatum in secundo objecto ex libr. de liber. arbitr. ac intellecta est authoritas allata in prima objectione, in qua Augustinus videbatur affirmare, non posse impunè occidi invasorem nostræ vitæ.

13. Afferamus nunc Textum Augustini ex Libro liberi arbitrii; quomodo, inquit ipse, à peccato ad divinam providentiam liberi sunt, *qui pro his rebus, quas contemni oportet*, humana cæde polluti sunt. Ecce Textum Augustini. Addit Divus Thomas: Eas autem res dicit esse contemnendas, *quas homines inviti amittere possunt*, *ut ex præmissis patet*. Hic est textus Angelici. In margine asseritur illa verba, *ex præmissis*, referri ad ea, quæ dicuntur in divisione quæstionis. In divisione autem quæstionis Divus Thomas tria meminit, scilicet *Propriam personam*, *personam nobis conjunctam*, *&* *proprias res*. Hinc sequitur evidenter, quòd quando Augustinus negat posse occidi invasorem rerum amissibilium invitè, sit intelligendus, non licere, ita ut mors intendatur, ut intelligitur in casu, dum occiditur ob defensionem propriæ personæ. Et hac Glossa poterunt limitari alii Patres, qui per Vendrochium asserunt, esse illicitam mortem invasoris rerum nostrarum. Igitur per Sanctum Thomam hæc propositio est vera, Augustinus negat, *posse occidi invasorem rerum mala intentione.* Et ex hoc ego infero eandem propositionem de aliis Patribus, cùm nulla disparitas sit assignabilis. Juxta etiam Divum Thomam est vera probabiliter hæc alia: *licet occidere recta intentione invasorem rerum.* Quàm verò hæc propositio sit benigna, ex hoc liceat arguere, quòd multi ex Probabilioristis prætendunt contrariam opinionem esse communem Patribus; quin videtur damnata à Clero Gallicano num. 36.

14. In quæst. 67 art. 2. absolvit à peccato judicem condemnantem hominem, quem privata scientia novit esse innocentem. Est quidem hæc opinio plurimorum Doctorum. Nequit tamen negari oppositam, & ratione, & authoritate Doctorum esse satis probabilem; quæ cùm faveat reo, deberet potiùs illam amplecti Judex, quia facilior debet esse Judex ad absolvendum, quàm ad condemnandum, ut ait ipse Divus Thomas quæst. 70. art. 2. ad 2. Adhuc tamen Sanctus Doctor noluit nimia scrupulositate in has angustias deducere Judicem, sed probabili benignitate illum absolvit.

15. In quæst. 73. art. 4. dicit, quòd audiens detractionem, si ei detractio non placeat, sed ex timore, *vel negligentia, vel etiam verecundia quadam* omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multò minùs, quàm detrahens, *&* *plerumque venialiter.* Nota hanc benignitatem, & certè solùm probabilem excusantem *timidum*, *negligentem*, *&* *verecundum*.

16. In quæst. 76. art. 1. scribit: quandoque verò dicitur aliquod malum sub ratione utilis, putà, cùm aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel ut ipse melior efficiatur, *vel ut saltem ab aliorum nocumento cesset.* Nescio, an aliquis rigidus Probabiliorista possit contrarium rigidè probabiliter asserere.

17. In quæst. 77. art. 3. dicit, venditorem non teneri ad manifestandum emptori defectum manifestum rei vendendæ, puta, si equus sit *monoculus*, si tamen subtrahat de pretio, quantum oportet. Oppositum dicunt probabiliter, & rigidè Panorm. in c. *injustum*. de rerum permut. & Conrad. de contract. quæst. 54. In quæst. 78. art. 1. ad 6. asserit, quòd si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem, vel ad ponendum loco pignoris, posset talem usum vendere licitè. Hæc doctrina mihi quidem certa est, sed forsan rigidioribus poterit apparere oppositum quoque probabile. In articulo 2. tertio loco sibi opposuerat: *licet accipere servitium, vel etiam laudem ab eo, cui quis pecuniam mutua-*

mutuavit. Ergo pari ratione licet quodcunque aliud munus accipere. Ita hoc objectum diluit. Si quis ex pecunia mutuata expectet, vel exigat, quasi per obligationem pacti taciti, vel expressi, recompensationem muneris ab obsequio, vel à lingua, perinde est, ac si expectaret, vel exigeret munus à manu, quia pecunia æstimari potest, ut patet in his, qui locant operas suas, quas manu, vel lingua exercent. Si verò munus ab obsequio, vel lingua non quasi ex obligatione rei exhibetur, *sed ex benevolentia*, quæ sub æstimatione pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, *&* *exigere*, *&* *expetere.* Expende ly *exigere*, & ly *expetere*, nec poteris, negare esse opinionem valdè benignam, & intra lineam Probabilitatis existere. Igitur ex Doctore Angelico est vera hæc propositio: *Licet in mutuo accipere, & exigere, & expetere munus ab obsequio, vel lingua, quod exhibetur ex benevolentia absque tamen pacto tacito, vel expresso.*

18. Canonistæ strictissimè, & acriter contendunt decimas, etiam quoad quotam, esse de Jure Divino; hinc sequitur, si hæc opinio sit probabilis, Divum Thomam solùm probabiliter, & benignè asseruisse contrarium quæst. 87. art. 1. In quæst. 88. art. 8. ad 3. scribit: Nullum votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati; sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi de consensu Patris, *nec Uxoris, nisi sit de consensu viri.* Observa hæc ultima verba præcipuè, & nega, si potes, posse sustineri contrarium multùm probabiliter. Ex opinione Divi Thomæ sequitur, quòd in voto uxoris intelligitur conditio, *si viro placuerit, vel non renitatur;* verba Angelici in solut. ad 4. hinc sequitur, maritum posse irritare vota uxoris, quæ potestas multùm favet mulieribus. Hoc tamen totum solùm est probabile.

19. In quæst. 89. art. 9. ad 3. sicut Pater, ait, potest irritare juramentum puellæ, *& vir Uxoris, ut dicitur Num. 30. sicut & supra de voto dictum est*, scilicet in loco ante immediatè à me allegato. Hic nota Divum Thomam existimare illam concessionem factam à Deo allato c. 30. Num. perseverare usque modo; ibi autem illa concessio est universalis; unde intelligitur etiam de voto non præjudicante viro. v. gr. de oratione, de jejunio, de abstinentia &c. & textus etiam expressè loquitur de voto *Jejunii, & abstinentiæ.* Porrò opinio, ut dicebam, asserens virum posse irritare votum, & juramentum, quod sibi non præjudicat, est admodum benigna, & solùm in linea Probabilitatis, unde opposita sustinetur à multis præclaris Antiquis, & Modernis. Modernos videre poteris apud Castropal. tom. 3. tract. 15. disp. 2. punct. 6. num. 2. Antiquos verò apud Azor. part. 1. Institut. moralium libr. 11. cap. 16. quæst. 10. & cap. 17. quæst. 12. & in hac controversia pro utraque parte sunt fortia argumenta, & Doctores plurimi, ut Castropalaus fateatur utramque esse probabilem, sed negativam probabiliorem. Hìc noto Doctores prædictos loqui de voti irritatione, sed eadem est ratio de Juramento ex Castropal. tract. 14. disp. 3. punct. 2 tùm à fortiori hìc licet arguere, quia Divus Thomas art. 8. tenet, votum esse magis obligatorium.

20. In quæst. 100. art. 3. ad 2. scribit: Illi, qui dant eleemosynam pauperibus, ut orationum ab ipsis suffragia impetrent, non eo tenore dant quasi intendentes orationes emere, *sed per gratuitam beneficentiam pauperum animos provocant ad hoc, quòd pro eis gratis, & ex charitate orent.* Aliquis fortan scrupulosus strictiùs probabiliter diceret, esse illicitum, *provocare animos pauperum pecuniis, ut gratis orent*, ex eo quòd hoc est parare sibi viam ad rem spiritualem obtinendam, quod est simoniacum per Divum Thomam art. 2. ad 5. & propter hoc negat ante jus acquisitum esse licitum dare pecuniam *ad tollenda Adversantium obstacula*, quibus quis impeditur à consequutione Præbendæ. Et in nostro casu à fortiori procedit, quia Oratio totaliter est spiritualis,

lis, non sic præbenda; & præterea per obstacula Divus Thomas debet intelligere *etiam malitiosa impedimenta*, de quibus est sermo in objectione. Sic ergo instruitur argumentum: Est illicitum dare pecuniam ante jus acquisitum ad tollenda malitiosa impedimenta, quibus quis impeditur à consequutione Præbendæ, quæ non est totaliter spiritualis; ergo est illicitum dare pecuniam pauperi, antequam quis habeat jus, ut pauper oret pro illo, dare, inquam, pecuniam pauperi ad tollenda malitiosa impedimenta, quibus quis impeditur à consequutione Orationis pauperis, quæ oratio est totaliter spiritualis; & multò magis hæc datio pecuniæ erit illicita, si detur ad provocandum animum pauperis; quia plus est provocare animum pauperum ad orandum, quàm tollere impedimenta, quibus pauperes retardantur, ne orent pro me, qui do pecuniam. Hoc argumentum videretur scrupulosis forsan probabile, & ipsis placeret, si essent Probabilioristæ.

21. Similiter forsan scrupulosis videretur solùm probabilis illa benigna doctrina, quam tradit Sanctus Doctor allato art. 3. ad 4. ubi dicit, quòd pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium. *Licet tamen*, si Monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere, sed accipere aliquod pro victu personæ, *quæ in Monasterio fuerit recipienda*, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes. Dionysius Carthusianus in 4. distinct. 25. ante quæst. 4. affert decisionem quandam Facultatis Parisiensis, quæ forsan opponitur huic doctrinæ benignæ, & illi decisioni multùm favet c. *periculoso*. §. *sanè*. de stat. regul. in 6 in quo dicitur, ne in Monasteriis ordinum non mendicantium aliquæ recipiantur de cætero in Sorores, *nisi quot poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis, sive proventibus absque penuria sustentari*.

22. In Articulo 5. dicit ad 2. quòd si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcunque carnalem affectionem, est quidem illicita, & carnalis collatio, non tamen simoniaca. Alii, inter quos Divus Bonaventura, recognoscunt probabiliter crimen Simoniæ, quæ opinio est valdè strictior, & forsan causabit invaliditatem collationis illius rei spiritualis, ut dixi suprà.

23. In quæst. 105. art. 1. ad 3. dicit: quòd ideo Prælati abstinere debent à multitudine præceptorum; quia si tot Prælatus aliquis ingerat, quòd subditus ea implere non possit, excusatur à peccato. Et hìc per impossibilitatem puto intelligi magnam difficultatem, sicut Sanctus Doctor 1. 2. quæst. 96 art. 6. ad 3. dixit, non debere Legislatorem in sua lege omnes casus comprehendere ad confusionem vitandam. Benignitas optima à probabilitate promanans.

24. In quæst. 147. art. 4 ad 2. ut alibi dixi, asseruit tempus obligationis jejunii incipere in fine tertii septemnii. Ante Divum Thomam paucos Doctores habebat hæc opinio, & parùm probabilis ab irrephragabili Alensi reputabatur; & Joann. Andr. c *Consilium*. de observat. jejun. & Abbas in rubr. d. t. referunt, plures opiniones adeò strictas, ut aliqui puellas anno 12. & pueros anno 14. voluerint obligare ad jejunium. Solus Divus Thomas hanc verè benignam opinionem poterat elevare ad statum Probabilitatis; unde, si priùs fortè peccabant homines non jejunando ante illud tempus, posteà per authoritatem Doctoris Angelici, *facta probabilis hæc Doctrina*, securè præterimus jejunium usque ad illud tempus. In responsione ad 3. ait: si immineat necessitas statim peregrinandi, & magnas dietas faciendi, vel etiam multùm laborandi, vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquod necessarium ad vitam spiritualem &c. non obligatur homo ad jejunium &c. Videtur tamen in talibus recurrendum esse ad Superioris dispensationem, *nisi fortè ubi est ita consuetum, quia ex hoc ipso, quòd Prælati dissimulant, videntur annuere.* Illa particula, *Fortè*, denotat cognitionem incertam,

certam, & opinativam; ex alia parte est multùm benigna, cùm tollat obligationem frequenter adeundi Superiorem. Est quoque valdè benignum, & probabile, quòd potus, licèt aliquo modo nutriat, non frangat jejunium, sicut nec electuaria, nec aliæ medicinæ, ut dicit Doctor Angelicus art. 6. ad 2. & 3.

25. In quæst. 148. art. 2. quærens, an gula sit peccatum mortale, dicit, ordinem rationis concupiscentiam, & sic gulam, ordinantem tolli posse dupliciter; primò in ordine ad finem, unde gula, quæ avertit ab ultimo fine, est peccatum mortale, quod contingit, quando delectationi gulæ inhæret homo tanquam fini, propter quem Deum contemnit, *paratus scilicet contra Dei præcepta agere*, ut delectationes hujusmodi assequatur. Si verò in vitio gulæ intelligatur inordinatio concupiscentiæ tantùm secundùm ea, quæ sunt ad finem, utpotè quia nimis concupiscit delectationes ciborum, non tamen ita, *quòd propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum veniale.* ..... Vitium gulæ habet, quòd sit peccatum mortale, *inquantum avertit à fine ultimo.....* Inquantùm avertit à fine ultimo contrariatur gula dilectioni Dei..... *& secundùm hoc solùm gula est peccatum mortale.* Similia habet Sanctus Doctor in quæst. 14. *de malo.* art. 2. solùm addit in respon. ad 4 aliud peccatum, & est, si quis scienter propter immoderatam concupiscentiam cibi grave suo corpori nocumentum inferret nimis comedendo, & nociva sumendo, *non excusaretur à peccato mortali.* Advertit tamen, quòd tale nocumentum non est objectum gulæ, sed est præter rationem gulæ. Fortasse aliquibus videbitur, quòd nimietas delectationis gulæ sit peccatum mortale. Ego audivi de quibusdam voracitatem adeò monstruosam, ut unus plus ederet, quàm decem homines; unde videretur dicendum ab his, ut isti helluones lethaliter peccarent tanquam incidentes in illud Apostoli ad Philippens. cap. 3. num. 19. *Quorum Deus venter est :* tamen per benignam, & probabilem opinionem Angelici à tanto scelere sunt excusandi.

26. In quæst. 168. art. 3. ad 3. scribit: Etiam *Officium Histrionum*, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, *non est secundùm se illicitum, nec sunt in statu peccati*, dummodò moderatè ludo utantur, idest, non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotiis, & temporibus indebitis; & quamvis in rebus humanis non utantur alio officio per comparationem ad alios homines, tamen per seipsos, & ad Deum alias habent seriosas, & virtuosas operationes...... Unde illi, qui moderatè eis subveniunt, non peccant, sed justè faciunt, mercedem ministerii eorum eis tribuendo. Si qui autem superfluè sua in tales consumunt, vel sustentant illos Histriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quasi eos in peccato foventes. Ecce per Doctorem Angelicum status, *& officium Histrionum per se non est peccatum*, & possunt licitè pro tali officio suam mercedem moderatam accipere ipsi Histriones.

27. Quidam Regularis in lucem dedit libellum in Galliis, in quo probabat authoritate Sanctorum, & optimis rationibus, comœdias ex genere suo esse licitas; mirum est, quantos strepitus, & clamores liber ille excitaverit, nedum in Gallia, sed etiam in Germania inferiori. Concionatores è suggestibus declamabant in illum, veluti in corruptellæ fontem. Alibi publicè crematus fuit. Tandem Author cogitur palinodiam canere. Nunquid Doctor Angelicus, qui Histriones tuetur *non esse in statu peccati*, fallitatis crimine damnabitur? absit. Illi damnabuntur, qui Angelicum criminabuntur. Forsan Prælati Galliæ malè fecerunt in persequendo libellum illum? Minimè. Quin benè fecerunt. Qui ergo modus conciliandi litem? Angelicus Doctor veritatem semper sequitur, *sed multoties in linea Probabilitatis*, & talis est præsens. Quia verò probabile non tollit probabile oppositum; ideò Prælati Galli severitatem sequentes oppositam

positam opinionem probabilem voluerunt sequi, & subditis hoc præceperunt. Si autem in dubiis debemus obedire Superiori juxta c. *quid culpatur.* 23. quæst. 1. & Isidor. Hispal. Epist. V. etiam in probabilibus id est faciendum.

28. In quæst. 169. art. 2. est valdè benignus probabiliter; siquidem scribit, quòd mulieres, quæ viros non habent, nec volunt nubere, & sunt in statu non nubendi...... se ornent ex quadm levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quandam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale.... Unde Augustinus Epistol. 73. dicit: Nolo, ut de ornamentis *auri*, *vel vestis* propriam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eis, qui neque conjugati sunt, neque conjugari cupientes, cogitare debent quomodo placeant Deo...... capillos nudare fœminas.... nec maritatam decet. In quo tamen casu possent aliquæ *à peccato excusari*, quando hoc non fieret ex aliqua vanitate; *sed propter contrariam consuetudinem*, quamvis talis consuetudo *non sit laudabilis.*

29. Objecerat sibi Divus Thomas primo loco: Quod est contra præceptum Divinæ legis, est peccatum mortale; sed ornatus mulierum est contra præceptum Divinæ legis; dicitur enim Petr. cap. 3. quarum sit non extrinsecùs *capillatura*, *aut circundatio auri*, aut indumenti vestimentorum cultus; Ubi dicit Glossa Cypriani in Libr. de habitu virg. incipit disciplina custos ante med. *Serico, & purpura induta* Christum sincerè induere non possunt. *Auro, & margaritis ornata, & monilibus* ornamenta corporis, & mentis perdiderunt; Sed hoc non fit nisi per peccatum mortale; ergo ornatus mulierum non potest esse sine peccato mortali.

30. Objecerat sibi secundo loco: Cyprianus ibidem post medium dicit: Non virgines tantùm, aut viduas, sed nuptas puto etiam omnes omninò fœminas admonendas, quòd opus Dei, & facturam ejus, & plasma *adulterare nullo modo debeant adbibito flavo colore*, vel nigro pulvere, vel rubore; aut quolibet lineamenta nativa corrumpente medicamine. Manus Deo inferunt, quando illud, quod ille formavit, reformare contendunt. *Impugnatio ista est Divini operis prævaricatio, & veritatis*; Deum videre non poteris, quando oculi tui non sunt, quos Deus fecit, *sed quos Diabolus infecit.* De inimico tuo compta *cum illo pariter arsura.* Sed hoc non debetur, nisi peccato mortali, ergo &c. Hæc Divus Thomas. Quis quæso potuisset suspicari, Angelicum Doctorem potuisse iuvenire modum explicandi verba adeò clara Cypriani? & tamen ipse invenit; unde ad primum cum Gloss. textùs Divi Petri dicit, quòd Apostolus loquitur de mulieribus, quæ contemnebant viros positos in tribulatione, & se ornabant, ut aliis placerent; & eodem modo dicit intelligendum esse Cyprianum. Ad 2. ait, mulierum fucationem spectare ad speciem fictionis, quæ non potest esse sine peccato; *Tamen talis fucatio est cum peccato mortali solùm*, quandò fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum, *in quibus casibus loquitur Cyprianus.* Ergo ex suo genere fucare faciem cum coloribus est peccatum veniale per Divum Thomam. Sed vis modum uti fuco etiam sine peccato aliquo? Audi Angelicum sic prosequentem: sciendum tamen, quòd aliud est fingere pulchritudinem non habitam, aliud occultare turpitudinem ex aliqua causa provenientem, puta ægritudine, & aliquo hujusmodi; *hoc enim licitum est &c.* Si ergo puella utitur ornamentis, ut videatur pulchra, cùm sit deformis, peccat per fictionem; si verò hoc facit, ut occultet deformitatem, *hoc est licitum.* Ut vides, actus est idem, & intentio solùm diversa; quid faciliùs, quàm mutare intentionem?

31. Joannes Hieronymus Soppranis Comment. in Davidem, digress. 1. c. 2. §. 1. propter plurima veterum Patrum dicta, quibus videntur damnari de peccato lethali mulieres se fuco exornantes, ait, Theologos in varias abiisse sen-

ſententias; Alii enim omnem illorum uſum abſolutè damnarunt, ut labem mortalis criminis continentem. Alii contra per ſe ſpectatum nulli lethali noxæ; Alii nulli omninò culpæ conjunctum voluerunt. Subdit poſtea propter has varias opiniones, aliam fuiſſe excitatam, an Epiſcopi poſſent talem fucationem prohibere tanquam peccatum grave. Et quidem Mediolani tempore Sancti Caroli eius Vicarii volebant, ut Confeſſarii, & Concionatores rigidam amplecterentur opinionem, quod cum illi abnuerent, edicto publicè fucum, & pigmenta damnarunt. Non eſt harum controverſiarum locus. Hæc ſolùm retuli, ut videatur, Divum Thomam benignè, ſed probabiliter ſolùm, loquutum fuiſſe. Obiter tamen dixerim, Vicarios illos contrarios fuiſſe opinioni, & praxi Divi Antonini Archiepiſcopi Florentini, qui ex Auguſtino part. 2 tit. 4. cap. 5. §. 8. nolebat, Epiſcopum habere propriam opinionem circa ornamenta mulierum; ſed potiùs inducendos eſſe exhortationibus Rectores Civitatum, ut per ſtatuta pœnalia pecuniarum auferrent talia, præcipuè ſuperfluitates veſtium, auri, argenti, & gemmarum.

32. In quæſt. 185. art. 7. dicit, quòd ſi Epiſcopus habet bona Eccleſiaſtica, ita ut pars deſtinata ſit in uſum Epiſcopi, alia pars in uſum cultûs Divini, & alia pars in ſublevationem pauperum, non eſt dubium, *Epiſcopum peccare mortaliter, & ad reſtitutionem teneri*, ſi aliquid ſibi retinuerit de his, quæ ſunt pauperibus eroganda, vel etiam in uſum Miniſtrorum, aut in cultum Divinum expendenda. Subdit Doctor Angelicus poſtea: *De his autem, quæ ſunt ſpecialiter ſuo uſui deputata, videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de propriis, ut ſcilicet propter immoderatum affectum, & uſum peccet quidem, ſi immoderata ſibi retineat, & aliis non ſubveniat, ſicut requirit debitum charitatis.* Ecce quòd Epiſcopus quoad illam partem bonorum, quæ ratione Epiſcopatûs dantur ipſi pro ſuo uſu, ſe habeat in ordine ad illa, *ac ad propria*, quæ ſcilicet habet de ſua Familia; ſicut ergo in propriis, quis non peccat, niſi propter immoderatum affectum, ita & Epiſcopus quoad illa bona Eccleſiaſtica. Hinc ſequitur evidenter, quòd, ſi quis peccet per immoderantiam de ſuis bonis accipiendo, non tenetur ad reſtitutionem; & illi, qui talia immoderata accipiunt v. g. Meretrices, Hiſtriones, paraſiti, non tenentur ad reſtitutionem, ſed poſſunt illa licitè retinere; ita debemus dicere de his bonis Eccleſiaſticis. De quo vide Cajetanum ibidem. Hæc doctrina & eſt valdè benigna, ſed pariter ſolùm eſt probabilis, & plurimi oppoſitum ſtrictius conantur ſuſtinere.

33. In quæſt. 186 art. 9. ad 3. ſcribit: Tunc committit aliquis, vel tranſgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi Legis, vel regulæ, & *ex hoc procedit ad faciendum* contra legem, vel regulam. Quando autem è converſo propter aliquam cauſam particularem, puta, concupiſcentiam, vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta legis, vel regulæ, *non peccat* ex contemptu; etiamſi frequenter ex eadem cauſa, vel ſimili peccatum iteret. Alii ſtrictiùs, & probabiliter opinantur, quòd ipſa iteratio tranſgreſſionis Legis, vel regulæ ſit contemptus ejuſdem.

34. In 3. part. quæſt. 64. art. 6. ad 3. tenet, quòd peccator in neceſſitate baptizans non peccet, quamvis ſit in peccato mortali. Nulli dubium eſſe debet, oppoſitum ſtrictius poſſe probabiliter ſuſtineri; & quidem Durandus in 4. diſt. 5. quæſt. 2. num. 6 refert fundamenta rigidæ opinionis, nec illa ſolvit; & ſubdit, ſecurum eſſe ſic facere, *ſed durum eſſe* dicere, quod ad hoc teneatur, ideſt ſequi hanc opinionem rigidam. Si opinionem benignam. Durandus certam crediſſet, non verò ſolùm probabilem, non fuiſſet propenſus in ſtrictam, & pro illa rationes non promoviſſet; ad quid invenire argumenta pro falſo, & illa inſoluta relinquere? Quæſt. 68. art. 11. ad 4. aſſerit, quòd infans poſſit baptizari

in qualibet parte periculo imminente. Fortasse alii scrupulosiùs negabunt, malè tamen, posse fieri tale baptisma. Quæst. 70. art. 4. ad 2. scribit: *Probabile tamen est*, quòd parentes fideles pro parvulis natis, & maximè in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent... ... sicut adulti *pro seipsis preces, & sacrificia offerebant.* Hic loquitur Doctor Angelicus de remedio, quo parvuli ante institutionem circuncisionis salvabantur, quod remedium *probabiliter putat*, implicasse *preces Deo fusas*. Nemo negabit hanc doctrinam contineri in linea Probabilitatis, cùm Sanctus Doctor hoc *expresse* confiteatur. Dicere solùm poterit, esse in materia speculativa, non practica, de quo est difficultas. Sed adhuc saltem sequitur, quòd Probabilitas spectat ad lineam veritatis, etiam in supernaturalibus; quia verò supernaturalia non sunt inferioris ordinis, & perfectionis, ac sunt moralia: ergo etiam in moralibus poterit admitti *Probabilitas*; atque adeo quando Vendrochius, & Adversarii adeo exagerant textus illos Scripturæ, in quibus dicitur, Christum esse *Veritatem*; & veritatem *nos salvare*. Hæc verba poterunt intelligi etiam de *Probabilitate*, idest de veritate probabili.

35. In quæst. 72. art. 7. ad 2. scribit: Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfectè contritus accedat, dummodò non fictus accedat; per gratiam collatam in hoc Sacramento Confirmationis *consequetur remissionem peccatorum*. Hæc opinio & benigna valdè est, *& solùm probabilis*. Eandem opinionem benignam tenet de Sacramento Eucharistiæ quæst. 79. art. 3. dicit enim, quòd fortè non sufficienter contritus, sed devotè, & reverenter accedens consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, *& remissionem peccati*. Quæst. 80. art. 4. ad 5. scribit: Si verò ignorat hoc, quod fecit esse actum peccati propter ignorantiam facti, quæ excusat, putà, si accessit ad non suam, quam credebat esse suam, *non est dicendus ex hoc peccator*; idest non est dicendus, quòd peccet sumendo cum hac ignorantia facti Eucharistiam. Scimus, Guilielmum Parisiensem de leg. cap. 21. litt. D. non excusare operantem malum ex ignorantia facti. Hinc tempore Divi Thomæ sua opinio non erat certa, sed solùm probabilis; aliter Parisiensis fuisset cœcus, qui in tanta luce non vidisset veritatem. Quæst. 82. art. 4. ad 3. videtur dicere, quòd si species consecratæ miraculosè apparerent carneæ, quòd Sacerdos non teneretur sub peccato ad iterum consecrandum. Si quis oppositum strictiùs assereret, esset damnandus de errore? Sic etiam art. 9. ad 3. asserit, licitè potuisse fidelem audire Missam concubinarii occulti. Peto, an antiquitus oppositum potuerit probabiliter, sed strictiùs asseri?

36. In quæst. 83. art. 3. ad 3. scribit: Unde & quidam *probabiliter dicunt*, quòd per ingressum Ecclesiæ consecratæ homo consequitur remissionem peccatorum venialium...... & ideò propter virtutem, quæ ex consecratione Ecclesiæ acquiritur, consecratio Ecclesiæ non iteratur. Art. 6. ad 3. dicit, quòd si Sacerdos cognoscit, in Calice consecrato adesse venenum, non debet sumere illum sanguinem, *sed aliud vinum consecrare*. In 4. dist. 11. in explicat. litt. fin. dicit, quòd si Sacerdos post consecrationem Calicis advertat loco vini positam fuisse aquam, *debet incipere consecrationem vini alio vino superinfuso..... vel etiam à capite incohoare super alia Hostia, Hostia prius consecrata posita seorsum, ut Innocent. dicit.* Hic nota Sanctum Doctorem in Libr. Sententiarum utramque opinionem probabiliter docere, in Summa verò unicam, non quidem tanquam certam, sed solùm ut probabilem. In eodem Articulo ad 4. dicit in casu dicto, si defectus vini cognoscatur sumpto jam corpore, tunc utramque materiam esse consecrandam. Oppositum sequitur Scotus in 4. dist. 8. quæst. 3. §. *dico quòd.* & §. *alio modo.* & alii Doctores apud Quartum in rubr. Miss. part. 3. tit. 3. sect. 2. dub. 2

dub. 2. & huic opinioni apertè favet cap. 1. & 2. *de Sacram. non iter.* in quibus traditur regula universalis, in *talibus casibus nihil esse iterandum*, *sed cautè* supplendum, quod incautè fuerat prætermissum. Scio has duas opiniones non esse in materia benigna, cùm in utraque sit periculum; adhuc tamen ex hoc sequitur, quòd *Probabilitas* ex sui natura pertinet ad lineam veritatis. In eodem art. ad 5. dicit: quòd si Sacerdoti *probabiliter constet*, se aliqua omisisse in Missa; siquidem non sunt de necessitate Sacramenti, non debet reassumere immutando ordinem sacrificii. Alii forsan strictiùs obligabunt ad reassumptionem.

37. In quæst. 84. art. 3. asserit, formam Sacramenti pœnitentiæ esse hæc verba: *Ego te absolvo.* Alii probabiliter, & striĉtiùs volunt addendum esse illud verbum *à peccatis.*

38. In quæst. 2. *de malo.* art. 8. ad 3. scribit: dico, quòd multoties inebriari non est circumstantia constituens speciem peccati; & ideo, sicut semel inebriari est peccatum veniale, ita & multoties inebriari, per se loquendo; per accidens autem, & dispositivè multoties inebriari potest esse peccatum mortale; putà si ex consuetudine in tantam complacentiam ebrietatis perduceretur, quòd *etiam divino præcepto contempto inebriari proponeret.* Mihi dubium non est, *esse valdè probabile*, licèt rigidum, quod absque contemptu peccetur mortaliter, dum quis se inebriaret. Hic recole, quid sit peccare ex contemptu per Divum Thomam, quod explicat, ut supra retuli.

39. In quæst. 13. *de malo.* art. 4. ad 13. concedit, mutuantem posse sperare aliquod munus à mutuatario, *non quasi debitum*, *sed quasi gratuitum*; Forsan aliquis paulò nimis scrupulosus interpretabitur illud Evangelii, *Date mutuum nihil inde sperantes* adeo rigidè, ut nequeamus in illo tempore, quo damus mutuum, habere aliquam spem de lucro. Et quidem Astens. lib. 3. tit. 11. art. 5. quæst. 1. dicit, secundum *communem* opinionem, & veriorem esse usuram, si quis mutuet tali animo, quòd non mutuaret, nisi speraret lucrum. Sic etiam ad 19. ejusdem articuli scribit: si latro aliquem jugulare vellet, & ad vitandum mortis periculum aliquis latroni thesaurum suum diripiendum detegeret, *non peccaret.* Scrupulosus pariter, & rigidus dicerent, *hunc peccare* tanquam suadentem ad furtum, ad quod faciendum ille latro non erat paratus, quantùm apparet ex casu allato à Divo Thoma.

40. In quæst. 14. *de veritate.* art. 9. asserit ea, quæ sunt scita, non posse credi; Hinc sequitur, quòd Philosophus, qui demonstrativè cognoscit *Deum existere*, *Deum esse unum &c.* nequeat credere *Deum existere*, *Deum esse unum &c.* & sic expressè dicit: *Impossibile est*, *quòd sint ab eodem scita*, *& credita*; ergo si Philosophus accedat ad fidem, non erit necesse, quòd credat Deum esse; immò impossibile erit, quòd credat. Ad summum necesse erit, quòd *sciat*, *& sciet Deum esse.* Nemo tamen negabit, oppositum striĉtiùs sustineri posse, cùm Apostolus dicat universaliter: Accedentem ad Deum oportet credere, *quia est*, & inquirentibus se remunerator sit. Hæbr cap. 11. Ecce, qui accedit, debet credere, *quia Deus est.* Ergo qui demonstrat Deum esse, si tamen Deo accedat, debet credere, *quia Deus est.*

41. In quodl. 1. art. 11. docet, quòd peccator differat Confessionem usque ad Quadragesimam, *per se loquendo licitum est*; sed per accidens potest fieri illicitum, putà, si immineat aliquis articulus, in quo confessio requiratur. Art. 13. dicit, quòd si aliquis sit præbendatus in duplici Ecclesia, *ipsi sufficiat dicere unicum officium.* Posset forsan probabiliter sustineri, quòd obligetur ad plura; maximè si utraque præbenda satis sit ad congruam sustentationem; si enim habet fructus duorum Beneficiorum, cur non debet subire onus duorum Beneficiorum?

42. In quodl. 2. art. 9. docet, homi-

nes in locis, in quibus non est consuetudo dandi decimam, non peccare illam non dando, si Ecclesia non petat. Canonistæ, qui docent decimas deberi de jure Divino, docebunt hunc peccare, quia quilibet tenetur servare legem Divinam, nec consuetudo huic prajudicare potest. Vide Asten. lib. 6. titul. de decimis.

43. In quodl. 3. art. 28. dicit, quòd Confessor potest satisfactionem imponere pœnitenti, vel ex proprio arbitrio, vel *ex consilio alieno*; nec debet onerare pœnitentem gravi pondere satisfactionis, quia sicut parvus ignis à multis lignis superimpositis facilè extinguitur, ita posset contingere, *quòd parvus affectus contritionis in pœnitente nuper excitatus propter grave onus satisfactionis extingueretur peccatore totaliter desperante:* credo Probabilioristas nostros tenere oppositum rigidius, probabile tamen.

44. In quodl. 4. art. 14. concedit nos posse communicare cum illis excommunicatis, de quibus Sententiæ Doctorum sunt variæ, ante tamen sententiam concordem judicum. Probabilioristæ qui dicunt in diversitate opinionum rem esse dubiam, & in dubiis, tutiorem partem esse tenendam, dicent in hoc casu non esse communicandum cum talibus. Sed tu absque scrupulo sequere opinionem benignam Divi Thomæ, & utere hoc textu ad probandum clarè, nos posse sequi utramque partem æqualiter, vel inequaliter probabilem, quia tunc adsunt variæ sententiæ Doctorum, & supponimus, Judicem non decidisse litem.

45. In quodl. 6. art. 12. ad 1. asserit, quòd si necessitas hoc requirit, debet quis præbere alteram maxillam percutienti, & si non faciat, peccat mortaliter; & eadem ratio est de hoc præcepto: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & de omnibus similibus.* Unde non semper peccat mortaliter, quotiescunque non dat pauperi, *qui superfluum habet, sed quando necessitas imminet.* Quando autem sit talis necessitas, quòd obliget ad peccatum mortale, *non potest ratione determinari, sed committitur prudentiæ, & fidei dispensantis.* Hic textus clarissimè innuit, nos non teneri ad dandum superfluum in eleemosynas in qualibet necessitate, sed solùm *cum necessitas imminet, quæ necessitas committitur prudentiæ.* Ergo *in necessitate communi* non tenemur ad eleemosynas, quia hæc semper imminet, nec ad hanc determinandam *prudentia* requiritur, cùm per se pateat, & oculis videatur. Huic doctrinæ favet etiam quodl 8. art. 12. porrò plures Doctores *probabiliter* oppositum strictiùs tuentur.

46. In resp. ad 3. ejusdem articuli hæc scribit: *In secundis verò bonis* (idest quæ principaliter sunt attributa usibus ministrorum Ecclesiæ, sicut sunt præbendæ Clericorum, & alia hujusmodi) *non committitur peccatum*, nisi per abusum, *sicut & de bonis patrimonialibus dictum est. Unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solùm ad pœnitentiam peragendam.* Igitur si Episcopus dabit Parasitis, Histrionibus, consanguineis &c. bona provenientia *ex præbenda Episcopali, non committet peccatum*, nisi per abusum, sicut de bonis patrimonialibus; *Unde non tenebitur ad restitutionem.* Si hæc probabilis benignitas Divi Thomæ poterat cavillari in textu desumpto ex ejus Summa, certè huic textui nulla tergiversatio affingi potest.

47. In quodl. 10. art. 10. sustinet Religiosum non teneri ad obediendum Prælato in indifferentibus, contra opinionem strictiorem ibidem à sancto Doctore relatam. In quodlib. 11. art. 8. explicat, solùm illorum Sacerdotum fornicantium nos non debere audire Missam, *qui per judicium, & sententiam Ecclesiæ vocantur publici.* Mira Doctoris Angelici benignitas, & pro illis temporibus solùm probabilis. In Articulo 9. sustinet participantes cum excommunicato in cibo, in verbo, & in his, quæ sunt simpliciter humanæ conversationis non peccare mortaliter, sed venialiter. Quàm multi omninò probabiliter tenent oppositum rigidiùs! Articulo 10. scribit: Notandum est, quòd impossibilitas carnalis copulæ ex aliquo impedimento proveniens

niens potest dupliciter considerari, quia vel illud impedimentum est superveniens *matrimonio jam consumato*, vel præcedens. Si est superveniens, tunc matrimonium jam consumatus nunquam solvitur. *Si verò impedimentum præcedat*, tunc matrimonium *nondum consumatum* solvitur. Per Divum ergo Thomam impedimentum reddens impotentem carnalem copulam perpetuò si præcedat matrimonium consumatum solvit matrimonium.

48. Crediderim pro certo olim, matrimonium ratum non solvi, nisi per Professionem Religiosam, ut est de Fide, & per dispensationem Papæ, ut probabiliter plures Doctores docent; Unde non dubitabam, esse gravem errorem Gratiani, & Glossæ opinionem positam 33. q. 1. §. 1. in qua dicitur, antequàm *confirmetur carnis officio, impossibilitas officii solvit vinculum conjugii*. Nunc verò cum illam hìc clarè doceat Angelicus Doctor, probabilem illam judico, & simul valdè benignam judicabunt omnes.

49. In quodlib. 12. art. 34. dicit: Suspicio est quod imperfectum in genere judicii, & ideò est imperfectus motus; *& ideò non est mortale ex genere*, quamvis si fiat odio, erit aliquando mortale. Hic quæro, An suspicio de incestu, quam habeo de Sanctissimo aliàs Episcopo, sit in genere suspicionis, & nemo negabit. Quæro insuper, an per Divum Thomam debeat esse solùm peccatum veniale, & certè omnes affirmabunt; & tunc ego dicam, hanc opinionem esse valdè benignam, & procul dubio oppositum posse probabiliter sustineri.

CAPUT XV.

Circumstantia notabiliter aggravans per Divum Thomam non est de necessitate confitenda.

1 Potuissem plures alias opiniones benignas referre Divi Thomæ, alios ejusdem Libros evolvendo, & allegatos accuratiùs perpendendo, sed nec tempus vacat, nec est necessarium. Allatæ evidenter probant illud, quod promiseram cap. 13. num. 2.

Sed unam adhuc opinionem, benignam prorsus, referam, & refero extra ordinem, & ultimo loco, ut faciliùs inveniri possit, & nunquam oblivioni mandari. Est autem in materia de circunstantiis aggravantibus, quas non esse subdendas Confessioni ex necessitate præcepti asseruit Divus Thomas, præcipuè in 4. distin. 16. quæst. 3. art. 2. quæstiun. 5. Hæc opinio adeo visa est benigna, & adeo intra limites Probabilitatis, ut Soto in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. dixerit, mirum non esse, si Doctor Angelicus illam docuerit; hoc enim fecit in Libris Sententiarum, quos juvenis composuit. Cano verò, & alii Thomistæ apud Gonettum de pœnit. disput. 10. art. 3. §. 2. num. 57. dicunt; Divum Thomam non loquutum fuisse ex propria mente, sed merè retulisse opiniones sui temporis de illa materia.

2. Ipse Gonettus perpendens non posse negari, opinionem benignam esse Angelici Præceptoris, asserit, esse intelligendum de quibusdam circunstantiis non valdè notabiliter aggravantibus, v. g. de circunstantia, quòd committens peccatum sit *Episcopus*, vel *Generalis Ordinis*, quòd peccatum sit factum *in die festo* &c. non autem esse intelligendum de circunstantiis notabiliter aggravantibus intra eandem speciem v. g. *furari mille aurea* est valdè gravius, quàm furari unum aureum. Hic obiter adverte, *antiquitùs* circunstantiam peccandi *in die festo* fuisse apud plures Doctores creditam circunstantiam tanti ponderis, ut mutaret speciem peccati, putantes, quòd peccatum specialiter prohiberetur à die festo.

3. Sed videamus mentem claram Divi Thomæ. Igitur quæst. 15. de verit. art. 4. dicit, non esse dubium, quòd delectatio morosa sit peccatum mortale, si dicatur morosa *à mora temporis*; *certum est enim, quòd prolixitas temporis*

non potest dare rationem peccati mortalis, nisi aliud interveniat, cum non sit circunstantia in infinitum aggravans. Hoc *videtur dubium, utrum delectatio morosa ex consensu rationis superveniente peccatum mortale sit.* Resolvit postea dubium his verbis: *Simpliciter concedimus, consensum in delectionem fornicationis, vel alterius mortalis, peccatum esse mortale.* Si ergo juxta Divum Thomam delectatio morosa *non est peccatum à mora temporis*, sed ratione consensùs, sequitur evidenter, per Divum Thomam sufficere dicere in Confessione, *semel delectatus sum de fornicatione. Ter delectatus sum de vindicta, &c.* Nec erit necesse subdere, & hæc delectatio duravit per horam, per tres horas &c. Ratio est, *quia mora temporis non dat rationem peccati, nisi aliud interveniat;* hoc autem *aliud*, quod intervenit in delectatione morosa, & dat rationem peccati per Divum Thomam, est *consensus in delectationem; ex quo sequitur*, ait Divus Thomas, *quòd quicquid agit ex consensu talis delectationis, ut hujusmodi delectationem nutriat........ totum est peccatum mortale.* Si ergo in delectatione morosa *solus consensus dat rationem peccati*, si quis fateatur consensum delectationis, & numerum consensùs, totam rationem peccati hic fassus erit; & sic non erit necesse fateri durationem delectationis morosæ. Eandem doctrinam, quòd prolixitas, & diuturnitas temporis non faciat delectationem morosam esse peccatum mortale, sed consensus, tradit 1.2. quæst. 88. art. 5.

Meo judicio nequit negari, quòd diuturnitas temporis in delectatione morosa notabiliter augeat peccatum intra eandem speciem; longè enim gravius est delectari voluntariè de fornicatione per horam, quàm per tria momenta, & credo, quòd prima delectatio excedat secundam, sicut furtum mille aureorum excedit furtum unius aurei.

4. Si diuturnitas temporis ratione sui non dat rationem peccati, sed alterius, scilicet ratione consensùs; ita accipere multum non dat rationem peccati ratione sui, sed ratione alterius, quia scilicet *est alienum.* Ita Divus Thomas 1.2 quæst. 18. art. 11. & in 4. distin. 16. quæst. 3. art. 2 quæstiun. 3. & alibi sæpe. Unde tota ratio peccati in furto mille aureorum est, quia illa sunt *aliena:* nam accipere parum, vel multum ex se deformitatem aliquando non importat, *nisi ex suppositione primi*, ait Divus Thomas eadem quæstiun. Ego infero, ergo, si dicam, *semel acceperem alienam*, confessus sum totam rationem peccati; nec est necesse subdere, hæc res erat *mille aurea*, quia hæc circumstantia *ex se deformitatem non habet*, nisi *ex suppositione primi.* Hoc autem primum est ly *Aliena*, quod jam confessus sum.

5. In illo articulo secundo allato ex 4. Senten. quærit, *an circunstantiæ aggravent peccatum*, & quinque quæstiunculis illum absolvit. In prima decidit circunstantiam *aggravare peccatum*, & subdit ad primum, *non oportere, quòd peccatum addetur peccato ad hoc, quòd fiat magis peccatum*, quia in illis, in quibus est augmentum per intensionem, non oportet fieri additionem similis in specie, *sicut non oportet, quòd albedo albedini addatur ad hoc, quòd fiat magis album.* In secunda decidit, circunstantiam finis magis aggravare peccatum, quàm aliæ circunstantiæ. In tertia quærit, an circunstantia possit trahere in aliam speciem peccati, & dicit, aliquando circunstantiam mutare speciem, aliquando non mutare, aliquando aggravare, aliquando non aggravere, & aliquando diminuere. Postea de omnibus dat exemplum. Si quis furetur manu dextera, vel sinistra, aut de mane, aut de sero, hæc circunstantia nec aggravat, nec diminuit. *Si furetur multum, aggravat, sed non mutat peccatum.* Si furetur rem sacram, mutat speciem peccati. Si furetur coactus, hæc circunstantia minuit peccatum. In quarta quæstiuncula quærit; an circunstantia aggravet in infinitum, & dicit, quòd circunstantia, quæ mutat speciem, potest aggravare in infinitum, quando nempè illa circunstantia directè opponitur

tur legi; quando verò directè non opnitur legi, non aggravat in infinitum, sive addatur peccato veniali, sive mortali. De hoc nulla est difficultas, ut de se patet.

Dicit etiam, quòd circunstantia, quando aggravat, & speciem non mutat, adhuc manet in ratione circunstantiæ, & non potest in infinitum quantitatem peccati augere, ut ex veniali fiat mortale, quia circunstantia taliter aggravans ex suppositione præcedentis deformitatis habet rationem majoris deformitatis ex ejus virtute. *Unde, si etiam illa sit infinita, non potest infinitam gravitatem addere.* Tandem ait, quia circunstantia, quæ speciem mutat, *non est jam ut circunstantia computanda; ideo dicitur à Magistris, quòd circunstantia non aggravat in infinitum.*

6. Ex doctrina hujus quæstiunculæ desumo duplex argumentum ad probandum evidenter, quòd per Divum Thomam circunstantia aggravans notabiliter intra eandem speciem, v. g. *furari multum*, non sit de necessitate confitenda. Primum sit. Circunstantia remanens circunstantia non aggravat in infinitum, ut dicit Divus Thomas *cum Magistris*; sed furari multum est circunstantia remanens in ratione circunstantiæ, quia circunstantia, *quæ speciem non mutat, remanet circunstantia*; ergo furari multum non aggravat in infinitum. Quod autem non aggravat in infinitum, non est de necessitate fatendum ex Divo Thoma. Secundum argumentum. Circunstantia, quæ non mutat, sed aggravat ex suppositione præcedentis, *habet majorem deformitatem ex ejus virtute*; idest ex virtute illius præcedentis; ergo si præcedens est finitum, non dabit infinitatem; nec etiam, si deformitas præcedens erit infinita, circunstantia aggravans aggravabit in infinitum; hæc secunda pars patet ex illis verbis Divi Thomæ, *Unde, si etiam illa sit infinita, non potest infinitam deformitatem addere.* Quòd verò *furari multum* habeat deformitatem ex virtute præcedentis, patet ex Tex. 1. 2. quæst. 18. art. 11. & allatæ quæstiun. 3. & alibi.

7. Nunc afferamus Doctrinam, quam habet in quæstiuncula quinta. Ad quintam quæstionem dicendum, quòd omnes circunstantiæ confiteri est impossibile, quasdam autem confiteri est necessitatis; *sed in hoc est differentia opinionis.* Quidam enim dicunt, quòd omnes circunstantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessitatis est, si memoriæ occurrant. Alii verò dicunt, quòd non sint de necessitate confitendæ, nisi circunstantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt, & hoc probabilius est; sed addendum est, quæ ad aliam speciem mortalis trahunt; cujus ratio est, quòd venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solùm mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodò habent; & quia circunstantiæ aggravantes, quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate confessionis, tamen eadem confiteri perfectionis est, sicut & de venialibus dictum est.

8. Hic textus est adeo mihi clarus, ut nulla possit tergiversatione eludi. Suppono primò, quòd in hoc articulo Divus Thomas agit de omnibus circunstantiis, de quibus potest esse difficultas in ordine ad confessionem. Hoc patet ex titulo universali Articuli; patet etiam, quia loquitur de omnibus circunstantiis in quæstiun. 3. etiam *de furante multùm.* Suppono secundo, quòd in quæstiuncula quinta loquitur etiam de circunstantiis aliquam notabilem quantitatem peccati tribuentibus, non tamen mutantibus speciem.

9. Suppono tertiò, quòd loquitur de illis circunstantiis, de quibus est differentia opinionis, an sint confitendæ. Porrò Antiqui dividebant circunstantias in triplex genus *circumstantiæ*, inquit Seraphicus in 4 distinct. 17. par. 3. art. 2. quæst. 3. *quæ attingunt peccatum, quædam sunt allevìantes, quædam in aliud genus trahentes, quædam aggravantes. Circumstantias in aliud genus trahentes* con-

confiteri est necessarium, alleviantes confiteri non est bonum, *nisi &c.* de aggravantibus, *si genus peccati non est mutatum, est inter Doctores opinio diversa.* Eodem modo loquuntur Richard. in 4. distinct. 17. art. 3. quæst. 5. Albertus dist. 16. art 24. Palud. quæst. 3 art. 3. Durand. quæst.4. Capreol. dist.18. art.3. Brulifer. dist. 17. quæst. 20. Argentinas dist.16. quæst.1. art.2. Albericus. V.*Confessio.* 2. Divus Antoninus par. 3. tit. 17. c.17.§.5. Joann. de Friburgo lib.3 tit.33. quæst. 8. Supplementum. V. *Confessio.* 2. quæst. 5. Hi ergo Doctores dicunt, has circunstantias non esse de necessitate confitendas; & subdunt, hanc opinionem esse communem; & Albertus ait, hanc opinionem esse *secundùm antiquos Doctores.* D. Antoninus loquitur etiam expressè de furante multùm, ita etiam Argentinas, & subdit ita sentire *Doctores communes*, nempè Doctores, quorum opiniones communiter bonæ reputabantur.

10. Oppositum sustinent Alen. par. 4. quæst. 18, membr.4. art. 3. §. 2, Altisiod. in 4. tract. 6. c. 3. q. 3. Baccon. dist. 16. quæst. 1. art 2. Aureolus dist 17. art. 2. Raymund. lib. 3. de pœnitent. & remiss. §. 25. & ejus Gloss. V. *Circunstantias.*

11. Scotus dist. 17. art. 2. litt. F. ait, circunstantias, quæ speciali prohibitione prohibentur, v. g *Incestum*, & quæ multiplicant numerum peccatorum, esse de necessitate confitendas. Multæ autem sunt circunstantiæ, ex quibus peccatum est aliquo modo gravius, vel ex parte objecti, vel ex parte personæ peccantis, de quibus non est ita certum, quòd oporteat illas confiteri, tamen tutum, & utile est hoc fieri.

12. Assero primò, communem sententiam sustinentem, non esse confitendas circunstantias aggravantes, intelligendam esse etiam de aggravantibus notabiliter, v. g. *de furto centum marcharum:* ratio est clara, quia expressè dicit, esse confitendas circunstantias mutantes speciem, de quibus non est controversia magna, & expressè negat, esse de necessitate confitendas circunstantias aggravantes. Si circunstantiæ notabiliter aggravantes non includuntur in conclusione negativa, sequitur Antiquos non tractasse materiam, de qua difficultas erat major. Major erat difficultas, an esset confitendum, v.g. *furtum centum marcharum*, quàm dicere: *Ego Episcopus furatus sum.* Si ergo opinio communis, quòd *circunstantiæ aggravantes* non sunt necessariò confitendæ, debet intelligi de circunstantiis notabiliter non aggravantibus, sequitur, quòd hæc opinio non tractat de circunstantiis notabiliter aggravantibus; Et sic quòd agitat de eo, quod multùm non proderat agere, & de re necessaria, & valdè ambigua, non agebat. Tum quia magnus Albertus dicit: *Non oportet circunstantias confiteri, nisi quæ trahunt in aliud genus peccati; tamen securum est alias dicere.* Tum quia Argentinas, & Divus Antoninus explicantes opinionem communem negativam, & de ipsa dantes exemplum afferunt de *Furante multum.*

13. Assero secundò, Divum Thomam specialiter intelligendum esse de circunstantiis notabiliter aggravantibus, nam in quæstiuncula tertia expressè loquitur de *furante multum*, & tradit omnes differentias circunstantiarum, & earum definitiones; ergo debet sanctus Doctor ex hac opinione *quid sit, & quotuplex sit circunstantia*, juxta methodum Aristotelis, & Doctorum, progredi ad quæstionem, *qualis sit.* Ergo in duabus quæstiunculis subsequentibus, debet loqui de his circunstantiis. Ergo, quando in his determinat has qualitates de circunstantiis, quòd scilicet *aliæ sint sub præcepto confitendæ*, aliæ verò *non sint sub præcepto confitendæ*, una ex his qualitatibus debet verificari de circunstantia aggravante notabiliter, & non mutante speciem: sed de hac nequit verificari illa qualitas, quòd sit *confitenda sub præcepto*; quia Sanctus Doctor expressè se restringit, ad illam circunstantiam, quæ *ad aliud peccati genus trahit*, ut vult communis opinio; Ergo debet verificari illa alia, quòd non sit de necessitate confitenda. Tum quia in quæstiuncula quinta expressè dicit, probabilius esse,

in-

circumstantias, quæ aliquam quantitatem notabilem peccato addunt, *non esse de necessitate confitendas.* Ergo Sanctus Doctor expresse loquitur de circumstantia dante notabilem quantitatem peccato; nec illa vox, *Aliquam*, addita illis, *quantitatem notabilem*, distrahit, aut diminuit illam vocem, *Notabilem*, quasi quod significet parvam quantitatem; esset enim hic modus loquendi improprius, obscurus, nec dignus Doctore Angelico.

14. Tandem nota illa verba, *& quia circumstantiæ aggravantes*, quæ aliam speciem peccati non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, *non sunt de necessitate confitendæ*, & fac argumentum in forma, & huic doctrinæ addas hanc: sed circumstantiæ notabiliter aggravantes sunt *aggravantes, quæ aliam speciem peccati non tribuunt*; ergo circumstantiæ notabiliter aggravantes, de quibus loquimur, non sunt de necessitate confitendæ. Argumentum est in forma, major est doctrina formalis Divi Thomæ, minor est evidens; ergo consequentia nequit negari.

15. Nunc volumus, evidenter diluere argumenta Gonetti. Probat primò ex Trident. Sess. 14. cap. 5. asserente talem requiri confessionem, ex qua Sacerdos rectè de criminum gravitate judicare possit; constat autem furtum v. g. *mille aureorum* mereri graviorem pœnitentiam, quàm furtum unius aurei.

16. Confirmatur, quia furtum mille aureorum vel habet plures malitias, vel est virtualiter multiplex, quia æquivalet mille furtis unius aurei. Sic etiam odium per integrum diem, vel annum durans æquivalet pluribus actibus odii.

17. Respondetur ad argumentum, hanc esse antiquam objectionem, excepta authoritate Tridentini, quam Doctores allati pro nostra conclusione afferunt, & solvunt, & omnes dicunt, illam confessionem requiri, ex qua detur judicium rectum quoad speciem peccati, non verò quoad circumstantias, & hanc solutionem approbat ipse Divus Thomas; unde mirum est, quomodo Thomista potuerit fidere huic argumento, quod fuit solutum ab Angelico Præceptore. Audi formalia ejus verba. Sibi opponit illa quæstiuncula 5. secundo loco: *Pœnitens debet peccatum suum Sacerdoti confiteri, ut ab eo modum satisfactionis accipiat*; sed pro graviori peccato major injungitur satisfactio; *ergo debet Sacerdoti circumstantias notificare, quibus qualitas peccati consideratur.* Si mens mea non me decipit, est idem argumentum cum illo Gonetti. Nunc legamus responsionem Angelici: *Ad secundum dicendum, quod determinata quantitas peccati non potest Sacerdoti innotescere, quia nec ipse peccator scit; unde sufficit, quod cognoscat quantitatem, quæ ex specie peccati consurgit.* Igitur Doctor Angelicus clarè, & expressè fatetur, sufficere, ut Sacerdos in confessione cognoscat illam gravitatem, *quæ ex specie peccati consurgit.* Ergo evidenter sequitur, quod circunstantia, quæ non dat speciem peccati, non est cognoscenda de necessitate in confessione. Imposterum Thomistæ hoc argumento non utentur.

18. Ad confirmationem dico, quòd in sententia Divi Thomæ non datur in eodem actu duplex numero accidens; ergo eadem numero actio furtiva nequit habere duplicem malitiam numero. Si odium per integrum diem *æquivalet pluribus actibus odii*; ergo circunstantia temporis aggravat in infinitum, sicut multitudo actuum odii importat multiplicem aggravationem in infinitum, & propter hoc est confitenda. Divus autem Thomas expressè fatetur, quòd circunstantia temporis non aggravat in infinitum, & per hoc est certum, delectationem morosam non esse peccatum mortale ratione temporis, sed ratione consensùs. Instituo ergo argumentum. Per Divum Thomam relatum num. 3. in delectatione morosa mora temporis non dat aggravationem in infinitum; ergo in actu odii mora temporis non dat aggravationem in infinitum; & sic actus odii multū durans non æquivalet pluribus actibus odii. Tum quia ex D. Th. est certum,

tum, quòd delectatio morosa non est peccatum mortale ratione temporis, sed ratione consensùs; ergo delectatio in odio non est peccatum mortale ratione temporis, sed ratione consensùs; ergo confesso consensu tota ratio malitiæ fatsa est Sacerdoti; & sic nihil aliud est dicendum.

19. Præterea accipere mille aurea alterius duas rationes importat, acceptionem *mille aureorum*, & quòd sint *alterius*. Prima ratio ex se non importat malitiam ex Divo Thoma, sed *ex suppositione primi*, quod *primum* est, quia sunt *alterius*. Ergo ex Divo Thoma furari mille aurea non æquivalet quoad malitiam mille furtis unius aurei; probatur consequentia, quia una infinita malitia non æquivalet mille infinitis malitiis. Æquivalet quidem in ratione physica furtum mille aureorum mille furtis unius aurei, non tamen in ratione malitiæ; quia plus sunt mille infinitæ malitiæ, quàm una infinita malitia.

20. Ulteriùs Divus Thomas in eadem quæstiun. 5. ait, quod *semper* in peccatis carnalibus sunt confitendæ circunstantiæ, quæ in aliam speciem peccati carnalis trahunt; si autem circunstantiæ non aggravant in infinitum *novam speciem peccati mortalis conferendo*, *quandoque laudabiliter reticentur*. Pono casum. Titius habet rem cum fœmina uxorata, & in complemento hujus copulæ consumat unam horam, mille amplexus, oscula, tactus, aspectus, verba, & hujusmodi perpetrando. Certum est ex Divo Thoma, quòd circunstantia mulieris uxoratæ *semper est confitenda*; unde, si proprius Sacerdos esset pronus ad lasciviam, debet ipsum relinquere, & alteri confiteri; ut dicit Doctor Angelicus. Nunc inquiro, an cæteræ circunstantiæ laudabiliter taceantur, saltem *quandoque*. Et respondetur affirmativè; *quandoque laudabiliter reticentur*, inquit Divus Thomas, nam istæ circunstantiæ *novam speciem peccati mortalis non conferunt*. Porrò magis istæ circunstantiæ aggravant Adulterium, quàm *mille aurea* Furtum, & dies odium; ergo si illæ circunstantiæ possunt reticeri ex Divo Thoma, etiam hæ poterunt. Antecedens probatur. Accipere mille aurea ex se non est peccatum mortale, sed ratione alterius, ratione nempè constituente speciem, quia scilicet *est res aliena* ex Divo Thoma. Odio habere per diem non est peccatum mortale ex Divo Thoma ratione temporis, sed ratione alterius, nempè consensùs, qui constituit speciem. E' contra aspicere lascivè, osculari, amplecti, & similia sunt peccata mortalia ex seipsis; unde, si quis ista perageret cum expressa voluntate non adulterandi, adhuc essent peccata mortalia. Igitur concludendum est ex Divo Thoma, si quis per diem absque interruptione odio haberet, delectaretur de fornicatione, semel haberet copulam cum Fœmina, sufficeret dicere, semel odio habui, semel morosè delectatus sum de fornicatione, semel fornicatus sum. Quin addo, si Confessor, vel Pœnitens sunt proni ad lasciviam, laudabiliter sic confitetur ille fornicarius, illos amplexus, oscula, aspectus &c. reticendo.

21. Instat Gonettus num. 49. quòd circunstantia notabiliter aggravans v. g. *furtum mille aureorum* majorem malitiam dicit, quàm furtum simpliciter, & num. 50. dicit, quòd circunstantia mutans speciem est confitenda, non quia mutet speciem, sed quia dat novam malitiam; ergo, cum circunstantia dat novam notabilem malitiam, est necessariò confitenda.

22. Respondetur ad primum ex Divo Thoma quæstiun. 4. quòd circunstantia, quæ taliter aggravat ex suppositione præcedentis deformitatis, habet rationem majoris deformitatis ex ejus virtute; *Unde si etiam illa sit infinita, non potest infinitam deformitatem addere*. Igitur per Divum Thomam circunstantia *taliter aggravans*, idest aggravans, & non mutans speciem, licèt sit in deformitate infinita, *non potest infinitam deformitatem addere*. Tum quia aggravans in virtute

virtute præcedentis habet majorem deformitatem *ex ejus virtute*, idest virtute præcedentis, sed furtum mille aureorum ex Divo Thoma aggravat in virtute præcedentis; quia scilicet est res aliena; ergo malitia, quæ habetur in furto mille aureorum, est major, quæ habetur, quia res est aliena, quàm illa, quæ habetur, quia aurea sint mille. Tum quia in illa quæstiun. 4. quærit, an circunstantia aggravet in infinitum, & dicit circunstantiam mutantem speciem posse aggravare in infinitum, aggravantem verò, & non mutantem speciem non aggravare in infinitum. Si circunstantia notabiliter aggravans in eodem genere daret vel æqualem, vel majorem gravitatem, quàm sit gravitas desumpta à specie peccati, tunc daretur circunstantia non mutans speciem peccati, & gravans in infinitum; & sic Divus Thomas non resolvisset quæstionem adequatè, in qua quærebat, *an circunstantia aggravet in infinitum.*

23. Ex hac doctrina patet responsio ad secundum, & dicimus juxta Divum Thomam circunstantiam mutantem speciem esse confitendam, quia dat novam malitiam, *novitate infinita*; cum ergo circunstantia notabiliter aggravans non aggravet in infinitum, quia circunstantia remanens circunstantia *juxta Magistros* per Divum Thomam *non aggravat in infinitum*, non est de necessitate confitenda, licèt notabiliter aggravet, quia hæc notabilis aggravatio non est infinita. Vide Palud. & Antoninum locis allatis expressè approbantes hanc responsionem.

24. Urgebis ex eodem num. 48. Ecclesia reservat peccata ob has circunstantias aggravantes; ergo istæ circunstantiæ sunt peccata mortalia; & sic sunt confitendæ; quia venialia nec etiam per Ecclesiam possunt subjici præcepto.

Sed contra retorqueo argumentum. Ecclesia potest reservare fornicationem Episcopi, Generalis, nihil decernendo de aliis Religiosis. Sic etiam pro Religiosis reservantur quædam peccata, quæ non reservantur pro Sæcularibus; & tamen etiam per Gonettum circunstantia Episcopi, & Generalis non est peccatum mortale. Insuper est certum per omnes, quòd peccatum Religiosi, qua Religiosi, & non differt specie; probabilissimum est, quòd hæc circunstantia non sit necessariò confitenda jure divino: ergo non est peccatum mortale; & tamen hæc circunstantia est causa reservationis; ergo potest reservari peccatum mortale ob aliquam circunstantiam, quæ ratione sui non sit peccatum mortale, sed veniale. Sic etiam nulli dubium esse potest, quòd Episcopus possit reservare peccatum carnis sub illis circunstantiis, quæ per Divum Thomam aliquando laudabiliter reticentur; ergo reservatio casuum infert quidem peccatum mortale, non tamen ob illas circunstantias, propter quas fit reservatio.

25. Denique ipse Gonettus arguit contra hanc opinionem benignam, quia ex ipsa sequuntur quædam, quæ videntur absurda, quæ, quia habent speciales difficultates; ideo non sunt ad propositum, & sic transeo; quatenus autem prætendit glossare Divum Thomam, & dicere, quòd ipse intelligat de circunstantiis non notabiliter aggravantibus; hoc prorsus voluntariè, & absque ulla ratione limitat conclusionem universalem sancti Doctoris; quin apertè ipsi contrariatur, ut ex dictis est manifestum. Præterea omnes Antiqui explicant Divum Thomam pro nostra opinione; ergo hæc est ejus opinio; quia per Adversarios potiùs est sequenda opinio Antiquorum, quàm Modernorum. Certè ille textus, quo Divus Thomas ait, sufficere in Confessione, ut cognoscamus quantitatem peccati, *quæ ex specie consurgit*, non verò, quæ ex circunstantiis provenit, est adeo clarus, ut Thomistæ Moderni, qui severi videri volunt, nequeunt illum obscurare.

26. Nec argumentum, quo idem Doctor limitat conclusionem Divi Thomæ, est firmum. Argumentum est, nam Divus Thomas negat circunstantias esse confitendas, *quia venialia non sunt de necessitate Confessionis*, sed tantùm

tùm mortalia, quæ infinitam quantitatem habent. Porrò circunſtantiæ notabiliter aggravantes, etiam per Adverſarios, ait Gonettus, habent virtutem augendi in infinitum malitiam intra proprium genus; ideſt *talis ſunt natura, ut de ſe ſufficerent ad conſtituendum actum in ſpecie malitiæ mortalis.* Ergo juxta doctrinam Divi Thomæ illæ circunſtantiæ non ſunt confitendæ, quæ æquivalent venialibus; ſunt verò confitendæ, quæ infinitam quantitatem addunt.

27. Sed contra, quia, ut dicebam, ex Divo Thoma accipere multum non eſt peccatum, *niſi ex ſuppoſitione primi*, ideſt, ratione illius, quod conſtituit ſpeciem, & hæc ratio eſt *Alienitas*. Dicat Gonettus furtum mille aureorum quot rationes importat? utique ſolùm duas, nempè quòd ſint *aliena*, & quòd ſint *mille aurea*. Dicimus ergo, quòd in ſententia Divi Thomæ eſſe *Alienum* eſt ratio ſpecifica furti; quòd verò ſint *mille aurea* eſt circunſtantia. Subdimus, quòd ſi mille aurea ſumantur in ratione præciſa circunſtantiæ, ſcilicet ut præſcindunt à ratione ſpecifica, tunc non augent in infinitum quantitatem peccati per Divum Thomam, ut ex dictis patet; ſi verò *mille aurea* ſumantur cum ratione ſpecifica tunc augent in infinitum quantitatem peccati, ſed *ex ſuppoſitione primi*, ideſt ratione illius, quod conſtituit ſpeciem, & hæc ratio eſt *Alienitas*. Præterea, ut retuli num. 5 juxta Divum Thomam quæſtiun. 1. allata ad 1. expreſsè dicit, *non oportere, quòd peccatum addatur peccato* ad hoc, quòd fiat magis peccatum, *quia in illis, in quibus eſt augmentum per intenſionem, non oportet fieri additionem ſimilis in ſpecie; ſicut non oportet, quòd albedo albedini addatur, ad hoc ut fiat magis album.* Ergo evidenter patet, quòd ut furtum in ratione malitiæ intenſivè creſcat, non eſt neceſſe, quòd illa circunſtantia ſit peccatum.

28. Pro dilucidatione hujus doctrinæ audiamus Richardum, qui fuit valdè verſatus, & maximè promovit doctrinam Divi Thomæ. Ita ſcribit loco allato: Circunſtantiæ mutant aliquando ſpeciem, & tunc ſunt confitendæ; aliquando ita aggravant in eadem ſpecie, quòd actum reddunt mortalem, qui ſine illis mortalis non eſſet; idem enim actus illicitus poteſt fieri ex tanta intentione, & deliberatione, quòd eſt peccatum mortale, qui tamen ex ſurreptione factus mortale non eſſet, & talis circunſtantia confitenda eſt. Aliquando etiam non aggravant criminaliter, *ſed venialiter, quia ſine illis illa deordinatio mortale peccatum eſſet, nec per eas fieret peccatum mortale, ſi aliàs non eſſet.* Nunc addo; ſi furtum non eſſet mille aureorum, adhuc eſſet peccatum mortale illa deordinatio. Circunſtantia mille aureorum ſi reperiatur in actione, quæ aliàs non ſit peccatum mortale, non conſtituit peccatum; hinc ſi accipio mille aurea mea à Petro, hæc acceptio per hanc circunſtantiam non eſt peccatum mortale. Ergo circunſtantia mille aureorum in furto juxta diſcipulum Antiquum Divi Thomæ non auget criminaliter, *ſed venialiter*; & ſic non eſt de neceſſitate confitenda. Vide Divum Antoninum part. 3. tit. 14. c. 19. §. 7.

29. Nunc expendamus alios textus Divi Thomæ, quos habet pro hac materia. Igitur 1. 2. quæſt. 18. art. 10. dicit, quòd tollere alienum habet ſpeciem ex ratione alieni, ex hoc enim conſtituitur in ratione furti; & ſi conſideretur ſuper hoc ratio loci, & temporis, ſic habebit in ratione circunſtantiæ. Quæ circunſtantia ſi dicat ſpecialem ordinem ad rationem, tunc non conſideratur ut circunſtantia, ſed ut principalis conditio objecti repugnans rationi, v. g. tollere alienum *de loco ſacro*. Articulo 11. ſcribit: tollere aliquid in magna quantitate, vel parva non reſpicit ordinem rationis in bono, vel in malo, niſi præſuppoſita alia conditione, per quam actus habeat malitiam, vel bonitatem, puta hoc, quòd eſt eſſe alienum, quod repugnat rationi; unde tollere alienum in magna, vel parva quantitate non diverſificat ſpeciem actùs, tamen

tamen potest aggravare, vel minuere peccatum. Ex hoc textu evidenter patet contra Gonettum, quòd circumstantia notabiliter aggravans intra idem genus, v.g. *furari multum*, ex se non sufficeret ad constituendum actum in specie malitiæ mortalis, quia hæc circumstantia ex se non respicit ordinem rationis in bono, vel in malo, sed solùm *præsupposita alia conditione*, quæ alia conditio est *esse alienum.*

30. Eandem doctrinam habet Angelicus quæst. 73. art. 7. his verbis: *Tertio modo circumstantia aggravat peccatum ex eo, quòd auget deformitatem provenientem ex alia circumstantia, sicut accipere alienum constituit peccatum furti;* si autem addatur hæc circumstantia, ut multum accipiat de alieno, erit peccatum gravius, *quamvis accipere multum, vel parum de se non dicat rationem boni, vel mali.* Hic textus est adeo clarus, ut Gonettus nequeat illum effugere.

31. In quæst. 88. artic. 5. ad 1. dicit, iram non esse peccatum mortale, quia protelatur, sed quia consentit in malum grave, v. gr. homicidium, in furtum &c. talis ira ex subito motu sensualitatis est etiam peccatum veniale ex imperfectione actûs: *Si ira sit diuturna, redit ad naturam sui generis per consensum rationis.* Ecce, quòd Divus Thomas metitur peccatum mortale iræ ex præcisa ratione consensûs in malum grave, non verò, quòd ira multum duret; ergo si quis habeat unicum actum iræ durantem sine interruptione per diem, per Divum Thomam non est necesse dicere in confessione; quia hæc ratio non constituit peccatum mortale.

32. In 2. 2. quæst. 110. art 4. ad 5. scribit: quidam dicunt, quòd perfectis viris omne mendacium est peccatum mortale. Sed hoc irrationabiliter dicitur; *Nulla enim circumstantia aggravat in infinitum, nisi, quæ transfert in aliam speciem;* Circumstantia autem personæ non transfert in aliam speciem, nisi fortè ratione alicujus adjuncti, puta, si sit contra votum ipsius, quod non potest dici de mendacio jocoso, vel officioso; & ideo mendacium officiosum, vel jocosum non est peccatum mortale in viris perfectis, nisi fortè per accidens ratione scandali. Hucusque Divus Thomas.

33. Petrus de Bergomo in Concordantia dictorum Divi Thomæ num. 995. (ut etiam notatur in margine allati textûs) sic scribit: Quòd circumstantiæ non possunt aggravare in infinitum 2. 2. quæst. 110. art 4. ad 5. & in 2. distinct. 7. art. 2. Oppositum videtur dicere 4. dist. 16. quæst 5. art 2. quæstiun. 4. ad 5. & de malo quæst. 2. art. 8. opusc. 12. art. 6. Respondeo dicendum, quòd, ut habetur 1. 2. quæst. 18. art. 10. & quæst. 88. artic. 5. eadem conditio actûs respectu unius speciei est circumstantia, & respectu alterius speciei est de substantia actûs, & differentia constitutiva; & sic potest aggravare in infinitum, *non autem ut circumstantia est.* Vides clarè, quòd circumstantia remanens circumstantia non aggravat in infinitum. Cum ergo *Multum* in furto remaneat in ratione circumstantiæ, non aggravabit in infinitum. Igitur hæc maxima in doctrina Divi Thomæ est vera: *sola circumstantia mutans speciem aggravat in infinitum*, & sic sola est de necessitate confitenda.

34. In quæst. 2. de malo art. 7. dicit, quòd circumstantia aliquando aggravat peccatum, non tamen constituit speciem peccati, *sicut cum aliquis furetur multum.* Aliquando verò nec aggravat, nec constituit speciem, v. g. percutere hominem indutum veste alba; aliquando verò constituit speciem peccati, sive actus sit indifferens, vel bonus, vel malus ex genere suo, v. gr. levare festucam in contemptum alterius, dare eleemosynam ob laudem humanam, furari rem sacram. Si circumstantia indifferenter se habeat ad rationem, tunc illa nec auget peccatum, nec dat speciem peccato; si differentiam habeat in ordine ad rationem, tunc dat speciem peccato, v. g accipere alienum. Si autem primò, & per se non importat aliquid repugnans rationi, sed per com-

pa-

parationem ad id, quod primò, & per se rationi repugnat, aliquam repugnantiam habet ad rationem; sicut accipere aliquid in magna quantitate nihil repugnans rationi potest dici: sed accipere alienum in magna quantitate dicit majorem repugnantiam ad rationem; unde ista circunstantia aggravat peccatum, inquantùm est determinativa illius circunstantiæ, quæ dabat speciem peccati...... *Circunstantia, quæ aggravat, & non dat speciem peccato, non continet ex se aliquam malitiam, sed est determinativa alterius circunstantiæ malitiam continentis.* Ita Angelicus Præceptor. Ego subsumo, sed furari multum ex Divo Thoma aggravat, & non dat speciem peccati; ergo furari multum per Divum Thomam *ex se non continet aliquam malitiam*; ergo multò minùs habet ex se malitiam infinitam. Ergo confitens se furatum fuisse fatetur totam malitiam, quæ est in furto mille aureorum. Similia habet Doctor Angelicus in art. seq.

35. Denique in Opusc. 12. art. 6. scribit: sic igitur hujusmodi circunstantias aggravantes, quæ non trahunt in aliud genus peccati, non credo, quòd aliquis teneatur confiteri...... Quòd autem dixi, circunstantias aggravantes, quæ non trahunt in aliud genus peccati, non esse de necessitate confitendas, non est referendum ad numerum, quem aliquis confiteri tenetur, si potest; quia jam non est unum peccatum, sed multa. Sic Divus Thomas. Certè illa verba: *Circunstantias aggravantes, quæ non trahunt in aliud genus peccati, non esse de necessitate Confessionis*, potiùs possunt denotare, quòd circunstantiæ notabiliter aggravantes in eodem genere non sint confitendæ, quàm significare, quòd numerus peccatorum non sit confitendus; tamen quia aliqualiter hunc sensum preseferre poterant; ideo Doctor Angelicus voluit, se explicare, quòd illa verba non haberent hunc sensum; multò magis ergo se explicasset, si non intellexisset dicere, circunstantias aggravantes notabiliter non esse de necessitate Confessionis.

36. Ex his patet clarè, mentem Divi Thomæ fuisse pro benigna opinione, ut pro eadem intellexerunt ipsum Thomistæ, & Doctores Antiqui; unde mirum est, quomodo aliqui Moderni Thomistæ nitantur illum trahere in rigidam opinionem, maximè cum modernis temporibus non habeatur aliquod novum argumentum, quod habitum, & solutum non fuerit ab Antiquis. De novo hoc tempore habetur, quòd Tridentinum approbavit illam maximam, quòd confessio sit facienda taliter, ut Confessor valeat rectè judicare, & convenientes satisfactiones imponere. Hæc approbatio Tridentini non ampliat regulam, quam certam habebant Antiqui, sed confirmat solùm. Hinc cum Antiqui, & ipse etiam Divus Thomas, intelligant illam maximam, ex dictis, de Confessione circunstantiarum mutantium speciem, ita etiam debemus illam intelligere, postquam confirmata fuit à Tridentino.

37. Præcipuè verò Thomistæ, qui ex Familia Divi Dominici sunt, & sunt in Christo Fratres cum Divo Thoma, debent explicare Doctorem Angelicum pro opinione benigna ex duplici capite. Primò, quia ipse Divus Thomas curavit, quantum potuit esse benignus in opinionibus; unde in hoc superavit Scholasticos antecessores. Secundò, quia Joannes Nider Dominicanus in consol. timor. conscient. part. 3. c. 11. vers. *tertio patet.* refert, quòd Humbertus Generalis Ordinis exponendo constitutiones Patrum Prædicatorum constituit: *Quia fructus animarum impediri solet per nimiam austeritatem in consiliis, & opinionibus; terrentur enim ex hoc homines intantum, ut salutem negligant; Ideirco relaxanda est, quantùm fieri potest, austeritas, & agendum est benignè cum hominibus, quia sic meliùs trahuntur ad salutem, cum sententiæ mitiores tenentur*

Ego subsumo, sed potest sustineri antiqua opinio Thomistarum, quòd Divus Thomas asseruerit, circunstantias notabiliter aggravantes non esse de necessitate

tate confessionis; ergo Thomistæ Dominicani juxta interpretationem antiquissimi Humberti debent sustinere hanc benignam opinionem.

CAPUT XVI.

Opiniones benignæ Doctoris Subtilis, Divi Antonini, & Divi Raymundi de Pennafort.

1 IN rei veritate Subtilium Princeps, Joannes Duns, Scotus universaliter appellatus, non scripsit multa de casibus conscientiæ, sed plurimus fuit in speculationibus; & in iis, quæ de morali scripsit, potiùs fuit rigidus; adhuc tamen habuit suas opiniones benignas, quarum aliquas hìc referre placet. Hæ autem sunt solùm in linea Probabilitatis, nec ad certitudinem pertingunt, cum Doctores gravissimi, & rationes validæ militent ad oppositum, & rationes Scoti non sint evidentes, & claræ.

2. Prima opinio benigna, eaque solùm probabilis, quæque est radix universalissima multarum opinionum benignarum, sit illa, quam habet in 2. distinct. 41. vers. *secundo modo.* Ibi scribit: *Ideo probabile* videtur *tales actus indifferentes ponere.* & vers. sequ. *sunt ergo multi actus indifferentes*, non tantùm secundùm esse, quod habent in specie naturæ, sed etiam secundùm esse, *quod habent in esse morali....... multi etiam singulares actus eliciti sunt indifferentes*, qui nec sunt tales, nec tales, & non solùm actus non humani...... *sed etiam de actibus liberis.* Nota quæso illa pulcherrima verba, *Ideo probabile videtur*; & sic patebit, Scotum hanc suam doctrinam credere solùm *probabilem.* Quòd verò sit benigna, est evidens; quòd sit radix multarum opinionum benignarum, est etiam clarum, quia est principium universalissimum actuum humanorum, & transcendit per plurimas materias.

3. Probabilistæ in laudem Probabilitatis solent dicere, quòd tollat scrupulos, & Animas per viam suavem ducat in cœlum secundùm illud Matth. 11. 30. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Mirum est, quantùm è contra Probabilioristæ hanc doctrinam execrentur. Fagnanus in c. *ne innitaris.* de constitut num. 401. ait, *mirandum esse, quòd viri docti, & pii ore, scriptoque talia effutiant paradoxa.* Deinde affert Divum Thomam in 3. distinct. 40. art. 4. quæstiun. 3. explicantem illum textum, quòd nempè *jugum Christi secundùm se sit laboriosum, & asperum*, esse tamen leve, quia inducit ad observantiam Legis per amorem, qui omnia facit esse levia. Allegat etiam Divum Augustinum exponentem illud Joann. 1. Epist. c. 5. *Mandata ejus gravia non sunt*, quòd non sint gravia amanti, sint gravia non amanti. Fogarinus disput. 3. par. 4. sect. 7. num. 79. affert plures sanctos Patres, & Doctores eandem expositionem amplectentes.

4. Scotus in 4 dist. 3. quæst. 4. *litt. A.* scribit: quòd Sacramentum principale novæ legis, scilicet Baptismus, *debuit etiam esse facile, quia jugum Christi suave est, & onus ejus leve. Matth. 11.* Nunc relinquo Adversariis, ut considerent, an, *si jugum Christi esset laboriosum, & asperum secundùm se*, rectè Scotus deducere posset, quòd Sacramentum principale legis Christianæ *deberet esse facile.* Et Scotus accipit ly *facile*, ut significet facile, & suave secundùm se; quia in rei veritate Baptismus est Sacramentum facile secundùm se, & longè facilius, quàm circuncisio, in ordine ad quam implicitè Scotus dicit, hoc Sacramentum esse facile.

In 3. distinct. 39. litt. H. scribit: Si autem fiat perjurium indeliberatè, *quantumcunque frequenter fiat*, cum actus meritorius requirat, quòd sit plenè humanus, & hoc est esse ex plena deliberatione, & actus demeritorius non minùs requirat illud; *non est enim Deus pronior ad condemnandum, quàm ad parcendum*, potest dici, quòd illud per-

rium indeliberatum, etiam quotiescunque iteratum, *non est peccatum mortale.* Hæc doctrina est certò benigna, sed videtur posse probabiliter oppositum defendi, scilicet, *quod frequens iteratio perjurandi inadvertenter sit peccatum mortale*, & ita videtur tenere Cardenas in Proposit. damn. ab Innocentio Undecimo dissert. 37. c. 2. num. 12. ubi scribit: quòd attinet ad consuetudinem jurandi, dupliciter potest se habere. Primò, ita ut cogat, *seu inclinet ad juramenta falsa frequentanda sine advertentia falsitatis eorum*; & licèt juramenta ipsa non sint nova peccata in se, sed in causa previsa, scilicet in ipsa consuetudine; tamen consuetudo ipsa, quatenus inducit periculum incidendi in ea juramenta falsa, est novum peccatum; & ideo necessariò confitendum. Et quamvis ipsa juramenta non sint nova peccata, ut dictum est, quia tamen retinent deformitatem objectivam afferendi nomen Dei ad confirmandam falsitatem, *quamvis inadvertenter*, tenetur homo *ad compescendam causam, sive occasionem proferendi illa*; idest juramenta falsa inadvertenter prolata. Si non erro, Cardenas probabiliter sequitur oppositum opinioni Scotistæ, & patet, hoc oppositum esse rigidius. Nota obiter illa verba, *non est enim Deus pronior, ad condemnandum, quam ad parcendum.*

5. In distinct. 40 facit quæstionem, *an Lex nova sit gravior veteri*, & concludit quoad cæremonialia *veterem fuisse multo graviorem*, & *quantum ad multitudinem*, & *quantum ad difficultatem observandi.* Quoad moralia *dubium est*, inquit Scotus, *utrùm fuerit æqualitas.* Subdit postea, quòd si in Lege nova esset aliqua major difficultas, levitas in cæremonialibus *longe preponderat* illi gravitati. In fine quæstionis dicit, quòd Lex nova est facilior, quia inducit ad observantiam præceptorum ex amore; amor autem facit omnia opera levia, ut verum sit, quod dixit Salvator Matth. 11. *Venite ad me, jugum enim meum suave est*, & *onus meum leve.* Ecce, quòd etiam hic Scotus fatetur, Legem Christi in præceptis cæremonialibus esse longè leviorem Lege veteri; ergo debemus curare, ut saltem sequamur benignitatem in interpretatione harum legum, ne, si rigiditatem amplectamur, reddamus jugum Christi grave in illis actionibus, in quibus juxta Scotum est leve, & valdè levius jugo Legis Mosaicæ.

6. Ex hoc forsan principio Doctor Subtilis postea tractans de Sacramento Pœnitentiæ sequutus est opinionem valdè benignam, quæque juxta Gabriel in 4. distinct. 14. quæst. 2. litt. D princ. est contra communem opinionem Antiquorum. Igitur Scotus in 4. distinct. 14. quæst. 4. art. 3. tenet sufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ Attritionem, *quæ non habet rationem meriti ad remissionem peccati*; & subdit, hanc opinionem esse majoris misericordiæ, ut peccator possit duplici via se justificare. Opposita opinio rigidior, communis juxta Gabriel, volebat, requiri contritionem sufficientem ex se ad delendum peccatum. Sed Scoto placuit Probabilitas benigna, & benignitas probabilis. Et in rei veritate in materia Sacramentorum debemus esse benigni. *Si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus vult apparere?* 26 quæst. 7. c. *alligant.* Scotum graviter impugnant præcipuè Ockham in 4. quæst. 8. & 9. litt. Q & Gabriel ubi suprà.

7. In 4. distinct 3. quæst. 4. tenet, Legem Christi de Baptismo non obligasse ante solemnem ejus promulgationem in die Pentecostes. Divus Thomas 1. 2. quæst. 103. art. 3 ad 2. & part. 3. quæst. 66. art. 2. rigidè tenet obligasse post passionem, & resurrectionem.

8. Distin. 4. quæst. 9. litt. A. concedit, Principes posse licitè tollere infantes Hebræorum, & Infidelium, & illos facere baptizari: è contra Divus Thomas, & alii plurimi dicunt probabiliter esse peccatum mortale. Ibidem etiam Scotus concedit, Principes licitè cogere infideles minis, & terroribus ad baptismum. Oppositum strictius probabiliter su-

sustineri potest.

9. Distinct. 5. quæst. 2. art. 1. litt. B. tenet benignè contra rigidam opinionem ibi relatam, licere recipere in casu necessitatis baptismum à ministro præciso; & ne quis crederet, quòd obligaret ad talem receptionem, subdit Doctor Subtilis benignè pariter: potest etiam *fortè* non recipere, quia baptismus fluminis sibi sufficeret, si propter reverentiam Ecclesiæ talem; pensatis tamen omnibus melius videtur, quòd à tali recipiat, quàm quòd de vita hac sine baptismo decedat. Illa particula, *fortè*, evidenter probat, Scotum hanc suam doctrinam judicare solùm esse probabilem. Igitur juxta Scotum potest dici; *probabiliter licet in casu non recipere baptismum, sed melius est, illum recipere.* Expendat Lector, an Scotus crediderit, probabilius esse, non licere respuere baptismum in casu. Si Scotus hoc credidit, sequitur, nos posse sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. In fine illius quæstionis, tenet, posse aliquem emere *actum baptizationis*, non inquantùm est actus Sacramentalis, sed quatenus est laboriosus. Doctrina benigna, sed solùm probabilis.

10. Distinct. 6. quæst. 8. tenet, Decretum Gratiani non habere vim legis canonicæ; & ex hoc principio infert benignè, ignorantem probabiliter ignorantia facti, si bis baptizatur, non fieri irregularem, quamvis in c. *qui bis.* distinct. 4. de consecr. expressè dicatur, ignoranter bis baptizatum non posse ordinari. Scimus communiter Canonistas, & plures Theologos oppositum strictius sustinere. Subdit Scotus: *Universaliter pœna canonica non incurritur, nisi à latore canonis inferatur;* ubi ergo non invenitur ex vi verborum inflicta, *tunc simpliciter est dicendum, quòd nulla est; non enim verba constitutionum pœnalium sunt amplianda, sed restringenda juxta illam maximam juris, odia restringi &c.* Sic Doctor Subtilis. Ex hoc infero, legem pœnalem canonicam non incurri, nisi *hoc certò constet;* illa enim verba, *ubi ergo non invenitur ex vi verborum inflicta*, planè certitudinem continent. Sic etiam negat Decretum Gratiani habere vim legis, quia *non est manifestum* confirmari à Papa, nec etiam eo modo, *quo est manifestum* de omnibus capitulis positis in Decretalibus. Ecce evidenter, quòd Scotus exigit, ut Decretum Gratiani obliget, quòd sit manifestum esse confirmatum à Papa, & esse manifestum eo modo, quo Decretalia *manifestè* approbantur ab eodem, & refert verba Pontificum, quibus ex vi verborum præcipitur, ut illa recipiantur.

11. Ex his infero ulteriùs, quia Lex Ecclesiastica est necdum pœnalis, sed etiam aliquando est merè constitutiva, infero, inquam, ad legem canonicam juxta Scotum requiri, quòd manifestè à Papa confirmetur. Subinfero, ergo juxta Scotum, licèt quis teneat, probabilius esse, aliquam legem esse latam à Pontifice, non per hoc hic tenebitur observare hanc legem, consequentia probatur, quia *Probabilioritas opinionis* non importat, *rem esse manifestam*, nec illam opinionem haberi *ex vi verborum;* Probabilitas enim, quantacunque sit, ut alibi dixi, potest aliter se habere, nec est certa; unde Divus Thomas in 4. distinct. 33. quæst. 3. art. 2. ut retuli cap. 13. num. 34. sustinet unam opinionem, & tamen fatetur rationes hujus opinionis posse facilè solvi ab opposita. Subinfero pariter, cum leges de Excommunicatione, Suspensione, Interdicto, Irregularitate, Depositione, & Degradatione sint pœnales, istæ pœnæ *nullæ erunt, ubi non invenitur, ex vi verborum esse inflictas.* Subsumo, sed per æqualem, vel per majorem probabilitatem non invenitur, ex vi verborum esse inflictas hujusmodi pœnas; ergo juxta Scotum *in æquali, vel majori Probabilitate hujusmodi pœnæ nullæ erunt.*

12. Distinct. 7. quæst. 5. refert, Canonistas tenere bis confirmatum fieri irregularem; ipse verò sic scribit: *Universaliter nulla pœna canonica, quæ non est inflicta à Papa condente ejus, non incurritur ipso jure.* Nec propter argu-

menta exponentium canones sive à simili, sive à contrario sensu est aliquis tali pœna astrictus, *quia possunt exponere jus conditum, non autem condere novum per suas expositiones...... cum ergo non inveniatur in jure canonico* expresse *pœnâ irregularitatis inflicta pro iteratione confirmationis, sequitur, quòd non incurratur.* Sic Scotus. Possuntne Probabilioristæ per suas expositiones probabiliores facere, ut Irregularitas probabilioriter opinata possit dici, *in hoc casu Irregularitas est* expressè *posita in Jure?*

13. Distinct. 8. quæst. 3. vers. *ad propositum dico.* tenet, per potum non solvi jejunium Ecclesiæ, saltem si sumatur post prandium. Antiquitus aderat opinio opposita strictior. Vers. *alio modo potest* sustinet, Sacerdotem sumpto corpore, & cognoscentem consecrasse aquam, non vinum, posse supplere hunc defectum per consecrationem solius sanguinis. Divus Thomas, & alii volunt esse sub præcepto consecrandam iterum utramque materiam. Dist. 13. quæst. 2. litt. K. videtur tenere, cingulum, quo præcingitur Sacerdos in Missa, non esse de præcepto benedicendum. Oppositum omnino probabiliter, & strictè defenditur. In vers. *de peccatore autem.* & vers. *respondeo in nullo.* confirmat, irregularitatem non incurri, nisi exprimatur in jure; & primo loco notat, quòd licèt prohibeatur, ne audiamus Missam Sacerdotis certò fornicarii; tamen ex hoc non inferri, quòd ipse Sacerdos fornicarius prohibeatur; quia pœnæ non sunt ampliandæ. Sic etiam vers. *sed utrumque capitulum.* explicat quædam capitula, in quibus secundùm unam opinionem Sacerdos incurrebat irregularitatem; unde tenet non incurri in illo casu irregularitatem. Hinc in sententia Scoti pœnæ canonicæ, præcipuè Irregularitas, non incurruntur, nisi expressè in jure dicatur. Et sic juxta Scotum nemo se tenere debet irregularem, excommunicatum &c. nisi sit certus, se deliquisse in legem certò imponentem irregularitatem, excommunicationem &c.

14. Distinct. 14. quæst. 2. § *de secundo.* videtur tenere, ut advertit Mastrius in 4 disput. 5. num. 92. contritionem, ut est actus virtutis pœnitentiæ, quæ continetur sub genere justitiæ, & sic quatenus non est actus charitatis, nec elicitus ex motivo charitatis, sed elicitus ex motivo justitiæ, contritionem, inquam, hujusmodi esse ultimam dispositionem ad justificationem. Non dubito, Probabilioristas nostros judicaturos, esse hanc opinionem nimis benignam, & laxam; sed eorum judicium non est attendendum, quia omnes venerari debent opinionem tanquam traditam ab Antiquo, & Subtilium Principe Scoto, quam Scotistæ passim sequuntur, ut refert Mastrius. Hic Doctor ibidem plures refert opiniones benignas Scoti circa ipsam contritionem, ait enim juxta Scotum ad contritionem non requiri intensionem, & certam durationem temporis, nec semper requiri formale propositum de non peccando in posterum, vel imposterum confitendi.

15. Distinct. 15. quæst. 1. art. 5. de secundo principali vers. *quia ergo ipse.* scribit: *Dives, qui lapsus est ad peccatum carnis*, si est adeo delicatus, quòd non velit jejunare, nec aliam macerationem notabilem subire; *vel præsumitur, quod si sibi imponeretur, citò abjiceret; & sic peccaret novo peccato, inducendus est ad orationem &c. & illud sibi imponendum, quod libentiùs recipit, & quod creditur perseverantiùs adimplere.* Credo, quòd nostri Probabilioristæ horrescent hanc benignitatem cum divite delicato legentes: sed velint, nolint, hæc scripsit antiquissimus Scotus. Subdit: *Vel si omnino nullam pœnitentiam velit recipere à Sacerdote impositam, dicit tamen, se habere displicentiam de peccato commisso, & firmum propositum non recidivandi, absolvendus est, & non est respuendus, ne cadat in desperationem.* Hanc omnino benignam doctrinam postea probat Isa. 42. & Matth. 12.

16. Communiter Doctores, etiam Scotistæ, tribuunt Scoto, quòd tenuerit:

rit, pœnitentem simpliciter, & absolutè posse respuere pœnitentiam vindicativam, ut videri potest apud Mastrium in 4. disput. 5. num. 596. ipse tamen Mastrius num. 595. nititur probare, Scotum solùm esse intelligendum in casu particulari, v.g. inquit num. 602. in scrupulosis, & melancholicis, qui in omnibus se peccare putant, & nunquam rectè pœnitentiam peragere rectè, *quamvis levem.*

17. In tribus locis tradit hanc doctrinam Doctor Subtilis, loco allato, distinct. 17. quæst. 1. art. 2. vers. *intelligo non quod.* & distinct. 19. art. 5. §. *ad quæstionem motam.* vers. *sed nunquid pœnam.* In primo loco loquitur de divite delicato, qui vel nolit notabilem macerationem subire, vel nullam, & dicit esse absolvendum, ne cadat in desperationem. In secundo loco loquitur de pœnitente quidem in generali, sed se remittit ad primum locum. In tertio loco loquitur de pœnitente in generali, qui vult quidem se subdere manui Dei vel hìc, vel in Purgatorio, & ait, hunc potiùs esse absolvendum, aliter *tunc recederet desperatus.* Similiter loquuntur Antonius Andreas in 4. dist. 15. q.1. vers. *accipiendo.* Orbel. dist. 15. q. 1. §. 2. Biel dist. 16. quæst. 2. dub. 1. Bartholomæus de Chaumis in suo Confessionali part. 4. de Confess. post Canones pœnit. §. *quamquam hos Canones.* & alii Antiqui, quos brevitatis gratia omitto. Ego puto pro certo, Scotum non esse intelligendum absolutè, & universaliter, quia sic benignitatis justæ terminos præteriisset; non possum tamen credere, quòd loquatur in casu de scrupuloso, & melancholico; est quidem verum, quòd scrupulosus, & melanchonicus angitur magnis agitationibus, an rectè orationem fecerit, quamvis brevem; at nunquam angeretur, si ipsi imponeretur, quòd semel, vel bis genuflecteret. Sic etiam nec credo casum Rosellæ. V. *Confessio.* 2. §. 9. dicentis, Scotum loqui de eo, qui *ex fervore charitatis magis intendit puniri in Purgatorio, ubi intensiùs punietur, quàm hìc.* Nam Scotus apertè loquitur de divite adeo delicato, qui non velit notabilem macerationem subire. Tum quia charitas omnia suffert ex Divo Paulo; quomodo ergo, si hic Dives habet fervorem charitatis, non poterit sufferre vel parvam macerationem in hoc Mundo? Concludo, quomodocunque Scotus intelligatur, est semper valdè benignum, & solùm probabile, quòd dives delicatus possit absolvi absque aliqua satisfactione exercenda in hoc mundo, cum proposito tamen satisfaciendi in Purgatorio.

18. In eadem quæst. art. 5 vers. *de quarto dicitur.* litt. H. & distin. 17 art. 2. fin. tenet, satisfactionem impositam à Confessario posse licitè expleri in peccato mortali, nec illam teneri reiterare; unde, si confiteatur postea novum peccatum, debet quidem facere pœnitentiam pro peccato novo, non verò pro illo peccato antiquo, pro quo satisfactionem implevit in mortali. Et nota, quòd vocat opinionem oppositam *nimis duram contra peccatores.* Licèt sit nimis dura, tamen traditur ab Alens. Divo Thoma, Divo Bonaventura, Richard. & pluribus aliis, inquit Biel, ubi suprà dub. 2. de qua etiam dixi suprà cum retuli opiniones benignas Divi Thomæ. Si ergo traditur à tot Theologiæ Proceribus, nequit negari esse probabilem. Sed adhuc hæc opinio probabilis non placet Scoto, quia *nimis dura contra peccatores.* Sic etiam in quæst. 2. art. 2. vers. *quando autem* ejusdem distinct. ne incidat in opinionem *duram*, *sustinet ut satis probabile*, quòd homines in contractibus sibi mutuò aliqui donent, *dum non servant justitiam indivisibilem.* Paulo post vers. *tertia conditio* sustinet, esse licitum mutuare cum spe lucri, ita ut quis non mutuaret, nisi haberet hanc spem, dummodo nec verbis, nec signis manifestetur hæc spes. Multi Antiqui, & equidem probabiliter, strictiùs autumant, solam spem lucri facere contractum usurarium juxta illud Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* De hoc vide Astens. libr. 3. titul. 11. art. 5. In quæst. 4. ejusdem distinct. art. 1. dicit,

si quis aliis refert, se audivisse crimen de aliquo, hic non peccat mortaliter. Opinio valdè benigna, & solùm probabilis.

19. Distinct. 17. quæst. 1. art. 3. vers. *dico igitur*. asserit, præceptum Ecclesiasticum de Confessione non obligare ad fatenda venialia in casu, quo non haberemus mortalia. Doctor Subtilis refert ibi opinionem oppositam rigidam Richardi ibidem art. 2. quæst. 4. ad 1. quam quoque sequuntur Divus Bonaventura distin. 17. part. 3. art. 2. quæst. 1. Petrus de Tarant. distinct. 17. de confess. art. 4. quæst. 1. Rainerius. V. *Confessio*. cap. 10. & alii. In fine illius articuli refert duas opiniones, quarum prima dicebat, peccatorem statim commisso peccato teneri ad Confessionem, & præcipuè antiquitus, antequam Ecclesia fecisset præceptum de semel confitendo in anno. Secunda benignior negabat talem obligationem. De hac secunda sic scribit Scotus: *Secundum videtur esse mitius*, quia præcepta pœnalia non sunt amplianda, sed restringenda, *nec invenitur, quando præceptum istud affirmativum liget, vel obliget, nisi ad aliquando*. Nota, quod præceptum Confessionis est pœnale, & credo, quod sit pœnale, quia ad aliquod laboriosum nos obligat, in quo sensu alia præcepta Ecclesiæ, & multa naturæ essent pœnalia; & sic essent juxta maximam Scoti restringenda, & quando in aliquo casu adessent duæ opiniones, *mitior esset sequenda*, ut facit Doctor Subtilis. In solut. argum. tenet, præceptum Confessionis non obligare, ut confiteamur per interpretem. Opinio benigna, sed solùm probabilis.

20. Distinct. 19. in solut argum. princ. dicit, *videri probabilem* opinionem asserentem, quòd absolutio aliis, & aliis vicibus iterata super eadem peccata remittat pœnam, quæ opinio est Divi Thomæ, ut vidimus. Tamen oppositam vocat *probabiliorem*. Ex hoc textu clarè colligitur, non benè arguere Adversarios, dum ex Probabilioritate opinionis inferunt falsitatem, & damnationem oppositæ. Nam Scotus cum Probabilioritate unius componit Probabilitatem oppositæ. Nunquid Scotus credebat hanc opinionem probabilem esse falsam, vel condemnandam? ad quid afferre rationes pro ipsa? in fine illius distinct. iterum repetit suam benignam doctrinam, quòd pœnitentes, *si non habuerint sufficientem attritionem per modum meriti ad justificationem, & per consequens in peccato existentes*, & tamen aliqualiter attriti confitentur, *in ultimo instanti recipiunt gratiam virtute Sacramenti:* Nota illa verba, *Aliqualiter attriti confitentur*, & lege Mastrium in 4. disp. 5. num 156. & seqq.

21. Distinct. 21. quæst. 2. in solut. argum. tenet, Confessarium posse non intrare in sylvam, in quam erat intraturus; & hoc, quia scivit per confessionem Latronis, quòd alii Latrones volunt ipsum Confessarium interficere; nec est necesse, quòd Confessarius dicat coram aliis, se debere alibi proficisci; unde non posse ingredi amplius sylvam; sed absolutè potest non ingredi nullam assignando rationem, cur mutet voluntatem; quia, ut ait Scotus benignè admodum, & probabiliter, hoc factum non ingrediendi sylvam ex sua natura non est manifestativum peccati ab illo Latrone confessi, *nec per consequens simpliciter illicitum Confessario* Ibidem etiam tenet, si Abbas scit ex confessione, Monachum extra Claustrum peccare, posse licitè illum Monachum revocare ad Claustrum; si tamen sit consuetudo, quòd egressus è Monasterio fiat ex mera voluntate Superioris. In nostro casu supponitur, quòd Abbas revocet Monachum ex vi Confessionis. Hæc doctrina est benigna & solùm probabilis, & infrà oppositum omninò sequar, & est in praxi sequendum omninò, vide ibi.

22 Unicam adhuc subdo benignitatem Scoti, alias omittendo brevitatis gratia, & habetur distinct. 29. fin. ubi dicit, quod Filius impubes promissus in matrimonium à Patre non tenetur illud implere, & referens contra se. cap. 1.

de

de despon. impub in quo expressè dicitur, hunc Filium *debere omnino* tale matrimonium implere, explicat, hoc esse intelligendum de debito congruitatis, non præcepti. Ego non possem invenire verba, quæ tam clarè explicarent præceptum, quàm illa, *debet omnino hoc fieri*; & in rei veritate, ut advertunt Doctores, verbum, *Debet*, in proprietate sermonis significat præceptum. Hoc tamen non obstante Scoto tam placet benignitas, ut potiùs voluerit accipere verba in sensu improprio, quàm subdere præcepto illum Filium. Discant à Scoto Probabilioristæ benignitatem, & deserant naturalem rigiditatem.

23. Benignus fuit Doctor Subtilis, non tamen adeo, ut fuit Doctor Angelicus, ut dicebam, qui procul dubio inter Scholasticos antiquos benignior est omnibus, quos potui legere. Sic etiam Antiqui Thomistæ sunt benigniores, quàm Antiqui Scotistæ, adhærentes in hoc vestigiis suorum Magistrorum. Duas rigiditates habet Scotus, quas vellem, ut Schola ejus aliquantulum demulceret. Prima est in 4. distinct. 15. quæst. 3. art. 2. vers. *de secundo quid*, ubi docet esse *fatuos* illos Confessarios, qui absolvunt homicidas sine restitutione; unde dicit debere facere *restitutionem spiritualem æquivalentem vitæ*. Ego non nego probabilitatem huic opinioni; sed cum Scotus dixerit, esse *fatuos* sequentes oppositam, quæ est valdè communis ex Mastrio in moral. disput. 8. num. 40. videtur, quod judicet hanc opinionem esse falsam, nec probabilem; & in hoc judico Scotum esse valdè rigidum. Secundam docet distinct. 32. vers. *secundus casus*. & ait, *non esse probabile* quòd copula cum uxore menstruata sit minùs prohibita in lege Evangelica, quæ est lex castitatis, quàm in lege veteri; cum ergo in lege veteri certò talis copula fuerit prohibita; secundùm ipsum Scotum est certò prohibita talis copula in lege Evangelica. Fateor omninò esse probabile, quòd copula hujusmodi, præcipuè ex parte petentis, sit peccatum mortale juxta magis probabilem opinionem Antiquorum; quòd verò sit certò prohibita, mihi videtur valdè rigida hæc opinio; hinc vellem edoceri à Scotistis modum mitigandi hanc duritiem.

24. Nunc brevissimè recenseo paucas opiniones benignas Divi Antonini. Paucas, & breviter exponam, quia in decursu Operis plures, & diffusè referam. Universaliter autem loquendo, excepto Rodonensi, non inveni Summam Casuum Conscientiæ antiquam adeo benignam, ut est Summa Beati Antonini; unde si Adversarii optant, ut Moderni sequantur doctrinam Antiquorum, credentes illos redigendos ad rigiditatem, Moderni possunt morem gerere huic desiderio, & sequi Divum Antoninum, qui certè talem rigiditatem tradit, ut omnino sit judicanda benigna; hinc part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. regul. 7. doctrin. 2. dicebat, in lege nova esse illud judicandum impossibile, & sic non obnoxium legi, *quod habet nimiam difficultatem; aliàs quomodo salvaretur illud Matth. 11. onus meum leve?*

25. Part. 2. tit. 2. c. 4. princ. dicit, in debitis incertis non esse necesse fieri restitutionem per Diocœsanum, ut volebat opinio rigida, & tunc satis probabilis, sed posse fieri per ipsum debitorem: hinc confessor non tenetur remittere hunc debitorem ad Episcopum. In c. 5. §. 2. tenet, si quis auferat à fure rem furatam, & illi restituat, non obligari iterum ad restitutionem domino illarum rerum. In §. 3. asserit, quòd Beneficiati malè utendo, & dando fructus Ecclesiarum suarum, & locorum piorum ad mensam eorum, seu usum specialiter deputatos, malè faciunt, *non tamen tenentur ad restitutionem ipsi, nec illi, qui recipiunt ab eis.* In cap. 6. per extensum facit quæstionem, an usurario sufficiat pro sua conscientia, quòd illi, à quibus extorsit usuras, liberè remittant restitutionem absque eo, quòd vel priùs actu restituat, vel saltem offerat restitutionem, aut habeat pecuniam paratam pro restitutione. Affert plures Doctores, & rationes pro illis opinionibus scrupulosis; sed ipse opinionem be-

benignam dicentem sufficere liberam remissionem amplectitur; quia vero Laudanus scripserat, *ut tollatur omnis dubitatio, an sit libera conscientia usurarii, & de cætero a talibus abstineat, cautum est prædicare, quod non sufficit remissio facta, quamvis se disponat ad satisfaciendum, & cautius oportet, quod pecunia sit restitutioni parata, & cautissime, quòd offeratur pecunia, vel, quod plus est, quod ponatur in manu creditoris.* Scripserat, inquam, hæc scrupulosa Laudanus, quæ mihi depingunt ad vivum sensa nostrorum Probabilioristarum, & Vendrochii. Quid, quæso, credimus, scripsisse Beatum Antoninum? audiamus. Quòd autem dicit Laudanus, esse prædicandum, non sufficere remissionem, nisi fiant ea, quæ dicunt diversi, *non videtur tutum, vel cautum*; nam ex tali prædicatione potest sequi ita periculum animarum, sicut cautela; sicut enim prædicator debet sibi cavere à prædicando ea, quæ habent homines inducere ad malum, & alleviando mala; ita debet cavere à prædicando scrupulosa, & ardua, quando communis opinio est in contrarium; hoc enim esset injicere laqueum animabus, quod fieri non debet. 27 quæst. 1. c. *viduas*..... Non video etiam, quòd cum bona conscientia absque sui magno peccato possit hoc dicere in prædicatione, *si sentiat contrarium*, quia hoc communiter tenent Doctores, sed & si teneret aliquam aliarum opinionum, cum illæ sint scrupulosæ, non debet velle omnes inducere ad scrupulos suos. Hactenus Antoninus. Legant hæc nostri rigidi Probabilioristæ, & sileant. Eandem doctrinam tradit in Summula dicta *Defecerunt*, ut retuli cap. duodecimo num. 52.

26. In cap 8. §. *Quidam circam istam.* refert, & amplectitur benignam doctrinam Scoti circa dilationem restitutionis, quam habet in 4. distinct. 15. qu. 2. art. 3 vers. *de quinto* ubi docet, quòd injustus detentor rei non tenetur restituere statim, si ex restitutione maximum sibi incommodum proveniat, & parvum domino rei; & post medium illius capituli ex doctrina P. ludani, & Scoti scribit: Tales, qui habent restituere, & si retineant sibi quodammodo necessaria pro sustentatione sui, & familiæ ad vitandum multa pericula animæ, & corporis, quæ verisimiliter sequi possent pro bonis suis cedendo, & omnibus se spoliando pro restitutione fienda, (quod fortè tutius esset, scilicet restituere, & in Deo confidere, etiamsi oporteret mendicare secundùm Raymundum,) ad hoc non videntur teneri de necessitate salutis Tamen non debent tales ita lautè vivere, & pomposè vestire cum familiis suis, & filias suas cum magnis dotibus nuptui tradere, sicut si non essent obligati ad restitutionem, sed parcè vivere, & parvas dotes dare. Sic Antonin. Nota, quæso, quòd potiùs pater potest nuptui tradere filias, quàm restituere. Nota etiam, quòd oppositum rigidius sequitur Divus Raymundus.

27. Sed videamus benignitates, quas docet de sancto usu matrimonii, in qua materia est omnino benignus, & meo judicio quilibet Doctor talis debet esse, ne cogamur frigere illos, qui vivunt inter flammas. Igitur part. 3. tit. 1. c. 20. tractat præsentem materiam, & §. 2. refert opiniones in illa quæstione, an liceat in loco sacro exercere matrimonium, & in fine refert opinionem negativam rigidam Divi Thomæ, & Paludani: tamen subdit, quòd non dicunt, an sit sub obligatione mortali, vel veniali; unde implicitè dat licentiam tenendi opinionem benignam. In §. 3. concludit cum Alberto contra plures, & quidem celebres Doctores, variare situm in actu conjugii non esse peccatum mortale. Nequit negari, opinionem asserentem, quòd habere rem modo brutali, vel quòd fœmina incubat, esse valdè probabilem, & forsan Adversarii condemnabunt opinionem Beati Antonini: *Sed*, inquit ipse, *non possunt conjuges argui ex hoc de mortali*, ex quo secundùm Albertum *de se illud mortale non est*; *Nam de intentione viri* exigen-

exigentis qualitercumque non habet ipsa judicare, ut per hoc possit ei debitam denegare, nec de facili est præcipitanda sententia de tali modo, quòd sit mortale in se. Sequantur Adversarii suas rigidas opiniones, quantùm volunt, & rigidiores, non verbis solùm, sed factis prosequantur; at obediant magno Archiepiscopo Antonino, *non præcipitent sententias aliorum benignas*, quia ad ipsos non spectat judicium ferre de rebus alienis, nec sunt Judices, qui possunt cogere subditos ad obedientiam, sed sunt Doctores, quibus solùm creditur tantum, quantum important rationes, prætereaque nihil.

28. In §. 4. tenet, post partum, dum mulier est in puerperio, exigere, vel reddere debitum, neutri esse mortale; unde in tempore immunditiei purificationis fœmineæ est abstinendum saltem debito congruitatis; & sic benignè est interpretandum illud Gregorii in c. *ad ejus.* 5. distinct. in quo dicitur absolutè, quòd *purificationis tempore conjuges non debent admisceri.* Benigna admodum, & probabilis interpretatio, & necessaria pro conjugibus juvenibus, quibus difficillimum omnino esset, multo tempore abstinere. In §. 5. tenet, petentem debitum tempore menstruorum, quæ veniunt quolibet mense fœminis, non peccare mortaliter, ut volebat opinio strictior probabilis; reddentem verò nullo modo peccare. In hoc §. ait etiam, quòd si menstrua sint naturalia, tunc secundùm Richard. circa hoc sunt variæ opiniones, *& contrariæ*, propter quòd dicit Guillelmus, quòd Confessor in hujusmodi *non debet præcipitare sententiam*, sed prohibere, quantum potest; nec propter hoc debet negare absolutionem nolenti abstinere.

29. In §. 6. asserit, non esse mortale prævenire delectationem carnalem se provocando tactibus, osculis &c. ad ipsam, non complere copulam inchoatam, ex communi tamen consensu, & sine alterutrius periculo pollutionis; quin in hoc secundo casu *non videtur, quod peccet etiam venialiter, quia licet appetere non plures habere filios, quàm possit nutrire.* Poterat benigniorem opinionem tueri? Ecce quantùm Beato Viro placeat illa maxima, quòd variantibus Doctorum opinionibus *non est præcipitanda sententia*, sed unicuique est danda licentia sequendi, quod vult.

30. In §. 7. dicit, debitum esse reddendum etiam tempore solemnitatum, Quadragesimæ, & communionis; quòd si videatur in sacris Canonibus hoc prohiberi, præcipuè in cap. *omnis homo.* de consecr. distinct. 2. in quo dicitur, *per tres, quatuor, & septem dies ante communionem sumendam debent conjuges abstinere; hæc omnia intelliguntur de consilio reverentiæ, & utroque consentiente, & non de necessitate obedientiæ; unde non servando exigens debitum non peccat mortaliter, sed veniale potest esse; sed reddens nullo modo peccat.* In §. 8 tenet secundùm quosdam, quòd exigens debitum ante benedictionem nuptialem peccet mortaliter prima vice, sed aliis vicibus non peccabit ulteriùs.

31. In §. 9. refert opinionem dicentium, si unus conjugum manet in adulterio manifesto, tunc alius certò sciens non potest exigere, (quàm dura opinio!) Nec reddere debitum, dum est incorrigibilis. Subdit postea: *Circa hanc materiam humaniùs loquitur Petrus de Palude* in 4. sic dicens, quòd sunt quinque casus, in quibus innocens non tenetur dimittere adulterantem conjugem, licèt possit. Primò, quando est occultum. Secundò, quando est spes correctionis. Tertiò, quando incorrigibilem animo potest cohibere, ne aliquis intret ad eam. Quartò, quando plus cohibetur, si retineatur, quàm si dimittatur. Quintò, quando timet sibi de incontinentia. Auctoritates igitur, quæ dicunt, quòd non licet eam retinere, loquuntur, quando non potest sine scandalo, vel quando deterior efficitur, vel quando non propter sui periculum hoc facit. Ita verbatim sanctus Præsul, qui certè in hac materia humaniùs loqui non poterat. Denique in §. 11. & 12. tenet, quòd quis potest exigere

gere debitum ob fornicationem vitandam in se, duabus tamen positis conditionibus, una, quòd non speretur proles; altera, quòd *exercet talem actum, non quia delectabilior.* Sed quia tunc non potest alio modo *melius* eam vitare, ita quòd voluptas non movet eum, sed amor vitandæ fornicationis, quàm pro tunc non potest *melius* vitare; puta, quia habet loqui secretò alii mulieri, de qua expertus est se tentari, & hujusmodi.

32. Dicamus tandem paucas benignitates in materia Confessionis Ergo in eadem part. 3. tit 14. c. 19 agit de conditionibus requisitis ad Confessionem. In §. 3. tenet, peccatorem non obligari ad confitendum statim. In §. 4. casu secundo, & §. 19. asserit, secundum Confessarium posse mutare pœnitentiam à primo impositam, *etiam sine audientia Confessionis peccatorum illorum, pro quibus erat imposita.* In §. 5. sustinet, dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, v. g. est Sacramentum validum, si quis dolet dolore insufficienti, quòd nec cum Sacramento actu suscepto sufficit ad contritionem, non confitetur tamen hanc fictionem, quia credit esse sufficienter dispositus. Sic etiam est validum Sacramentum, quando fictio est positiva quantum ad hoc, quòd non dolet, nec abstinere proponit; tunc ista fictio non occurrit sibi ut confitenda, nec actu cogitat, quod teneatur eam confiteri. Item cum confitens exprimit fictionem suam, puta dicens non proponere se abstinere in futurum. Sacerdos, quamvis nullo modo debet absolvere, aliàs peccat abutens clavi, nec valet illi tunc illa absolutio; tamen ex quo intendit absolvere, & Sacramentum verum conferre, quòd conferat; & si tunc non habet effectum propter illius indispositionem, habebit postea, quando conteritur, vel ex pactione, vel ex dispositione ornatùs manente. Hactenus Sanctus Doctor. Credo nostros Probabilistas non loqui adeo benignè

33. In §. 6. docet, Confessorem inferiorem auditis peccatis reservatis, & non reservatis debere pœnitentem absolvere, à quibus potest, & à quibus non potest, remittere eum ad Superiorem, sicut Superior potest absolvere à reservatis, & pro non reservatis remittere ad inferiorem; sicut etiam in foro judiciali potest quis absolvi ab uno Judice, & ab una sententia, & ab alio ab alia. In §. 7. ait dari quasdam circumstantias, quæ important disconvenientiam ex suppositione, *ut furari multum*, & istas, quia peccatum aggravant, confiteri est perfectum; nisi, ut patet, propter sui periculum, vel Confessoris, vel tertii; *sed quia non mutant speciem, nec aggravant in infinitum*; sed non est necessarium eas confiteri secundum Thomam. *Sed Paludan. dicit, quod quamvis ista sit communis opinio, tamen alia est tutior, scilicet quod confiteatur eas, cum notabiliter aggravant, puta, ut furari centum florenos multò gravius est, quam furari unum.* Probabilioristæ Moderni ex Thomistis ex Textu adeo claro Divi Antonini relinquant imposterum dicere, Divum Thomam non esse pro parte benigna in materia de circunstantiis aggravantibus non confitendis. Ad quid velle facere rigidum Doctorem Angelicum, cum Divus Antoninus illum benignum crediderit?

34. In §. 12. tenet cum Rodon, quòd si quis recepit in Confessione deposita, vel credita, si per Episcopum fiat inquisitio de his, Confessarius tenetur revelare veritatem, quia etsi recepit in Confessione, de hoc casu non cogitavit. Et hoc est verum, licèt Confessarius juraset non detegendi talia debita, & secreta. Si verò inquisitio fieret à Tyranno, tunc Confessarius subterfugere debet, *vel sophisticè respondere, & non revelare.* In §. 14. tenet, habentem solùm venialia non teneri præcepto Ecclesiæ de semel confitendo in Pascha. In §. 15. ait, si Confessor dubitaret, utrum illud, de quo non pœnitet alius, esset mortale, & ille diceret, quòd de consilio peritorum [illegible]

faceret,

aceret, de quibus ex vita, & conscientia *probabile est*, quòd non consulerent nisi benè, potest se illorum judicio confirmare; secus autem, si esset certus de opposito. Eandem opinionem docet de omni Confessario titul. 17 c. 20. §. 2. ut retuli cap. undecimo num. 37. Idem docet part. 1. tit. 3. cap. 10. § 10 vers. *revertendo ad quartam.* Si Confessor audit duos, & unus dicit se peccasse cum illo alio, ille autem, cum confitetur, non dicit hoc; & si in generali possit Sacerdos interrogare, utrum aliud peccatum commiserit, non tamen debet dicere, quòd ille alius confessus est, nisi super hoc habuisset licentiam ab illo; *quòd si habita licentia hoc dicendo ille negat, non debet magis uni credere, quàm alteri; unde propter hoc non debet negare absolutionem; item si plures circunstantias dicit unus, quòd alter negat, & necessaria confiteri.* Credo nostros Probabilioristas non assensuros hujusmodi benignitatibus.

35. In §. 16 tenet, virum doctum, & fortem in fide posse in casu necessitatis recipere Sacramentum Pœnitentiæ ab Heretico. Refert ibi oppositum rigidam opinionem tradi à Divo Thoma, Raymundo, & Hostien. In § 17. docet, in nullo casu nos teneri ad confitendum Laico, licèt antiquitus adesset opinio probabilis strictior. Item docet, quòd postquam quis semel absolutus, etiam extra casum necessitatis, in casibus reservatis ab eo, qui poterat, etiamsi Confessio fuisset ficta, si iterum, & pluries vult confiteri, de iisdem casibus reservatis absolvi à quocunque potest, etiamsi non haberet potestatem absolvendi in illis secundùm Petrum de Pal. In hoc casu nequit benigniùs decidi

36. In §. 18. dicit, quòd ignorans suum Parochum esse intrusum per simoniam, si confiteatur eidem, validè absolvatur, nec tenetur iterum ad confessionem, ut dicebat alii opinio rigidior. In fine hujus capitis scribit: Si Sacerdos *credit*, vel dubitat, quòd confitens non aget pœnitentiam, vel istud, ad quod aliàs tenetur, ut restituere, & hujusmodi, dicit Guillelmus, quod non debet propter hoc Confessor exigere promissionem, vel votum, vel juramentum, sed sufficit, non dicat, se habere propositum faciendi; & sic debet absolvere simpliciter, & sine conditione, facta tamen protestatione, *si suspectus habetur, quod si non faciet illud, evacuabit sibi fructum confessionis. Hæc Guillel.* Hactenus Antoninus ex Guillelmo Rodonensi, qui hæc scripsit in Glossa Raymundi lib. 3. de pœnit. & rem. s. §. 49. V. *Possit portare.* Hæc doctrina Beati Antonini videtur multùm benigna, & Probabilioristæ certè illa non uterentur. Legat Lector proposition. 60. Innocent. Und.

37. In c. 20. § 1. scribit: si pœnitens est potens facere pœnitentiam, tunc oportet, quòd ipse satisfaciat pro seipso; potest tamen juvari per alterum; & addit Thomas, quòd etiamsi sit potens, potest alius satisfacere pro eo, sed non est permittendum, nisi appareat aliquis defectus in pœnitente, vel corporalis, per quem sit impotens ad sustinendum, *vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandam pœnam.* In §. 2. sicut. & tit. 17. c. 21. §. 4. docet, satisfieri præcepto Confessarii, si fiat pœnitentia in peccato mortali; & in c 20 ante §. 1. tradit, confitentem peccata, & non pœnitentem, & propter hoc non absolutum, satisfacere præcepto Ecclesiæ de annuali Confessione.

38. Alias benignas opiniones, quas habet Sanctus Doctor, præcipuè de Confessione in d. tit. 17. libenter omitto, ut brevitati studeam. Iterum tamen reputo, quòd ego, & etiam alii Probabilistæ litem componemus cum Probabilioristis libenter, compromittendo in Beatum Antoninum, ita ut sive teneamur sequi probabiliorem, sive non teneamur, sequamur illas opiniones, quas in suis operibus docuit hic magnus Archiepiscopus. Tenent Probabilioristæ esse confitendas circunstantias aggravantes. Negant Probabilistæ. Illi, quia hæc opinio est probabilior, & tutior; isti, quia

quia est probabilis. Vos Probabilistæ, & Probabilioristæ in obsequium Magni Antonini captivate intellectum vestrum, & sequimini ejus judicium. Quis detrectare audeoit? Vos Probabilioristæ præcipuè hoc nequitis renuere, cum sit Doctor Probabiliorista. Sed jam vidistis, quòd sententia sancti viri est pro Probabilistis, clarè enim, ut retuli negat, dari in hoc casu præceptum. Ergo sive teneamur sequi opinionem probabiliorem, sive non, si tamen semper possum omittere circunstantias aggravantes in Confessione, quid juvat altercari, an teneamur sequi probabiliorem in Confessione?

39. Hic breviter paucas opiniones benignas Divi Raymundi de Peñiafort subdo. Paucas subdo, quia in rei veritate est valdè rigidus; unde paucas habet benignas; ejus tamen Glossator, Guillelmus Rodonensis, fuit benignissimus omnium, qui ipsum præcesserunt, & multorum, qui ipsum subsequuti sunt. Igitur Divus Raymundus lib. 2. tit. de rapt. &c. §. 18. scribit: si autem vis inferatur rebus; & illatam, & inferendam licitum est repellere, sed potius, idest, potissimè illatam; dum tamen in continenti, idest, quàm citò scit vim illatam, priusquam divertat ad contrarium actum, ut in præall. Decret. *olim causam.* & *significasti.* ff. *de verbor. obligat. continuus* in princ. & si fortè, dum ille vult expellere sic hostem de possessione sua, quam injustè, & malè occupaverat, aliqui vulnerentur, vel occidantur; credo, quòd teneatur secundùm propositum supra in defensione personæ, & per eadem jura; & hoc intellige de imperfectis; perfectis enim non licet repercutere. Pono casum, mihi nuntius affertur, fures vim intulisse domui meæ, & rapuisse nummos; accurro statim cum armis, ut recuperem nummos: Non possum repellere à possessione, nisi illos vulnerem, vel occidam; ergo illos vel vulnerando, vel occidendo non excedo modum defensionis; & sic erit licita talis defensio.

40. Lib. 3. tit. de pœnit. & remiss. §. 21. scribit: *Unum tamen consulo*, quòd non sisnimis pronus judicare mortalia peccata, ubi sibi non constat per certam scripturam esse mortalia, *sed potes dicere esse peccata, & inducere homines ad pœnitentiam de talibus; aliàs enim possent induci homines citò in desperationem.* Hæc doctrina est directè contraria regulis Probabilioristarum. Ipsi nedum tenent, & prædicant esse mortale, *quod per certam scripturam constat esse mortale*, sed etiam, quando in diversitate opinionum, *probabilius ipsis videtur esse peccatum mortale.* Hoc autem judicium probabilius non est tanti vigoris, quàm *certa scriptura*; Ergo Probabilioristæ in hac regula primaria, & capitali opponuntur Beato Raymundo. In §. 46. refert duas opiniones. Prima dicebat, Confessarium non posse recedere ab imponenda pœnitentia præscripta à Sacris Canonibus pœnitentialibus, *nisi propter causam.* Secunda affirmabat indistinctè omnes pœnitentias else arbitrarias. Subdit Sanctus Doctor: *Hanc ultimam opinionem videtur amplecti consuetudo; prima tamen est tutior, licèt difficilior.* Verùm, quamcumque opinionem teneas, *nota, quod tria sunt crimina &c.* Ecce evidenter, quòd permittit utramque opinionem, & secunda est multum benigna, utpotè, quæ à rigidissimis pœnitentiis liberat peccatores, & minùs tuta, dum alia erat *tutior.*

41. In §. 49. dicit, si Confessor non potest inducere pœnitentem, *qui non vult subire onus pœnitentiæ dicens se tenerum, valetudinarium, vel male complexionatum, vel simile*; non potest, inquam, hunc inducere ad debitam pœnitentiam suscipiendam, tunc imponat ei talem satisfactionem cum voluntate sua, quam utiliter possit portare, ne fortè postea frangendo, deteriùs peccet. Nostri Probabilioristæ hunc *tenerum, & malè complexionatum* acriter objurgarent, & si rigidam nollet pœnitentiam peragere, rigidiùs non absolutum dimitterent. Nos sequamur benignam Probabilitatem B. Raymundi.

42. Sic etiam §. 60. tenet, quòd, si quis

quis confitetur se incidisse in hæresim, & vult cessare ab aliis peccatis, sed non ab hæresi, debet Confessarius adire Episcopum, & dicere, custodi super oves tuas, quia lupus est in grege. *Vel, si placet, dic, quod possit revelare talibus, qui possunt prodesse, & non obesse.* Ecce dat libertatem, *si placet, dic*, amplectendi opinionem benignam, quæ in rei veritate his temporibus est nimiùm benigna; & ideo, cum reverentia Divi Raymundi, est dimittenda. Suo loco fusiùs expendam hos duos textus, nam meo judicio probant, nos posse sequi utramque opinionem. Infrà in quæstionibus de Probabilitate, de æquali, & minori Probabilitate alias benignas huius Sancti opiniones referam. Hos textus retulisse sufficiat pro probatione minoris mei argumenti allati cap. 13 num. 2. Existimo enim evidenter ex his constare apud Antiquos datas fuisse opiniones *Benignas* solùm Probabiles; atque adeo, quòd Probabilitas Modernorum non sit rejicienda ex eo capite, quia ex ipsa sequuntur opiniones lassæ, idest, benignæ.

42. Dices, textus allati non inserviunt ad propositum, quia opiniones benignæ Modernorum traduntur ut merè probabiles; opiniones verò benignæ Divi Thomæ, Scoti, Divi Antonini, & Raymundi sustinentur ab ipsis ut probabiliores; Opinio autem benigna merè probabilis est rejicienda, ac detestanda, non verò opinio benigna probabilior.

43. Sed contra est, quia Adversarii rejiciunt Probabilitatem ex eo capite, quod ex ipsa sequuntur opiniones, quas ipsi appellant lassas, & nos dicimus benignas, ut admonui cap. 13. num 2. Instruo ergo argumentum evidenter contra. Vel *Lassitas*, seu *Benignitas* est aliquod malum, vel bonum. Si malum; Ergo ex quovis capite proveniat, est abjicienda; quia malum semper est fugiendum. Si bonum; Ergo Probabilitas Modernorum est amanda, quia bonum est amandum. Tum quia si est bonum; ergo saltem Probabilitas non est rejicienda ex eo, quòd est causa *opinionis benignæ*, quia bonum ut tale non est reiiciendum. Sic, quamvis fornicatio sit essentialiter mala, non est mala tamen, nec rejicitur, quia ex ipsa sequitur generatio prolis; quin ex hoc capite est bona. Sic etiam donare alienum est intrinsecè malum; tamen donatio rei alienæ ut causativa Amicitiæ non est mala ex hoc capite, quia laudatur à Domino Luc. 16. Ergo malè faciunt Adversarii, dum rejiciunt Probabilitatem, quia ex ipsa sequuntur opiniones *lassæ*, idest, *benignæ*.

CAPUT XVII.

An sit magis deferendum Antiquis, vel Modernis in difficultatibus Moralibus.

1 INvidia plena est quæstio præsens; & quisque opinionem, quam eligit in hac materia, pugnacissimè defendit, & firmissimè adhæret eidem. Probabilioristæ Moderni pro Antiquis, Probabilistæ verò pro Modernis pugnant. Pauci tamen, quos viderim, quæstionem agitant diffusè, & ex professo. Titulus difficultatis est in materia morali; In speculativa etenim Theologica omnes videntur concedere palmam Antiquis, eò quòd Antiqui fuerint viciniores Apostolis, qui principia Fidei tradiderunt, & explicarunt. Si hæc ratio est solida, videtur manifestè probari, hoc idem valere in materia morali Juris Divini, cum hoc etiam Apostoli docuerint, & explanaverint. Hic iterum repeto cum Caramuele, pro Antiquis me non intelligere Ecclesiæ Patres, quorum explicatio unanimis super aliquem textum Scripturæ ex Tridentino Sess. 4. decret. de edit. & usu sacror. libr. facit propositionem certissimam; & insuper eorundem opera sunt approbata, & laudata ab Ecclesia in cap. *Sancta*. 15. distinct. Intelligo ergo Doctores, qui vixerunt ante nos per annos ducentum juxta meam

rationem, cur celeberrimi Thomistæ in Summa Divi Thomæ versatissimi, dum Decalogum explicant, non semper pro illis casibus afferunt Summam illam, sed nec alium Textum Operum Divi Thomæ? Tunc Vendrochius, & ejus defensores probabunt esse verum dictum allatum, cum dilucidabunt Decalogi casus necessarios quotidie, & Sanctum Doctorem allegabunt semper; & si hoc facient, justè poterimus conqueri de Schola Thomistica, & nominatim de doctissimo Patre Natali Alexandri, qui in sua Theologia dogmatica morali professus se doctrinam confirmaturum fore ex Divo Thoma, Divo Raymundo, & Divo Antonino, tamen non tam crebro utitur textibus illorum Patrum.

6. In ordine verò ad extollendos Antiquos Vendrochius ex iisdem Capitibus, quibus videbantur non laudandi, mirum in modum eorum haurit Encomia. Antiquorum laudi videbatur obstare paucitas Doctorum scribentium de moralitate, & exilitas operum, seu paucitas Casuum, quos in suis voluminibus edocuerunt. Hoc totum vertit in decus magnum, & laudem. Ait enim, *Non fortuitò contigisse credendum est; sed quia res admodùm periculosa, lubrica, ingentis cautionis, & divinæ cujusdam prudentiæ est, de conscientiæ latebris, de gravitate criminum, de distinctione venialium, & mortalium culparum, de modo injungendæ pœnitentiæ disputare. Igitur cùm operis molem cernerent prisci illi, & pietate, & lumine nobis tantò præstantiores, ferè satis esse duxerunt generalia ponere morum principia. Pauci admodùm explicandæ universæ Theologiæ moralis onus subire voluerunt.*

Ut verò illud idem, quod maximam laudem Modernis conciliat, vertat in dedecus eorumdem, sic subdit: *Nunc verò pars illa Ecclesiasticæ scientiæ longè gravissima ab audacissimis,* (nota encomia,) *& infirmissimis simul ingeniis occupata miserè laceratur. Nemo non se ad illam putat idoneum, Nemo non illam aliquid commentatur. Hinc illa Casuistarum nubes, qui tanquam Ægyptiacæ ranæ in Ecclesiam incubuerunt, & nihil penè jam in moribus integrum reliquerunt.*

7. Si materia moralis solùm tractanda fuisset in Scholis, optimè fecissent Antiqui, & consultò sic fecisse crediderim; in rei enim veritate moles maxima est, & solùm Atlantibus deferenda. At, at tractanda est in Confessionariis. Quotidie fideles interrogant viros doctos, & petunt doceri modum v. g quo usus matrimonii liceat; regulas, ut benè se gerant in contractu; documentum, ut discernant verba blasphæma à non blasphæmis &c. Si ergo antiquitus hi casus particulares non erant tractandi in Scholis, & scribendi in Libris, quomodo vir doctus consultus potuisset respondere? Nunquid debebat statim petere Ecclesiam, & justa documenta Vendrochii orare Patrem luminum, ut per miraculum, & per specialem illustrationem imbueret ipsum cognitione illorum casuum? Certè naturaliter statim, ut est necesse in Confessionario, non potuisset benè solvere difficultates. Quid? si Antiqui, licèt per longum, & quietum studium in propriis cubiculis se agnoscebant non aptos ad solvendos casus illos particulares, quomodo cum mera reflexione, & brevi potuissent tot casus enodare, qui occurrunt quotidiè in Confessionibus audiendis? Forsan Vendrochius dicet, quòd propter hoc paucissimi erant Confessores antiquitus. Tunc & necesse erit concedere, quòd propter hoc rarò fideles confiterentur, & semel in anno; & forsan propter hoc Doctores Antiqui plures volebant, de necessitate fideles debuisse peccata confessa aliàs delegato iterum fateri suo Parocho tanquam Confessori verè idoneo, & docto.

8. Sed hæc Doctrina non vigebat in Parochis tempore Alberti Magni. Scribit enim in 4. distinct. 17. art. 44. quòd *perpauci inveniuntur Sacerdotes, qui veri sint Pastores, sed potiùs Vicarii conducti pretio vili, & quod abominabilius est, nec sunt perpetuati in multis terris, sed conducti ad annum, vel etiam ad dimidium,*

dium, vel mensem, & hac omnia scio, quia vidi &c Et ideò satis necessarii sunt Confessarii delegati, *qui vita, & scientia populum audiant, & absolvant.* Ex hoc Textu colligere liquet ignorantiam Parochorum illorum temporum; quia erant necessarii delegati, qui *vita, & scientia* populum audirent, & absolverent

9. Infra art. 60. dicit, esse sufficienter instructum, seu reputari talem pro *temporis hujus necessitate* Sacerdotem pro audiendis Confessionibus, si sciat discernere in communi, *quæ sint capitalia mortalia communia, & quæ ex genere venialia, & hoc valdè est leve.* Certò meo judicio Sacerdotes illo tempore poterant parum ediscere, si tam parum sufficiebat pro audiendis Confessionibus. His temporibus sunt quidem necessarii Delegati, non equidem ob scientiam, (Parochi enim verè sunt docti, cum faciliter edoceri potuerint ob multitudinem Librorum Theologorum Modernorum) sed ut fideles crebriùs confiteri possint. Igitur tenendum est, antiquitus paucos scripsisse tum in speculativis, tum in moralibus, & pauca scripsisse præcipuè ob deficientiam librorum. Facile est inventis addere; at difficillima est incœptio in quacunque Facultate. Doctrinam deducamus ad praxim. Velit quis componere totam Moralem Theologiæ juxta antiquiora tempora, habebit ex Casuistis Moralibus, quos citat Bellarminus, Summas Raymundi, Rainerii, Astesani, & Pisanellæ. Pisanella est adeò parva, & jejuna, ut ferè nullius utilitatis, & solùm nonnullos casus solvit. Astesana in tanta paupertate illorum temporum est abundans, & copiosa, & procedit modo Theologico, & Canonico; unde omnino est laudanda: Raineria procedit per rationes Theologicas, nec Canones allegat, vel raro, aut sanctos Patres; Affert quidem Divum Thomam, sed tunc non erat nec inter Sanctos ab Ecclesia cultus, nec sua Doctrina approbata erat per Ecclesiam; & tota illa Summa est extracta merè ab aliquibus Modernis illius temporis, Sapientissimis quidem; scilicet Alberto, Alensi, Beato Thoma, Beato Bonaventura, Petro de Tarantasia, & ab aliquo alio. De hac Summa verè potest dici id, quod de Summis Modernorum asseruit Vendrochius, quod redicit merè eadem, quæ alii dixerant. Est tamen satis copiosa. Raymundina verò est pulchra valdè, & docta, sed multùm inops, & jejuna casuum: Hic ergo studiosus in praxi cognoscet, quantam difficultatem experiri sit opus, qui vult esse multùm versatus in morali, & in hac facultate scribere, si solùm Antiquos hosce evolverit. E' contra studeat quis cursui Theologico Castropalai, operibus Dianæ, Summæ Bonacinæ, & Laymani, potest quis negare, quòd hic apprimè discet casus penè omnes hujus materiæ? Sic experior ego. Habuerunt hi errores suos, sed Antiquos illos excusare ab omni errore, certè nec Vendrochius poterit.

10. Adversarii nullum Argumentum afferunt, quo probent hanc præcellentiam Antiquorum; potest tamen dici, cum supponant Modernos falsitate plenos, quin hoc expressè sæpè afferant; ex alia parte videntur etiam supponere in Antiquitate effulsisse veritatem; Ex his præmissis motos fuisse ad talem assertionem tenendam. Quam veritatem habeat talis ratiocinatio apparebit ex hac, & sequenti quæstione.

11. Fagnanus equidem in c. *ne innitaris.* de constitut. num. 349. affert authoritates Doctorum, qui præferunt Antiquos Modernis, & Authoritates Scripturæ, & Sacrorum Canonum. Sic dicitur Job cap. 12. *In Antiquis est sapientia, & in multo tempore Prudentia.* Ecclesiast. cap. 39. *Sapientiam omnium Antiquorum exquiret sapiens*; & cap. 8. ibid. *Non te prætereat narratio Seniorum, ipsi enim dedicerunt à patribus suis.* Vide etiam cap. 25. Facillimè tamen respondetur, & ad primum ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 47. art. 15. dico, *per Antiquos* non intelligi eos, qui ante nos vixerunt, & jam mortui sunt, sed inte-

telligi eos, qui multis annis vixerunt, & illos appellamus *Senes.* Ecce verba sancti Doctoris, qui cum retulisset illum textum ad probandum prudentiam esse naturalem, sic scribit: *Prudentia magis est in senibus, non solùm propter naturalem dispositionem quietatis motibus passionum sensibilium, sed etiam propter experientiam longi temporis.* Hac quoque explicatione intelligi potest prior textus ex Eccles. desumptus. Tum quia si debet intelligi de Doctoribus veteribus, adhùc nihil valet, quia non valet, debemus legere Antiquos; ergo Antiqui sunt Sapientiores Modernis; Sequitur enim solùm, ergo Antiqui sunt sapientes. Tum quia forsan est vera illa explicatio Glossæ in cap. *& purgabit.* V. *Antiqui.* 50. distinct. quòd scilicet *per Antiquos* intelligantur sancti Patres, & viri, qui à Deo specialiter sunt illuminati in tradendis Doctrinis. Et huic explanationi quadrat textus sequens: *& in Prophetis vacabit.* Procul dubio verò de iis, qui multo tempore vixerunt, intelligitur altera Authoritas Ecclesiastici, *Non te prætereat narratio Seniorum.* Nota, *Seniorum* dixit, idest illorum, qui multam ætatem habent, non verò Antiquorum, idest illorum, qui multo tempore mortui sunt ante nos, ut quæstio nostra procedit. In primo sensu Suarez, qui vixit septuaginta annos, potest dici *Senior, & Antiquus*, non verò Divus Thomas, & Scotus, qui sexaginta non attigerunt. E' contra in secundo sensu Doctor Angelicus & Subtilis sunt Antiqui, non verò Suarez. Eandem explicationem patitur caput 25. ut legenti illud patebit.

12. Allegat pro sua opinione Fagnanus Sacros Canones. Sic in c. *de quibus.* 20. distinct. *dicitur: faciliùs invenitur, quod à pluribus senioribus quæritur.* Et in c. *Domino sancto.* 50. distinct. *Quotiescunque in gestis Conciliorum discors sententia invenitur illius Concilii magis teneatur sententia*, cujus antiquior, *aut potior extat Authoritas.* Poterat allegare potiori jure. c. *ita Dominus.* 19. dist. in quo vituperatur, qui firmitatem Petri tentat infringere favendo cupiditatibus suis, & id, *quod accepit à veteribus*, non sequendo.

13. Cum Fagnanus sit in jure versatissimus, mirum est, quomodo priorem textum citaverit. Ante illum dicitur: *Seniores Provinciæ congrega, & eos interroga; faciliùs nanque invenitur &c.* Ecce quòd Canon loquitur expressè de hominibus viventibus; mortui enim nec interrogari, nec congregari possunt; Ergo textus ille non debet intelligi de Antiquis, ut nos loquimur; omnes siquidèm intelligimus pro his homines prædecessores nostros jam mortuos. Glossa verò explicans vocem *Seniores* dicit; idest *Sapientes.* cap. *Porrò* 84. distinct. Canon ergo sic jubet, quòd si aliqua causa detur adeò difficilis, quæ nec per Sacras Scripturas &c. valeat dissolvi, tunc congregandi sunt Seniores, *idest Sapientes*, faciliùs namque invenitur, quòd à pluribus Senioribus, *idest Sapientibus* quæritur. Hæc procul dubio explicatio colligitur ex c. *Porrò.* 84. distin. allegato à Glossa, in quo Anacletus Papa Epist. 2. ad Episcop. Italiæ asserit, quòd Presbyter, idest Senior, non dicitur talis *propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam nominatur.*

14. Textus ex c. *Domino sancto* videtur habere vim, sed nihil urget. Jam scimus per Jus, & legem posteriorem derogari priori cap. 1. *de constit. in 6. l. non est novum. ff. de leg. §. posteriore Institut. quibus mod. testament. infirmetur*; & sic lex nova prævalet antiquæ. Hinc in cap. 1. *de cognat. spirit.* expressè dicitur: *Ut secundùm posteriorem Canonem* debeat observari, ut scilicet *Filii duorum compatrum, per quorum neutrum deventum est ad compaternitatem, licitè ineant matrimonium inter se.* Observa, quòd hic Canon est Alexandri Tertii, & est positus in Decretalibus, undè certè habet vim legis. E' contra authoritas illius. cap *Domino sancto* est Isidori, qui leges Ecclesiasticas condere nequit; & insuper est in Decreto Gratiani, de quo non est certum, an habeat vim legis; quin Scotus in simili rejicit ejus Authoritatum. Insuper cap. *Presbyter.* 82. distinct. dicitur, quòd, licèt per Canones Apostolo-

stolorum Presbyter fornicarius debeat deponi, tamen per Authoritatem Sylvestri Papæ, si illum pœniteat per decem annos, redit ad pristinos honores. Ecce Canon novus prævalet Antiquo, etsi edito ab Apostolis.

15. Quia est axioma legale, *Leges debere conciliari, non corrigi. c. cum expediat* de elec. in 6. Ideò Concilio text. *Dño sancto* cum à me allatis, & dico cum Glossa. V. *Discors.* quòd quando constitutiones ambæ sunt particulares, & locales, tunc antiquior prævalet; si verò ambæ sunt generales, semper posterior derogat priori, & antiquiori, juxtà illud cap. 1. de cognat. spir. *& l. non est novum. ff. de leg.* Intantùm verò lex particularis antiquior prævalet posteriori, quia per consuetudinem potiores vires acquisivit, quàm posterior. Antiquitas autem in Doctore non video, quid ipsi magis tribuat. Reperiatur de novo liber Doctoris viventis cum Divo Thoma, qui liber non fuerit lectus, aut visus hoc medio tempore ab aliquo, aut approbatus, forsanne huic libro tribues majorem authoritatem, quàm libro de novo edito? Ego certè non tribuam; quin rationabiliter dubitabo, ne contineat aliquam propositionem damnatam recenter à Summis Pontificibus; cum enim hæ materiæ illis temporibus non essent definitæ, & decisæ, hinc erant ambiguæ, & obscuræ; & sic suspicari licet, quòd in obscuris erraverit, sicut erraverunt ob hanc rationem Glossatores decreti Gratiani teste Gregorio Tertiodecimo in Bulla præfixa eidem Decreto excusso Romæ. E' contra de Modernis, qui scripserunt post tales decisiones, sum certus, quòd in hisce non aberraverint.

16. Ad textum ex cap. *ita Dominus.* Respondeo intelligi in determinata materia de firmitate Cathedræ Beati Petri, ut legenti textum patebit. Et ad similitudinem dico, dicta veterum esse sequenda, si sint tanquam de re ab aliis accepta sine controversia; sic enim important traditionem. Non verò esse sequenda, si sint de re controversa, & in disputationem posita; tunc enim etiam Adversarii fateri debent, si Moderni inveniant rationes probabiliores, ipsos esse sectandos, & Antiquos cum reverentia dimittendos, & hoc observat Geminianus in hoc c. num. 2. Vide etiam Præpos. ibid. num. 9.

17. Allegat quoque Fagnanus per se l. 1. *ff. de offic. quæst.* ubi dicitur: *& sanè crebior apud veteres opinio est.* In illa lege quærebatur, quonam tempore officium Quæstoris Romæ incœperit; & lex dicit, quòd crebior apud veteres opinio est, tale officium fuisse tempore Numæ Hostilii. Nemo negat, Historicos Antiquos plus mereri fidem in narrandis factis antiquis, quàm Modernos; quia si vixerunt illo tempore, jam sunt testes de visu; si post parum vixerunt, potuerunt scire illa ab iis, qui præsentes fuere. Moderni verò in ordine ad facta antiqua ratione propria non merentur aliam fidem, nisi quatenus supponantur legisse Historicos Antiquos. Contrarium accidit in quæstionibus obscuris de jure insurgentibus, ut patebit ex meis probationibus.

18. Deinde plures Doctores Antiquos, & Modernos refert in confirmationem suæ opinionis. Sed aliqui nihil dicunt, & aliqui laudant Antiquitatem equidem, quod justissimè faciunt, & solus invidus omitteret, non tamen per hoc præponunt Antiquitatem Modernis. Sic Speculator in prœmio num. 6. ait: *Tanta nobis Antiquitati habita est reverentia, ut nomina Sapientum taciturnitati tradere nullo patiamur modo.* Jure dixit Speculator. Et utinam Antiqui servassent methodum omninò laudandam, quamvis ab Adversariis vituperatam, quam adhibent Moderni, qui coætaneos Doctores pro suis opinionibus allegant. Sic enim non perit memoria Doctorum apud posteros, & insuper demonstratur opinionem propriam non esse singularem. Antiqui autem, dum non citant pro suis assertionibus Doctores, vel paucos, sinunt perire memoriam suorum Doctorum, & insuper animus nequit multùm quiescere, dum non certifica-

ficatur, an sit Doctrina singularis, vel communis &c.

19. Cardinalis in Proem. Clem. num. 4. qui etiam ipse allegatur à Fagnano, nihil dicit ad propositum, sed solùm narrat Doctores, qui scripserunt in Clementinas. Ancharanus autem, Doctor & ipse Fagnani, nedum est pro ipso, sed pro me; siquidem in proœm. Sexti. primò refert Doctores Legistas, & Canonistas, & si non erro, erant Doctores Moderni pro suo tempore. Subdit enim: *Ego Petrus Jo: de Ancharano &c. Sexti, & Clementinæ* prædictorum Modernorum *scripta, & commenta studui, & discurri, non tanquam transfuga, sed tanquam explorator*, ex quorum *dictis visum fuit Novellam Sexti, & Gloss. & Clem. posse perfectiùs declarari. .. .. ideò utilissimum mihi visum est, Theoricas, & Doctrinas* Modernorum Doctorum, *quibus plurimùm utitur.* Ecce hic Doctor quanti æstimat Modernos! plurimùm illis utitur; studet ipsis non velut transfuga, sed ut explorator, & credit per ipsos perfectiùs declarari Sextum Decretalium, & Clementinas. Si hæ propositiones expressè non præferunt Modernos Antiquis, nescio quibus verbis clarioribus poterat hoc experiri; nolui examinare alios Doctores, quos allegat Fagnanus, an sint pro ipso. Tum quia opponam ipsis alios, & quidem Antiquos.

20. Conventus Gallicanus Illustrissimus inter propositiones à se damnatas hanc locat num. 117. *Puto omnia esse hodie meliùs examinata, & hanc ob rem in omni materia, & præcipuè in morali, libentiùs Juniores, quàm Antiquiores lego, assequor.... Doctrina Fidei à veteribus, doctrina morum magis à Junioribus petenda.* Censurat verò hanc doctrinam hisce verbis: *Hæc Propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, Sanctis Patribus, & Antiquis Doctoribus contumeliosa; spreta in moribus Christianorum componendis necessaria Scripturarum, ac Traditionis Authoritate, & interpretatione. Moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones, & Doctrinas, Christo prohibente, stabiliendas.* Audisti fulmina, & fulgura?

21. Fateor meam ignorantiam, me nunquam potuisse imaginari, quomodo illa propositio sit contumeliosa Sanctis Patribus: Ibi enim sermo est de *Antiquioribus, & Veteribus.* Fateor quoque sub illis nominibus posse Patres intelligi; cum tamen hoc non sit necesse. In concessione generali non veniunt ea, quæ sunt speciali nota digna juxta Canonum statuta. Sicut ergo ob prærogativas speciales Legislator non vult comprehendi quædam, quæ aliàs viderentur comprehensa, ita possumus discurrere, quòd Sancti Patres ob speciales prærogativas non subintelligantur in quibusdam nominibus generalibus, quamquam videntur intelligi. Igitur iterum, atque iterum dico, me sub nomine Doctorum Antiquorum, Veterum, & similium nunquam intelligere Sanctos Patres. Hosce voco honorabilioribus nominibus, nec illos cum vulgo hominum, ut loquar cum Caramuele in Theolog. Fundam. Romana lib. 1. Fundam. 8. num. 332. compono. Si ergo ab illa propositione possunt excludi Patres, jam potest defendi, quòd ipsis non sit contumeliosa.

22. Nescio pariter, qui per illam Doctrinam spernatur Authoritas Scripturæ, & Traditionis quoad mores. Propositio præponit in rebus, quæ examinantur, Modernos Antiquis. Si aliqua doctrina est Traditio, jam non examinatur, & discutitur, cum sit res clara, nec Moderni differunt ab Antiquis; unde ut vera supponitur à Modernis, nec ullo modo examinatur. Et nemo potest negare, quòd nostris temporibus plura credimus de fide fundata in traditione, quæ non credebantur explicitè tempore, v. gr. Divi Thomæ, & plura habentur ut certa, quæ tunc sub opinione vagabantur. Tempore Divi Thomæ nonnè erat sub opinione, quòd Christus non descenderet cum speciebus Eucharistiæ in ventrem nedùm *Muris, sed etiam Hominis?* Tempore Magistri,

N 2 &Gra-

& Gratiani nonnè erat sub opinione „ quòd Confessio mortalium non esset sub præcepto? Sæpe referam hunc inter lassos lassissimum errorem de Confessione, qui tradebatur à viris Religiosis, & Sapientibus, ut digito demonstrem ingentem lassitatem, quæ solùm Antiquitati attribui potest in materia adeo necessaria, & periculosa.

23. Ut paucis dicam, quod sentio, nisi edocear, nequeo captivare, salva reverentia Illustrissimo Clero, intellectum meum, ut assentiar illi censuræ. An autem sit falsa illa propositio prima: *Puto omnia esse hodie melius examinata*, possum facilè doceri; cùm enim sit propositio Universalis, ut falsificetur, sufficit secundùm Logicos, quòd deficiat in una particulari. Qui ergo Doctores fuerunt præsentes, & Consultores celeberrimi Conventùs, poterunt nullo negotio monstrare materiam illam particularem, quam meliùs Antiqui discusserint, quàm Moderni. Si tamen sit materia, quæ vel non sit definita à Conciliis, seu Summo Pontifice, vel communi, & unanimi calculo non sit approbata à Modernis. Sic Gratianus acriter discussit, utrum confessio mortalium sit sub præcepto. Acriter pariter antiquitùs contendebant, an præcepta Ecclesiæ sub mortali obligarent. Hisce temporibus parùm, aut nihil discutitur, nisi à Controversistis contra Hæreticos; unde communiter tanquam de re certa solùm insinuatur, & idem dico in aliis multis materiis. Loquendo igitur de materiis adhùc obscuris, & sic dignis disputatione, mihi videtur illa propositio, *Puto omnia esse hodie melius examinata*, esse verissima, si conveniamus in explicatione illorum terminorum, *melius examinata*: Illos sic explico, quòd materia sit tractata proponendo argumenta pro conclusione, & dissolvendo contraria. Si ita explicentur, mens mea judicat omnino veram illam propositionem in materiis à me lectis, & perceptis.

24. Cùm hæc conclusio sit de facto, oporteret in omni materia facere comparationem referendo Doctores veteres, & Modernos, ut jure probaretur, quod est impossibile. Defensores Antiquitatis facilè possent me convincere, demonstrando scilicet aliquas materias, in quibus Antiqui enucleatiùs quæstiones elucidassent. Pro probatione mei assumpti peto solùm, ut de Antiquis afferatur Cursus Theologicus adeò completus, ut est Theologia Magni Suarii. De Religione afferantur quatuor magni Tomi, ut composuit idem Suarez. De Sacrificio Missæ ostendantur duo ingentia volumina, ut fecit Pasqualigus. De Theologia Morali monstretur mihi Summa, quæ tot casus evolvat, ut Castropalaus. Velimus descendere ad aliquam quæstionem particularem? sit de Conceptione Beatæ Virginis. Bacconius in 4. dist. 2. quæst. 4. art. 3. credidit, suo tempore esse jam satis discussam materiam. Hinc optabat, ut Apostolica Sedes litem decideret, sicut fieri erat solitum, postquam materia sufficienter est discussa. Sed post etiam tercentum annos Urbanus Octavus noluit determinare, ut refert Joannes à Sancto Thoma disput. 2. art. 2. de approbat. Doctr. Sancti Thomæ; quin asserit idem Pontifex, tantum Arcanum nondum Ecclesiæ Spiritum sanctum patefecisse. Scio „ Antiquos plures elaborasse pro Immaculata Conceptione Virginis, at cum pleno calamo, ut faciunt Moderni, nemo hoc mihi persuadebit; & puto certum, quòd, quando audiemus decretum adeo expetitum, audiemus iterum repeti formam, qua usus est Clemens V. in Viennensi Concilio relatam in Clement. 1. §. fin. de Summ. Trinit. Sic ergo audiemus: *Opinionem secundam tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum Modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem duximus eligendam, & declarandam de Fide.* Sic certè audiemus. Quoad siquidem Antiquos plurimos, & famosiores stare contra, & paucos in favorem scripsisse narrat Divus Antoninus part. 1. titul. 8. c. 2. & hæc de illa propositione speculatista.

25. Ad solvendam aliam propositionem practicam, *& hanc ob rem in omni materia, & præcipuè in morali, libentiùs Juniores, quàm Antiquiores lego, & assequor*, Assero, salva iterum reverentia Conventui Gallicano Illustrissimo, esse veram cum hac modificatione, quòd scilicet, si opinio Antiquorum sit communis, debeat contraria esse communis Modernorum; si etenim solùm aliqui Moderni hanc tenerent, sequenda esset prior Antiquorum, non qua Antiquorum, sed qua communem. Ratione probatur, meo judicio, manifesta. In principio quæstionum non possunt inveniri omnia spectantia ad illius plenam enodationem; Loquimur enim de quæstionibus; quæ enim sunt clara, non vocantur ad disputationem, sed supponuntur; sed Antiqui sunt in principio quæstionis, Moderni verò sunt postea; ergo Moderni soli possunt tractare quæstionem plenè, & adæquatè. Sed illa sententia est sequenda, quæ pleniùs, & perfectiùs agitatur; ergo potiùs est sequenda sententia Modernorum, quàm Antiquorum. Major probatur, quia in obscuris non omnia subitò percipimus, sed tractu temporis, & longo studio; hinc supra probavi multis exemplis, præcipuè de præcepto Confessionis, quòd per multum temporis ut probabiles defensæ sunt quædam propositiones à viris doctis, piis, & Religiosis, quæ postea falsæ apparuerunt, & hæreticæ, & multæ ut probabiliores existimabantur, quæ deinde de fide sunt decisæ. Sic tempore Divi Thomæ solùm ut probabiliùs credebatur matrimonium causare gratiam: In baptismo parvulorum infundi gratiam, & virtutes. Porrò nunc utraque est de fide, ut patet ex Tridentino Sess. 5. in Decr. de originali peccato, cum iis, quæ docet Sess. 6. cap. 7. & Sess 7. de Sacramentis in genere can. 6. & Sess. 24. can. 1. Sic etiam sententia de Immaculata Conceptione Beatæ Virginis teste Divo Thoma 3. par. quæst. 27. art. 2. non erat totaliter improbanda. Post plures annos tempore Bacconis multùm probabilis teste ipso credebatur. Tempore etiam posteriori Divi Antonini in linea probabilitatis adhuc continebatur. Nunc verò negari nequit, quòd in linea nobilioris veritatis versetur. Ecce evidenter quòd quæstiones in principio non plenè attinguntur.

26. Confirmatur ex Divo August. & refertur c. *solet*. §. fin. de consecrat. dist. 4. Ibi quærit Sanctus Doctor, an, si quis mimicè, & ludricè, & jocula-riter baptizaret, illud baptisma esset validum. Ipse quæstionem insolutam relinquit, ut liquet ex textu, & Gloss. Verb. *Ubi*. & dicit; esse implorandum divinum auxilium pro solutione veritatis. Nonne temporibus posterioribus vir etiam mediocriter doctus poterat illam absque speciali auxilio Dei certissimè dissolvere?

27. Confirmatur eadem major propositio ex Abulensi in Opuscul. Defensorii part. 2. cap. 18. §. ult. ubi habet: *Plurimas*, inquit, *conclusiones, & veritates invenit Modernorum ætas, quas nondum invenerat, nec cogitaverat Antiquitas.* Et rectè quidem fit, quia juxta Aristotelem Æth. 1. *tempus est bonus cooperator borum, & per tempus artium additamenta facta sunt.* Item ex Carthusian. in 4 dist. 8. quæst. 5. fin. dicitur, quòd quidam Antiqui dicebant, formas Eucharistiæ se expectare, nec unam consecrare priùs alia. Subdit postea *quòd modo*, & sic Moderni, *Doctores concorditer dicunt contrarium.* Et dist. 11. quæst. 6. in principio refert, quandam opinionem Hugonis, in fine verò dicit: *In his concordant Doctores nunc omnes, aut penè omnes, nec aliquem legi sequentem opinionem illam Hugonis.* Item Thomas Argentinas in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. §. *sed quamvis*. scribit: *Quamvis in ista conclusione concordent Moderni Doctores, tamen contra eam sunt tres opiniones Doctorum Antiquorum.* Dist. 25. qu. 1. art. 3. dicit: *Sed ista opinio Modernis temporibus non tenetur &c.* Item Albertus magnus in 4. distinct. 25. art. 1. scribit: Magister inducit quatuor opiniones.... *Sed apud* Modernos *non est dubium de boc*, scilicet quòd Sacerdotes, & Episcopi

hæretici, & Schismatici &c. conficiant Sacramenta, excepta pœnitentia. Item Gloss. in proem. Clem. V. *Joannes*, dicit: *Et quia, prout patet hic in exordio, etiam compositores jurium vix possunt tam clarum, certumque statuere, quin dubia multa relinquant. Excusabilis ero, quòd in hac prima lectione, vel glossatione singula non perfectè rimantur. Nam etiam in rebus experimur, quæ naturaliter generantur, quòd in eis paulatim de imperfecto ad perfectum venitur. Sic, & qui de veritatis cognitione à principio parum attingunt, postea quasi pedetentim ad quandam pleniorem veritatis mensuram perveniunt.*

28. Item Bacconius in 2. dist. 40. art. 1. scribit, Antiquitus quosdam dixisse, quòd judex secundùm veritatem, quam novit, debet judicare, & non secundùm allegata, quæ scit falsò allegari; unde talem accusatum debet absolvere ut innocentem. Sed istud *nunc communiter non tenetur*. Ecce communis opinio temporis præsentis, & sic Modernorum, corrigit opinionem quorundam Antiquorum tanquam falsam.

29. Item Stephanus Brulifer in 4. dist. 21. quæst. 11. sequitur opinionem, quòd pœnitens nequeat dare licentiam Confessori revelandi Confessionem, nec aliam rationem adducit, nisi quia ita docet Scotus, *& eum sequuntur Moderni*. Ecce sequitur opinionem Modernorum contra Antiquos. Item Joannes de Friburgo in Prologo suæ Summæ scribit: Quoniam dubiorum nova quotidie difficultas emergit casuum, Doctores Moderni tàm Theologi, quàm Juristæ plures casus & legendo, & scribendo determinaverunt, qui in Antiquioribus compilationibus non habentur; ea etiam, quæ *priores scripta reliquerunt, à posterioribus sunt in pluribus emendata, & perfectius declarata*. Ecce clarè *Doctores Moderni* tempore Joannis plura scripserunt, quàm Antiqui. *In pluribus* illos correxerunt. Quæ verò non correxerunt, perfectiùs declararunt. Ergo illi Moderni erant præponendi Antiquis. Pondera benè textum Joannis, & videbis continere propositionem damnatam à Clero Gallicano relatam num. 18. Nunc inquiro, si potuit Joannes dicere, nostri Moderni plura scripserunt, &c. cur nos de nostris Doctoribus hoc dicere non poterimus? si hoc dicere poterimus, manifestum erit, Modernos esse præferendos Antiquis. Et observa, quòd hic Doctor citat solos Modernos, scilicet Thomam, Albertum, Bonaventuram, Raymundum, Villelmum in Gloss. Raymund. Goffredum, Ostien, Bernardum &c. sed præcipuè utitur Villelmo, cujus liber procul dubio nullo modo est comparandus cum nostris Summistis, qui inter ipsos non sint ultimi. Exemplo Joannis evidenter disces, non esse vituperandos à Probabilioristis nostros Modernos ex eo, quòd in suis operibus citant solos Modernos. Si hoc fecit Joannes, qui inter Antiquos Summistas est prior tempore, & scientia; cur non poterant facere nostri Moderni?

30. Denique ex Divo Thoma quæst. 15. de veritat. art. 4. ubi habetur, quòd quidam dixerunt delectationem morosam non esse peccatum mortale, sed veniale, subditur inde: *Isti opinioni contradicit communis opinio Modernorum.* Et in Opuscul. 22. cap. 2. opponit quibusdam *Antiquis famosis* Regentes Studium Parisiis suo tempore.

Ex hisce Testibus liquet, in principio quæstionis non perveniri ad plenam, & claram cognitionem veritatis; & sic probata manet illa major propositio.

31. Dices, hanc Doctrinam redundare in opprobrium Antiquorum, quìn & Divi Thomæ, est sed enim grande probrum dicere, quòd Albertus, Alen. Henricus, Richard. Scotus, & ipse Divus Thomas plenè non discusserint quæstiones, quas instituerunt. Sed contra, quia (excipio Divum Thomam, & Scotum) nemo potest negare, quod illi Doctores sequuti non fuerint opiniones plures, quæ deinde temporibus modernis evaserunt minùs probabiles, ne dicam falsæ Tùm quia loquendo etiam de Divo Thoma, & Scoto,

Tho-

Thomistæ, & Scotistæ addiderunt plura, & plurima quæstionibus agitatis ab illis. Nunquid solùm, & merè explicant Textus Divi Thomæ Thomistæ, & Scoti Scotistæ? Nunquid Divus Thomas, & Scotus dixerunt omnia, quæ nunc afferuntur pro, & contra puritatem Conceptionis Beatæ Virginis? Vel circa illam quæstionem, an *Papa* possit dispensare in voto solemni? Igitur Divus Thomas, Scotus, & Doctores Antiqui discusserunt plenè quæstiones, sed pro illo tempore antiquo, ut evidentissimè patet in quæstione de Conceptione Beatæ Virginis, non verò plenè pro temporibus posterioribus. Gratianus dist. 1. de pœnitent. diffusissimè egit quæstionem, an Confessio sit sub præcepto. Plurima attulit pro præcepto, sed adhuc plenè pro posterioribus temporibus non discussit: & Divus Thomas alias rationes invenit, & addidit Textum ex cap. *omnis utriusque sexus.* de pœnitent. & remiss. qui tamen solùm ad summum per consequentiam probat intentum, & forsan ipsi posset inveniri responsio. Et in rei veritate Abbas in c. *omnis utriusque sexus.* num. 18. tenet, Confessionem non esse de iure Divino, *& multum illi placet hæc opinio.* Et tamen ipse Abbas vixit post multum temporis post Beatum Thomam. Nos Moderni addimus Textum adeo clarum, & expressum, ut solùm in hæresim incidendo potest subterfugi, & sumitur ex Tridentino Sess. 14. cap. 5. & can. 6. & 7. In quibus dilucidè, & expressè hæc veritas deciditur.

32. Minor verò nostri argumenti, in qua dicebatur, *Antiquos extitisse in principio quæstionum*, mihi videtur per se nota. Nam nostra difficultas procedit de quæstionibus agitatis tùm ab Antiquis, tùm à Modernis; ergo hæ quæstiones habuerunt suum principium non tempore Modernorum, ergo Antiquorum. Nec valet, si dicas, tempus antiquum dividi in tres partes, nempè in principium, in medium, & in finem. Hinc argumentum procedere de Antiquis in principio, non de Antiquis in medio. Non valet, inquam, quia jam habeo, esse anteponendos Doctores, qui quidem respectu nos sunt Antiqui, sunt tamen Moderni respectu illos, erga quos sunt anteponendi. Tum quia vel hi Doctores medii temporis invenerunt argumenta clara, & demonstrativa, & sic Moderni nostri non opponentur illis, nec quæstionem agitabunt, sed supponent. Tum quia, si agitabunt quæstionem, invenient alia argumenta clara, vel clariora, ut accidit discutienti quæstionem, an confessio mortalium sit sub præcepto; Ultra siquidem argumentum inventum à Divo Thoma ex cap. *omnis utriusque sexus.* Moderni nostri afferunt argumentum clarius ex Tridentino. Quod si Moderni nil de novo afferunt, jam nullam authoritatem merentur, cùm ut oves sequantur pastores, nec officium Doctoris, sed Historici gerant.

33. Quòd si Doctores medii temporis in illa quæstione non invenerunt argumenta clara; unde adhùc est locus quæstioni, tunc jam decursu temporis poterunt inveniri alia, etiam efficaciora, sive pro, sive contra. Sic pro communi opinione Antiquorum asserentium circunstantias aggravantes peccatum mortale non esse sub præcepto confitendas Moderni afferunt validum omninò argumentum ex Tridentino Sess. 14. c. 5. contra verò communem sententiam Antiquorum dicentium Beatam Virginem fuisse conceptam in peccato originali, Moderni invenerunt clarissima argumenta, quæ certè Scotus nec leviter insinuat. Ergo, sicut Antiqui medii temporis, qui erant Moderni respectu Doctorum in principio quæstionis existentium, preferebantur Antiquioribus ex eo capite, quia quæstiones fusiùs, efficaciùs, & plenissimè agitaverunt; ita pariter, quia nostri Moderni plenissimè discutiunt difficultates, quas non ita plenè enodarunt illi Antiqui. Medii temporis, debent nostri Moderni præferri illis Antiquis medii temporis, & multò magis primi temporis.

34. Probatur secundò ex illo Textu

Clementinæ de Summ. Trinit. in quo Papa dissolvens illam difficultatem, in qua quærebatur, an in baptismo parvulorum infundantur gratia sanctificans, & virtutes, sic dicit: *Opinionem secundam, quæ dicit tàm parvulis, quàm adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, &* Doctorum Modernorum Theologiæ *magis consonam, & concordem Sacro appprobante Concilio duximus eligendam.* Nota ly *Modernorum*, & observa, quòd Concilium in stabiliendo hoc decreto ad duo respexit, ad dicta Sanctorum, & ad Theologiam Modernorum. Nescio, an in Decretalibus inveniatur decisio sic concepta in laudem Antiquorum. Certè Pontifices ultimi, qui proscripserunt plures opiniones relaxativas, ad Antiquitatem Doctorum non respexerunt, quamvis fatear quòd ad Evangelium, & Sanctos Patres respexerint. Et si de Modernis Doctoribus non meminerit expressè, tamen, quia damnaverunt quasdam Propositiones, quæ Antiquitus etiam defendebantur, & tunc damnatæ non sunt; debemus hoc dicere, quòd Moderni nostri ita clarè veritatem illustrarunt, ut Sedes Apostolica motivum habuerit hisce temporibus determinandi veritatem.

35. Dices ex Fagnano num. 353. ex facto accidisse, quòd opinio Modernorum esset probabilior, & magis consona dictis Sanctorum; unde ex hoc non licere arguere, quòd pluris sit facienda Authoritas Modernorum, quàm Antiquorum; & si Antiqui eandem opinionem amplexi fuissent, illorum etiam meminisset Concilium.

Sed contra, quia in textu etiam dicitur, quòd dabatur opinio asserens parvulis quidèm culpam remitti, sed gratiam non infundi, cujus opinionis fit etiam mentio cap. *majores.* de bapt. Quæro, qui tenebant hanc opinionem? non quidem Moderni, quia Concilium dicit, secundam opinionem fuisse magis consonam Modernorum Theologiæ; ergo Theologia Modernorum magis accedebat ad opinionem Concilii; ergo opinio opposita accedebat Theologiæ Antiquorum. Et quidèm Divus Thomas 3. par. quæst. 69. art. 6. dicit, quòd *quidam Antiqui posuerunt, quòd pueris in baptismo non dantur gratia, & virtutes, sed imprimitur eis character Christi &c.* Jam nequit negari, quòd opinio fuerit Antiquorum, (*quidam Antiqui*) & insuper si fuerunt *quidam*; ergo omnes non tenebant illam opinionem; ergo alii secundam amplectebantur. Hic patet evidenter Modernos illius temporis superiores fuisse Antiquis in duobus. Primò, quòd *quidam Antiqui* primam opinionem hæreticam sequebantur, nullus verò ex Modernis. Secundò, quòd, licèt alii Antiqui sequerentur veram opinionem, tamen Concilium illorum non meminit, sed Modernorum. Ergo Concilium pluris fecit modernos, quàm Antiquos.

36. Nec juvat addere cum eodem Fagnano, inter illos modernos fuisse Magistrum, Alen. Albert. & Divum Thomam, quos quidem præponere Antiquis non est nefas, cum sint viri tanti Nominis, & Famæ, quibus non sunt comparandi moderni nostri; Non juvat, inquam, & dimittendo Divum Thomam, utpotè Ecclesiæ Doctorem nedum, sed primarium etiam, Assero, nedum allegatos Doctores, sed etiam Richardum de Mediavilla, Henricum, Augustinum Anconitanum, Ægidium, Rupertum de Russia, Petrum de Tarantasia, Bellovacensem, & alios scripsisse de Theologia illis temporibus, quibus etiam respexisse Concilium, non dubito: & quibus modernos nostros esse anteponendos, utpotè tractantes quæstiones fusiori, & pleniori calamo, fas erit. Tum quia Concilium non meminit alias qualitates Doctorum, nisi modernitatem. Quia verò Lex debet esse clara, nec ambigua. cap. *erit autem.* 4. dist. & nihil superfluum habere, ut dicitur in proemio Sexti; ergo illud nomen *Modernorum* non est superfluè positum; & sic debet aliquid operari. Non video autem quid aliud operetur, nisi movendo mentem

mentem Concilii ad Constitutionem faciendam.

37. Probatur tertiò ex l. 4. ff. *de in jus vocando.* Ibi quærebatur, quinam intelligerentur sub nomine *Parentum.* Refertur opinio *Veterum* dicentium intelligi majores usque ad Tritavum. Aderat opinio cujusdam Gaii asserens, intelligi omnes majores usque in infinitum. Lex illa deserit Antiquitatem, & Gaii, & sic moderni, opinionem sequitur.

38. Probatur quartò ex Azone, qui in Summ. in rubr. Infort. de reb. dub. n. 3. sequitur opinionem, & subdit, oppositum Antiquos sensisse. Ecce Azo sequitur modernam opinionem, & relinquit antiquam.

39. Dices, Leges, & Doctores sequutos fuisse opiniones modernorum, non propter authoritatem modernorum, sed quia illæ opiniones habebant rationes probabiliores.

Sed contra, quia Doctor acquirit authoritatem, quatenus supponitur vera dicere, & esse versatum in illa quæstione; cum ergo moderni habeant, & vivant in tempore, in quo invenire possunt rationes probabiliores, ut nunc concedunt Adversarii; sequitur modernos esse majoris Authoritatis; ille enim pluris æstimandus est, qui probabiliora docet. Vide num. 45.

40. Ex dictis patet, pro modernis constare, in pluribus casibus fuisse præpositos Antiquis à Divo Thoma, ab Alberto, ab Argentina, ab Abulensi, & aliis priscis Proceribus, & à Concilio; quare ergo nos non poterimus sequi horum vestigia? Quando ergo Adversarii afferent tot casus, in quibus discordantibus Antiquis à modernis Antiqui præpositi reperientur modernis, tunc opinionem meam deseram; si verò non afferent, stabilis permanebo in mea sententia. Et quamvis sciam, exemplis non esse judicandum, quando in illo casu lata est lex juxtà l. *nemo C. de sentent. & interloc. omn. jud.* tamen secus est, quando lex non adest; tunc enim est juxta exempla Sanctorum judicandum cap. *de quibus.* 20. distinct. & cap. *qui de mensa.* 27. dist. & cap. *si habes.* 24. quæst. 3. ut notat Glossa in cap. allegato *de quibus.* Verb. *Exempla.* ubi observat, esse judicandum juxta exempla publicæ personæ. Porrò in nostro casu habemus exemplum Clementis V. in Concilio Generali.

41. Nostræ conclusioni videtur obstare, quòd in Scholis leguntur Libri Antiquorum, Magistri, Henrici, Durandi, &c. non verò modernorum. Huic praxi oppono praxim universaliorem; Nanque omnes, qui volunt habere cognitionem plenam de quæstione, procul dubio confugiunt ad modernos, & in vanum pro tali assequutione confugerent ad Antiquos. Qui ergo præponit Magistrum magno Suario, legat Magistrum, & ego legam magnum Suarium. Si ille plura, & pleniori calamo accipiet à Magistro, æquum erit præponere Magistrum; si verò pauca, & egeno penu exarata, & sæpe obscurè dicta discet, anteponet Suarium, qui plurima, qui divite disputatione, & clarissimè resolvit.

42. Quòd si Adversarii decantabunt errores in Suario; Respondebo, quando in Suario mille errores reperient; tunc locus erit dubitationi, quis sit præponendus, an Magister, an Suarius. Si tot non invenient, ut certè non invenient, dicemus minùs errasse, quàm Magister, qui in parvo Libro vigintisex errores asseruit. Qui Libellus cum ita se habeat ad magna volumina Theologiæ Suarii, sicut 26. ad mille; ita jure dixi, si reperiantur mille errores in Suario, cum errasset æquè, ac magister, tunc superesse difficultatem, an Magister, an Suarius sit anteponendus.

43. Potest quis dicere, mirum non esse magistrum toties errasse, cum vixerit tempore obscuro; Esse verò grande opprobrium modernorum, quòd post tot decisiones claras, decipiant, & decipiantur toties. Et hinc Gregorius XIII. excusat errores Antiquorum Glossatorum ex eo, quòd vixerint tempore obscuro, & ante plurimas declarationes Romanorum Pontificum.

Res-

Respondeo, ex hoc summi argumentum ineluctabile pro modernis. Moderni vivunt tempore clariori, & post plures decisiones; ergo Moderni habent rationes clariores, & plura argumenta. Quòd si decipiuntur; decipiuntur non in illis difficultatibus, in quibus differunt, vel conveniunt cum Antiquis; sed in aliis, quæ ex novis decisionibus insurgunt; Una enim decisio est origo novæ quæstionis cap. *majores.* de bapt. §. *verum.* Sic Moderni temporis Divi Thomæ, qui eliminaverunt turpem illam opinionem Antiquorum asserentium delectationem morosam carnalem non esse lethalem, non erraverunt in hoc, in quo diffidebant ab Antiquis; Sed erraverunt, v. g. dùm dicebant, in die festo relinquere missam ex quadam pigritia non esse mortale; ebrietatem solùm assiduam esse mortale; jejunium sub præcepto incipere anno 26. Confessionem non esse necessariò præmittendam Eucharistiæ, si habeat mortalia. Erraverunt, inquam, in hisce, & aliis plurimis, ut retuli supra, quia hæ materiæ tunc erant obscuræ, quas postea à modernis plenissimè ventilatas Sedes Apostolica decidit. Observa hic pro solutione difficultatis, quæ posset fieri, quòd Propositiones damnatæ à Sede Apostolica non omnes sunt solorum modernorum, sed esse etiam Antiquorum, ut alibi demonstrabo. Et insuper errores modernorum sunt graviores, quàm Antiquorum, ut ex cap. 10. 11. & 12. colligitur.

44. Ex hoc more decidendi controversias Theologicas post longam disputationem, quem adhibet Ecclesia, ego evidens argumentum deduco, modernos esse præponendos Antiquis; cur enim, si Antiqui sunt præponendi venturis Theologis, tunc controversia non deciditur? si tempore antiquo tunc opinio probabilior habetur, cur Ecclesia non decidit quæstionem, cum aliàs sequatur opinionem probabiliorem. Clem. de Trinit. §. fin.? Quòd verò Ecclesia statim non dissolvat quæstionem, sed post diuturnum tempus à mota difficultate, notavit Bacconus in 4. distinct. 2. quæst. 4. art. 3. in quo affert plures Canones, in quibus post longum temporis spatium à mota quæstione Ecclesia Romana difficultatem determinat; & hinc vidimus supra, Urbanum Octavum noluisse decidere quæstionem de Conceptione Beatæ Virginis, quia nondum Spiritus sanctus Ecclesiæ revelaverat veritatem. E' contra decidit quæstiones de necessitate Confessionis, de infusione virtutum in baptismate &c. Ergo Spiritus sanctus solùm in fine temporis revelat veritatem, non verò in principio. Et sic revelat modernis, non Antiquis.

45. Adversarii debent fateri, & de facto fatentur, ut dicebam, modernos esse præponendos Antiquis, quando habebunt rationes probabiliores, esse verò postponendos in dubio, & ex præciso capite authoritatis, nam tempus ipsis authoritatem conciliavit.

Sed contra, quia jam concedunt, modernos posse corrigere Antiquos. Ergo in aliquo casu moderni sunt doctiores Antiquis. Ergo ab hoc casu licet arguere ad casus dubios; sicut, si semel te vici in pugna, præsumptionem magis habere possum te esse victurum, quàm tu; nam ex præteritis præsumimus futura cap. *mandata.* cap. *scribam.* de præsumpt. Fateor etiam ego, quòd temporis longitudo contulit authoritatem Antiquis, sed non præcisè ex vi longitudinis; nam, ut animadverti, si liber Antiquus delituisset in arca, & nunc de novo inveniretur, procul dubio Author illius non esset magnæ authoritatis; unde esset benè examinandus; & de facto Inquisitores in prima Editione Typographica alicujus Libri antiqui maximam curam ponunt in examinatione Doctrinæ ejusdem, quod non faciunt in impressione Doctoris Antiqui noti. Ergo non ratio præcisa longi temporis conciliat authoritatem Antiquis. Ergo aliud hoc præstat. Hoc aliud est ergo, meo judicio, approbatio modernorum, qui ponderantes rationes Libri post maturam discussionem judicant esse

esse dignum veneratione, & existimatione, quæ viris doctis debetur. Ergo Moderni dant certam authoritatem Antiquis, qui aliàs dubiam solùm haberent. Ergo moderni habent hanc certam authoritatem, juxta illud philosophicum, *nemo dat, quod non habet*; ergo moderni majorem habent authoritatem, quia certum est majus dubio.

46. Post hæc scripta invenio duos Doctores, Theologum unum, alterum Legistam, præponentes Antiquos modernis. Theologus est Pater Natalis Alexandri. Legista est Antonius Maria Coratius. Hic scripserat anno 1585. Ille verò adhuc vivit, & utinam vivat diu, ut Rempublicam Litterariam suis lucubrationibus rursus condecoret. Hic ergo Tom. 6. Theol. lib. 3. *de peccatis*, reg. 16. ait, *Doctrinam morum à veteribus, & Sanctis magis, quàm à Recentioribus petendam esse*. Pro hoc dicto allegat illos textus, *in Antiquis est Sapientia, Sapientiam Antiquorum &c. Non te prætereat &c.* De quibus egi supra à num. 10. Addit illud Timoth. 2. c. 1. *Bonum depositum custodi.* Et illud Cœlestini I. Epist. 1. c. 1. *Desinat infestare novitas vetustatem.* Et illud Hormisdæ Epist. 22. *Quid recentia cupitis, & prisca deseritis?* Tandem subdit illas propositiones à Clero Gallicano damnatas, quas retuli supra num. 21.

47. Observo, quòd Pater Alexandri conjungit *veteres* cum *Sanctis Patribus*. Si intendit significare, quòd opinio, quæ simul est & *Veterum* & *Sanctorum*, sit præponenda opinioni modernorum, hoc nemo Catholicorum negare potest, quia tunc est traditio Ecclesiastica, & sic certitudinem importat. Sed si intendit dicere, quòd opinio, quæ certò est veterum, & nondum est exploratum, quòd sit Sanctorum Patrum, sit præponenda opinioni modernorum, tunc respondeo ad ejus argumenta. Ad illud Timothei dico, ex contextu Epistolæ constare, Divum Paulum loqui de veritatibus fidei, ut observat Lirinens. comment. in eum locum cap. 27. quas veritates ipse Timotheus audierat à Divo Paulo. Hinc dico, quòd, quando opinio veterum certò constabit, esse traditam ab Apostolis, ut certus erat Timotheus, tunc illa opinio erit præferenda, tanquam ipsa veritas divina, opinionibus modernorum, & ipsi moderni, si contra illam scriberent, non essent excusabiles; *qui enim*, inquiunt Angelicus Præceptor Quodl. 3. art. 10. & Divus Antoninus 3. part. tit. 5. cap. 2. §. 9. *Assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, vel contra id, quòd publicè tenetur secundùm Ecclesiæ authoritatem, non potest vitio erroris excusari, concor. Monal. Guill. & Host.* At nostra difficultas in hoc sensu non procedit, ut dicebam. Ad textus Hormisdæ, & Cœlestini dico, eodem modo esse intelligendos. Igitur constanter dicimus, & infra difusissimè demonstrabo, opinionem veterum Doctorum non facere rem certam, & hoc debet fateri ipse Pater Alexandri; nam ipsi etiam Antiqui, ut retuli, fatentur, opinionem modernorum esse præponendam Antiquis, si opinio modernorum sit fulta *validioribus rationibus*. Ergo *opinio veterum non facit rem certam*, quia contra certitudinem non datur ratio valida, nec probabilis.

48. Est ergo opinio veterum diligenter examinanda, & ejus fundamenta discutienda, ut infra faciam de aliquibus opinionibus communibus Antiquis, & præcipuè examinabo illam communissimam omnibus Theologis, & Canonistis per tria sæcula de Baptismo parvulorum in utero matris existentium, & probabo experientia evidenti, Fundamentum præcipuum illius non esse verum in illa universalitate, in qua illud Antiqui accipiebant: Ad illas propositiones damnatas à Clero Gallicano dico, salva reverentia, esse dimittendas. Vide, quæ dixi à num. 19. & vide etiam cap. 9.

49. Legista ille est Antonius Coratius Tom. 1. lib. 1. tit. 5. de comm. opin. qui per extensum tractat quæstionem præsentem, & est, ut dixi, pro Antiquis. Hoc nititur probare, primò, quia tempus

pus omnia vorat, excepta veritate, quæ filia temporis dicitur, ut ex quodam Poeta refert Aul. Gellius lib. 12. Noct. act. cap. 12. in fin. Secundò, quia opinio Antiquorum sæpius ab aliis fuit ruminata, & impugnata; adhuc tamen non prosternitur, sed stat invicta; signum evidens, quòd ut vera, & bona censenda sit, & meritò præferenda. Tertiò, quia in rei veritate Antiqui erant doctissimi; *nam ipsi usi sunt bonis libris, cum solùm studerent textibus, & Glossis, vel textibus solis; & sic omnia in fonte viderent. Hodie verò cum sit tanta copia librorum, ut labori parcatur, datur opera libris facillimis, in quorum lectura nihil addiscitur.* Hinc Alciatus, ut doctrinam sanam acquireret, per septemnium solùm Glossam, & Bartolum evolvit.

50. Sed contra, nam primum est pro me. Si veritas est filia temporis; ergo in prima parte temporis non possumus credere, natam fuisse veritatem, sed solùm nasci post tempus transactum. Ergo, cum Antiqui vixerint in principio temporis, & Moderni post tempus transactum, quando incœpta est quæstio, potiùs, ut supra deducebam ex hoc fundamento, debemus dicere modernos invenire veritatem, non Antiquos. Tum quia in pluribus casibus opiniones Abtiquorum correctæ sunt à Modernis, non verò, è contra; ergo veritas potiùs nascitur in fine temporis, non in principio. Ex hoc patet responsio ad secundum; nam, si Moderni impugnant Antiquos, potiùs debemus dicere, modernos dicere veritatem, quàm Antiqui; quia moderni reperiunt fundamenta nova, quæ nec fuerunt cogitata ab Antiquis; quia verò hæc fundamenta nova aliquando sunt evidentia, & sic aliquando totaliter prosternunt opinionem antiquam; & sic accidit in illis duabus quæstionibus de confessione mortalium, an sit sub præcepto, & an necessariò sit præmittenda communioni. Aliquando autem non sunt evidentia, sed tantùm probabilia, quæ ex sua natura nequeunt prosternere oppositum, tamen debemus potiùs hæc credere vera, quàm opposita, eo quòd Doctores illorum, existentes in tempore minùs obscuro, judicant esse probabiliora.

51. Tertium verò fundamentum est apertè frivolum, & in ultima parte est apertè injuriosum Modernis. Igitur si moderni non haberent textus, & Glossas, tunc argumentum curreret, quia in rei veritate, ut conclusio bona deducatur, oportet habere principia clara, qualia sunt textus, & Glossæ. Argumentum etiam curreret, si moderni non possent studere, aut non studerent hisce principiis. At quis hoc poterit dicere? posset quis per audaciam dicere, modernos illis non studere; at nemo dicet, quòd nequeant ipsi studere. Hoc ergo posito instruo argumentum valdè efficax. Qui habet principia, quæ alter habet, & etiam alia, hic potest meliùs scire veritatem; hinc vir, dum est senex, meliùs scit veritatem, quàm dum erat juvenis. Sed moderni habent textus, & glossas, quæ Antiqui habebant; & insuper habent alios libros, & alia principia, nempe novas declarationes Ecclesiæ, & textus noviter repertos Patrum &c. Ergo moderni possunt meliùs scire veritatem, quàm Antiqui. Quòd si moderni non studeant hisce principiis, tunc minoris authoritatis quidem erunt, non per se, & necessariò, sed ex incuria, & per accidens. Hoc mihi sufficit, quòd tempore modernorum veritas possit magis elucescere; & sic poterimus magis credere modernis, quàm Antiquis.

52. Præterea ipse Coratius num. 41. fatetur; quòd Doctor, qui plura scribit, sit maximè authoritatis ex Alciato in tract. præsumpt. reg. 1. præsumpt. 51. fin. & hinc dicit, Accursium tantam authoritatem sibi comparasse, quia totum jus interpretatus est. Et hanc maximam credo omninò veram; nam, cum authoritas proveniat ex doctrina, quam quis habet, procul dubio, qui plura scribit erit maximæ authoritatis, quia ab effectu probat se esse versatum in

in illa materia. Subdit num. 43. illum dici jure, plura scribere, qui plenè pertractat aliquam materiam particularem. Ex hoc infert, in materia pignorum maximæ esse authoritatis Anton. Negns &c. Ex hac maxima clarè infertur Prærogativa Modernorum supra Antiquos, ut dicebam num.20.& 21.

53. Quòd verò Coratius dicat, in lectura modernorum nihil profici. Cum ipse scribat in Jure, loquitur de Jureconsultis. De civilibus ego parvam, aut nullam cognitionem habeo; parvam quoque habeo cognitionem de Canonistis. Ex hac tamen procul dubio moveor ad sustinendum, Fagnanum longè meliùs enucleasse Canones Innocentio, Joanne Andrea, & aliis pluribus Antiquis; sed enim materias, quas tangit, fusissimo calamo explicat, ut nihil ulteriùs videatur desiderandum.

54. Denique vellem, quòd hic Author reflecteret ad ea, quæ ibi dicit de senibus in casu secundo; ait enim, quòd senes sunt majoris authoritatis, quàm juvenes, eo quòd senex habet ea, quæ juvenis habuit, & insuper ea concoxit, & digessit. Insto ego, nonne post studium Antiquorum advenit studium, & digestio modernorum? ergo quæstio meliùs est ventilata tempore moderno, quàm antiquo. Præterea, nonne moderni legunt ea, quæ scribunt Antiqui, & insuper alia, & alia plurima tradunt? Ergo moderni meliori calamo explanant jura, quàm Antiqui.

Hic subtexo textum Gersonis Cancell. Parisiens. sic scribentis: Spiritus sanctus interdum revelat Ecclesiæ, vel Doctoribus posterioribus aliquas veritates, vel expositiones Sacræ Scripturæ, quas non revelavit eorum prædecessoribus. Sic dicit sanctus Gregorius in 12. Danielis, *pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia Domini.* Ideo Moyses scivit, plusquam Abraham, Prophetæ, quàm Moyses, Apostoli quàm Prophetæ, & *Doctores addiderunt multas veritates*, ultra Apostolos. Quapropter dicere possumus, hanc veritatem, Beatam Mariam non fuisse conceptam in peccato originali, de illis esse veritatibus, quæ noviter sunt revelatæ, vel declaratæ tam per miracula, quæ leguntur, quàm per majorem partem Ecclesiæ sanctæ, quæ hoc modo tenet. Ita Gerson Tom. 4. serm. de Concept. B. V. consid. 1.

CAPUT XVIII.

Textus Antiquorum pro opinione probabiliori. Et an in hac materia præferendi sint Antiqui, vel Moderni.

1 IN cap. 11. recensui Doctores sequentes opinionem probabiliorem, quos vocat Vendrochius Antiquos, & illustri Theologorum nomine exornat, & subdit, illos sequutos fuisse Parochos Parisienses. Fœlix Ecclesia Parisiensis, quæ habet Parochos adeo illuminatos, qui sunt in hac difficillima materia oculatiores, quàm magni illi viri Suarez, Vasquez, Valentia, Granado, Medina, Alvarez, Tapia, Joannes a Sancto Thoma, Diana, Pasqualigus &c. Sed si sunt adeo oculati, cur non coguntur à suo Episcopo ad laborandum non pro una Parochia, sed pro tota Ecclesia obtenebrata a libris tot Casuistarum? Illis addo alios, qui procul dubio sunt collocandi inter Antiquos, cum vixerint ante annum millesimum quingentesimum, & sequuti sunt partem probabiliorem. Sunt ergo, Altisiod. Parisiens. Albert. Monaldus, Joannes de Friburgo, Ulricus, Albericus, Pisanella, & ejus Supplementum, Nider, Bernardinus, Baptista Trovamala, Baptista de Salis, & Biel.

2. Quia verò juxta Glossam in cap. *ego solis*. 9. dist. V. *Quantalibet.* veritas à quocunque dicatur, omnibus est præferenda juxta textum cap. *quæritur.* 2. q. 7. Unde Augustinus in dict. cap. *ego solis*. non respiciebat ad personas dicentes, sed ad dictum, & hoc idem præstabat in cap. *nec quorumlibet.* ead. Ideo viden-

dendum, quæ, & quanta dicant hi Antiqui pro sua opinione, quia sic patebit, quinam sint præferendi in hac materia.

3. Primus Antiquus, qui allegatur à Vendrochio pro opinione probabiliore, est Henricus Gandavensis, dictus Doctor solemnis, & citatur in suis Quodlibetis, dictis *aureis*, quodlib. 4. q. 33. in hac quæstione quærit Henricus, *an Doctoribus variantibus circa aliquid agibilium, & agere secundùm unam opinionem est periculum, & dubium de peccato mortali; agere autem secundùm aliam, est sine periculo, mortaliter peccet ille, qui agit illud, de quo est dubium, an sit peccatum mortale, ut emere redditus ad vitam.* Procedit verò sic: affert primò illud Ecclesiast. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo;* ergo in dato casu non licet sequi opinionem periculosam. Deinde arguit contra, quia sic multi essent in periculo peccati mortalis, & damnationis. Ponit mox duas conditiones pro Doctore requisitas. Prima pertinet ad statum illius, an v. g. in aliis decisionibus inventus sit verax, dubius, vel mendax secundùm magis, & minùs; qualiter vivat, si ostendat, se esse amatorem veritatis non tam sermone, quàm opere &c. Secunda spectat ad rationes; animadvertendum est etenim, an fundamenta sint efficaciora, validiora, & authoritates expressiores. Ponit consequenter conditiones auditorum, idest illorum, qui agere volunt; Hi siquidem sunt vel Literati, & potentes discernere decisiones, & rationes Doctorum, vel sunt simplices, & impotentes &c.

4. His jactis ponit conclusionem, quòd Auditor peritus agens illud, contra quod est Doctor efficacioribus rationibus, & authoritatibus expressionibus, vel secundùm existimationem creditur fide dignior, peccat mortaliter, & graviùs, quàm imperitus, qui & ipse agens peccat mortaliter; quia hic peritus quod agit, non est ex fide, idest Conscientia. Imperitus quoque peccat mortaliter, quia sic operando facit contra fidei regulam. Et licèt veritas in hoc casu sit ipsi occulta, non ei prodest, quia est ignorantia juris, quæ non excusat. Hanc tamen rigidam doctrinam videtur limitare; subdit enim, quòd principia legis naturalis expressa in Decalogo, & hominibus naturaliter inserta omnes debent scire, qui habent liberum arbitrium, & ignorantiam eorum nullum excusare; quæ verò deducuntur ex illis principiis, *forsan ignorare licet aliquos simplices, & maximè habentes ignorantiam invincibilem, & debilitatem ingenii ad illa cognoscenda.* Tandem respondet ad Argumentum, *Sed contra*, & dicit, patere solutionem ad primum objectum, scilicet ad textum Ecclesiastici.

5. Hæc est tota doctrina, quam hic Antiquus dat pro solutione gravissimæ, & difficillimæ quæstionis. Si unquam est verum, quòd Antiqui dissolvunt quæstiones paupere calamo, profectò hæc est. Si Probabilioristæ, ut defenderent opinionem probabiliorem, studerent solùm Henrico, procul dubiò obruerentur à Probabilistis multiplicibus rationibus, quas Henricus nec leviter insinuat; unde rubore suffusi experientia discerent, an Antiqui plenè discutiant difficultates. Et tamen, quis credat inter Doctores allegatos, Henricum esse unum, qui meliùs agitat quæstionem? Sed nil mirum. Jam dixi in capite antecedenti, in principio quæstionum pauca penetrari à Doctoribus, cum materia sit obscurissima.

6. Secundus Doctor allegatus est Joannes Gerson tract. 36. Ego plurimùm laboravi, ut tractatum hunc 36. reperirem; sed, quia meus codex est antiquus, & habet indicem intricatissimum, nescio, an invenerim. Referam, quod lego. Igitur part. 2. tract. 1. qui inscribitur, *Regulæ Morales*, fol. 128. alias 1. columna 2. fin. hæc pauca dicit: *Exponere se periculo peccati mortalis est peccatum mortale.* Vel sic: Agere incertum, & dimittere certum in materia morali est peccatum mortale, si tale sit incertum, quod sit mortale non solùm per

leves

leves conjecturas, aut ex suspicione trepida, & scrupulosa proveniente ex nimio timore cadendi in via Dei. *Sed intelligitur, dum tale est vehementer, & probabiliter incertum æquè, sicut oppositum, vel magis, tunc illud, quod agitur, non carebit mortali culpa; aliter non oportet.* Hæc Gerson prætereaque nihil. Eadem repetit in tract. de præpar. ad Missam consider. 3. post princ. pag. 211. column. 3.

7. Tertius Doctor est Divus Antoninus, & allegatur 1. part. tit. 3. cap. 10. sed quia in hoc capite sunt plura paragrapha, addendum est §. 10. vers. *revertendo ad quartam.* Hic verò ita scribit: *Pro cujus enodatione difficultatis notandum, quòd cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundùm eam operari, excluso tamen scandalo, quæ scilicet pars habeat pro se notabiles Doctores, dummodò talis opinio non sit contra authoritatem expressam Sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ, & quòd etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, sed bonam sibi Conscientiam, & credulitatem formet de eo, quod credit* tanquam de probabiliori parte, *& præcipuè quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an liceat, nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad hoc, quòd sit illicitum. Quòd sint contrariæ opiniones inter Doctores, &c.* Sanctus Doctor postea probat suam conclusionem, quòd scilicet possimus sequi opinionem probabiliorem minùs tutam, & solvit aliqua objecta. Advertas, autem oportet, quòd suum intentum est probare, quòd non teneamur sequi opinionem tutiorem in conflictu opinionum, sed possumus amplecti opinionem saltem probabiliorem, licèt minùs tutam. Unde nullum argumentum affert, quòd probet, non posse in praxi sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam; quin meo judicio efformat argumentum, quod æquivalet pro nobis; dicit ergo: *Non plus nocet homini errare in articulo Fidei nondum declarato ab Ecclesia, quàm nocere posset actus moralis contra aliquid agibile perpetratus. Sed constat communiter apud Theologos, quòd in materia Fidei, dum Doctores sentiunt contraria, licitum est ante determinationem Ecclesiæ tenere unam partem, vel alteram sine periculo peccati, vel Fidei; ergo à simili licet unam opinionem in moralibus tenere*, juxta limitata superiùs, ubi saltem magis Sapientes non sentiunt contrarium, *& ubi paratus est obedire Ecclesiæ, si ei errorem &c.* Hoc est Argumentum Divi Antonini relictis probationibus majoris, & minoris propositionis. Observa illam particulam, *juxta limitata superiùs, &c.* poni in Conclusione à Sancto Doctore, cum tamen ex vi argumenti non debuisset, quia in præmissis non collocatur, nec exigit, ut collocetur; quandoquidem in materia fidei nondùm decisa ab Ecclesia possumus sequi opinionem, nedum probabiliorem, sed etiam minùs probabilem, & æquè probabilem, de quo vide Major. quæst. 2. Prologi, concl. 2. Hinc quotidie in publicis Thesibus Theologiæ audimus, propugnari problematicas conclusiones cum laude. Et supra retuli Divum Thomam, Divum Bonaventuram, & Richardum in his materiis fuisse problematicos. Et in Gersone excusso Parisiis 1521. apud Joannem Parvum part. 1. tract. *unum ex quatuor.* cap. 30. pag. 8. in margine vocatur *utraque opinio Probabilis* in materia de quodam facto Christi. Argumentum igitur allatum probat præcisè, quòd, sicut in materia Fidei nondum decisa possumus sequi opinionem, licèt possit esse falsa, ita in moralibus. Et Sanctus Doctor addit postea illam limitationem, *saltem juxta limitata superiùs, &c.* Si benè igitur expendatur Divus Antoninus, probat, in conflictu opinionum nos non teneri ad sequendam illam partem, in qua est certum nullum subesse peccatum; & hoc probat evidenter, & solvit aliqua argumenta, quæ contra hoc militant. Addit, nos posse sequi partem minùs tutam, si formet sibi bonam Conscientiam de eo, quod credit tan-

tanquam de Probabiliori ; & hæc pars non est pro Probabilioristis contra Probabilistas, sed contra *Securistas*. Probabilistæ enim ultrò fatentur, posse deduci in praxi probabiliorem, & hoc securius esse, & tutius. At negant, adesse obligationem sequendi probabiliorem relicta minùs probabili, & tuta, & dicunt cum Divo Antonino sexta Regul. illud axioma: *In dubiis via tutior est eligenda*, esse intelligendum de *Consilio*, dum tamen dubium accipiatur largè pro opinione. Hinc patet, Antoninum non esse contra Probabilistas, sed contra *Securistas*; & sic contra Vendrochium.

8. Allegatur Divus Antoninus etiam 3.par. tit.5 c.2.§.7. Ibi facit quæstionem: *Utrùm auditores diversorum Magistrorum tenentium diversas opiniones excusentur à peccato, si opiniones suorum tenent, quando non sunt bonæ.* Pro solutione affert Divum Thomam in quodl. 3. quæst. 4. art. 2. de quo alibi. Postea subdit: quòd aliquando aliqua fuerunt sub varia opinione Doctorum, antequam fieret determinatio Ecclesiæ, & pro illo tempore potuerunt excusari, qui unam, vel contrariam tenuerunt. Secus post determinationem Ecclesiæ; tunc enim nec simplices mulierculæ excusantur. Utramque partem probat exemplo, In quæstione utrùm Christus cùm Apostolis habuerit aliquid in communi mobilium; Utrumque nanque sine peccato poterat sustineri ante decisionem Joannis Papæ XXII. secus verò post talem decisionem. In his nihil habet de probabiliori sequenda. Postea scribit: *Addit Hostiens. quod cum sint diversa jura, & opiniones, scilicet non contra Deum, vel bonos mores, humanior sententia est præferenda, scilicet cæteris paribus, de transact. C. fin. aliàs standum est ei, quæ innititur meliori rationi, distinct. 20. §. 1. c. Capellanus de Feriis. Adde etiam, quod in his, quæ concernunt forum Conscientiæ in dubiis tutior via est eligenda de spon. c. juvenis, nec tamen de facili contraria opinio condemnanda.* Hæc ultima verba procul dubio Adversarios opprimunt, qui, nedum facilè, sed facillimè opinionem nostram suæ contrariam damnant. Si citant Divum Antoninum, sequantur in omnibus ipsum. Sequantur ergo opinionem probabiliorem, sed non tam facilè damnent nostram; & sic ad invicem concordabimur.

9. Quartus est Joannes Major in prolog. 4. sentent. quæst. 2. ubi quærit, quid sit faciendum in contrarietate opinionum, potissimùm mores tangentium. Primò notat, quòd Doctores sunt varii in opinionibus, nedùm in rebus Animam non tangentibus, v. gr. in Philosophicis, an quantitas sit res quanta, vel distinguatur; sed etiam in moralibus, v. gr. an possit conferri Beneficium Ecclesiasticum bono relicto meliori; an possit innocens probatus reus condemnari, & similia. Inde ponit primam conclusionem, quòd licèt nullum, vel parvum sit peccatum opinari quamlibet opinionem in non pertinentibus ad fidem, vel bonos mores, debemus sequi tamen opinionem etiam in his, quæ est rationi conformior, *si sumus liberi*, idest si nulli Scholæ simus addicti, v. gr. si non simus Thomistæ, vel Scotistæ. Si enim simus addicti, sufficit, quòd sit *probabile*, quod defendimus. Liber verò debet sequi partem rationabiliorem, quia *per rationem homo differt à belluis; ergo cum ratio sit sequenda, ubi plus rationis est, illud potius est sequendum.* Duo vellem scire à Majore, an Scotista addictus Scholæ Scotisticæ, qui potest sequi opinionem *probabilem*, differat à belluis; & si iste differt, cur ego non differam, si non sequor rationabiliorem? Nunquid esse addictum alicui Scholæ supplet deficientiam rationis? Secundum, an homo differat à belluis per voluntatem? Si dicet, quòd sic, ut necessariò debet dici, & in sententia Scoti ratio voluntatis est quid perfectius, quàm ratio intellectiva; Ergo ego voluntariè amplectens partem minùs rationabilem adhuc distinguar à belluis. Certè Probabilioristæ à ratione aberrarent, si Probabilistas carperent tanquam sequentes belluas, nam bellua nullo modo sequitur rationem, nec potest sequi.

10. Po-

10. Ponit deindè secundam conclusionem: *Non est peccatum circa materiam Fidei hanc partem tenere, vel illam ei contradictoriam, dummodò non constet, utra pars sit de Fide, & vera. Sed Sapientes, & Exercitati in illa parte tenent opposita.* Hoc probat exemplo de Divo Bernardo, Divo Thoma, Divo Bonaventura, Divo Augustino, & Divo Hieronymo, qui in hisce materiis contraria opinati sunt sine peccato.

11. Mox statuit tertiam conclusionem: *In materia morum securior pars est tenenda. Probatur. Tene certum, relinque incertum, inquit Sapiens..... Non ob aliud Francorum Reges Pontem Sancti Clodovaldi super Sequanam non pertranseunt, & Anglorum Reges non ingrediuntur Oxoniam. Præterea quicunque se exponit periculo peccati, peccat; sed sic est de illo, qui opinione certa relicta opinioni minus apparenti se applicat.* Non est mirum, quòd Doctor, aliàs insignis, levibus adeo argumentis asseruerit Conclusionem adeò rigidam. Ex hac sequitur, quòd, ut possimus sequi opiniones Divi Thomæ, Scoti &c. debeamus credere illas certas, quod puto delirium evidens. Impossibile est enim sine errore judicare certas omnes opiniones D. Thomæ, & Scoti.

12. Determinat quartam Conclusionem: *Quando opiniones opposita circa materiam morum sunt æquè certa, potest homo sine peccato hanc viam, vel illam oppositam imitari. Patet in casu de damnando innocente, ubi est æqualis apparentia de ipso liberando, & damnando &c.* Adverto, Thomistas non debere magni facere hunc Doctorem, dùm ipse existimat §. *secundò arguitur*, quòd Thomista modo *nedum peccat, sed etiam scandalizat, & est imprudens multùm*, asserendo Beatam Virginem esse conceptam in peccato originali. Ego verò puto, quòd ita dixerit ex eo, quòd in conclus. 2. asseruit, Concilium Basiliense, & Universitates decidisse contrarium. Si viveret Major hisce temporibus, quibus post Tridentinum, & post plures Pontificum Bullas ampliatus est valdè plus cultus Conceptionis Beatæ Virginis, addiceret profectò Thomistas Orco, & majoribus pœnis, si adessent, sed audacter, & insanè. Si ergo Major erravit in re evidenti, non magni est faciendus in nostra materia obscura; præcipuè cum levissima argumenta afferat.

13. Contra tertiam Conclusionem, quæ sola est ad nostrum propositum, unicum solùm Argumentum sibi objicit, & levissimum quidem, quod Moderni nec meminerunt. Objicit ergo, quòd data sua Conclusione non possemus emere vitalitia, nec redditus redimibiles, aut irredimibiles, ut tenuit scrupulosè Henricus. Consequens autem est absurdum, & contra praxim. Sequitur etiam ex illa Conclusione, quòd teneremur statim ad confitendum peccatum.

14. Respondet tripliciter ad exemplum de Redditibus. Primò dictum quidem Henrici esse securius, non tamen opinionem esse securiorem, utpotè minùs rationabilem. Secundò negat illam viam esse securiorem, cùm Sapientes, & rationes flectant se ad oppositum. Tertiò dicit, opinionem Henrici non esse securam, cum sit præter rationem, quin ejus rationes esse frivolas. Nescio, an Adversariis, quibus rigida solùm arrident, hæ responsiones placeant. Ad exemplum de Confessione statim peragenda nec verbum respondet; Unde vult, quòd applicetur hæc triplex responsio, sed certè non ita benè, cum hæc opinio habeat magnos, & plures Doctores, & rationes efficaciores, quàm illa Henrici, quæ & est contra praxim, & destituitur à Doctoribus. Hæc sunt pauca, quæ hic Doctor affert pro tam laboriosa doctrina.

15. Conradus Summenhart de contrac. quæst. 100. & Adrianus in 4. in quæst. de restitut. §. *quia jam dictum est*, sustinent, sequendam esse partem probabiliorem, si sit minùs tuta. Agitant quæstionem pleno calamo, præcipuè Conradus, non quidem tam luculenter, ut faciunt Moderni nostri. Hi Doctores

O expli-

explicant quendam Textum Divi Thomæ contra Vendrochium, de quo suo loco.

16. Cajetanus in sua Summula paucissima scripsit, & satis confusè, & dicit, *quòd non licet opinionem cujuscunque assumere, ut regulam operis, quoniam eo ipso, quo operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ, quia opinio omnis ambigua est, utpotè cum formidine alterius partis.* Subdit postea, quòd non propterea aliquod opinione tenetur, quia diversi Doctores contraria sentiunt; quoniam cum hujusmodi contrarietate stat, quòd una pars sit ratione sufficienti ad moralem certitudinem fulta, & jam non est opinio &c. Hæc pauca in materia tam ampla?

17. Dominicus Soto lib. 3. de Justit. & Jure quæst. 6. art. 5. hæc paucissima scribit: *Igitur in primis necessarium est semper, sententiam secundùm probabiliorem subscribere, etiamsi altera sit probabilis. In speculabilibus nanque Scholarum Disputationibus nullum inde conflatur periculum, quòd quispiam minùs probabilia ingenii gratia defendat. In Practicis verò, quæ aliena jura respiciunt, nefas est* Judici *infirmiorem opinionem sectari. Sicut & Medico in practica, ex qua salus infirmi dependet, ac multò magis Theologo in his, quæ sunt Fidei. Quin verò Judex aliter faciens restitutioni fieret obnoxius, ex quo fit, &c.* Hic Doctor loquitur de Judice, de quo his temporibus est certum debere sectari probabiliora, sicut & Medicus Non attingit ergo difficultatem præsentem, quæ sistit, an possimus sequi minùs probabilem, & minùs tutam, quando solùm agitur de peccato vitando. Vel ad summum difficultatem attingit in illis quatuor verbis: *ac multò magis* Theologo in his, *quæ sunt Fidei.* Hanc verò paritatem inter Medicum, & Theologum esse prorsus vanam, suo loco monstrabo.

18. Sylvester. Verb. *Opinio.* num. 1. hæc habet ad propositum: Ex Monaldo non generatur aliquod præjudicium veritati, cùm inter diversas opiniones à Magistris approbatas, & Scripturis authenticis annotatas illam quis amplectitur, quæ sibi videtur magis consona rationi. Et num. 2. quærens cui opinioni sit adhærendum, quando est varietas, resolvit quæstionem per plures distinctiones, quæ non multum faciunt ad propositum; Dicit tamen, quòd sequenda est opinio communis, quando adest, & illam vocat communem, quando cum opinione Glossæ est aliquis solemnis Doctor, & bonæ Conscientiæ; & dicit, quòd Judex potest illum sequi, sicut faciunt Judices Ecclesiastici. Ego, qui novi tot errores in Glossatore, timerem, ne pariter in casu erraret.

19. Subdit Sylvester: Si autem non apparet, quæ sit opinio communis, sed pro utraque sunt famosissimi Doctores, Judex sequendo aliquam earum non tenebitur in simili casu, secundùm quod voluit Inn. in cap. *ne innitaris.* de constit. quem sequitur Barthol. in l. fin C. de pœn. jud. qui malè judic. quòd verum dicit secundùm Innoc. quantum ad hoc, ut non puniatur in foro sæculari; secus tamen in foro Conscientiæ, quia debuit eligere eam, *quæ validioribus rationibus firmatur* arg. inst. de empt. & vend. §. *item pretium.* C. de edit. Divi Adrian. toll. l. *edicto*; maximè si talis opinio sit subtilior, ut dicit text. in c. *Capellanus.* de Feriis. Et si una innititur rigori scripto, reliqua verò scriptæ æquitati, præponitur æquior &c. & dicitur benignior ea, quæ favet juramento, Testamento, *Libertati*, (nota hunc terminum) Matrimonio, Religioni, & Sacramento Nequit negari, quòd hæc ultima verba non faveant Probabilistis sustinentibus nos posse sequi quamlibet opinionem ex pluribus æquè probabilibus. Ponit alias distinctiones, quæ non multum ad nos pertinent. Porrò hæc omnia verbatìm sumpsit ex Angelo. V. *Opinio.* quod etiam fecit Tabiena alter Doctor Vendrochii Verb. *Opinio.* Unde hi duo Doctores in hac quæstione se habent, ut merè Historici, & sequuntur Angelum, velut una Avis sequitur aliam,

aliam, ut utar phrasi Antiquorum volentium denotare, quòd Doctor nihil ponit de suo præter Scripturam.

20 Navarrus in Tom. 1. cap. 27. miscell. 6 num. 286. quærit, quænam opinio sit sequenda in varietate; & ponit diversas conditiones, quas debet habere opinio eligenda; & sic quòd habeat consuetudinem pro se, vel textum, & argumentum, cui satis aptè responderi nequeat. Vel si opinio non possit habere has conditiones, sit communis; & si non sit communis, eligatur ea, quæ habeat plura fundamenta, *quamvis satis aptè dissolvi queant*. His verò cessantibus sequamur eam, quæ est benignior, aut favorabilior, quæ scilicèt favet Juramento, Matrimonio, Doti, Testamento, *Libertati*, Religiosis rebus &c. Dicit postea, quòd si nullo modo prædictorum una aliam opinionem superat, tunc eligendam esse opinionem, quam affirmant Doctores authoritate, & scientia in materia, de qua agitur, præstantiores. arg. l. *Septimo mense.* ff. *de statu hominum* & eorum, quæ per eam ait Dec. in cap. *proposuisti.* num. 11. de probat. & ita quam tenent Theologi, si quæstio est Theologica, &c. addit quatuor, ut opinio electa possit deduci in praxi. Primum, quòd operans debet expellere dubium. Secundum nihil facit ad præsens. Tertium, *quòd quamvis in foro contentioso regulariter prædicta observari debeant; in foro tamen Conscientiæ ad effectum non peccandi sufficit eligere pro vera ejus opinionem, quem meritò censemus esse virum idoneum ad id scientia, & conscientia præditum juxta dicta num. 282. adde Gloss. in c. Capellanus de Feriis adjuncta Doctrina Panormitani.* Navarrus hic meo judicio, asserit, quòd in foro Conscientiæ non sit necessarium, ut sequamur præstantiores in illa materia, quæ doctrina multùm favet Probabilistis.

21. Subdit quartum: *Non videtur una opinio appellanda communis ad effectum præjudicandi alteri eo solo, quòd plures eam sequantur tanquam oves aliæ alias, quæ præcedunt sine judicio sequentes, velut aves, quæ unam volantem aliæ omnes sequuntur secundùm Decium in Consil. 494. fin. Communiorem enim ad hoc existimarem illam, quam sex, vel septem Authores Classici ex professo tractantes asserent, quàm probatam à quinquaginta sola ferè authoritate priorum ductis; Opinio enim communis non ex numero opinantium, sed ex pondere authoritatis fit. ut dicit Alexandr Consil. 202. lib. 7. num. 6 quin & arbitror utranque ad hoc posse dici communem, quando utraque habet octo, vel decem assertores graves, & cum judicio eam deligentes. Quo fit, ut non sit multùm laudanda diligentia quorundam Recentiorum inquirentium, utram teneant plures.* Approbo Doctrinam, sed non ejus sequellam, utpotè non bene deductam; Nam Recentiores non afferunt plures Doctores, ut probent solùm suam opinionem esse communem, sed etiam ut demonstrent pluribus placuisse, quod ad aliquid juvat. Si enim juvat, quòd plures judices dent suum judicium, & ad hoc moventur ex mero auditu fundamentorum causæ, cur non juvabit, quòd plures Scriptores legant fundamenta alicujus causæ, & illa scribendo dent suum judicium circa eandem causam? Non video disparitatem; Assero tamen, esse pluris æstimandam illam opinionem, quæ habet, v. g. octo Doctores, qui novis rationibus illam confirmant, quàm illam, quæ habet centum Doctores, quorum nonagintasex, v. gr. solùm rescribunt ea, quæ alii docuerunt, ut in nostra quæstione fecerunt Sylvester, & Tabiena ex Angelo, qui priùs ea omnia docuerat; unde nec illa iterùm repeto sub nomine ipsius Angeli.

22. Vendrochius, ut redderet suam opinionem, quæ proculdubiò est in materia Theologica, copiosiorem Doctoribus, pro illa attulit etiam Panormitanum Canonistam in cap *Capellanus* de Feriis num. 3 Si volebat alios Canonistas addere, & se versatum etiam inter Canonistas demonstrare, debebat legere Joannem Bertachinum, & Card natum Tuscum Verb. *Opinio* & invenisset

plures; Sed pace ipsius, & Fagnani etiam, qui Canonistas allegat pro hac materia, dixerim, sunt parvæ authoritatis, quia hæc materia est eruenda ex universalissimis principiis legis naturalis; & ex Sacra Scriptura, quorum consideratio ad Theologum spectat, non Canonistam, qui tractat quæstiones dependentes à jure Pontificio ex Divo Thoma quodl. 9 art. 13.

23. Referamus, quæ habet Panormitanus. *Inter plures opiniones illa*, inquit ipse, *sequenda est, quæ nititur meliori, & subtiliori ratione*, quod nota bene. Non ergo debet haberi respectus ad qualitatem personæ illam foventis, sed ad illius rationem: quod facit contra illos, qui dicunt, in disceptatione opinionum sequendam esse semper opinionem Glossæ, *quod mihi non placet, &c.* Nota mediam lineam pro Adversariis, & quatuor pro me. Juxta monitum ergo Panormitani persona fovens opinionem non est pensanda, sed ratio illius; Ergo Vendrochius in præsenti quæstione non debet adeo gloriari, & asserere pro illa stare *Doctores in veterum Theologorum Choro* psalentes; pro nostra verò stare *phalangem Recentiorum*. Quòd illi sint Theologi, hi verò Recentiores ex placito Panormitani nil refert. Eorum rationes sunt æstimandæ Si hæc sunt vera, cum in hac difficultate Moderni plures rationes habeant, & meliùs quàm Antiqui, illas examinent; sequitur, in hac materia juxta Panormitani doctrinam potiores esse Modernos.

Legatur idem Panormitanus num 6. ubi dicit, non peccare illum, qui non servat præcepta, *si in illa materia adsit varietas opinionum.* Quæ doctrina clarè favet nobis. Sed de hoc suo loco.

24. Nunc recensenda sunt, quæ habent in hac quæstione Doctores à me allegati. Guillelmus Altisiodorensis edidit Librum in quatuor Libros Sententiarum. Fuit valdè scrupulosus, sed paulò minus, quàm suus coetaneus Guilielmus Parisiensis; ipse siquidem admittit ignorantiam facti excusare, ut habet in 2. tract. 29. part. 1, cap. 1, de ignorant. quæst. 3. & in 4. de imped. coeundi quæst. 3. ad 1. pag. 52. quod negavit Parisiensis de leg. cap. 21. litt. D. pag. 57. Hic ergo Author in 1. de divin. Notionibus. cap 5. quæst. 3. ait, *quòd versari magis ad unam partem, quàm ad aliam propter aliquas rationes, hoc sit opinari.* In 2. tract. 29. 1. part. de ignorant. q. 3. dicit, *Ignorantiam facti quidem exsusare, non tamen juris.* In tract. 30. cap. 3. de falsis judiciis asserit, suspicionem esse opinionem titubantem in alterutram partem, *magis tamen in alterum vergentem. Et si non magis vergat in alterum, non est suspicio, sed dubitatio.* Unde, ut opinio sit suspicio, duo requiruntur, scilicet ut opinio titubet in alterutrum, *& non per firmas conjecturas magis vergat in alterum.* Si per hunc Doctorem opinio est, quando per aliquas rationes intellectus versat magis in unam partem, quàm in aliam, cum opinio minùs probabilis non verset magis in unam partem, sed potiùs opinio opposita, sequitur, quòd opinio minùs probabilis non sit verè opinio, sed potiùs *Dubitatio*; & sic erit inepta ad mores. Præterea per hunc Doctorem *Ignorantia juris neminem excusat.* Hoc axioma videtur intelligendum juxta ipsum, etiam de jure obscuro, quia loquitur *de ignorantia dispositionis, qua quis aliter opinatur de re, quàm sit.* Opinari autem contigit solùm in obscuris; Ergo opinio minùs probabilis, si sit falsa, & sit juris, non excusat operantem. Sic discurrere debemus secundùm principia scrupulosa Altisiodorensis.

25. Ex his sequitur, quòd si opinio Divi Thomæ, & Scoti, & reliquorum Procerum, etiam Sanctorum Patrum, sit falsa, & contra jus, operans juxta illam opinionem non excusatur. Hoc quàm sit absurdum, nemo non videt; Ad hoc absurdum infra deducemus Vendrochium ipsum. Joannes Gerson par. 2. tract. de præparat. ad Missam consider. 3. asserit, esse regulam magistralem Altisiodorensis, quòd dubitans taliter, quòd sit vehemens, & magis, aut saltem æquè inducit mentem credere,

quòd

quòd sit licitum, & illicitum.

26. Guillelmus Arvernus Episcopus Parisiensis in tract. de leg. c. 21. pag. 56. hæc breviter scripsit: si quis autem quærat de illo, qui invenit Doctores, vel Prædicatores contrarios, videlicet unum fidelem, & alium infidelem; nec sufficit scire ex proprio sensu, vel ex dictis eorum, vel ex vita, *cui magis credere debeat*, an requiret Deus ab isto, ut divinet fidem. Hic procul dubiò, quia non habet de humana ratione, quid faciat, implorare debet divinum auxilium, ut dicit Augustinus, & tota instantia deprecari, ut illuminator animarum Deus viam veritatis ei ostendat, & cor ejus applicet ei parti contradictionis, quæ vera est, & eidem accepta. Idem sentiendum est & in illo alio casu, videlicet si seductor sub prætextu veri, Catholicique Doctoris simplici alicui, & indocto errorem aliquem impietatis prædicet, quia Deus cor ejus avertet, ne illi credat; nisi hoc vel negligentia ejus, vel alia culpa impediat, custodit enim Dominus diligentibus se.

27. Pagina sequenti consequenter ad supradicta asserit, etiam ignorantiam facti non excusare à toto, sed à tanto; unde subdit, quòd si alicui marito nocte introduceretur aliena mulier, *nisi aliqua viri culpa hoc impediat, avertet Deus cor ejus, ne cognoscat mulierem sic juxta eum jacentem.* Quia autem hic Doctor nequit negare, Jacob cognovisse Lyam vice Rachelis uxoris, coactus est scribere, Jacob potuisse peccare, sicut Loth inebriari, & Judam fornicari potuerunt. Ex illis verbis *cui magis credere debeat*, clarè arguitur, hunc Doctorem nos obligare ad sequendum Doctorem, & Prædicatorem, qui sit dignior fide; & sic ejus opinio sit probabilior. Sed forsan posset dici, hunc Doctorem loqui in materia clara, in qua potest dari certitudo, in qua materia Probabilitas non valet, etiam per nos.

28. Albertus Tom. 19. qui dicitur *Summa* de Creaturis de Homine tract. 1. quæst. 70. art. 2. quæst. 2. scribit: Quæritur hic de regula *quorundam dicentium* quòd, si aliquis est dubius de aliquo, an sit mortale peccatum, & facit illud peccatum, mortaliter peccat propter contemptum. Ponamus enim, quòd dubitet, & habet probabiles rationes ad oppositum, sed tamen non sufficientes, tunc enim non videtur contemnere, *eo quòd sequitur magis Probabile.*

29. Huic quæsito respondet magnus Albertus. Duplex est dubitans, scilicet dubitans supponens aliquid magis esse, quàm non esse, *& de tali intelligitur regula*, & est dubitans nihil supponens, *& hoc non est verum.* Ecce per Albertum, dubitans per rationes probabiles magis esse peccatum, quàm non esse, si operatur, *mortaliter peccat propter contemptum* Nota tamen obiter contra Adversarios, illam regulam de dubitante, & cum dubio operante non fuisse regulam communem Theologorum, sed solùm fuisse *Quorundam*

30. Villelmus Rodonen. Gloss. Raym. posset allegari lib. 3. tit. *de lapsis* §. 4. V. *Probabilis*, ubi dicit: Idem intelligo, *quando quis probabiliter dubitans*, de sua excommunicatione, maximè cum conscius est de culpa, propter quam justè potuit excommunicari, *celebrans in excommunicatione committit se discrimini.* Item tit. de sentent. defin. præcept. & excomm. §. ult. Verb. *Præsumatur.* ait, quòd si quis non sit certus se esse excommunicatum, *sed habeat de hoc probabilem excommunicationem*, *faciat se absolvi*, *ad cautelam*; arg. c. *inquisitioni* de sentent. excomm. Eadem habet lib. 2. tit. 1. §. 4. V. *Sententiam sanguinis.* §. 5. V. *Ex illa.* & §. 9. V. *Poterunt promoveri.* Subscribit Astens. lib. 7. tit. 12. quæst. 18. & tit 14. q 2.

31. Sed cum hi textus contineant doctrinam, quæ habetur in d. c. *Inquisitioni*; Ideo sicut hic canon non est pro Probabilioristis, ita nec textus prædicti. Alibi respondebitur melius. Pro nunc dicere sufficiat, illos esse intelligendos, quando pro parte rigida adest opinio probabilis, non verò pro benigna; tunc enim, cum pars benigna non habeat aliquam rationem, nequit esse regula voluntatis, quæ solam rationem sequitur.

tur. Hæc responsio omninò quadrat, præcipuè Rodonensi, qui sæpissime, ut videbimus, asserit, esse amplectendam opinionem benignam, rigida dimissa; & hoc, quia illa opinio *benignior est*, quæ doctrina potest esse vera solùm, in casu, in quo utraque opinio est æqualis in Probabilitate, & differt una in benignitate, altera in rigiditate. Ergo, ne faciamus Rodonensem sibi contrarium, debemus dicere, in primo loco loqui, quando una solùm pars est probabilis; in secundo loco, quando utraque est probabilis.

32. Monaldus in Prologo suæ Summæ scribit: Sed eadem diversa circa unam, & eandem materiam in præsenti Opusculò studiosè conscribens duxi hæc Lectoribus discretis relinquendum, ut illam opinionem accipiant, quæ ipsis videtur esse magis consona rationi, quæ non possit aliquod præjudicium erga veritatis sententiam generare, quicquid accipiatur ex eis, cum qualibet sit à Magistris, & approbatis Doctoribus, in scriptis authenticis adnotata studiosiùs. Non ergo miretur aliquis, si modus &c.

33. Joannes de Friburgo, aliàs Theutonicus, in sua Summa libr. 3. titul. 32. quæst. 18. facit quæstionem, *an Auditores diversorum Magistrorum tenentium diversas opiniones excusentur ab erroris vitio eos sequentes.* Primò affert textum quodl. 3. art. 10. Divi Thomæ, postea subdit: Nota etiam, quòd Monaldus in Prologo Summæ suæ dicit, quòd non generatur aliquod præjudicium erga veritatis sententiam, cùm inter diversas opiniones à Magistris approbatas, & Scripturis authenticis annotatas illam opinionem quis amplectitur, *quæ sibi videtur magis consona rationi.* Concordat etiam cum his Glossa Vill. & Ulric. Ecce hic Doctor nihil de suo ponit, sed totum ex Divo Thoma, (qui tamen nihil ipsi favet, sed potiùs opponitur loco citato,) ex Vill. & Ulrico, & Monaldo haurit, quod totum sunt quatuor lineæ. Jam vidimus Vilielmum nihil favere Probabilioristis.

34. De Ulrico hæc reperio quoad præsentem quæstionem apud Conradum Summenhart de contract. quæst. 100. post tertiam Conclus. vers. *contra prædictas opiniones*, & Joannem Nider ubi infra. Ulricus in Summa sua dicit, quòd si quis de aliquo agendo dubio magis peritos consulat, *de quo nullam habet expressam authoritatem*, utrùm sit ita, vel non; dummodò formet sibi bonam conscientiam, *etiamsi res aliter se habeat*, quàm id, quod sentit, & quod sibi consultum fuerit, *excusatur*, quia fecit, quod potuit, *& Deus plus non requirit.* Vide quàm pauca dicat in quæstione tam ampla, nec multum ad propositum!

35. Albericus de Rosate V. *Opinionem sui Magistri* asserit, esse magis credendum *meliùs opinanti*; & quòd sit tenenda opinio quidem sustinens matrimonium, nisi esset evidenter falsa, vel nisi posset convinci probabilioribus rationibus, ut notatur in c. *ne innitaris.* de constitut. Abbas in c. fin. in princ. de re judic. & in c. *Capellanus* de fer. circa princ. & si Doctores sunt varii in aliquo Articulo, sequenda est humanior, idest rationabilior, & æquior, ad hoc bonus tex. in c *si vir.* Verb. *Humanius.* de cogn. spirit. & ibi notat Abbas post alios.

36. Bartholomæus de Pisis, & ejus Supplementum. V. *Opinio.* faciunt solitam Antiquorum quæstionem, utrùm *Auditores diversorum Magistrorum tenentium diversas opiniones excusentur à peccato, si opiniones suorum Magistrorum teneant.* Pro solutione affertur Articulus decimus quodlib. 3 Divi Thomæ; Ultima verba hujus articuli sunt: qui ergo assentit opinioni alicujus Magistri *contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ authoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Addit Bartholomæus, concordant Monaldus, Vill. & Ulric. Supplementum explicans illa verba Divi Thomæ subdit: *scilicet quando error est contra manifestam sententiam Scripturæ, vel Ecclesiæ.* Quia autem saltem explicitè, & expressè sanctus Doctor

ctor adequatè in illo Quodlibeto non solverat quæstionem illam : *Utrum Auditores diversorum Magistrorum &c.* cum solùm expressè loquutus fuisset in materia clarè decisa à Scriptura, & ab Ecclesia, ideo Supplementum voluit litem dirimere in materia obscura, & incerta, in qua major quæstionis difficultas versari videbatur. Prosequitur ergo Supplementum : *In dubiis verò dicit Monaldus, quòd non generatur aliquod præjudicium veritati, cum inter diversas opiniones à Magistris approbatas, & Scripturis authenticis annotatas, illam quis amplectitur, quæ sibi magis videtur consona rationi, & concordat Gloss. Raymun. & Ulric. ut in Summa Confess. lib. 3. tit. 32. quæst. 18.* Ego noto, quòd cum opinio, quæ mihi videtur magis consona rationi, non excedat lineam Probabilitatis, & possit esse falsa; ergo opinio probabilis per hos Antiquos, *licèt in se esset falsa*, adhuc esset bona regula morum, quod est contra Vendrochium afferentem opinionem probabilem, contrariam legi æternæ, non excusare à peccato. Finit Supplementum. Hostiens. addit, quòd, quando sunt diversa jura, & opiniones, scilicet non contra Deum, & bonos mores, humanior sententia sit præferenda cæteris paribus. *C. fin. de transact. facit l. benignior ff. de leg.* aliter verò standum est illi, quæ meliori innitur rationi de Fer. c. *Capellanus.* Observa Lector, quomodo istæ Summæ Antiquæ se sequantur, ut aves sequuntur aliam volantem; verbatim enim rescribunt, quæ priores dixerant.

37. Joannes Nider in Consolatorio timoratæ Conscientiæ 3. part c. 11. scripsit : Dico cum Altisiodorensi, quòd regula Magistralis, videlicet *dubitans de aliquo, an sit licitum, & stante dubio illud agens peccat, quia discrimini se committit*, intelligenda est de dubio tali, quod est vehemens, & magis, aut æquè inducit mentem credere illicitum, sicut quod est licitum; secus enim est, ubi mens inclinatur, & judicat, quòd est licitum, quàm illicitum, quamvis non habeat usquequaque certitudinem evidentem, aut fixam, *quia neque hoc ipsum requiritur.*

38. Pater Gonzalez differt. 13 cap. 2. §. 9 asserit, Joannem Nider ibidem allegare pro hac opinione Monaldum, Humbertum, Ostiensem, Guillelmum Glossatorem Raymundi, Albertum Magnum, Goffridum de Fontibus, Petrum de Palude, Joannem de Gambaco, Joannem de Erdembergh, & Gersonem. Sed legenti hunc Doctorem patebit, omnes illos Doctores evidenter non esse pro tali opinione, audiamus verba præcisa : Ad idem est Vill. Gloss. Raym. de sententia præcepti, definitionis, & excommunicationis (corrige libr. 2. de homic. §. 11. Verb. *talis*, *vel talis.*) dicens in apicibus juris, ubi dubitant etiam Sapientes, excusabilis est ignorantia, ubi si aliquis bona fide partem illam, vel illam elegerit, non debet super hoc conscientiam habere nimis scrupulosam. Idem item Vill. ubi supra in materia de decimis recitans duas opiniones dicit, quòd illa prima opinio, scilicet quòd antiquas decimas sine peccato in feudis retinere possunt laici, & quòd ad hæredes transeant, *benignior est, & ideò magis amplectenda.* Notent hæc ultima verba Probabilioristæ, & negent, si possunt, stare pro sententia Probabilistarum asserentium inter duas opiniones æquè probabiles nos posse amplecti *partem benigniorem.* Sed de hoc fusè suo loco. Vide num. 30. quæ dixi de hoc Villelmo.

39. Sed audiamus iterum Joannem Nider, qui eodem loco sic prosequitur scribere : *Item reperi in Libris veteribus Nostri Prædicatorum Ordinis responsa plura, quæ data esse videntur à Domino Alberto, eo adhuc vivente, quæ sic sonant. Item dicit idem, quòd frater simplex, vel quilibet Homo cum salute potest sequi in Consiliis quamcunque opinionem voluerit, dummodò alicujus Magni Doctoris opinionem sequatur* Sic Nider. Ego quidem puto satis probabiliter, Albertum in hoc suo dicto esse pro nobis; at credo esse certum in hoc loco non favere opinioni probabiliori. Eadem [illegible] de

Glossatore Raymundi, ut alibi expendendo illum textum demonstrabo.

40. Supra idem Doctor retulerat verba ex Ulrico, quæ supra dedi, quæ parùm, aut nihil favent Adversariis. Supra quoque scripserat Nider: *Humbertus in expositione Constitutionum Ordinis Prælatorum dicit: quia fructus animarum impediri solet per nimiam austeritatem in Consiliis, & opinionibus; terrentur enim homines ex hoc intantùm, ut salutem negligant;* Idcircò relaxanda est, quantùm fieri potest austeritas, & agendum est cum hominibus benignè; quia sic meliùs trahuntur ad salutem, cum sententiæ mitiores tenentur. Hæc Humbertus.

41. Vides hominum diversa judicia! Plures Probabilistæ allegant hanc declarationem Constitutionis Dominicanæ pro sua opinione; Hic verò Probabiliorista asserit cum Joanne Nider stare pro probabiliori. At ego puto evidenter, Probabilioristis non favere; nisi tamen *pro opinione mitiori* intelligant *Probabiliorem*, quod esset prorsus ridiculum. Igitur secundùm Humbertum debemus, sequi opinionem mitiorem, & *relinquere austeritatem in opinionibus, & consiliis.* Ergo comparando austeritatem, & benignitatem *austeritas est fugienda*, & benignitas amplectenda. Ex hoc ego infero, si duæ opiniones sint æquè probabiles, & differant, quòd una sit austera, altera benigna, quòd benigna sit tradenda. Si enim opinio benigna, ut amplectatur, debet esse probabilior, nihil per Adversarios differret ab austera, cum per ipsos, si opinio austera est etiam probabilior, de necessitate austera est sequenda. Hanc doctrinam fusiùs prosequar infra cum agam de æquali Probabilitate.

42. Quòd attinet ad Goffridum de Fontibus, & Petrum de Palude, non sunt pro Probabilioristis, sed clarè pro Probabilistis; quia asserunt, Confessarium debere absolvere pœnitentem sequentem opinionem contrariam; ergo per hos Doctores Confessarius probabiliùs judicat, hunc pœnitentem non esse absolvendum; adhuc tamen asserunt, esse absolvendum; ergo obligant Confessarium ad absolvendum cum opinione minùs probabili. Hoc erit unum ex Argumentis pro opinione minùs probabili, ut patebit infra; unde illuc Lectorem remitto.

43. Item nec Joannes de Erdemberch est pro Adversariis, scribit enim: *Si quis probabiliter credit, se esse in peccato mortali, sed non firmiter, sed tunc statim se retrahit, & dicit, non esse mortale; & tamen non sufficienter potest, se retrahere, quin sibi occurrat; dico, quòd in tali casu benè potest accedere ad communionem, tamen semper retrahendo opinionem suam.* Hucusque Erdemberch in 4. dist. 9. apud Nider. Nil credo favere Probabilioristis in hoc textu.

44. Hinc patet, Patrem Gonzalez non benè citasse pro sua opinione Humbertum, Guillielmum, Albertum Magnum, Goffridum de Frontibus, Petrum de Palude, & Joannem de Erdemberch. Puto etiam, nec benè allegari Joannem de Gambaco; sed, cum sit Author parùm nominatus, parùm curo, etiamsi sit pro ipso.

45. Divus Bernardinus Tom. 2. serm. 42. in Dominica Passionis art. 1. c. 2. fin. rescribit verbatim quæstionem, & doctrinam Henrici supra relatam ex Quodl. 4 quæst. 33. neque aliquid addit; unde nec illam repeto. A nullo Probabiliorista vidi citatum hunc Textum. In Tom. 1. Fer. 2 post Quinquag. serm. 3. art. 3. cap. 1. fin. scribit: Tertiò sunt aliæ Scripturæ ab Ecclesia dubitatæ, vel non approbatæ; videlicet aliquæ opiniones diversorum Doctorum, etiam approbatorum inter se contradicentium in quibusdam, *quæ sunt necessaria ad salutem;* sicut patet de Salomone, quem Augustinus opinatur esse damnatum, & Ambrosius illum esse salvatum, & sic de multis aliis similibus, de quibus permittit Ecclesia, variè sentiendum tam de Antiquis, quàm *de Doctoribus novis;* secundùm enim Scotum, & Hostien, quando sunt diversa jura, & opiniones, quæ tamen non sunt contra Deum,

Deum, & bonos mores, cæteris paribus, humanior præferenda est de transact. c. fin. aliàs enim standum est, quæ meliori rationi innititur. C. *Capellanus* de Fer. Forsan etiam huic opinioni favent, quæ dicit eod. Tom. serm. 17. in proœm. asserit enim, Iudicem per ignorantiam juris dantem sententiam falsam obligari ad resarciendum damnum. Favent ipsis, quæ habet Tom. 2. fer. 4. post secundam Dominicam Quadragesf. serm. 21. art. 2. cap. 6. fin. & serm. 41. art. 2 cap. 2. fin. Clarè ergo Divus Bernardinus est pro Probabilioristis.

46. Baptista Trovamala in sua Summa, quæ dicitur *Rosella*. Verb. *Opinio* facit solitam quæstionem; *An auditores diversorum Magistrorum &c.* Pro solutione recitat articulum decimum quodl. 3. Divi Thomæ. Postea subdit ea, quæ addidit huic Quodlibeto Supplementum Pisanellæ, relictis paucis. Hic ergo Doctor officium facit Historici, non Magistri.

47. Gabriel Biel in 4. dist 15. quæst. 8. dub. 2. litt. S refert Gersonem part. 2. tract. 1. de regul. moral. quem retuli supra. In eodem 4 distinct 16. quæst. 3. litt. DD. hæc alia pauca habet: *Si habet moralem certitudinem, sive probabilem conjecturam, se habere aliquod impedimentum magis ex hoc credens se indignum, quam non indignum accedendo ad Eucharistiam mortaliter peccat, licèt etiam impedimentum, quod suspicatur in eo fore, non sit in eo.* Hæc pauca Gabriel.

48. Baptista de Salis, Verb. *Opinio*, facit quæstionem, *utrùm Auditores diversorum Magistrorum tenentium diversas opiniones peccent, eos sequendo*; & pro solutione affert Quodlibetum 3. art. 10. Divi Thomæ, postea subdit dictum Monaldi toties recantatum, & tertiò ait, sequendam esse opinionem communem. Ecce hic de suo nihil ponit, sed more Historico narrat, quæ alii dixerant.

49. Forsan pro hac opinione est etiam Guido de Monte Rocherio, qui scripsit Summulam dictam, *Manipulus Curatorum*. Hic Doctor est valdè scrupulosus, & multoties relatis pluribus opinionibus sic concludit, quænam opinio *sit melior, sit probabilior, arbitrio Lectoris remittitur.* Ecce quod non audet determinare quæstionem, nisi sciat partem probabiliorem.

50. His Doctoribus, qui per me verè inter Antiquos numerari debent, possunt addi Pelbartus in Rosario tom. 1. Verb. *Opinio*. num. 6. & 7. Ioannes Altenstaig. in Lexic. Theol. Verb. *Opinari*. Bartholomæus Fumus in Aurea Armilla Verb. *Opinio*. num. 3. Ioannes Bertachinus in Repertorio Legali plures Legistas afferens. Verb. *Opinio*. Hi Summistæ nihil adducunt de suo, sed omnia ex aliis, & præcipuè ex Angelo desumunt, quamvis illum non meminerint. Hos ego non reputo inter Antiquos, Pelbartus sed enim vixit anno 1500. Altenstaig 1517 ut ex præfationibus suorum Operum liquet. Fumus paulò post vivebat. Bertachinus verò floruit anno 1533. ex Possevino in Apparatu Sacro. Potest etiam his Doctoribus addi Antonius Corduba, qui ex professo quæstionem agitavit, & pro Probabilioristis resolvit in suo quæstionario libr. 2. quæst. 3. Scripsit anno 1577.

51. Ex mea doctrina recitata de requisitis ad Antiquitatem Doctorum patet, Doctores allegatos à Vendrochio non omnes esse Antiquos, sed solùm quinque, nempè Henricum, Antoninum, Panormitanum, Gersonem, & Angelum, quibus additis, quos allego ego, scilicet Guillielmum Altisiodorensem, Guillielmum Parisiensem, Monaldum, Albertum, Ioannem de Friburgo, Bartholomæum de Pisis, & ejus Supplementum, Ioannem Nider, Divum Bernardinum, Baptistam Trovamala, Baptistam de Salis, Gabrielem Biel cum *Ulrico*, ab his citato, constat esse decem, & octo Doctores Antiquos, qui stant pro *sequenda probabiliori*, quibus, si placeat, addere unum, aut alterum allatos à Ioanne Nider, videbimus, militare pro eadem viginti Doctores Antiquos, pro qua etiam stant alii quinque Doctores viventes post annum 1500. & ante 1600. à me allegati, &

& alii quinque relati à Vendrochio. Sunt ergo omnes numero triginta.

52. Antiquis Doctoribus oppono has exceptiones. Prima sit, quod nullus agitavit quæstionem ex professo, referendo argumenta pro, & contra. Et Henricus, qui in suis quodlibetis solet esse diffusus, in hac difficultate jejunè admodùm se habuit; & solùm unicum Argumentum sibi opposuit, quod non multùm à nobis æstimatur. Hæc exceptio est maximi ponderis, ut per se est notum, qui enim non ponderat argumenta principaliora, quæ possunt obstare, jam plenè non est edoctus illam quæstionem; unde facilè potest decipi. Hinc, licèt omnes Antiqui Doctores universaliter dixerint, infantem totaliter positum in uteris maternis non posse baptizari, quia omnes supponebant, puerum in illo statu non posse ablui; tamen plures Moderni profundiùs tractantes hanc materiam, & Medicos, Chirurgos, & Obstetrices consulentes pro certo cognoverunt, illum infantem sic se habentem posse ab aqua physicè aliquando lavari, non secus ac alii omnes, & sic *non obstante tota Antiquitate* probabiliter intulerunt, posse baptizari.

53. Secunda exceptio validissima est, quòd Summistæ hujus opinionis rescribunt verbatim, quæ Monaldus, Angelus, Hostien, & Panormitanus dixerant, & præcipuè quatuor lineas Monaldi, Hostiensis, & Panormitani; Unde propriè hi Summistæ sunt Aves aliam sequentes, ut dicebat Navarrus.

54. Tertia exceptio, & maxima etiam est, quia intricatissimam hanc obscurissimam, & profundissimam quæstionem, & universalissimam paucis admodùm resolvunt.

55. Quarta exceptio est, quia nemo adducit pro ipsa Textum Canonicum, vel ex Sanctis Patribus, qui expressè, & clarè sit pro ipsis. Afferunt solùm illa duo: *In dubiis tutior pars est eligenda. Tene certum, & relinque incertum*; quæ procul dubio à Patribus, & Canonibus colliguntur. Hæc autem Adversarii intelligunt universalissimè, ut sic pro ipsis militare probent. Sed hanc intelligentiam sic universalem nullo textu, & sic ex propria mente, atque adeo fallibiliter probant. Ex alia parte Probabilistæ talem intelligentiam ex manifestis absurdis rejiciunt, ut infra patefaciam.

56 Quinta exceptio est, quia quando Monaldus, Ioannes de Friburgo, & alii Summistæ dicunt, non fieri præjudicium veritati, si quis amplectitur opinionem, quæ sibi magis consona rationi videatur; Quando, inquam hoc dicunt, non sunt nobis contrarii, nec asserunt fieri præjudicium veritati, si quis sequatur opinionem, *quæ sibi minus probabilis, & vera videatur*; nec hoc poterant dicere rationabiliter; nam *falsum* opponitur, & præjudicat veritati, non verò *minùs Probabile*; & malè Thomista argueret: Opinio Divi Thomæ est probabilior; ergo opinio contraria Scoti *est falsa*; & quilibet addictus alicui Scholæ benè facit judicando probabiliores opiniones sui Magistri; At malè, & protervè se gereret, si oppositas aliorum Magistrorum opiniones vel falsas, vel non probabiles judicaret. Sed debet, in hoc casu monitum illud Divi Antonini, & aliorum Antiquorum optimum sequi: *Non est præcipitanda sententia*. Hinc malè Fagnanus in c. *ne innitaris*. de constitut. num. 273. dixit, Doctores amplectentes unam opinionem damnare oppositam; nam Probabilitas unius non excludit probabilitatem in opposito; Hoc enim solùm præstat certitudo.

57. Majus pondus hujus opinionis est, quod defenditur à duobus Sanctis, nempè à Divo Bernardino clarè, & à Divo Antonino. Sed adhuc dicere possumus: Primo, quòd neuter quæstionem ex professo agitat. Secundò Divus Bernardinus tradidit illam in sermonibus dictis coram multitudine Populorum, qui aliàs proni ad malum, periculum erat, ne malè intelligerent benignitatem opinionis oppositæ; unde melius erat, rigidam proponere. Tum quia in primo

textu

textu nihil ponit de suo, sed merè dictum Henrici narrat; In secundo verò, in quo dicit: aliàs standum est illi, quæ meliori rationi innititur. c *Capellanus* de Fer. meo judicio, salva reverentia Sancti Doctoris, non omninò efficaciter probat intentum, nam in illo c. *Capellanus* solùm Papa decidit, quænam opinio *sit melior, & subtilior*, & postea secundùm illam decidit. Ex hoc tamen non sequitur, nos cogi ad sic faciendum, quia Papa sequendo suo facto aliquam opinionem non præjudicat oppositæ, ut textus est apertus in c. *litteras.* de restitut. spoliat. Tum quia multoties opinio est melior, non tamen *subtilior*, & tamen in hoc casu possumus meliorem eligere; ergo, quòd Papa suo facto sequatur opinionem *meliorem, & subtiliorem*, non facit jus; & sic nos non obligat, quia non facta, sed Leges Principum nos ligant. Infra evidenter monstrabo textus, in quo Papa sequitur opinionem meliorem, subtiliorem, & probabiliorem nullo prorsus modo favere Probabilioristis.

58. Quòd attinet ad Divum Antoninum, non deest Bordonus, qui in suo Propugnaculo Opinionis Probabilis nititur illum explicare, ut & Cardenas, & eripere Adversariis, difficulter tamen me judice; Nemo tamen poterit negare, immò Adversarii coguntur fateri, quòd Divus Antoninus apertè faveat Probabilistis, dùm expressè tenet in duobus locis, Confessarium debere absolvere pœnitentem sequentem opinionem contrariam; & ubi dicit, quòd sequenda est opinio tutior, subdit, *non tamen de facili opinio contraria condemnanda* par. 3. tit. 5. c. 2. §. 9. fin.

59. Quòd spectat ad alios Probabilioristas allatos, qui per me inter Antiquos non numerantur, fateor Conradum Summenhart plenè satisfecisse, sicut & Cordubam quæstioni, & quidem diffuso calamo aggressi sunt materiam, quantùm poterant aggredi quæstionem, quæ incipiebat discuti; & si priùs vixissent, nihil ipsis opponi posset.

Joannes Major, ultra quòd est Modernior, quàm Conradus, plenè non agitavit materiam. Adrianus benè, sed non plenè scripsit. Non multùm benè processit Sotus. Cajetanus quatuor verba protulit. Sylvester Tabiena, Pelbartus, & reliqui Summistæ rescripserunt ex aliis, undè Historici sunt, non Doctores, ut requirimus pro tanta quæstione.

60 His Doctoribus, qui sunt triginta, pauca scribentibus pro hac difficultate, opponimus plusquam centum Modernos, quorum multi integros Tomos ediderunt, & plurimi longissimas disputationes confecerunt, & adeo illustrarunt materiam, ut nihil desiderandum videatur præter definitionem Apostolicam. Scio pariter pro Probabilioristis plures Modernos diffusissimè scripsisse; sed ex his plures tanta ira, indignatione, & probris, ut procul dubiò existimandum sit, passionem adumbrasse illorum intellectum, propptereaque non esse magni faciendos. Inter hos pono Vendrochium, Gonetum, Baron, Jacobum à Sancto Dominico, Fagnanum, & Merendam. Lectores illos adeant, & videbunt, an verum dicam. Fateor ingenuè, me non sine nausea eorum libros evoluere, nec mirari satis possum, quomodo viri Religiosi in Religiosos viros, & in opinionem nondum à Sede Apostolica proscriptam adeò acriter invehant, & excandescant.

61. Quanto autem stomacho hosce Probabilioristas lego, tanta voluptate, ut dicebam cap. 1. fin. evolvo Antonium, Cordubensem, Philippum Fabri, Cardinalem Brancatum Lauræam, & Fogarinum, qui sequuti methodum scribendi sui subtilissimi Præceptoris Probabilioritatem tutantur placidè, rationibus, authoritatibus, & aliis argumentis requisitis ad veritatis indagationem, relictis criminationibus, vociferationibus, & dicteriis, quæ ad rem non pertinent, quin scandalum generant quoad pusillos, & risus quoad Doctos.

62. Colligitur, dato etiam, quòd alias Antiqui essent præferendi Modernis, in hac tamen materia Modernos esse

esse Antiquis præponendos. Ratio est, quia Moderni pro dignitate materiæ tractant difficultatem; Antiqui autem admodum jejunè procedunt, ut nequit negari. Ergo magis est credendum his Modernis; quia, ut suprà dicebamus, ille Doctor est anteponendus, qui diligentiùs discutit disputationem. Præterea nullus ex Modernis passione abripitur, & cum debita morigeratione procedunt omnes, nec illos legendo reperies injurias, probra, & dicteria, sive contra Adversarios, sive contra ipsorum doctrinam jactare.

63. Scio Vendrochium, & alios Probabilioristas dicere, Probabilistas scribere non ex passione iræ, sed ex passione *amoris sæculi, & ex amore carnis.* Ast incumbit illis hoc probare, quia nemo debet præsumi malus ex legibus, sed quilibet, etiam in dubio, ait Divus Thomas 2. 2. quæst. 60. art. 4. cum omnibus Doctoribus, debet judicari bonus. Ergo, nisi evidenter constet; Probabilistas scripsisse *amore carnis, non zelo veritatis*, hoc non debet asseri. Tum quia si ex passione carnis publicassent Probabilistæ benignam opinionem, quæ per Adversarios est contra Legem Dei, & Naturæ, jam non possent excusari à mortali, ut in simili dicebant Divus Antoninus ubi supra, & Conradus de contract. quæst. 100. de Sanctis in rebus moralibus diversà opinantibus. Non est tamen probabile, Probabilistas peccasse mortaliter in hac opinione, cum fuerint viri Religiosi cujuscunque Religionis, etiam strictissimæ.

64. Colligitur evidenter contra Vendrochium, nos posse sequi in praxi opinionem probabiliorem, licèt sit minùs tuta, quia vidimus ad benè operandum, & non errandum, per Antiquos, præcipuè Summistas, sufficere, si inter opiniones quis amplectatur illam, *quæ sibi magis videtur consona rationi*, nec unquam addunt, debere esse tutiorem; immò & impertinenter adderent, quia ut possimus in praxi sequi tutiorem, non est necesse, quòd sit probabilior, sed nec quòd sit vera; unde in praxi possumus sequi illam opinionem falsam de Pœnitentiæ Sacramento, quòd requiratur contritio charitate perfecta.

CAPUT XIX.

Removentur ab Opinione Adversariorum Alensis, Divus Bonaventura, & Durandus. Ubi an Opinio de sequenda Probabiliori, sit traditio, vel Opinio communis.

1 Cum in Schola Scotistica fuerint Probabilioristæ, & Probabilistæ, inter quos eminet celeberrimus Mastrius, qui forsan inter Scotistas Modernos primatum obtinet, hic non puto necessarium Scotum à Probabilioristis eripere, cùm ipse Mastrius abundè præstiterit in 2. disput. 5. quæst. 2. Ego puto Doctorem Subtilem neutri favere; quamvis fatear sæpiùs esse rigidum, quàm benignum. Mihi in animo est, irrefragabilem Alensem, Doctorem Seraphicum, & Durandum ab illis vindicare. De Doctore Angelico infra occasio opportunior se se offeret.

2. Alensis solet allegari à Probabilioristis in Summ. par. 2. quæst. 112. de ignorant. membr. 8. casu 5. ubi sic scribit: Quæritur de illo, qui dubitat de aliquo utrum sit Simonia, vel non, eo quòd quidam Jurisperiti dicunt, esse simoniam, & quidam non. Quid ergo faciendum est, cùm ignorat? Ad quod respondendum est, quòd abstinendum ab hujusmodi contractu, ne committat se discrimini; melius enim est, ut incidat in damnum temporale, quàm in spirituale, idest in minus malum.

3. Sed hic Textus non suffragatur Probabilioristis, cum Doctor velit in hoc casu amplectendam esse partem tutiorem, quæ tam potest esse probabilior, quàm minùs probabilis. Tum quia, si opinio Divi Bonaventuræ esset tutior, opinio verò Divi Thomæ esset minùs

minùs tuta, hanc Divi Thomæ eligere non possem data explicatione Adversariorum. Hoc autem reputo adeò absurdum, ut ex hoc credam pro certo, illos decipi. Igitur Alensis loquitur de *dubitante*, *&* *ignorante*; qui quidem tenentur eligere tutiorem; qui si possent cognoscere illos Juristas probabiliter procedere, tunc juxta Probabilioristas partem probabiliorem minùs tutam, & juxta Probabilistas minus Probabilem sequi possent, tanquam objectum solùm gradualiter differens à Probabiliori; & sic capax specificandi actus ejusdem speciei juxta Philosophiæ placita, sicut magis, & minùs calidum producunt effectus ejus naturæ, & qualitatis.

4. Durandus citari solet adversatur pro Probabilioristis in Prologo Libri Sententiarum. Sed meo judicio perperam omninò; sed potiùs favet. Ibi enim dicit, rationem præponderare cuicunque authoritati humanæ; hinc nullum esse compellendum, ne doceat, vel scribat dissona ab iis, quæ determinatus Doctor scripsit; quia hoc esset præferre talem Doctorem sacris Doctoribus, Divo Augustino, Divo Ambrosio, Gregorio, & Hieronymo, præcludere viam inquisitioni veritatis, & præstare impedimentum sciendi, & lumen rationis non solùm occultare sub modio, sed comprimere violenter. Subdit postea, se velle plus rationi tribuere, quàm Authoritati humanæ. Hæc tota doctrina integra custoditur à Probabilistis, qui dicunt *Probabilitatem* opinionum metiendam esse maximè *à ratione*, *non verò ab authoritate humana*; & non esse *violenter comprimendum intellectum humanum*. Et ex hoc argui licet, cum opinio probabilior non habent vim necessitandi intellectum, cum sola evidentia hoc munus habeat, ideò nos non debemus *violenter comprimere illum*, ut sequatur opinionem probabiliorem; sed illi relinquere libertatem, ut etiam ipsi libeat suam vim exercere in tuenda minùs probabili, quæ, cùm sit ejusdem essentiæ cum probabiliori, debet etiam ipsa continere veritatem eandem. Præterea Textus Durandi intendit damnare illos, qui volunt cogere alios, ut sequantur opiniones alicujus privati Doctoris, quia sic plus honoraremus privatum Doctorem, quàm Sanctos Patres. Denique hic Textus evidenter est contra Vendrochium, qui cum opinionem aliquam non audit fulcitam, aut Sacra Scriptura, aut Traditione Ecclesiæ, illam aspernatur, & parvi facit. E contra Durandus, nedum Scripturam, Ecclesiam, & Patres, sed etiam rationem se declarat velle sequi, & illam authoritati purè humanæ præponere.

5. Aptiùs potest afferri pro Probabilioristis in 4. dist. 17. quæst. 13. num. 6. ubi hæc scribit: Ideò, qui sic confitetur, & de facto absolvitur, tenetur iterum confiteri eadem, & de eis absolvi; Nec est dubium, quin hæc opinio sit securior, quia confitendo iteratò nullum periculum sequitur, sed maxima securitas. Qui autem omittit iterùm confiteri, *committit se dubio*, quod valdè est periculosum in his, *quæ tangunt salutem*, *vel damnationem Animæ*. Infra verò num. 7. in fine, postquam Doctor modum docuit, *quo posset colorari opinio opposita* sustinens in casu disputato validam esse Confessionem, subdit: Illud tamen, quod tutius est, semper est tenendum.

6. In rei tamen veritate Durandus nec in hoc textu favet Probabilioristis: nam priorem opinionem benignam non existimat probabilem; siquidem relatis num. 5. suis fundamentis dicit: Hæc aliis Doctoribus non probari. Num. verò 7. subdit: *Veruntamen prima opinio posset colorari*, *non quidem ponendo &c. sicut ponitur*, *quòd Baptismus habet suum effectum recedente fictione*; Sic potest coloratè dici, *quòd Confessio facta à non pœnitente*, *&* *absolutio ejus habeat effectum recedente* impœnitentia *per veram Contritionem subsequentem*. Postea Durandus assignat disparitatem inter Baptismum, & Sacramentum Pœnitentiæ. Ecce quòd hic Doctor opinionem benignam solùm asserit, posse coloratè defendi: *posset colorari*. *Potest coloratè dici*.

Opi-

imposita primis Parentibus de non comedendo pomum. In hoc casu opinio, quamvis mihi videretur probabilior, non me excusat; quia illa opinio non est *verè probabilis*, sed est error manifestus; Nam opinio per omnes versatur in materia obscura, & contingenti, non in clara, & necessaria. Præceptum autem datum primis parentibus fuit manifestum, & expressum; unde opinio opposita erat erronea; dixerat enim Deus, *In quacunque hora comederis, morte morieris*; Hinc omnes opiniones, quæ sunt oppositæ legi claræ, & expressæ, sunt erroneæ, ut dixit Divus Thomas quodlib. 3. art. 10. & consequenter nequeunt excusare. Et ratio est, quia in tali materia, si quis faceret ea, *quæ potest, & debet*, veniret in cognitionem veritatis. Si quis inter nos dubitaret, fornicationem esse peccatum, si faciet diligentiam debitam, & inquirat à parentibus, à Senioribus, à Confessariis, nonne statim in cognitionem veritatis veniet?

9. E' contra in materia obscura, & contingenti facta qualibet diligentia non deveniet in cognitionem veritatis, sed tantùm ad Probabilitatem pertinget. Nemo negabit, Patres, & Antiquos Theologiæ Proceres fecisse diligentiam debitam ad veritatem capescendam; & tamen in obscuris solam Probabilitatem invenerunt; & propter hoc in varias abiere sententias, etiam in materiis gravissimis. Nemo pariter negabit, homines, qui conscientias regularunt juxta illas sententias, benè fecisse; ergo Probabilitas Patrum, & Procerum Antiquorum, & sic opinio *certò probabilis*, & opinio, quæ est in materia obscura, & contingenti, potest nos salvare. Probabilistæ autem loquuntur in materia obscura, & contingenti.

10 Eadem Responsione utendum est ad alium Textum, quem habet eodem Opusc. processu 6. cap. 41. & hisce verbis concipitur: cum Deo autem disputare velle, stultum est, & quasi velle convincere eum, ut non debeat judicare, hoc esse peccatum mortale, quod *nostra opinio non vult pro mortali habere*. Sua existimatio est regula infallibilis Justitiæ, *non nostra angulosa opinio*, quam nostram conscientiam appellamus. *Solis Radius nunquam facit angulum*, semper directè in opposita sibi ferit, sive in nobis appareat, *sive aliter existimemus*. Eadem, inquam, responsione utendum est, quod puto evidentissimum. Ubi *Solis radius* operatur, tenebræ, & obscura recedunt, sive hoc nobis appareat, sive stultissimè *aliter existimemus*. Et qui existente *Radio solis* non videret objecta, cœcus procul dubiò esset ille; & si vellet deambulare absque Duce, & in præcipitium impingeret, meritò condemnaretur de insania. Si autem Sole absente, quis deambulare deberet per illas tenebras, meritò excusaretur, si præcipitium aliquando incurreret; quod dico de Solis radio materiali, affirmo de Sole Divino, qui si lucet, hoc est, si veritatem manifestat, cœcus est, qui illam veritatem non videt; & si errat, culpandus est. Si autem Sol Divinus veritatem non ostendit, sed vult relinquere hominibus, ut de illis disputationem instituant, non erimus culpabiles, si veritatem non attingemus aliquandò. Cum ergo Divus Bonaventura loquatur in casu, in quo *Solis radius sibi opposita directè erit*, jam non loquitur in materia obscura Probabilitatis, in qua nostra difficultas versatur.

11. Allegatur etiam Seraphicus Doctor in 2. dist. 22 art. 2. quæst 3. ubi dicit cum Magistro Sententiarum, & Augustino ad Valentinum de gratia, & liber. arb. cap. 2. & cap. 3. tom. 7. quòd quotiès quis per errorem, in quem incidit ex negligentia addiscendi legem, quam tenebatur scire, judicat esse bonum, & juxta legem Dei id, quod re ipsa malum, & contra legem Dei est, peccat, licet operetur juxta Conscientiam, *quia illa ipsa Conscientia erronea est peccatum*. Ex his à fortiori licebit inferre juxta Divum Bonaventuram peccare illum, qui sequitur opinionem minùs tutam, quando judicat, vel prudenter judicare potest, esse falsam ob rationes magis probabiles ad oppositam opi-

opinionem, quia iste operatur contra conscientiam, & simul contra legem, si re ipsa illa opinio sit falsa. Si autem sit vera, adhuc peccat, quia operatur contra conscientiam, cum velit sequi opinionem faventem suæ libertati, quando prudenter judicare nequit, esse veram. Sicut peccat, qui operatur contra conscientiam erroneam, qua sibi persuadet esse malum id, quod re ipsa est bonum, & juxta legem Dei.

12. Sed contra est, quia concedo quidem, errorem culpabilem non excusare à culpa subsequente; cùm enim non possimus devenire in cognitionem veritatis; ergo culpa sequens ex illo errore, & ignorantia est voluntaria, & sic peccatum. Et ita intelligitur Augustinus, qui de facto loquitur de errore, quo primi Parentes lapsi sunt in peccatum; Hic enim error fuit voluntarius, & poterant primi Parentes videre veritatem Legis Dei clarè ipsis intimatæ. In casu autem de opinione minùs probabili non sumus in errore. Nunquid Scotista, qui judicat opiniones Scoti esse Probabiliores, simul judicat, vel judicare potest *prudenter* oppositas opiniones Divi Thomæ esse errores? Certè omnes Antiqui, qui quæstionem agitarunt, dixerunt, Confessarium ordinarium posse, & debere absolvere pœnitentem sequentem opinionem oppositam. Nunquid isti Antiqui credebant, Confessarium judicare in hoc casu Pœnitentem errare? Certè non; quin dicebant, quòd quando Confessarius est certus de sua opinione, & sic est certus, pœnitentem sequentem oppositum errare, tunc non debere illum absolvere. Ergo stat simul, quòd quis cognoscat unam opinionem esse probabiliorem, & adhuc oppositam non esse errorem. Si ergo opinio minùs probabilis non est error, nec conscientia poterit *prudenter judicare esse falsam.*

13. Hic decipiuntur Adversarii, qui nequeunt, aut nolunt capere veritatem, quæ importatur à Probabilitate, posse esse in utroque opposito. Quæro enim ab ipsis, aut Probabilitas ex sua specie importat veritatem; & sic cùm Probabilioritas, & minùs Probabilitas sint ejusdem speciei, habebunt eandem veritatem. Si ex sua specie non importat veritatem; ergo hanc habet ex gradu, & ex sua specie erit indifferens, aut falsa. Falsa non erit, quia falsum ex sua natura verum evadere nequit; Sed nec indifferens erit, quia sic opinio minùs probabilis vel nec esset vera, vel falsa; quod est impossibile; vel esset falsa, quod ex dictis modò est falsum. Hic addo ad demonstrandam benignitatem opinionum Divi Bonaventuræ, quòd in hac quæstione ad 7. dicit: *Probabilius esse, quòd nec ebrius, nec furiosus, qui usu rationis caret, committere potest* novam culpam, *sed ex inordinatione sequenti aggravatur culpa prima.* Alii strictiùs docebant, ebrium, & furiosum posse committere novam culpam.

14. Affertur pariter dist. 39. art 1. quæst. 3. ubi docet, Conscientiam erroneam non excusare, & si quis per Conscientiam crederet aliquod, *& Lex Divina oppositum dictaret*, quòd faciendo utrumque peccaret, & si nesciret deponere illam conscientiam, debet sapientiores consulere, *vel per orationem se ad Deum convertere*, si humanum consilium deest; alioquin si negligens est, verificatur in eo, quod dicit Apostolus 1. Corinth. 14. *Qui ignorat, ignorabitur:* Ex his sequitur per Divum Bonaventuram, quòd credulitas, & sic multò magis opinio, si sit contra Legem Dei, non excuset à peccato. Ergo opinio minùs probabilis, & minùs tuta, si sit contra Legem Dei, non excusabit operantem.

15. Sed contra est, quia loquitur de Conscientia *erronea*, quæ per Sanctum Doctorem est illa, *qua dictat, non esse faciendum illud, ad quod homo aliàs tenetur.* Clariùs, si Conscientia dictat, *esse fornicandum ad salvandam vitam*, & Lex Divina dictat non esse fornicandum, in hoc casu Seraphicus vult, hunc peccare utrumque faciendo; & si nesciret, deponere illam Conscientiam, debet Sapientiores consulere, *vel per oratio-*

orationem se ad Deum converteret, si humanum consilium deest. Hinc patet, loqui in materia clara, & manifesta; & quidem esset valdè ridiculum credere, quòd in materia obscura, si quis orabit Deum, sit consequuturus veritatem; & sic depositurus conscientiam, si sit contra legem; videmus siquidem omnes Sanctos, & Doctores in his controversiis inter se opponi; & tamen certum est, Sanctos præcipuè oralse pro veritate invenienda. Ergo si Divus Bonaventura loquitur in casu, quo debet orare, si deest humanum consilium, loquitur in casu legis claræ, non obscuræ, ut nos facimus. Igitur opinio erronea, quæ nempe est contra legem clarè propositam, non excusat; opinio verò probabilis, sive magis, sive minùs, si esset contra legem, cum tamen hoc ignoremus ob obscuritatem, excusat.

16. Solet etiam citari pro probabiliori in 4. dist. 38 art. 2. quæst. 3. ubi primò dicit, quòd est positio rationabilior, & securior, quæ docet, Papam non posse dispensare in voto, prout dispensatio est juris relaxatio. Postea verò ponit triplicem opinionem oppositam circa modum, quo Papa potest dispensare in voto, ponendo recompensationem voti relaxati. Subdit postea: quæ istarum trium opinionum sit verior, fateor me nescire, *& satis potest qualibet sustineri*, ideò nullam asfero. Si quis tamen velit ultimam acceptare, *non occurrit ei inconveniens manifestum &c.*

17. Sed contra est, quia etiam Probabilistæ ut plurimùm sequuntur suas opiniones *tanquam probabiliores*, & tamen non propter hoc sibi ipsis opponuntur. Sic Divus Bonaventura sequitur opinionem rationabiliorem; non propter hoc tamen damnat oppositam *tanquam errorem, vel ut improbabilem.* Alia, quæ subdit Seraphicus, clarè sunt pro opinione æqualiter probabili; nonnè clarè, & expresfè dicit, quòd *satis potest qualibet sustineri?* Peto ab Adversariis, an Sanctus Doctor possit nedum sustinere, *sed satis sustinere errorem, & falsum?* Certè nemo tantam ignorantiam tribuet ipsi. Ergo, si tres illas oppositas opiniones satis sustinet, illæ erant *æquè probabiles.* Dixi *æquè probabiles*, non *inæqualiter*, quia expresfè Bonaventura dicit, se nescire, *quæ istarum sit verior.* Porrò illæ tres oppositæ opiniones erant, quòd prima dicebat, Papam posse, pro loco, & tempore omne votum dispensare. Secunda concedebat de omni, excepto voto *de Continentia.* Tertia concedebat de omni, exceptis tribus votis, *Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ.* Ego credo, à nemine negari posse, in hoc textu clarè Seraphicum esse pro opinione utraque æqualiter probabili. Nihil autem nos movere debent illa verba Textùs *Ideo nullam asfero*, quasi quòd nullam opinionem teneat in hoc casu; nam hæc verba confirmant Sanctum Doctorem, tenere illas opiniones, solùm tanquam probabiles.

18. Pro quo nota, illum terminum, *Ideo*, significare connexionem effectùs ad causam, ut apud Philosophos, & Theologos est certum, & etiam apud Juristas, ut videre licet apud Barbosam tract. *de dict. usu frequ.* & Bertach. in suo Repertorio Legali. Verb. *Ideò.* Hinc illa verba, *Nullam asfero*, importat consequens ab antecedenti deductum. Nota ulterius illud verbum, *Asfero*, non significare quamlibet secundam operationem intellectùs, sed tantùm illam, quæ certitudinem importat; Et hoc patet ex eodem Seraphico in 1. distin. 27. part. 1. quæst. 4. qui cum aliis Antiquis concedit, *de Divinis Notionibus licere variè opinari, non tamen asferere, quia hoc est rationis superbientis.* Unde per Antiquos in materia dubia, & obscura Divina est licitum variè *opinari*, non tamen *asferere.* Hinc rectè Divus Bernardus, ut retuli cap. 2. num. 2. & 3. dicebat, opinionem esse temerariam, si habeat *asfertionem.*

19 Nunc applicando doctrinam reproduco textum: *Satis potest qualibet sustineri*, ideò *nullam asfero.* Et reduco illum ad modum Argumenti. *Potest qualibet ex his opinionibus satis sustine-*

 ri

ri; ergo nullam asserere possum. Consequentiam probare: ex doctrina illa ex dist. 27. 1. Sent. *In re dubia possumus variè opinari*, sed non *asserere*. Sed in hoc casu est res dubia; *ergo possum variè opinari*, non tamen asserere. Igitur juxta Divum Bonaventuram, quando materia est dubia, obscura, & contingens, tunc nihil, propriè loquendo, possumus asserere; possumus tamen opinari, *seu sustinere opinativè* unam, vel alteram, vel utramque. Et quia ubi adest opinio, ibi assertio esse nequit; hinc Divus Bonaventura, quia videbat in hac materia dari opiniones, intulit; *ideo nullam assero;* Hæc doctrina est maximè notanda, quia sæpiùs est necessaria ad rectam intelligentiam plurium Antiquorum, sed præcipuè Doctoris Seraphici.

Nunc ad secundam partem propositam in titulo præsentis capitis redeamus. Vendrochius credit esse, velut *traditionem*, doctrinam asserentem, nos non posse sequi opinionem *minùs probabilem*, *& minùs tutam*; & forsan ita sentit Cœtus Gallicanus in §. *de opinionum probabilium usu*, vers. *quod ergo in praxi*. Cùm autem hæc Doctrina sit explicatio juris naturalis, & Divini, hinc esset Traditio Divina; Non enim esset Ecclesiastica, quia hæc est solùm de rebus, quæ subjacent voluntati Ecclesiæ, cum tales Traditiones obtineant eandem vim, ac Leges Ecclesiasticæ, ut videre est apud Bellarm. in controversiis Fidei Tom. 1. controv. 1. lib. 4. cap. 2. Et ob eandem rationem non esset Apostolica. Si autem esset Traditio Divina, jam tenere oppositum esset hæresis. Mirum autem est, quòd magni illi viri Medina, Suarez, Vasquez, aliique non viderint hanc hæresim, & Traditionem. Vide Cano de loc. Theol. l. 3. c. 4.

20. Sed negandum prorsùs est, habere vel umbram Traditionis Divinæ. Traditio siquidem Divina continet Doctrinam Christi, quam Verbo docuit Apostolos Christus, ut habet Bellarminus ibidem. Porrò Traditio Divina, & qualibet alia, licèt non sit scripta ab Authore, tamen litteris mandata est ab aliis; & loquendo de Divina præcipuè scripta est à Sanctis Patribus. Hinc idem Bellarminus, & alii Doctores scribentes contra Hæreticos de his Traditionibus semper utuntur Sanctis Patribus; & quidem esset mirabile, quòd primi, qui acceperunt doctrinam, illius non meminerint, sed solùm posteriores, & loquendo in nostro casu, Antiquior, qui doctrinam de sequenda probabiliori opinione tradiderit, citatus ab Adversariis, est Henricus, qui vivebat anno 1280. nec Vendrochius, aut alii Probabilioristæ allegarunt Antiquiorem, qui clarè hoc dixerit. Et si concederemus, Divos Thomam, & Bonaventuram stare pro ipsis, paulò ante floruerunt, sicut Albertus, & Guillelmi à me allegati. Conantur afferre Patres Antiquos pro hac sententia, sed frustra; Et si concederemus, aliquos Patres esse pro illa, quòd nunquam concedam, non tamen esset dicenda Traditio, maximè Divina. Sicut enim explicatio Scripturæ facta ab aliquibus Patribus, & non à majori parte, non facit rem certam de Fide, ita, & traditio non erit certò Divina illa, cujus mentionem faciunt solùm aliqui Patres.

21. Præterea Albertus allatus cap. anteced. num. 28. dicit, esse regulam *Quorundam* dicentium, quòd dubitans esse peccatum, & operans illud, peccet. Ipse Albertus explicat hanc regulam valere, ut ibi dixi, de eo, qui magis supponit esse peccatum; & sic quòd judicat probabilius, esse peccatum. Nota illum terminum, *Quorundam*, qui clarè significat, solùm apud *aliquos* viguisse illam regulam de probabiliori parte sequenda. Ergo per Albertum tunc hæc doctrina non erat *traditio*, & communis opinio.

22. Verùm ego contendo, doctrinam Adversariorum nec esse *sententiam communem Doctorum Antiquorum*, illorum nempè qui floruerunt ante annum 1500. & hoc puto evidens ex iis, quæ cap. 3. à num. 88. scripsi. Dicebam ibi duo requiri

quiri ad opinionem communem, in quo Fagnanus concordat. Primum, quòd pro ipsa sint plures Doctores, & hunc numerum pro opinione Antiquorum debere esse ad minus septemnarium. Secundum, quòd hi Doctores tractent quæstionem ex professo, idest, afferendo rationes principales pro ipsa, & solvendo opposita magis urgentia. Insuper cap. 7. probavi nomine Antiquorum me intelligere Doctores, qui floruerunt ante annum 1500. ut dixi.

23. Datis his duobus suppositis manifestè colligitur, opinionem de sequenda Probabiliori non esse communem apud Antiquos, quia saltem Antiqui non fecerunt quæstionem ex professo, ut ex cap. antecedenti est manifestum. Puto etiam, quod ab anno 1500. usque ad 1600. hæc opinio non erat communis; nam pro ipsa non invenio in hoc tempore, nisi Conradum, Adrianum, & Cordubam, qui agitaverint ex professo difficultatem, & etiam, si vis, adderem Sylvestrum. Ergo in hoc tempore non adsunt illa requisita pro opinione communi. Adsunt equidem plures Summistæ, ut Fumus, Tabiena &c. Sed quatuor verbis se expediunt. Insuper hoc tempore pro opposita ex professo pugnarunt Medina, Salonius, & Magnus Vasquez, qui certè Conrado, & Cordubæ sunt æquales. Pro hac quoque illo tempore alii, sed obiter, decertarunt.

24. Ulterius nedum opinio de probabiliori non fuit communis Antiquis, explicando opinionem communem juxta mea principia, Navarri, & Fagnani, sed nec etiam juxta principia dicentium, illam opinionem esse communem, quæ habet pro se Glossam, & alium Doctorem solemnem; nam invenitur quidem Glossa Canonica in cap. *Capellanus.* de feriis in narratione casus, quæ est pro hac opinione, at non Glossa Theologica; cùm autem nostra quæstio sit purè Theologica, Glossa Canonica non est hìc consideranda; præcipuè quia adeò multipliciter turpiter erravit in rebus Theologicis. Tum quia suum dictum non confirmat aliquo textu, sed solùm credit, hoc esse decisum ab illo capite *Capellanus*, quod tamen infra patebit esse falsum evidenter.

25. Denique si concedamus exercitii gratia, opinionem Adversariorum fuisse *Communem Antiquis*, assero adhuc nihil obstare, & hoc novum assertum, & inauditum Antiquis Summistis, & Scholasticis non debere damnari, & rejici, salva reverentia debita Illustrissimo Cœtui Gallicano. Unde hoc argumentum: *Opinio fuit communis Antiquis &c. Ergo ejus opposita est rejicienda*, assero non esse bonum, & subdo pro constanti *Opiniones horum Antiquorum communes* posse, & debere examinari diligenter à Modernis *de ipsarum veritate.* Hoc punctum diffusè agitabo infra.

CAPUT XX.

Statuitur tanquam certum Probabilitatem posse esse Regulam Morum.

1 HIc suppono pro certo hunc terminum, *Probabile*, utpotè qualitatem suscipere magis, & minus, & maximum. Qualitas enim modò est remissa, modò intensa, modò summa. Quin hoc invenio in Sacris decretis. Hinc in Decreto condemnatorio Propositionum Alexandri Octavi num. 3. damnatur hæc Propositio: Non licet sequi opinionem vel inter *probabiles probabilissimam:* Ecce Pontifex supponit opiniones *Probabiles*, & *Probabilissimam.* In c. *cum Marthæ* de celebr. Miss. §. *quæsivisti*, & in Clemen. de Summ. Trin. §. fin. fit mentio *opinionis probabilioris.* Vide cap. 3. à num. 71.

2. Suppono insuper non in omni materia probabilitatem esse regulam morum. Sic ubi agitur de valore Sacramenti, debemus sequi certitudinem, non Probabilitatem, ut liquet ex Decreto Innocentii Undecimi num. 1. Item

Judex, & Medicus debent sequi opinionem certam, quia effectus Medicinæ non dependet à cognitione humana, sed à veritate ipsius Medicinæ. Unde, si quis sumeret Medicinam credens sumere venenum, hic sanaretur, & accipiens venenum judicaret sumere Medicinam, hic necaretur. Et judex quantumcunque credat, se benè judicare, non per hoc transfert dominium rei illi, pro quo judicavit; unde cognito errore res est restituenda domino. Vide Gloss. in cap. *inter cæteras* de sent. & re jud. Verb. *manifestum.* Quæstio ergo procedit in illis materiis, in quibus agitur solùm de peccato vitando, v. gr. An liceat edere octo uncias pro jentaculo in die jejunii; an circumstantiæ aggravantes sint confitendæ; an liceat defendere res defensione occisiva, & similia.

3. Hic recolo definitionem Probabilitatis, quam latè probavi supra cap. 3. & dixi, esse propositionem incertam, quæ scilicet possit aliter se habere, fundatam tamen in gravi ratione; quæ definitio est data per intrinseca. Si velimus verò Probabilitatem extrinsecè definire, ut fecit Aristot. Topic. 1. tex. 6. cujus etiam ibidem mentionem fecimus, dicemus, illa esse probabilia, *quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut Sapientibus, & his, vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus, & probatis.*

4. Suppono autem hìc non fieri quæstionem, an possimus sequi opinionem vel minùs, vel æquè, vel magis probabilem; de hoc enim infra, sed de Probabilitate simpliciter, & in sua ratione specifica; unde comparamus opinionem probabilem cum tutioritate, v g. nullum est periculum peccati, si in Confessione dicamus circumstantias aggravantes, periculum verò est illas tacere; cùm tamen adsit sententia gravi ratione fundata, & plurimis Sapientibus probata, quæ dicit non esse necessariò confitendas hasce circumstantias, quærimus, an liceat, uti hac opinione, quæ solùm est probabilis relinquendo contrariam, quam sequendo nullum periculum peccati incurrimus. Duplex autem esset difficultas solvenda de dubio juris, & de dubio facti; Exemplum primi illud sit de Confessione circumstantiarum aggravantium. Exemplum secundi sit, v. g. dùm dubito, an in die festo laboraverim. Hìc solùm de dubio juris sermo erit, in quo quæstio est periculosior, & ferventior.

5. Iterum adverto, difficultatem versari, quando materia est obscura, & per hoc in eadem veritas non est clara, sed adhuc est sub lite. Si enim inventus esset Textus clarus Scripturæ, vel jam lis esset decisa ab Ecclesia, tunc cum simus in decisis, lis cessat, & qui contrarium sequeretur erraret ex Divus Thoma quodlib. 3. art. 10. & Divo Antonino 3. part. titul. 5. cap. 2. § 9 ubi dicit, quòd ante determinationem Ecclesiæ poterat sustineri, quòd Christus nihil habuerit mobilium in communi cum Apostolis, facta autem nunc decisione ab Ecclesia, si quis contrarium sustineret, esset hæreticus. Sic Antiqui plurimas opiniones sustinuerunt, nec tunc poterant accusari, quæ tamen opiniones modò sunt hæreses, ut est illa, quòd non teneamur confiteri peccata mortalia. Nec simplicitas, inquit Divus Antoninus, potest excusare in his mulieres; alioquìn immunes fuissent à peccato, qui sequuti sunt opinionem Arii, & Nestorii, & aliorum Hæresiarcarum, dicebat Divus Thomas loco ubi supra. Et in his materiis, ut observavi alibi, non datur opinio, sed propositio contraria est error, ut dicunt Divus Thomas, & Antoninus.

6. Dicimus ergo in his casibus, opinionem probabilem esse regulam morum, & hanc conclusionem ut certam statuo, & intelligo in qualibet lege, sive naturali, sive divina, sive Ecclesiastica.

Probatur primò ex c. *Ego solis.* 9. dist. quod est sumptum ex August. Epist. 19. c. 1. ubi habetur: Alios autem ita lego, *ut quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideò verum putem, quia ipsi*

ita senserunt ; Sed quia mihi per alios Authores , vel Canonicas , vel probabiles rationes , *quod à vero non abhorreat , persuadere potuerunt.* In textu Augustini non dicitur , *Probabiles rationes* , sed *Probabili ratione* , nec dicitur : *Per alios Authores , vel Canonicas* , sed *per alios Authores Canonicos.* Glossa ibidem ait, quòd ratio æquivalet Canoni. Hæc explicatio nequit intelligi , quòd ratio probabilis sit adeò fortis, sicut Canon; Esset enim hic manifestus error ; sed debet intelligi, quoad effectum , ita ut, sicut possumus sequi id , quod decidit Canon , ita possimus sequi , quod ratio probabilis dictat. Et hic intellectus quadrat textui , ut speculanti patebit. Textus ergo Augustini dicit, quòd Authoritas Sanctorum , & Doctorum non movebat Augustinum ad aliquid asserendum , quod asserebatur ab illis. *Sed Authoritas aliorum , vel ratio Canonica , vel ratio probabilis.* Hic textus meo judicio directè opponitur cum illa Doctrina , quam Montaltius habet Litt. V. pag. 71. his verbis : *Semper persuasum habui , mores ad Scripturæ , & traditionis Authoritatem , non ad Casuistarum opinationes exigi oportere .... probabilia , inquam nihil moror* , secura postulo.

7. Fagnanus in cap. *ne innitaris.* de constitut. num. 46. affert contra se hunc Canonem, cui, & aliis juribus respondens ait : dum leges , & canones decidunt quæstiones, & causas ex argumentis probabilibus , non intendunt dicere , ut sufficiat judicium probabile ad judicandum, & decidendum, sed tantùm, ut ex probabilibus rationibus simul junctis possit Judex ita illuminatus formare judicium certum , & infallibile de rei veritate; quia nimirum , & si argumenta hujusmodi seorsim considerata non concludant omninò , nec sint evidentia , sed tantùm probabilia ; tamen , si simul jungantur , & sint multi ponderis , sunt apta nata generare talem certitudinem , ut virtus apprehensiva cognoscat absque ulla trepidatione , rem ita se habere; atque ita causæ sunt probabiles , sed effectus ex illis resultans est omninò certus , & infallibilis.

8. Fagnanus assuetus ad judicanda facta , quorum cognitio plena habetur per plures præsumptiones , & probationes , quæ simul conjungi possunt in unam causam adæquatam necessariò concludentem illud factum , vult nos uti eadem regula ad decidenda dubia juris , de quibus est quæstio præsens. Sed fallitur egregiè vir egregius , & hæc Doctrina est omninò contraria Theologiæ , & Philosophiæ. In his facultatibus scimus ex argumentis mille probabilibus eandem conclusionem probantibus non deduci , nisi conclusionem probabilem ; nec illa argumenta uniuntur ad invicem , ita ut fiant unica probatio , & unum per aliud non redditur fortius. Unde, si occurrit casus , quòd Scotistæ pro sua conclusione habeant unicum argumentum , & contra se plura , & plura , adhuc tamen non credunt , suam doctrinam minùs probabilem. Et si Thomistæ dicerent ad normam Fagnani , nostra conclusio habet plurima argumenta , & vestra unicum solum ; ergo nostra conclusio est certa ; Scotistæ pro responsione illos jure riderent, & irriderent tanquam arguentes extra regulas bonæ argumentationis. Igitur in probatione facti valet illud carmen legale : *Et quæ non prosunt singula , multa juvant* juxta l. 2. §. *ætas* , & Glossa ibidem V. *Legitimis. ff. de excusat. tutor.* & l. *Instrumenta.* cum Gloss. V. *alia quoque. C. de probat.* & cap. *cum causam. de probat.* & Gloss. V. *adminicula.* Valet etiam in probatione facti , quòd duæ semiplenæ probationes , etiam diversi generis, junguntur ad conflandam unam plenam , & adæquatam probationem , ut casus est in cap. *cum dilectus de success. ab intestato* , in quo per unicum testem de visu cum aliis de auditu deciditur causa quoad successionem ab intestato.

9. Hæc omnia allata Fagnano libentissimè concedo. At in probatione dubiæ legis , & Canonis absolutè nego. Ratio est , quia factum conflatur ex pluribus accidentibus ; unde hæc accidentia sunt veluti partes illius. Partes au-

tem ad invicem uniri possunt in unam causam adæquatam, ex qua clarè factum deduci liceat. In probatione dubii de lege insurgentis proceditur per argumenta, idest per Syllogismos, qui constant ex solis tribus terminis per Philosophos. Ergo impossibile est, quòd, si syllogismus ex suis terminis non probat plenè conclusionem, illam ita probet per unionem aliorum terminorum. Hæc doctrina est adeò evidens in Philosophia, ut sit unica regula, in qua fundatur vis syllogismi, qui est instrumentum, quo scientia acquiritur. Addo, in Theologia certius esse aliquando id, per quod conclusio probatur, quàm ipsa conclusio. Hinc multi Doctores asserunt, ex præmissis de Fide deduci Conclusionem non Fidei, sed Theologicam. Insuper apud omnes Philosophos, & Theologos est inconcussum, conclusionem sequi debiliorem partem; unde ex præmissa evidenti, & alia probabili Conclusio est probabilis; & ex præmissa de Fide, & præmissa naturali Conclusio non est Fidei; ergo in dubiis de jure ea, per quæ probamus, sunt efficaciora re probata juxta illud effatum Logicum: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.* E' contra in dubio Facti res probata verior est iis, per quæ probatur, cùm sæpè probationes sint semiplenæ, & Factum plenè concluditur. Porrò in Textu c. *ego solis* Augustinus non intendebat probare Facta, nec Judicis munus exercere, sed explanare Sacram Scripturam: nam scribebat Hieronymo, cum quo litem de Factis non habebat, sed in illa Epistola præcipuè intendebat dissolvere quæstionem, an aliquando liceat officiosè mentiri.

10. Si liceret ab argumentis sufficienter facta probantibus arguere ad argumenta probantia conclusionem circa dubia legis, evidenter demonstrarem meam Conclusionem: sic ergo dicerem: Facta plenè probantur per Argumenta probabilia, idest, quæ aliter possunt se habere, & esse falsa; ergo etiam & dubia legis possunt per argumenta probabilia demonstrari. Consequentia tenet, quia conditionatè suppono paritatem; probo verò antecedens evidenter ex d. c. *cum dilectus*, in quo Papa decidit causam, dat tamen licentiam Adversario probandi conditionem, qua probata, causa esset sua; Ergo decisio Papæ in illa causa poterat esse falsa; ergo fundabatur in probationibus, quæ poterant aliter se habere. Idem probatur ex c. *à nobis*. el. 2. de sentent. excomm. in quo dicitur, quòd *Ecclesia aliquando opinionem sequitur, quam, & fallere contigit, & falli.* Item hoc patet ex toto titulo de præsumpt. Nam per violentam præsumptionem decernitur divortium, ut patet ex cap *litteris*. hoc tit. & c. *dixit Dominus*. 32. quæst. 1. Est autem evidens quòd præsumptio violenta potest aliter se habere. Et valdè est notandum, quòd per probationem fallibilem tollitur jus illud divina lege firmatum, quòd junctus in matrimonio habet in comparatem.

Dicunt etiam ad textum allegatum, quòd Canones per rationem probabilem non accipiunt id, quod nos, scilicet opinabile, sed accipiunt pro approbabili, quòd nempè probari potest.

11. Sed contra est, quia genera rationum, quæ possunt approbari, sunt duo, quæ scilicet se habere aliter non possunt; & quæ possunt aliter se habere; Rationes primi generis in naturalibus causant scientiam ex Arist. 1. poster. cap. ult. Rationes secundi generis causant opinionem, ut ibidem clarè asserit Aristot. In nostro casu Augustinus non petebat rationes solùm primi generis, sed etiam alterius, quod patet; nam volebat rationes vel Canonicas, vel probabiles. Per ly Canonicas intelligebat certas; ergo per ly Probabiles intelligebat opinabiles. Tum quia Augustinus debebat esse contentus de illis rationibus, quæ recipiuntur, & approbantur à Sapientibus; sed Probabilia approbantur, & recipiuntur à Sapientibus, ut dicebat Aristot. 1. Topicor. cap. 1. ex dictis; Ergo Augustinus debebat esse contentus de probabilibus rationibus, prout

prout ly Probabile definitur ab Aristotele.

12. Fagnanus num. 254. iterum contra se affert textum illum Augustini & num. 392. respondens illi Argumento nihil dicit ad propositum, & in rei veritate nihil potest responderi; unde existimo esse argumentum ex mente D. Augustini certò concludens.

13. Probatur secundò. Opinio probabilior approbatur à cap. *cum Martha.* de celebr. Missar. & Clement. de Summ. Trinit. Opinio autem probabilior est in linea, & specie Probabilitatis, cùm Probabilitas recipiat magis, & minùs, ut cæteri habitus, & qualitates ut supra dixi. Et si dicatur illos Canones loqui in materia speculativa, non morali, contra est, quia loquuntur illi Canones explicando Sacram Scripturam dictatam à Spiritu sancto; unde, si non fit injuria Spiritui sancto per explicationem probabilem, nec alteri multò minùs fiet injuria.

14. Probatur tertiò ex Decreto condemnatorio 31. Propositionum Alexandri Octavi. Tertio loco damnatur hæc propositio, quæ fuit Sicuristæ Sinnichii in Libro, cui titulus *Saul ex rex*, c. 87. §. 364. *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*; Ergo certum est, quòd Probabilitas sit regula morum; Probabilissimum enim est terminus intrinsecus Probabilitatis, sicut calidissimum est terminus intrinsecus caliditatis.

15. Probatur quartò: Omnis regula, quæ est certò Theologica est optima regula morum; sed opinio probabilis est certò regula Theologica; ergo opinio probabilis est certò regula morum. Major est evidens, Theologia enim est facultas, quæ docet credenda, & facienda. Minor verò probatur ex Divo Thoma 1. part. quæst. 1. art. 8. ad 2. ubi dicit: *Sacra Doctrina hujusmodi Authoritatibus Philosophicis utitur quasi extraneis argumentis, & probabilibus. Authoritatibus autem Canonicæ Scripturæ utitur ex necessitate argumentando. Authoritatibus autem aliorum Doctorum Ecclesiæ quasi arguendo ex propriis; sed Probabiliter.* Notentur illi termini *Probabilibus*, *Necessitate*, *Probabiliter*. Dantur ergo in Theologia duo genera Argumentorum, *Necessariorum* scilicet, & *Probabilium*. Necessaria sunt certa, & immutabilia; ergo probabilia erunt incerta, & mutabilia.

16. Probatur quintò, argumento desumpto ex Nider, Gersone, & ex Divo Antonino part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. vers. *revertendo ad quartam.* Et Turrecremata cap. *Sancta.* 15. dist. quæst. 4. Sancti in moralibus sunt inter se contrarii, & qui hoc negat, est signum illorum scripta non vidisse. Hoc patet in Sanctis Hieronymo, & Augustino, ut supra retuli. Ita Divus Thomas tenet, non esse peccatum mortale participare cum excommunicato in civilibus. Contrarium sustinuit Divus Raymundus. Tenuit etiam, peccatorem non statim teneri ad Confessionem; Oppositum asseruit Divus Bonaventura præcipuè de Religiosis. Divus Laurentius Justinianus de discipl. & perfect. Mon. cap. 17. dixit, recitantem Horas Canonicas voluntariè distractum *provocare contra se Deum vehementer*, & sic peccare mortaliter. Divus Antoninus 3. part. tit. 13. cap. 4. §. 7. docuit cum pluribus Doctoribus famosis, non esse tantum onus imponendum. Et sic exempla innumera possunt poni, inquit Antoninus. Hæ procul dubiò opiniones non sunt certæ, quia in certitudine non dantur oppositæ opiniones. Ergo sunt probabiles. Sed ipsi Sancti, & fideles ipsos sequentes non peccabunt in his materiis; ergo sequendo doctrinam *Probabilem* Sanctorum non peccamus.

17. Confirmatur ex doctrina Divi Antonini, qui ibidem hæc scribit: Ex responsis, quæ videntur data ab Alberto Magno habetur, quòd frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in Consiliis, *quamcunque opinionem voluerit*, dummodò alicujus Doctoris Magni opinionem sequatur. Hostiens. etiam dicit cap. *si vir.* de cognat. spirit. Ubi sunt diversæ opiniones, & diversa ju-

judicia semper humanior præferenda est, & æquior; & ad idem facit quod ait Augustinus c. sana. 9. dist. Guillel. etiam in Gloss. Raymun. dicit, quòd in apicibus juris ubi dubitant etiam sapientes, *excusabilis est ignorantia.* (Nota hæc verba.) Tamen, si aliquis bona fide partem illam, vel illam elegerit, non debet super hoc habere conscientiam nimis scrupulosam. Item Petrus de Palud. super 4. distinct. 17. dicit, quòd si Confessor dubitaret utrum illud, de quo confitens non pœnitet, nec confitetur, esse mortale, & ipse confitens dicit, quòd Consilio peritorum illud fecit, (Nota verba sequentia) de quibus ex vita, & scientia *probabile est, quòd non consulerent nisi bene, illi judicio potest se conformare.* Secus autem esset, si esset certus de opposito. Hæc Divus Antoninus ex judicio Alberti, Hostiens. Guillelm. & Petri Paludani. Prosequitur autem hanc materiam Sanctus Doctor, afferendo Goffredum de Fontibus, & Richard. Claramont. & supra vers. *Septima regula*, docet cum Joanne de Amb. & Guill. quòd per virtutem Epichiæ inter duram, & benignam circa præcepta sententiam cæteris paribus benigna est potiùs interpretatio facienda. Hæc doctrina procul dubio fundatur in mera Probabilitate.

18. Probatur sextò, & in hac materia hanc puto esse demonstrationem. Omnes Doctores, qui scripta ediderunt, tum qui sanctitate floruerunt, tum qui solùm doctrina claruerunt, sequuti sunt opiniones probabiles in moralibus, & quæ poterant aliter se habere. Ergo vel doctrina probabilis est certa regula morum, vel omnes Doctores erraverunt. Hoc secundum sine ingenti temeritate nequit dici; ergo primum est asserendum. Antecedens patet, quia quilibet habuit opiniones oppositas aliis; hinc diversitates veniunt Scholarum Scotistarum, Thomistarum, Bacconistarum, &c. Tum de facto Magister Sententiarum, Gratianus, & Glossa sequuti sunt opiniones, etiam in materia Legis naturalis, quæ postea aliter se habuerunt, ut supra retuli. Tum quia non credo, quòd Adversarii audeant dicere, omnes opiniones Antiquorum omnium esse certas, & quæ non possint aliter se habere; Tum quia opiniones damnatæ ab Alexandro Septimo, ut refert ipse, partim erant *Antiquata.* Ergo partim fuerunt opiniones Antiquorum.

19. Confirmatur ex Divo Thoma evidenter. Ipse sequutus est plurimas opiniones benignas, quæ sunt in linea probabilitatis; Sed omnes opiniones Divi Thomæ sunt sicurissimæ in praxi; ergo opinio probabilis est sicurissima in praxi. Antecedens patet discurrendo per opiniones Sancti Doctoris à me supra relatas, quarum aliquas expressè asserit esse probabiles, ut patet in 4. distin. 17. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 4. ubi dicit, probabilem videri eorum opinionem, qui asserunt peccatorem non teneri statim ad confitendum, & opinionem contrariam vocat *nimis duram;* Hinc ibi inferebam, quòd sequendo exemplum Divi Thomæ, possum sequi illam opinionem benignam, quæ mihi videatur probabilis, & contraria *nimis dura.*

Sic etiam dicit, quòd habens superflua non tenetur ad eleemosynam, quotiescunque pauper offertur, sed tunc, *quando tempus necessitatem urgentem adducit.* Hæc doctrina procul dubio non est certa, sed solùm probabilis.

20. Insuper expressè dicit: Probabilius esse, quòd junctus in Matrimonio nequeat vovere independenter à comparte non petendi debitum matrimoniale. Insuper sustinuit dari Sacramentum validum, & informe; & Principes Sæculares posse ponere impedimenta Matrimonii Christi fidelium. Quæ omnia certè non excedunt limites Probabilitatis. Hoc idem Argumentum potest fieri de omnibus Doctoribus in particulari; & præcipuè de Divo Antonino, de quo in decursu afferemus opiniones, quas damnant Adversarii, ut supra retuli

21. Dices opiniones benignas Divi Tho-

Thomæ per rationes inventas à Sancto Doctore evehi ad statum certitudinis. Ita Vincentius Baron apud Cardenas 1. part. tract. 1. disp. 15. cap. 6. art. 4. num. 472. suæ Crisis Theologicæ. Ego tanta reverentia veneror Doctorem Angelicum, ut licèt aliquando doceam opiniones contrarias, quia mihi videntur probabiliores, in praxi tamen nullo scrupulo utor omnibus ejus opinionibus. Adhuc tamen difficile est dicere, quòd omnes debeant opiniones omnes Divi Thomæ credere probabiliores; aliquando siquidem alii Theologi refragantur communiter Sancto Doctori. Et quidem in opinione de Conceptione Beatæ Virginis soli Thomistæ ex Dominicana Familia suam sententiam amplectuntur, ita ut Patres Carmelitani Discalceati, aliàs addictissimi Divo Thomæ, in hoc articulo discedant. Ergo saltem in hoc Sententia Divi Thomæ non pertingit ad certitudinem. Debet ergo Baron demonstrare, quare in aliis materiis Divus Thomas opinionem potuerit elevare ad certitudinem, non verò in hac. Tum quia intantùm Divus Thomas dicit, junctum in Matrimonio non posse facere votum de non petendo debito inconsulta parte, *ne Matrimonium onerosum reddatur alteri.* Nunc debet monstrare Baron rationem claram, cur non possit junctus in Matrimonio permittere onerositatem semper petendi debitum, præcipuè cùm dicatur communiter, petere esse voluntatis, reddere verò necessitatis, ut expressè dicitur cap. *placet*, cap. *quidam intravit.* de convers. conjug. Vide cap. 13. num. 31. Hinc in cap *Inquisitioni.* de sentent. excommun. dubius probabiliter de validitate Matrimonii debet abstinere à petitione, & obligatur ad redditionem debiti.

22. Igitur est omninò irrationabile illud dictum Baronis; ex illo nanque sequitur, cæteros omnes Doctores, etiam Sanctos, refragantes Angelico fuisse cœcos, dum in materia certa non viderint veritatem. Fuerunt ergo cœci Divus Raymundus, Divus Bonaventura, Scotus, Durandus, Bacconius, Albertus Magnus, Alens. &c. Quòd in re obscura, & quando lux non adest, quis aberret, nil mirum, quia deficit non ob suam culpam, sed ratione obscuritatis se tenentis ex parte objecti. At quando res in luce certitudinis existit, non videatur ab aliquo, hoc nequit provenire, nisi ex defectu hominis, qui sit vel cœcus, vel clauserit oculos. Ergo vel opiniones benignæ Divi Thomæ, in quibus refragantur alii, solùm sunt probabiles, vel Doctores refragantes sunt cœci, vel clauserunt oculos veritati, quam notam, licèt Baron facillimè tribuat Modernis, immeritò tamen dabit utique illis Antiquis Theologiæ Proceribus.

23. Probatur septimò ad hominem. Regula Antiquorum est bona regula morum; Sed Probabilitas fuit Regula Antiquorum; ergo Probabilitas est bona regula morum. Major patet, quia Adversarii omnes clamant, & exclamant, Modernos relaxasse Conscientias. Minor probatur, Regula, ex qua sequuntur plures opiniones falsæ, relaxativæ est probabilitas; sed antiquitùs dabatur regula, ex qua sequebantur plures opiniones falsæ, relaxativæ; Ergò antiquitus Probabilitas fuit regula morum. Major constat ex Adversariis, qui tot probra, dicteria jactant in Probabilistas, tanquam docentes Doctrinam moribus perniciosam. Constat ex Conventu Illustrissimo Gallicano, qui altè conqueritur in Præfatione ad Propositiones à se damnatas, quòd *quisque se vel maximè Theologum videri velit, quo plura ejusmodi inventa* (malorum scilicet incrementa) *in Probabilitatis authoritatem adduxerit.*

24. Minor autem argumenti est adeò evidens, ut negari possit ab illo solùm, qui Antiquos non legerit. Sed evolvantur errores Glossæ, quos descripsi cap. 10. & errores aliquorum Antiquorum, quos recensui cap. 11. & 12. Sic Glossa docuit, quòd spadonum Matrimonia sint valida, si erigant virgam, nec esse necessarium, quòd vir emittat sperma,

sperma, sicut non est necesse, quòd mulier spermatizet. Glossa pariter docuit Confessionem Sacramentalem non esse de Jure Divino, sed de universali quadam traditione, quæ quia ad Græcos non emanavit, ideò Græci non tenentur ad Confessionem Sacramentalem. Alii Antiqui dixerunt, Ecclesiæ Leges non obligare seposito contemptu. Nunc quæro, hi, & alii multi errores Antiquorum ex quo fonte fluxerunt? si dicatur ex Probabilitate, habeo intentum. Si afferatur ex alio quocunque; Ego inferam ex illo provenisse errores, quos redarguunt in Modernis, & non ex Probabilitate, ut volunt Adversarii.

25. Confirmatur evidenter ex eodem Illustrissimo Clero Gallicano, qui num. 124 damnat aliquas propositiones, quarum una erat: *In morte mortaliter non peccas, si cum attritione tantùm Sacramentum suscipias, quamvis actum Contritionis tunc omittas liberè; licet enim sequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori.* Has propositiones sic notabiliter censurat. Doctrina his propositionibus contenta est respectivè falsa, absurda, perniciosa, erronea, *Probabilitatis pessimus fructus.* (Nota hæc ultima verba.) Si opinio, quòd Attritio sufficiat ad Sacramentum in morte, est pessimus probabilitatis fructus, nulla dabitur ratio, cur opinio illorum Antiquorum eximentium ab obligatione Confessionis non sit pessimus fructus *Probabilitatis*, quæ opinio procul dubiò est laxior, cum opinio illa Modernorum obligaret ad Confessionem, licèt cum sola attritione. E' contra hæc opinio Antiquorum totaliter à Confessione eximit. Præterea opinio Antiquorum est formaliter hæresis, & est hæresis laxior, quàm Lutherana, quæ saltem obligat fideles ad Confessionem peccatorum in genere. Opinio verò Modernorum à nemine de hæresi damnatur.

26. Confirmatur secundò ex eodem Illustrissimo Clero, qui in Præfatione asserit ex Probabilitate derivasse, *quòd iisdem in Parochiis, iisdem in Templis passim cerneremus, ab aliis teneri, & ligari, quæ ab aliis solverentur.* Sed hoc idem fiebat Antiquitus, ergo &c. Minor probatur, quia tunc in eodem templo unus Confessarius utebatur opinionibus Divi Thomæ, alter Divi Bonaventuræ, alter Divi Antonini, alter Divi Bernardini, alter Richardi, alter Hostiensis, &c. Hi porrò Doctores, & alii Antiqui passim inter se opponuntur, ut legenti patebit &c.

27. Colligitur, sequentes in praxi opiniones benignas Divi Thomæ non peccare mortaliter, etiamsi futuro tempore damnarentur, v.g. si Papa decideret Matrimonio junctum posse vovere de non petendo debito; circunstantias aggravantes esse explicandas in confessione; Tempus incipiendi jejunium esse annum decimumoctavum; Adhuc tamen non peccassent mortaliter, qui usi fuissent opinionibus oppositis benignis Divi Thomæ. Et ratio est, quia in praxi doctrina Divi Thomæ est certa regula morum in his temporibus.

CAPUT XXI.

Probabilitas, etiam formaliter sumpta, est optima regula morum.

1 Dico secundò, ampliando priorem Conclusionem, non solùm Probabilitas materialiter sumpta, sed etiam formaliter accepta est bona regula morum. Tunc Probabilitas sumitur materialiter, quando opinio in se potest quidem aliter se habere, intellectus tamen cognoscit, non posse aliter se habere. Sic Glossa in cap. *tribus gradibus* de consecr. distinct. 2. V. *Misciere.* dixit, *certum est*, quòd quàm citò species Eucharistiæ dentibus teruntur, tam citò Christi Corpus rapitur in cœlum. Tempore Glossatoris acriter contendebatur, quando Christus desineret esse sub speciebus facta manducatione. Doctores divisi erant; unde tunc res erat obscura; hinc opinio Glossatoris tunc probe-

babilis poterat videri; Adhuc tamen illam judicavit certam, *certum est, quòd quàm citò &c.* Ergo Glossa, quod solùm erat intra lineam Probabilitatis, nescio, qua ratione motus credidit, reperiri intra metas certitudinis. Tunc opinio probabilis accipitur formaliter, quando ut talis ab intellectu judicatur; unde tunc objectum cognoscitur tanquam possibile aliter se habere.

2. Probatur: Omnes Regulæ, quas tradidit Divus Thomas, sunt optimæ Regulæ morum; Sed ex Regulis traditis à Divo Thoma aliquæ sunt certæ, aliquæ sunt Probabiles, quæ scilicet poterant aliter se habere. Ergo regulæ Probabiles, cognitæ ut Probabiles, sunt optimæ regulæ morum. Hoc idem argumentum potest fieri de aliis sanctis Patribus, & de aliis Doctoribus Antiquis, qui velut oracula Theologiæ venerantur. Major argumenti est evidens; Minor quoad primam partem probata est supra. Probatur verò secunda pars, quòd nempè Divus Thomas opiniones Probabiles tradiderit ut probabiles. In 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæst. 4. dicit, opinionem asserentium peccatorem non teneri statim ad Confessionem, *videri probabilem.* Ergo illam expresè ut probabilem tradidit. Sic etiam expresè vocat probabilem utramque opinionem in illa quæstione, an repudium apud Hæbræos fuerit licitum. Sic etiam expresè asseruit opinionem dicentium junctum in Matrimonio non posse vovere castitatem independenter à comparte, illam, inquam, expresè dicit, esse *Probabiliorem.* Tum quia ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 5. ad 4. habetur, *de ratione opinionis est, quòd id, quod est opinatum, existimetur possibile aliter se habere.* Ergo, si Divus Thomas tradidit aliquas regulas contentas intra metas Probabilitatis, & opinionis, *existimavit* has regulas *possibile aliter se habere.* Et si aliter existimavit, deceptus esset, quia non cognovisset objectum, ut est. Item part. 3. quæst. 83. art. 3. ad 3. ait: Aliqui probabiliter dicunt, quòd per ingressum Ecclesiæ consecratæ homo consequitur remissionem peccatorum venialium. Lege cap. 13. & 14. & videbis, Divum Thomam tradidisse plures opiniones expresè vocando illas probabiles.

3. Confirmatur. Vel Divus Thomas cognovit Beatam Virginem esse conceptam in peccato originali ita, & taliter, ut possibile foret, quòd aliter se haberet; vel cognovit, quòd impossibile esset, quòd aliter se haberet. Si primum; infero, quòd, si in hac opinione ita se gessit, se gesserit ita in aliis; & sic habeo intentum. Si secundum, ergo Divus Thomas erravit. Consequens probatur, quia certum est; quòd opinio Divi Thomæ potest esse falsa, & hisce temporibus, exceptis Dominicanis, omnes Theologi refragantur eidem. Item Divus Thomas 2. 2. quæst. 32. art 8. ad 1. dicit, quòd Monachus nequit facere eleemosynam sine licentia Abbatis vel expresè habita, vel *probabiliter* præsumpta. Ecce duæ licentiæ sufficiunt, ut licitè fiat eleemosyna à Monacho, licentia expresa, & in hoc casu tunc certum est posse fieri eleemosynam; & licentia *probabiliter* præsumpta. Hæc utique non est certa, & sic causabit solùm, quòd eleemosyna probabiliter licitè fiat.

4. Dices quódl. 9. art. 15. ait Sanctus Doctor, quòd omnis quæstio, in qua de peccato agitur, periculosè determinatur, nisi veritas expresè habeatur; ergo, quando sequitur aliquam opinionem, in qua agitur de peccato, veritatem expresè habet, quæ verba certè denotant, quòd author credat, illam opinionem certam, & quòd aliter se habere non possit.

Sed contra est, quia illas certè opiniones, quas vocat expresè probabiles, vel probabiliores, nequit dici, quòd sequatur ut certas, cum Sanctus Doctor expresè dixerit de ratione opinionis esse, quòd *existimetur possibile aliter se habere.* Tum quia sciebat, Doctores sapientissimos sibi opponi, v. gr. in illa quæstione, quòd præceptum jejunii incipiat in fine tertii septemnii, noverat irre-

Irrefragabilem Alensem illam parùm probabilem reputasse. 4. part. quæst. 28. membr. 6. art. 2. §. 3. Unde impossibile est, quòd Divus Thomas suam opinionem crediderit, esse in linea certitudinis; sic enim judicasset, Alensem certò errasse, quod non est dicendum; Tum quia, quando Sanctus Doctor existimat aliquam opinionem certam, ex modo, quo illam tradit, clarè colligitur. Sic v.gr. refert 3. part. quæst. 75. art. 2. quòd quidam asseruerint, in Sacramento Eucharistiæ stare substantias panis, & vini. Ipse Sanctus Doctor subdit: Sed hæc positio *stare non potest*, quia tollitur veritas Sacramenti. Sic art. 6. narrat, quosdam posuisse remanere in hoc Sacramento formam panis, & vini. Subdit Divus Thomas: *Sed hoc stare non potest.* Et in citato art. 15. narrat, quosdam dixisse, quòd habere plures præbendas ita se haberet, sicut habere duo poma. Subdit autem ipse: *Sed hoc non videtur verum, &c.* Et alibi pluries simili modo ponit suas conclusiones. Hic quidem modus dicendi designat firmitatem, & certitudinem. At dicere, quòd dum Sanctus Doctor simpliciter ponit suam conclusionem, quæ tractat de materia, quæ illo tempore reputabatur opinabilis, adhuc illam asserat ut certam, nunquam credam.

5. Post verba relata in objectione addit Divus Thomas: *Præcipuè autem periculosum est, quando veritas ambigua est, quod in hac quæstione accidit....... inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Juristæ Juristis contrariè sentire.* Igitur assero, quòd verba relata in objecto procedant, quando sumus in materia, in qua certitudo inveniri potest. Et hoc patet ex ratione allata à Divo Thomâ, dicit enim, quòd error, quo non creditur esse mortale, quod est mortale, conscientiam non excusat à toto, licèt fortè à tanto. Ergo Divus Thomas loquitur in materia, in qua non potest dari error invincibilis, & excusans; & sic in materia clara, & certa; aliter Sancti sequentes opiniones benignas, quæ postea detectæ sunt falsæ, peccassent mortaliter, quod non est dicendum. Tum quia Sanctus Doctor per verba posteriora: *Præcipuè autem periculosum est, quando veritas ambigua est*, denotat clarè loqui in alio casu, & hic casus est in materia ambigua. Ergo in casu antecedenti loquitur, quando veritas ambigua non est; & sic quando veritas potest esse certa, & clara. Igitur fateor cum Divo Thoma, quando veritas potest haberi expressè, idest certò, & quis non determinat rem, sicuti est, tunc peccat sive stando pro parte benigna, sive pro parte stricta; quia, si veritas est pro parte benigna, & Doctor sequitur strictam, tunc hæc opinio facit, quòd Conscientia peccet, ubi nullum est peccatum; si verò veritas est pro parte stricta, & Doctor sententiat pro benigna, adhùc hic error *non excusat à toto, licèt fortè à tanto*; & hæc Doctrina est conformis illi, quam tradit quodlib. 8. art. 15. ubi ait, *quod error Conscientiæ non habet vim absolvendi, vel excusandi, quando scilicet ipse error peccatum est, ut cum procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, & potest; sicut si crederet fornicationem simplicem esse peccatum veniale, & tunc, quamvis crederet peccare venialiter, non tamen peccaret venialiter, sed mortaliter.* Cum ergo in obscuris, & in ambiguis, nequeamus, & sic non teneamur, scire veritatem, in his rebus error est excusabilis; in claris verò cum possimus, & sic teneamur scire veritatem, v. g. an fornicatio simplex sit peccatum mortale, tunc error non excusat à toto, *licèt fortè à tanto.*

6. Quando autem Divus Thomas dicit, *quod præcipuè periculosum est, quando veritas ambigua est*, non significat, quòd præcipuè sit periculosum in ambiguis determinare quæstiones, nisi veritas *expressè*, idest *certò* habeatur; quia sic Sancti ad invicem contrarii in his quæstionibus peccassent mortaliter. Significat ergo, quòd maximum periculum accidit errandi, idest non dicendi veritatem, in quæstionibus ambiguis. An verò error in hisce casibus sit excusabilis,

sabilis, an verò non, hìc non dicit aliquid; unde hoc est quærendum ex aliis textibus Sancti Doctoris, & credo patere ex textu citato quodl. 8. & certum puto, quòd sit excusabilis, ut infra demonstrabo.

7. Probatur secundò: Impossibile est, quòd in materia obscura quis possit invenire motiva inducentia ad certitudinem; ergo in hac materia non debet quis, judicare illam opinionem certam; quia aliter fingeret ex libito voluntatis. Probatur antecedens; quia certum est, dari opinionem in rerum natura, nec esse Chimæram; unde Aristoteles, & Philosophi ponunt illam tanquam habitum intellectivum, & diximus supra in jure reperiri opiniones, opiniones Probabiles, Probabiliores, & Probabilissimas. In qua ergo materia dabitur opinio, nisi in obscura? Tum quia in materia, quæ non potest aliter se habere, datur scientia, & in materia, quæ potest aliter se habere, si à Sapientibus probetur, datur opinio ex Arist. 1. Topic. num. 6. & Poster. 1. cap. 24. num. 1. Sed materia obscura potest aliter se habere, & in hac materia potest approbari aliqua propositio; ergo illa propositio solùm ut probabilis attingi potest.

8. Dices: Quamvis, quantum est ex parte materiæ, & intellectûs nostri, in hisce materiis non possimus veritatem certò attingere; tamen id poterimus accedente ferventi oratione; tunc enim unctio desuper nos docebit. 1 Joann. cap. 2. Hinc Psalmista sæpiùs orabat, ut veritatem à Deo edoceretur. Psal. 24. *vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua.* Psalmus 85. *Deduc me in via tua, & ingrediar in veritate.* Psal. 118. *Doce me justificationes. Viam justificationum tuarum instrue me.* Psalmus 142. *Notam fac mihi Domine viam, in qua ambulem, &c.* Et alibi pluries in Sacra Scriptura dicitur: *Orandum esse Patrem luminum, ut nos instruat de veritate.* Hinc Divus Thomas magis oratione, quàm studio tantam sibi cognitionem comparavit.

9. Si hac Doctrina uteretur solus Vendrochius, nil mirum videri deberet; cùm enim ipse de Jansenismo insimuletur, (de quo nihil ego assero) & Jansenistæ velint nos obligari ad quædam, quæ secundùm vires, quas habemus, sunt impossibilia, sequitur, quòd, si obligamur ad illa, debeamus orare Deum, ut vires sufficientes infundat. Illud mirum est, quòd ista doctrina utantur etiam viri doctissimi, & omninò Catholici. Ut verum fatear, nec verisimilitudinem aliquam habet hæc responsio. Pro indubitato suppono, Divum Hieronymum, Augustinum, & alios antiquissimos Ecclesiæ Patres Deum oravisse. Item pro certo suppono, Sanctum Raymundum, Thomam, Bonaventuram, Antoninum, & alios Sanctos non adeo Antiquos Deum pariter deprecatos fuisse. Hoc idem suppono de Alensi, Alberto, Richardo, Scoto, Durando, & aliis Antiquis Theologiæ Proceribus, qui cum fuerint viri Religiosi, & optimis moribus instituti, non possumus dicere, quòd in Doctrinis tradendis voluerint se, & alios in re necessaria decipere. Hoc idem de nostris Religiosis recentioribus supponerem, qui cum fuerint maxima pars ex Regularibus, & quidem observantibus, debemus credere, non fuisse transgressos præcepta, cùm Consilia expressa in Regulis studiosè observaverint.

10. Ergo illi Sancti, & illi Antiqui oraverunt ferventer: nunquid in materiis obscuris certò attigerunt veritatem? Sed cur ita inter se diffidebant? Tum quia Scotistæ debent fateri, Divum Thomam floruisse Sanctitate, de Scoto autem non ita. Hinc videtur, debere etiam fateri, plus illum orasse Deum pro veritate, quàm Scotus. Non per hoc tamen dicent, opiniones Divi Thomæ esse certas, vel probabiliores opinionibus Scotistarum. Tum quia Probabilioristæ, qui orant, vel obtinent speciale lumen, vel non obtinent. Si secundum; ergo non est necessaria talis oratio, & orans ita se habet, ac non orans. Si verò obtinent tale lumen; ergo

go ipsi poterunt invenire argumentum demonstrativum, & certum in his materiis: illud ergo ex charitate explicent aliis, & eosdem edoceant. Igitur ferventissimè orent, ut clarè solvant difficultatem, an teneamur confiteri statim habito Confessore, an teneamur confiteri circumstantias aggravantes, an confessio possit esse valida, & informis; Et si erunt fœlices adeo, ut cœlum peculiari illustratione ipsos illuminet, in his doctiores erunt Ecclesiæ Doctoribus Divo Bonaventura, & Divo Thoma opinantibus diversimodè inter se quoad hos casus, & quilibet doctus summè ipsis tenebitur, dum absque labore certam acquiret veritatem in iis, in quibus primi Theologi adeo insudarunt.

11. Igitur in materiis obscuris, & quæ à Doctoribus controvertuntur oratio non est necessaria, hoc est præcepto non tenemur, orare Deum, & illam omittendo, culpam non committimus, & error ex hoc capite sequens non est culpabilis, quod est evidens, nam in his materiis non tenemur scire veritatem, aliter Sancti variantes opinionem in his casibus peccarent, qui sequerentur scilicet opinionem, quæ ex parte objecti esset falsa. Peccassent pariter viri illi Religiosi, & docti, qui olim asseruerunt confessionem mortalium non esse sub præcepto Divino, & in specie Abbas Panormitanus; qui & ipse sequutus est hanc opinionem. Ut uno verbo dicam, exceptis paucissimis, peccassent omnes Antiqui, cùm aliquam opinionem amplexi fuerint, quæ postea detecta est falsa. Quin absolutè omnes peccassent, cum omnes, saltem in paucis, ad invicem in opinionibus opponantur. Insuper Oratio in his materiis non est necessaria, idest, non est medium, quo sæpè obtineamus intentum; video enim Doctores Sanctos, & Antiquos varios inter se, sicut reliquos Doctores.

12. Tum quia si mihi dices, te ferventissimè orasse, & obtinuisse certitudinem de cœlo circa illam quæstionem, an teneamur dare superflua existenti *um* in gravi necessitate, quomodo probabis me tibi debere credere? quin tu quomodo, & qua ratione debebis credere huic peculiari illustrationi? Cajetanus 1. part. quæst. 14. art. 13. vers. *ad has objectiones*, se jactavit post quindecim annorum studium sibi illuxisse Divi Thomæ ope, (ut arbitrabatur,) veritatem in quæstione de præsentia futurorum physica in æternitate; Hæc tamen credulitas, & arbitrium Cajetani tantùm abest, quòd apud Adversarios Scotistas aliquam fidem, & aliqualiter illos moverit, ut magis firmati sint in opinione Scotistæ, & hoc testimonio Cajetani utuntur, & jure merito, ad demonstrandum Thomistis rationes Scoti in hoc articulo naturaliter esse insolubiles, & interim relinquunt Lectoribus licentiam judicandi, an verè Cajetanus fuerit à Divo Thoma afflatus. De quo vide Mastrium, & Bellutum in 1. Tom. de log. ubi referunt doctrinam Scoti approbatam esse humanitus, & divinitus. Si ergo aliquis post longas preces sibi persuaserit à Cœlo illustratum in aliqua difficultate morali, videat, ne decipiatur, uti Cajetanus, & de ipso dicantur verba ibidem recitata à Mastrio: *Libero suo ingenio confitetur Cajetanus, postquam neminem ex Thomistis rem acu tetigisse viderit, post quindecennalem sibi irritam speculationem, tandem* opus fuisse è Cœlo delapsa responsa Scoti objectionibus opponere; *Id, quod an etiam fuerit assecutus, judices sint ipsimet Thomistæ, atque Neoterici Theologi.*

13. Ego fateor in ordine ad scienda media necessaria ad salutem, sine quibus salus acquiri non potest, esse quidem orandum, quia, cum debeamus facere, quantum possumus, ut cœlum obtineamus, si nescimus media necessaria ad talem finem, debemus invocare auxilium Divinum ad hoc; si enim Philosophi dicunt naturam non deficere in necessariis, multò minùs deficiet Omnipotens Conditor naturæ, qui sola sua misericordia voluit nos elevare ad finem supernaturalem. Hinc Divus Thomas dicebat, si quis rectè naturaliter

-ter vixisset, & non haberet, à quo edoceretur de rebus supernaturalibus, quòd Deus Angelum de cœlo mitteret ad illum instruendum, vel internè illum illuminaret, vel mitteret Prædicatorem, & ita asseruit in 3. distinct. 25. quæst. 2. art. 1. ad 1. & 2. & quæst. 14. de verit. art. 11. ad 1. Idem dicunt Durandus in 3. dist. 25. quæst. 1. Alen. par. 2. quæst. 112. de ignorant. membr. 8. Altisiod. in 2 tract. 29. cap. 1. de ignorant. quæst. 4. ad 4. Divus Bernardinus tom. 1. ser. 2. post Quinquag. serm. 3. Destructorium Vitiorum part. 4. cap. 36. & Lyranus in c. 14. Act. Apost.

14. An sit de necessitate orandum, ut sciamus ea, quæ sunt de necessitate præcepti tantùm, & sunt jam decisa, & clara, ita ut, si non oremus, & nesciamus hæc, hic error sit peccatum, non est hic locus quæstionis. Vide Cordubam Probabilioristam lib. 2. quæst. Theol. de ignor. quæst. 2. & 4.

15. Authoritates Psalmistæ non dicunt, nos teneri ad orationem pro scienda veritate, sed explicant ad sciendam veritatem David orasse. Sed supponamus hoc dicere, tunc assero explicandas esse quoad materias claras, ut patet ex dictis, in quibus tenemur scire veritatem, non verò quoad materias obscuras, & probabiles, in quibus etiam Sancti, & Doctores Antiqui, variaverunt in opinionibus; assero tamen, in his etiam optimum consilium fore orare, quia forsan Deus illuminabit orantem. Talis verò orans non debet sibi blandiri, nec debet fidere se desuper illuminatum, nisi evidenter hoc ipsi constet, quia sic via aperiretur, ut quisque se taliter illuminatum venditaret; unde quisque ex Catholicis sumeret pro regula certa suum judicium quoad explicationem Scripturæ obscuræ, sicut Hæretici illud sumunt pro regula certa quoad explicationem Scripturæ, quæ ut de fide ab omnibus est credenda. Vide Cordubam q. 4. Lege num. 1[illegible]

16. Probatur tertiò argumento sumpto ex Divo Antonino part. 1. titul. 3. cap. 10. §. 10. propè finem, cujus etiam memini supra: Hoc verò Argumentum ipse desumit ex Gersone, & fuit etiam Nider part. 3. c. 13. ita verò se habet: Non plus nocet homini errare in articulo fidei, qui non est declaratus ab Ecclesia, quod sit de necessitate credendus, quàm nocere posset actus moralis contra aliquod agibile perpetratus, quia actus dicitur esse certus ex Scriptura, aut determinatione Ecclesiæ, quòd sit illicitus. Patet hoc ex eo, quòd fides tam est necessaria, sicut virtutes, & si non ampliùs. Sed constat communiter apud Theologos, quòd in materia fidei, dum Doctores sentiunt contraria, licitum est ante determinationem Ecclesiæ tenere unam partem, vel alteram sine periculo peccati, vel fidei, ut patet in Abbate Joachim, qui tenebat contrarium ad id, quod Magister Sent. dixerat in 1. dist 1. pro quo Magistro Ecclesia determinavit de Summ. Trin. cap. *damnamus*; nec tamen dictus Joachim incidit in hæresim, aut perfidiam propter hoc, quia dicta sua omnia subjecit correctioni Ecclesiæ: Ergo à simili licet unam opinionem in moralibus tenere, *juxta limitata superiùs*, *saltem ubi magis Sapientes non sentiunt contrarium*, *& ubi paratus est obedire Ecclesiæ, & Scripturæ, si ei errorem explanaverit.* Hæc verba conclusionis caractoribus peculiaribus appositè descripta ex vi argumenti non deberent poni, quia non sunt in præmissis; adhuc tamen nihil officiunt: Illa enim verba: *Juxta limitata superiùs*, non possunt referri nisi ad ea, quæ vers. *revertendo ad quartam* in principio dixit, quòd scilicet possimus sequi opinionem tanquam de probabiliori parte, & quòd operans ex contrarietate opinionum non inducatur in dubitationem. Hæc, inquam, non officiunt, quia opinio probabilior continetur intra lineam Opinionis, & Probabitatis, sicut quælibet qualitas continetur adhuc in sua linea, quamquam redditur intensior.

17. Quòd verò in controversis quæstio-

ftionibus fidei, hoc est, dum agitur de aliqua propositione controversa speculativa dependente à principiis fidei, ante determinationem Ecclesiæ, & ante inventionem textùs expressi Sacræ Scripturæ liceat tenere quamlibet opinionem, Antoninus probat clarè exemplo Joachim, qui tenuit Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse tres res realiter distinctas in natura Divina, & esse unum eo modo, quo plures homines sunt una Respublica, & multi fideles una Ecclesia, ut patet ex c. *damnamus*. de Summ. Trin. Et tamen ipse Joachim non fuit damnatus; & sic absque ullo peccato tenuit illam opinionem, ut etiam communiter animadvertunt Antiqui, qui meminerunt hujus opinionis. Sic etiam antiquitus absque peccato tenebantur opiniones, quæ postea hæreticæ, erroneæ &c declaratæ sunt, quas proindè amplius sustineri non possunt, ut expresè de opinione Joachim declaratur in d. c. *damnamus*, & dixerat Antoninus part. 3. tit. 5. cap. 2. §. 9. loquens de opinione Fraticellorum asserentium Christum nihil habuisse commune in bonis cum Apostolis. Vide cap. ant. num. 5.

18. Hìc obiter collige Divum Antoninum, & Gersonem opponi Illustrissimo Cœtui Gallicano in §. *de opin. probab usu* ubi dicit, quòd, si per Concilium Viennense debemus sequi opinionem probabiliorem in materia Sacra speculativa, multò magis debeamus illam sequi in dirigendis moribus, *quo magis ex ipsis fidelium Sanctitas, & salus pendet.* Illi nullam differentiam faciunt inter Fidem, & mores quoad necessitatem.

19. Antiquitùs fiebat quæstio, an contrariæ opiniones de Notionibus Divinis possint esse sine peccato, & omnes qui illam pertractant, affirmativam sententiam sequuntur. Ita Albertus in 1. sentent. distinct. 26. art. 27. Alens. part. 1. quæst. 68. membr. 1. art. 2. Divus Thomas in 1. distinct. 32. art. 5. & part. 1 quæst. 32. art. 4. Divus Bonaventura in 1. dist. 27. part. 1. quæst. 4. Ægidius dist. 33. par. 2. quæst. 2. Stephanus Brulifer dist. 27. part. 1. quæst. 4. Ex Doctoribus verò, qui secundùm Vendrochium reputandi sunt Antiqui, eandem opinionem amplectuntur Pelbartus in Rosar. Tom. 1. Verb. *Opinio*. num. 1. Joann. Altenstaig in Lexico Theologico V. *Opinari*. Tabien. V. *Opinio*. quæst. 2. Fumus. V. *Opinio*. Albertus dicit, quòd propter difficultatem materiæ non ex præsumptione, sed ex ratione hìc diversa opinantes excusantur. Alensis scribit, quòd cum à Sacra Scriptura non habeamus determinatum de Notionibus; Ideò licet Magistris opinari, sed non licet eis asserere; si enim quis asserat, aliquid dicendo, quod non sit determinatum in Sacra Scriptura, vel quod non sequatur directè ex fide, *mortaliter peccat*...... Magistri autem Theologiæ nihil aserunt, *sed tantum opinantur*. Divus Thomas in textu ex sententiis ita decidit: *Vel est de illis contrarietas opinionum, ad quæ consequitur aliquid inconveniens, & contrarium Fidei, licet in Fide expressum non sit, nec determinatum, & tunc ante pertractationem*, per quam scimus, *quòd aliquid inconveniens Fidei sequitur, potest utrumque sine peccato opinari, & maximè si pertinacia non adjungatur. Sed pertractata veritate*, & viso, quòd sequitur, *idem judicium est de eis, & de illis, quæ determinata sunt in fide, quia ad unum sequitur alterum: sicut si aliquis simplex, & Scripturam ignorans crederet, Jacob Patrem Isaac fuisse, ad quod sequitur Scripturam esse falsam, quod est expresè contra fidem, antequam sequi ostenderetur* sibi, posset ejus opinio sine peccato esse. *Sed ostenso, quod sequitur &c.*

Omninò eadem habet Divus Bonaventura, & concludit his verbis: *Concedendum est, quòd uterque opinans*, si asserat, peccat, *non propter errorem, sed propter præsumptionem; & sic concedendum, quòd licet ibi* (idest in materia de Notionibus Divinis) *contrarium opinari*. Et in 2. dist. 14. par. 1. quæst. 1. sic scribit: Hanc autem viam tertiam satis sustinere possumus probabiliter, cum nihil videatur sibi obviare. Hoc autem præcipuè attendendum est, *ne in incertis*

incerta materia aliquid certitudinaliter asseratur; melius est enim dubitare piè, quàm aliquid temerariè definire. Sanctus Doctor resolvit quæstionem, an supra firmamentum sint aquæ; & in distinct. 15. in explanat. litterar. dub. 3. dicit, quòd Catholici Tractatores circa ea, quæ assertivè dicunt, non discordant; circa verò ea, de quibus opinantur, dissentire possunt, & aliquando dissentiunt, quia opinio aliquando venit ex probabili conjectura rationis, in qua homo frequenter decipitur deceptione potiùs, quæ est pœna, quàm culpa.

20. Ægidius sic concludit: *Si ergo talis error (circa divina) non contradicit articulis Fidei expressè, nec est ab Ecclesia determinatum, vel si est determinatum, sic errans nescit esse determinatum, si non cum pertinacia asserat, quod dicit, sine peccato errare potest.*

Stephanus Brulifer asseela, & explanator doctrinæ Divi Bonaventuræ hanc quæstionem clariùs explicat, & pertractat, dicit ergo: *Quòd circa ea, quæ evidenter sequuntur ex fide, & Sacra Scriptura, si quis contraria opinetur ante determinationem Ecclesiæ, est licitum, sed post determinationem Ecclesiæ non licet. In his verò, quæ sunt annexa Fidei, & Sacræ Scripturæ, nec sequuntur evidenter syllogisticè, vel aliàs, nec repugnant, quia dubia sunt, licet contraria opinari.* Alii Doctores allati sequuntur istos, unde non refero ipsorum verba. Tum quia in mea sententia non sunt Antiqui.

21. Ex hisce textibus sequitur, in rebus dubiis Divinis ante determinationem Ecclesiæ, & ante pertractationem difficultatis, qua monstretur scientificè, & evidenter veritas, posse nos opinari, non tamen asserere. Si bene penetrentur Textus, hoc corollarium inficiari nequit. Ratio verò est evidens, quia antequam determinetur ab Ecclesia, & ante evidentem, & scientificam percontationem, per quam *res scitur, & videtur*, ut utar phrasi Divi Thomæ, res est dubia; ergo non possumus aliquid *in materia incerta certitudinaliter asserere*, ut dicebat Seraphicus Doctor. Licet tamen, & possumus opinari, quia materia incerta admittit opinionem, ut vidimus suo loco. Tum quia *melius est*, (inquit Bonaventura,) *piè dubitare*, idest opinari, *& probabiliter sustinere*, quàm aliquid temerariè definire. Per hæc probata manet evidenter minor nostri secundi Argumenti, quæ erat, *quòd in materia Fidei, dum Doctores sentiunt contraria, sit licitum ante determinationem Ecclesiæ tenere hanc partem, vel illam sine periculo peccati, vel Fidei.* Tenere, inquam, opinando, non verò asserendo. Ergo etiam in moralibus, quando materia est incerta, possumus sequi hanc partem, vel illam, opinando tamen, ut volo ego, non asserendo. Cum autem Adversarii velint, nos in hisce materiis moralibus incertis, in quibus Doctores contraria sentiunt, debere certò adhærere huic parti, vel illi; jam sequitur Adversarios esse contrarios Alberto, Alensi, Divo Thomæ, Divo Bonaventuræ, &c. contrarios, inquam, supposito, quòd valeat argumentum à materia dubia speculativa Sacra ad materiam moralem dubiam, & incertam, ut valere volunt Divus Antoninus, & Gerson, & Nider.

Sed si negetur valere Argumentum, & paritas, probatur clarè; quia in Scriptura, & in Fide inveniuntur propositiones, quæ sunt purè speculativæ; unde dicuntur spectare ad Fidem purè, v. gr. Deum esse Omnipotentem. Inniuntur etiam propositiones morales, & practicæ, v. gr. in Ecclesia datur remissio peccatorum; Ex hac enim sequitur, nos debere suscipere Sacramenta, per quæ remittuntur peccata. Utraque porrò ex his propositionibus convenit cum alia, quia utraque est de Fide, & revelata à Deo; secunda autem superaddit, quòd dirigit nos ad mores componendos. Primus respectus est nobilior, cum per eum propositio illa participet veritatem Divinam, & constituitur in ordine divinæ veritatis; unde certius est, quòd

per Sacramenta condonentur peccata, quàm propositio in primo modo dicendi per se, & essentialis. Alter verò respectus, quem dicit ad homines obligandos ad sic operandum; non est adeo excellens, cum respiciat hominem, non Deum. Tum sic ad propositum nostrum. Propositio secundùm primum respectum nobiliorem admittit opinionem, & probabilitatem, quando evidenter non sequitur à Fide, & à determinatione Ecclesiæ, ut patet in propositione speculativa in materia incerta, & obscura; ergo etiam admittet opinionem, & probabilitatem, etiam secundùm alterum respectum minùs nobilem, scilicet secundùm virtutem directivam ad praxim. Si revelatio Divina, quæ est operatio Dei, stat simul aliquando cum opinione, & probabilitate; unde ex principiis Fidei aliquando deducuntur conclusiones opinativæ, & probabiles, ut patet in opinionibus speculativis Theologicis Thomistarum, & Scotistarum, & aliorum Catholicorum ex Divo Bonaventura; ergo etiam operatio humana stabit simul cùm opinione, & probabilitate.

22. Confirmatur ex Divo Augustino 1. de Trinitate c. 3. ubi ait: Ubi quæritur Unitas Trinitatis Pater, Filius, & Spiritus sanctus, *nec periculosius alicubi erratur*, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid invenitur. Sic formatur Argumentum: In investigando unitatem Trinitatis, licèt sit materia, in qua majus periculum incurri possit, quàm in aliis materiis, & sic quàm in moralibus; adhuc tamen possumus sequi opiniones probabiles; ergo & in moralibus. Consequentia est clara, quia intantùm non possemus sequi opiniones in moralibus ob periculum erroris; sed in Trinitate ex Augustino periculosiùs erratur; Ergo, si licet in Trinitate invehere opiniones sine periculo erroris, multò magis licebit in moralibus &c. Antecedens probatur, quia Thomistæ, & communiter asserunt unitatem Trinitatis esse talem, ac tantam, ut non admittat distinctionem formalem, sed solùm virtualem; quin multi Theologi respuunt etiam distinctionem virtualem intrinsecam; E contra Scotistæ admittunt distinctionem formalem ex natura rei. Item cum infinita unitate Dei negant Thomistæ actum primum in Intellectu, admittunt Scotistæ; quin vidimus supra, Abbatem Joachim dixisse unitatem Trinitatis esse solùm eo modo, quo plures fideles sunt una Ecclesia, & hanc opinionem potuit tenere ante determinationem Ecclesiæ absque errore, & peccato, ut supra notavi: Ergo in investiganda unitate Trinitatis possumus sequi opinionem, & Probabilitatem.

23. Colligitur notabiliter, quod si quis teneret aliquam opinionem contra manifestum textum unius solùm Doctoris Ecclesiæ, v.g. Augustinum, hic ex hoc capite non esset damnandus de errore, aut de peccato. Ratio clara est, quia authoritas solius Augustini non facit certitudinem, & ipse talem opinionem habebat de aliis viris doctis, & voluit, quòd taliter de ipso crederemus, ut patet in Epistol. 111. & refertur cap. *neque quorumlibet*. 9. dist. & colligitur ex *c. ego solis* eadem, qui Canon pariter est Augustini ex Epist. XIX. Tum quia Doctores sentientes posse opinari in rebus Divinis, tunc solùm negant posse opinari in his rebus, *quando aliquid sequitur evidenter contra Fidem, vel post decisionem Ecclesiæ;* Sed asserere aliquid contra manifestum textum solius Augustini nihil sequitur contra fidem, nec contra decisionem Ecclesiæ; ergo &c.

Dices in cap *Sancta* 15. dist. approbantur opuscula Beati Augustini, & aliorum Sanctorum Ecclesiæ. Ergo non sequendo solùm Augustinum facimus contra decisionem Ecclesiæ. Tum quia ibidem dicitur, quòd sit Anathema, qui non receperit in omnibus, aut disputaverit de iis, quæ Leo Papa scribit in Epistola ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum.

24. Respondetur primò cum Divo Thoma lib. 4. contra Gentes cap. 24. ex V. Synodo, quæ sic decidit quoad autho-

thoritatem Patrum. Sequimur per omnia Sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ Athanasium, Gregorium, Ambrosium, Augustinum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, *& suscipimus omnia, quæ de recta Fide & damnatione Hæreticorum scripserunt.* Addo ex Tridentino Sess. 4. de usu & edit. sacr. libr. Sanctos Patres unanimes in explicatione Scripturæ facere rem certam. Ex his clarè elucet, nullum absurdum contineri in nostro Corollario; quin, meo judicio, validè confirmatur nostra doctrina.

25. Respondetur secundò, in illo Canone recipi quoque opuscula Cypriani, & Joannis Chrysostomi, & tamen certum est, hosce Doctores tenuisse opiniones, quæ postea inventæ sunt falsæ, ut patet in illa gravissima de rebaptizando Baptizatos ab Hæreticis. Igitur Canon ille recipit, & approbat illa opuscula; at non tanquam certa in omnibus suis propositionibus, sed juxta capacitatem materiæ. Hinc in materiis obscuris, & in iis, in quibus inter se contradicunt, non possunt recipi, nisi ut probabilia, ut supra dixi, & ex hoc deduxi, ad praxim sufficere probabilitatem. Ad secundum Epistola Divi Leonis ex modo speciali, quo approbatur, debet judicari certa in omnibus suis propositionibus; unde, si opuscula Sanctorum aliorum ita reciperentur ab Ecclesia, ut sub anathemate omnia usque ad unum jota deberemus defendere, tunc non possemus in ulla propositione alicui Doctori Ecclesiæ contradicere. Sic etiam Ecclesia ibidem specialiter declarat, se sentire cum Hieronymo in iis, in quibus de libertate arbitrii contradicit Ruffino; unde in hoc articulo non possumus nos opponere Hieronymo; quia sensus Hieronymi est sententia Ecclesiæ. Igitur approbatio facta ab Ecclesia de aliquo Doctore de sua Doctrina in generali solùm infert, quòd tota illa Doctrina est probabilis, non tamen certa, ut patet ex nostro Corollario, & quia Scotistæ absque scrupulo contradicunt Divo Thomæ, qui est unus ex primariis Ecclesiæ Doctoribus. Tum quia Divus Thomas 1. part. quæst. 1. art. 8. asserit Theologiam arguentem ex authoritate Doctorum Ecclesiæ procedere ex probabilibus; ergo unus Doctor Ecclesiæ non facit Authoritatem certam. Vide Turrecrematam in c. *sancta*. 15. quæst. 3. ubi in fine sic scribit: Ad hoc, quòd etiam rectè Ecclesia recipiat talium Patrum opuscula ad legendum eo modo, quo diximus, sufficit, *quod talia Patrum Opuscula habeant Probabilitatem veritatis.*

26. Subcolligitur, quòd quando Vendrochius intendit damnare de errore Jesuitas, & pro se affert unum, vel alterum Doctorem Ecclesiæ, tunc non probat juridicè intentum; quia dato etiam, quòd Jesuitæ tenerent contrarium alicui Doctori Ecclesiæ, ex hoc capite non sunt damnandi de errore, quia solus ille errat, qui contradicit certitudini.

Adverto tamen, quòd nemo debet contradicere alicui Doctori Ecclesiæ, nisi cum maxima ponderatione, & cum tribus præcipuè conditionibus. Primò, quòd sit certus alios Patres non esse ejusdem opinionis. Secundò, quòd illa propositio non sit specialiter approbata ab Ecclesia. Tertiò, quòd habeat fundamentum solidum deferendi dictum Sancti Patris.

27. Probatur quartò; Alexander Septimus, & Innocentius Undecimus damnant tanquam scandalosas ut minimùm quasdam propositiones, quæ dicebantur Probabiles. Talis est Quadragesima Alexandri: *Est Probabilis opinio*, quæ dicit, esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem sensibilem, & carnalem. Talis est sexta Innocentii: *Probabile est*, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum. Ergo, quòd opinio sit probabilis, inservit ad praxim; si enim non inserviret, cur illas damnarent ut scandalosas?

28. Probatur quintò. In discussione novæ difficultatis vel licet opinari, vel non licet. Si licet, ergo Probabilitas ce-

gnita ut talis est bona regula morum. Si non licet: ergo Doctores decidentes in illa materia tenent certas suas opiniones; & sic in materia morali nulla dabitur opinio, sed sola certitudo. Ex quo sequitur, Doctores variantes in decisionibus esse cœcos, dum non vident certitudinem in opposita opinione, quin certò falsam illam existiment. Præterea sequitur Scotistas judicare opiniones Divi Thomæ esse certò falsas; & denique sequitur, opinionem in esse opinionis reperiri solùm in speculativis, non verò in practicis. Si hæc deglutire poterunt Adversarii, poterunt etiam sustinere Probabilitatem, hoc est opinionem, quæ ita apparet vera, ut possit esse falsa, non esse bonam regulam morum.

29. Posset probari efficaciter hæc conclusio per duas regulas juris in 6. quæ sunt: ***In obscuris minimum est sequendum. Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.*** Desumuntur autem ex cap. *in obscuris.* & ex cap. *inspicimus.* & ex l. *nummis.* de leg. 3. & ex l. *in obscuris inspicimus. ff. de reg. juris.* Glossa figurat casum juxta primam regulam ex cap. *ex parte* de censibus, & dicit: Petrus voverat dare sextarium Frumenti Ecclesiæ, & in illa regione dantur duo sextaria, majus, & minus. Ut fiat satis voto, sufficit dare sextarium minus; cum enim sit obscurum, & incertum, quodnam sextarium voverit, æquitas non vult gravare Petrum nimis. Ergo in hac obscuritate, & incertitudine minimum est sequendum. Det sextarium minus, & votum implevit. In d. l. *nummis* Legislator decidit, si in Testamento fiat legatum de scutis, & illo tempore expendantur scuta majoris, & minoris valoris, & non appareat de voluntate Testatoris, quòd solvantur scuta minoris valoris. Hic evidenter apparet, quòd in voto, & in Legato solvendum est, quod est certum, & hoc est evidens naturaliter, cum vota obligent ex naturali jure, & Testamenta pariter ligent in Conscientia: cùm ergo votum, & Legatum sint certa, debent solvi quoad minimum: hinc est, certum fuisse votum saltem de minori sextario, & Legatum de minori scuto: Adhuc tamen est dubium, an votum sit de majori sextario, & Legatum de majori scuto. Sed non obstante tali dubio Canon, & Lex liberant nos ab obligatione solvendi majus sextarium, & majus scutum: Ergo Canon, & Lex decidunt ex ratione probabili. Consequentia est evidens, quia non est certum, & clarum, votum, & Legatum fuisse de minori, relicto majori, sed solùm probabile, incertum, & dubium, & propter hoc regula expressè dicit *in obscuris.* Hinc Glossa in hac regula ait, intelligendum esse in dubio, & cùm per Adversarios dubium, & probabile sint idem, jam Glossa dicit illam regulam valere *in re probabili.* Hinc obiter notabis, dubium de voto, quandiù dubium perseverat, non teneri ad votum, quia in dicta Regula solvitur solùm votum certum, dubium verò relinquitur. Quæ doctrina sequitur evidenter ex Canone, meo judicio, & est solùm probabilis, & immediatè contra negantes Probabilitatem.

30. Notabis ulterius, hanc regulam valere etiam in materia Legis naturalis, quia obligatio voti est in materia naturalis juris; Hinc videbis, probabilitatem esse regulam ad decidenda dubia Legis naturæ, quod apertè negavit Vendrochius Nota 1. in Epistol. V. sect. 3. §. 7. & concessit quoad dubia Legis Humanæ, & dubitavit, vel etiam negavit de dubiis Legis Divinæ.

31. Secunda regula pariter probat expressè Conclusionem, dum asserit, in obscuris esse inspiciendum, quod est verisimilius. Nota, *Verisimilius* dixit: Scimus autem ex Barbos. in Axiomatibus juris num. 223. cum multis Antiquis, verisimile esse, quod proximum, & simile est vero; & sic verisimile distingui à vero; & sic posse esse falsum. Ergo, quod est proximum vero, quamvis esset falsum, in obscuris est regula decidendi quæstionem. Probabile autem

ita accedit ad verum, ut possit aliter se habere, & esse falsum, & sic *Probabile* erit regula decidendi quæstionem in obscuris.

32. Glossa in figuratione casus refert c. *si quis acceperit.* 33. quæst. 1. & dicit: Ponamus, quòd Titius nupsit cum aliqua muliere corrupta, & fuit longo tempore cum ista muliere; Tractu temporis mulier petit separationem Matrimonii, quia vir non erat potens ad copulam; E' contra vir dicit se esse potens. Quid faciendum in hoc casu? Respondet Glossa, quòd, si maritus prima facie apparet potens ad copulam, præsumemus cognovisse uxorem; quia in obscuris præsumitur, quod est verisimilius. Ecce per Glossam in obscuris deciditur validitas Matrimonii, qui est casus in lege Naturali, Divina, & Humana, per verisimilitudinem. Lege eandem Glossam casus figurantem, & decidentem ex sola verisimilitudine; & sic *ex sola probabilitate.*

33. Denique posset probari Conclusio in materia peculiari Justitiæ. Si ad rectè operandum non sufficit Probabilitas, quomodo Judices dabunt sententiam? Si in Libris videmus Jureconsultos celeberrimos procedere opinabiliter in eodem casu, & eadem lite, nunquid Judices viventes erunt Sapientiores, ut valeant attingere certitudinem, ubi Proceres Jurisprudentiæ solam Probabilitatem repererunt? Petrus ergo, & Paulus de majoratu certant apud Judicem; quæro, an possit dare sententiam, si credat probabilius esse unam partem, vel etiam si credat, utramque partem esse æquè probabilem. Si concedatur unum ex his, jam Judex ex opinione probabili procedit. Si dicatur, tunc Judicem non posse sententiare; ergo sequitur Litem illam fieri immortalem, cum rarò contingat Judicem ad certitudinem in difficillima materia Justitiæ pertingere posse; nisi velimus dicere, Judicem debere opinioni firmiter adhærere, & credere certum, & inopinatum, quod tamen est intra latitudinem opinabilium. Hoc autem est illicitum, inquit Cajetanus in Summ. Verb. *Opinio* 1 & ego subdo, est stultum, & signum ignorantiæ, dum non attingitur objectum modo, quo potest, & debet attingi.

34. Dices, dividendas esse res secundùm jus, quod quisque habet. Judices, & Legislatores plures ridebunt, & irridebunt hanc responsionem, qui nunquam, aut rarissimè utuntur divisione, & jure quidem, nam bona divisa nullam familiam conservant cum splendore debito, quod tamen interest Reipublicæ. Præterea fideicommissa, majoratus, & alia plurima sunt indivisibilia. Præterea evidenter contra hanc divisionem instatur. Opinio asserens in hoc casu faciendam esse divisionem, vel est certa, vel Probabilis. Si secundum, habetur intentum; si primum, contra, quia ego loquor in casu sæpe occurrenti, in quo vel opinio de integra re danda Petro est probabilior, vel æquè probabilis; ergo opinio de divisione rei non est certa. Consequentia liquet, quia opinio non est probabilis, quæ militat contra certitudinem. Hoc argumentum desumpsi ex Cardenas in Crisi Theol. part 3. disp. 56. c. 15. art. 3. Vide ipsum latè illud tractantem.

34. Confirmatur: Accedunt ad Theologum Petrus, & Paulus, & omnibus pensatis quisque habet jus æquale ad totam rem, quid judicabit Theologus ille? Forsan factis Deo precibus desuper illuminabitur de certitudine juris? forsan equidem, sed per miraculum. An se tanquam dubium debebit reputare, & sic litem relinquere indecisam, & immortalem? Cogetne illos ad transactionem? Sed quo jure? quisque enim habet jus, & æquale jus ad totam rem. Ergo in hoc casu judicabit rem, cui voluerit: At caveat, ne ab aliquo munera accipiat: Hoc enim declaratum esse illicitum ab Alexandro Septimo scimus proposit. 26. Et forsan, Antiqui Juristæ dicebant, bonum esse habere Judicem propitium, ut scilicet in casu de jure æquali faveat Amico. Quod si supponamus, Judicem cognoscere Petrum,

ius habere magis fundatum, tunc Paulo non poterit dare rem, ut decisum est ab Innoc. Und. proposit. 2. Tradet ergo illam Petro.

CAPUT XXII.

Antiquorum Textus pro Probabilitate referuntur.

1 PRobavimus cap. antecedenti, & vigesimo, Probabilitatem esse certò regulam morum rationibus desumptis ex principiis Antiquorum, in præsenti referemus textus eorundem, in quibus vel expressè, vel saltem virtualiter sequuti sunt in moralibus Probabilitatem.

2. Textus Doctoris Angelici jam retuli in duobus capitibus antecedentibus; unde non oportet illos repetere. Incipiam ergo ab ejus Coætaneo, & Socio dilectissimo Divo Bonaventura. Doctor ergo Seraphicus in 3. dist. 39. art. 3. quæst. 1. quærit, an juramentum dolosum sit obligatorium in conscientia. Affert duas opiniones, primam affirmativam, secundam negativam, & de hac dicit: *Et iste quidem modus dicendi satis probabilis esse videtur.* Si Adversarii jurarent Sanctum Doctorem per hæc verba *satis probabile esse videtur*, significare velle se habere ut certam suam opinionem, non illis credam, maximè quòd verbum *videtur* extra legem, juxta Cardinalem Tuscum Tom. 2. litt D. conclus. 394. non importat certitudinem, sed vacillationem. Et in 4. dist. 17. part. 2. art. 2. quæst. 4. dicit, quòd accedens ad Sacramentum pœnitentiæ sufficit, si habeat dispositionem ad gratiam sufficientem *secundum Probabilitatem, quæ dispositio est attritio.* In margine notatur hanc Doctrinam esse consonam Trident. Sess. 14. cap. 4.

3 Divo Bonaventuræ conjungamus Divum Raymundum. Hic lib. 1. titul. *de transgressione voti.* §. 15. facit quæstionem, an vota professionis Religiosæ ex natura sua extinguant vota præcedentia, sic concludit: *Licèt possit dici, quod jus Religionis solvat hujusmodi vota, ut ait Hug. consulo tamen, quòd dispenset Prælatus, sicut dicunt alii, quia tutius est, & Prælatus potest dispensare 33. quæst. 5. noluit.* Illa verba, *licèt possit dici*, utique formidolosam cognitionem clarè exprimunt. Lib 2. titul. de rapt. prædon. & sagitt. §. 21. docet, si plures simul, ita tamen quòd unus non hortetur alium, vadunt, quasi sit unus exercitus, & rapiunt aliquid, quilibet tenetur in solidum restituere; & est ratio, quia in tali casu quilibet juvat alios, & facit fortiores. Aliàs, si non iverunt simul, sed quilibet per se separatim facit damnum; quilibet tenetur pro eo, quod fecit. *Vel fortè in utroque casu posset tolerari, quòd quilibet satisfaceret de his, quæ habuit, & induceret alios pro posse ad satisfaciendum.* Nota illa verba, *vel forte in utroque casu posset tolerari*, & nega, si potes, significare cognitionem formidantem, & sic importare Probabilitatem.

4. Lib. 3. *de servis non ordinand.* §. 2. scribit: Sed nunquid potest patronus in liberto, quem petit ordinari, retinere saltem operas spirituales, puta, ut in sua Capella ministret ei divina, vel similes? ad hoc dicit Alan. quòd sic de consensu Episcopi, aliàs non...... Ita etiam dicit Joannes, *& mihi videtur probabile.* Potest D. Raymundus loqui clariùs?

5. Divo Raymundo succedat ex eadem Religione Archiepiscopus celeberrimus Divus Antoninus. Igitur 3. part. tit. 1. cap. 20. §. 10. asserit, ex isto principio dicunt etiam aliqui *Probabiliter*, quòd si vir est fur, & incorrigibilis, propter quod uxor cum eo quotidie periclitatur ad mortem, quòd potest fugere, & eum relinquere. Ecce quòd dictum *Probabile* Doctorum est regula, à qua ducta mulier potest se subtrahere à consortio illius, cum quo ex magno Dei præcepto lato Genesis 1. debebat convivere. Et cap. 19. paulò post princ. ait; quando

quando quis fictè contrahit matrimonium cum muliere, si veram vult facere pœnitentiam, necesse habet illam sine fictione ducere. ... *Addit tamen Thomas, quòd ad hoc tenetur, si vir sit æqualis conditionis cum illa; nam si sit multo melioris conditionis, quam illa, vel si aliud signum evidens fraudis apparuit*, potest probabiliter præsumi, *quòd sponsa non fuit decepta, sed decipi finxerit; & tunc non tenetur ad prædicta secundùm quosdam.* Ecce quòd præsumptio probabilis facit, quòd vir ducat in uxorem, quam ficto matrimonio defloraverat. Hic obiter noto: Præsumptio probabilis liberat promissorem fictum à matrimonio cum damno ingenti virginis defloratæ; sicut supra etiam licentia probabiliter præsumpta facit, quòd Monachus potest dare eleemosynam. Cur probabilis præsumptio non faciet, quòd uxor possit accipere nummos ad ludum, quo communiter mulieres illius conditionis solent ludere? Et tamen hoc damnatur à quibusdam Probabilioristis.

6. In titul. 14. ejusdem partis cap 19. §. 6. fin. scribit: *Et dicit* Petrus de Palude, quòd ratio Thomæ, quare omnia uni sunt dicenda, non est demonstrativa, quia nec materia Sacramentorum est demonstrabilis, sed est ratio probabilis, & sic intendebat Thomas, scilicet persuadere, non demonstrare. Ecce Divus Antoninus, Divus Thomas, & Petrus Paludanus amplectuntur rationem Probabilem.

7. In tit. 17. cap. 16. §. 1. scribit: Si Confessor judicat licitum, quod est illicitum, tam Confessor, quàm pœnitens in foveam cadunt; nisi eum probabilis ignorantia excusat, puta si habet aliquem Doctorem authenticum, & famosum, cujus opinioni innititur. Ecce ignorantia *Probabili* fundata in authoritate unius Doctoris, & sic in authoritate solùm probabili, Confessio Sacramentalis evadit licita.

8. Addamus his Sanctis Patribus alios Doctores Antiquos. Præeat irrefragabilis Alensis. Hic 2. part. quæst. 153. membr. 6. fin. sustinet, quòd, si quis poterat probabiliter ignorare publicationem legis, hic non peccat contra legem, licèt illam transgrediatur. Par. 4. quæst. 28. membr 6. §. 3. art. 2. refert tres opiniones circa tempus, quo incipit obligatio jejunii. Prima erat, quòd inciperet in fine tertii septemnii, Secunda anno vigesimo, Tertia anno sextodecimo. De secunda, & tertia ita decidit: neutram reprobo, sed tamen mediam eligendo dico, quòd tempus aptum jejunio est tempus 18. annorum. Si Alensis non reprobat illas opiniones; ergo illas falsas non reputabat, sed probabiles; ac proinde quam sequitur, solùm ut probabilem affirmabat.

9. Albertus Magnus in rei veritate non sæpe utitur termino probabili; licèt fatear sæpè sequutum fuisse opiniones, quæ in seipsis non sunt plusquam probabiles, & fuit primus ex Theologis, qui scrupulis abjectis, & rigidis sententiis, pluriès benignitatem invexit, præcipuè in usu matrimonii, ut videre licet in 4. dist. 31. art. 24. quam benignitatem opinionum magis fœlici eventu postea ampliavit suus Magnus Discipulus Divus Thomas. Igitur Albertus in 4. dist. 15. art. 24. hæc habet in solutione quæstionis: sicut dicunt illi, *qui jura probabiliter docuerunt*, videtur mihi esse distinguendum in illicito acquisito. Ecce Albertus sequitur Canonistas, *qui jura probabiliter docuerunt;* Ergo per Albertum licet docere *jura probabiliter.* Docemus autem jura probabiliter explicando jura opinionibus probabilibus. In art. autem 25. in solutione quæstionis scribit: Si uxor nec res paraphernales, nec lucrosa est laboribus suis, tunc videtur dicendum, quòd dare non debet sine consensu viri, *nisi fortè panem, & vinum*, & cætera, quæ in quotidiano usu domûs sunt, & hoc moderatè. Nota illam particulam: *Nisi fortè*, quæ clarè denotat concessionem meticulosam; & sic fundatam in cognitione formidolosa, & probabili.

10. Dist. 17. art. 6 in solut. quæstionis dicit, quòd confessio peccatorum facta sine charitate nihil valet ad justifica-

ficationem &c. quantum ad id, quod est ex parte audientis, *videtur mihi*, (inquit Albertus,) quòd simpliciter valet quoad hoc, quòd Ecclesiæ præcepta Pœnitens solvit, & deobligatur à debito confitendi. Quòd Confessio valida, sed informis satisfaciat præcepto Ecclesiæ, est solùm opinio probabilis; quia verò illam asserit illis verbis, *ut mihi videtur*, puto, quòd ut probabilem asseruerit, nam verbum, *videtur*, adhibitum quidem à lege denotat certitudinem, aliàs verò non importat veritatem, ut notavit cum Surdo, & Seraphino Barbosa in tract. de dict. usu frequ. num. 424. & dixi in cap. anteced. ex Tusco.

11. Vidimus alibi ex Nider, & Divo Antonino, Albertum dedisse responsum, quòd frater, & quilibet alius possit regulare suam conscientiam ex opinione alicujus viri magni. Porrò Authoritas viri magni non est nisi *Probabilis*. Ergo per Albertum probabilitas est regula morum.

12. Glossator Raymundi, Villelmus Rodonensis, sæpe sequutus est Probabilitatem. Hosce textus refero, qui clarè mihi videntur intentum probare. Igitur lib. 1. tit. de mendac. Verb. *Mentiendum esse.* scribit: Idest, potest mentiri aliquis sine peccato, non tamen tenetur. *Posset tamen fortè dici, quòd ex quo sine peccato potest mentiri in hoc casu, tenetur illud facere.* Perpende illa verba, *posset tamen fortè dici*, & videbis importare cognitionem formidolosam, & sic opinativam. Disces etiam, per hanc cognitionem aliquem fugere peccatum mendacii. In tit. *de sortilegis* §. 5. Verb. *Invocatis Dæmonibus.* narrat, secundùm quosdam Sortilegum circa Sacramenta Ecclesiæ, & baptizantem imagines, licèt occultum, incurrere in Irregularitatem, secundùm verò alios non incurrere. Subdit Doctor: *Unde in hoc dubio consulendum est talibus, quòd petant dispensationem, non tamen præcisè dicendum est, quod aliter non sit eis salus, & absolvendi sunt de peccatis, si pœniteant.* Ego credo, hanc doctrinam esse ipsam Probabilitatem. Accipe ergo regulam juxta hunc Glossatorem. Quando in aliquo dubio Doctores variant, consulo sibi, ut partem rigidam amplectaris. Tamen, si hoc detrectes, non te condemno, sed absolvo. Si hæc non est Probabilitas, quænam erit?

13. In tit. *de sacrilegis.* Verb. *frangit.* scribit: de fure autem prædicto, *licèt possit dici*, quod non incidit in hanc pœnam, cum Decret. de sentent. excomm. *Conquesti* non videatur loqui, nisi de illis, qui publicè frangunt Ecclesias; quia tamen lex distinguens inter diurnos effractores, & nocturnos atrociores dicat nocturnos, ut ff. de effract. l. 1. & ult. *potest dici probabiliter* in favorem Ecclesiæ, quòd talis incidit in Canonem, sicut publicus effractor. Illa verba, *licèt posset dici*, & illa alia, *potest dici probabiliter*, notant clarè Probabilitatem utriusque partis. In titul. *de decimis* §. 14. Ver. *bene valet* habet: Videtur quibusdam, *& probabiliter*, quòd in hoc casu teneatur venditor in foro pœnitentiali ad restituendum emptori, quod solvit Ecclesiæ, cum sit licitum contrahentibus se se invicem decipere, dum tamen absit dolus, & fraus, & non ultra dimidium justi pretii fiat deceptio ff. *de minor. in causa.* §. *ult.* C. *de rescind. vend. l.* 2. *& l. si voluntate. & c. cum dilecti de empt. & vend.* Sic Doctor. Si venditor *probabiliter tenetur solvere*; ergo emptor *probabiliter* potest recipere solutionem. Si cum opinione probabili possumus recipere debitum, non poterimus in aliis virtutibus *per Probabilitatem* dirigere mores?

14. Lib. 2. tit. *de raptor.* §. 16. V. *si scitur, vel creditur.* docet: In hoc tamen casu, & similibus, qui tolerantur ab Ecclesia, pro eo quòd potest esse dubitatio de jure, aut de facto, non credo esse simpliciter denegandam absolutionem, sed facienda est cum quadam dubitatione, & protestatione sic: absolvo te de hoc, inquantùm possum, *sed timeo, vel credo, quòd non sufficit ad salutem, nisi te aliter habueris in hoc casu.* Mihi videtur, hanc doctrinam Authorem tradere

ut

ut probabilem; his tamen temporibus videbitur, nedum Probabilioristis, sed etiam Probabilistis nimium benigna. Eodem tit. §. 36. Verb. *restituenda.* scribit: Si de hoc constet in foro causarum, si autem in foro pœnitentiali, *fortè magis est consilium, quàm necessitas.* Author loquitur in quodam casu, in quo Divus Raymundus dicebat, Judicem debere restituere pecuniam acceptam; noster verò Glossator per cognitionem formidolosam eundem liberat à tali onere, *fortè magis est consilium &c.*

15. Lib. 4 titul. *Qualiter accusatio sit facienda in Matrimonio.* §. 2. Verb. *Inquisitioni.* habet: Nunquid tenetur credere hujusmodi viro fide digno, maximè jurato, dicenti se scire veritatem? (scilicet de impedimento Matrimonii.) Respondeo non credo, quòd teneatur, ita quòd mortaliter peccat, si non credat, licèt peccet venialiter, & ex humana tentatione, si non credat, *ubi probabiliter credendum est.* Ecce expressè, *ubi probabiliter credendum est*, adesse impedimentum matrimonii, v. gr. non teneor credere, ita quòd peccem mortaliter, sed solùm venialiter. Ex hoc textu manifestè sequitur, quòd possum absque peccato mortali, licèt cum veniali, deserere opinionem rigidam probabilem; & sic possum sequi absque mortali oppositam opinionem probabilem benignam. Hinc patet, quòd hic Author, licèt totaliter non sit pro nobis in hoc textu, quia potest per Probabilitatem liberare quidem à mortali, sed non à veniali; sit tamen expressè contra Adversarios volentes nimis rigidè, Probabilitatem non liberare à morte spirituali, sed solam veritatem.

16. In eodem loco subdit Author: Nunquid propter quantamcunque *probabilem opinionem* de impedimento perpetuo, absque tamen certa conscientia, tenetur alteruter conjugum, vel uterque denegare debitum reliquo? Respondeo, non tenetur, nisi illa probabilis opinio surgat ex tali facto, super quo Canon judicat præsumptionem, ut quando uxori constat, quòd vir ejus ante matrimonium jacuit nudus cum nuda sorore, vel consanguinea ejusdem sororis. Per hunc textum notabis, *quantamcunque probabilem opinionem* non cogere intellectum, ad credendum rem ita se habere; & sic intellectum posse adhuc non judicare in tali casu adesse peccatum; atque adeo posse sequi opinionem oppositam probabilem, & benignam.

17. Ut alibi dixi, Glossator hic fuit omnium benignissimus, & sæpe sequutus est Probabilitatem; unde possem alios textus per extensum referre; sed brevitatis gratia, solùm loca indicabo, quæ Lector adeundo poterit videre, & scrutari. Igitur videatur lib. 2. tit. *de rapt.* §. 41. V. *Et in cujus.* lib. 3. tit. *de sentent. definit. præcept. &c.* §. 42 Verb. *Intrasse.* §. 43. V. *Si sit Episcopus.* & Verb. *Primo.* tit. *de pœnit.* §. 63. V. *Nescio, nec credo.* Lib. 4. tit. *de Matrimonio.* §. 13. V. *Veniale.* & tandem titul. *de impedim. servitutis.* §. 3. V. *Infringenda est.* In hoc loco sic scribit: In hujusmodi casibus, qui non sunt omninò expressi in jure, *non est præcipitanda sententia, nec alterutrum pertinaciter asserendum.* Et si post hujusmodi contractus conditionales transeatur ad alia vota solemniter, *tutius fortè est dissimulare, aut Papam consulere, quàm Matrimonium cum secunda solemniter contractum dirimere.* In hoc textu mihi elucet Probabilitas, & clarè damnantur Adversarii, qui præcipitant sententiam, & pertinaciter alterutrum asserunt in materiis obscuris; & sic *in casibus non omnino expressis in jure.*

18. Post Glossatorem Raymundi, Villelmum Rodonensem, jure subdo textus Joannis de Friburgo, qui immediatè postea floruit, quique adeo hanc Glossam sequutus est, ut omnes casus, quos eadem Glossa dissolvit, in sua Summa reposuerit, ut ipse Joannes testatur in Prologo. Ex quo quilibet evidenter poterat colligere, illam Glossam non fuisse compositam à Joanne, sed ab alio Doctore; ne dicamus, quòd Joannes laudans, & allegans illam Glossam, seipsum laudaverit, & in numerum Doctorum se collocaverit. Sed de hoc puncto suo loco

loco clarè loquutus sum.

19. Igitur libr. 1. titul 15. *de decim.* quæst. 25. concedit, quòd ante Concilium Lateranense jus temporale percipiendi decimas potuerit concedi Laico sub quibusdam conditionibus, postea subdit: *Vel dic, quòd nullo tempore potuerunt dari in feudum etiam quoad jus temporale, seu civile, ita quòd transiret ad hæredes ejus, sicut & feudum.* Ecce utraque opinio probabilis; unde per Joannem & jus temporale decimæ potest probabiliter concedi Laicis, & probabiliter non potest concedi. Quæst. 27. scribit: *Idem potest concedi probabiliter de decimis illis, quæ à tempore, à quo non extat memoria, tenentur à Laicis, nec eas recognoscunt, se tenere ab Ecclesia*, potest scilicet dici, *quòd Episcopus possit de eis Laicos infeudare.* Huic textui expresso nulla potest affingi responsio.

20. Richardus in 4. distinct. 5. art. 3. quæst. 4. ad 3. scribit: *Dicunt quidam probabiliter, quòd in illo casu potest pro illa* (idest aqua sanctificata) *pecunia dari ab illo, qui affert puerum* (ut baptizetur) *sine vitio Simoniæ, quia talis redimit vexationem juris pueri &c.*

21. Dist 9. art. 2. quæst. 3. ait: *Quæ crapula, vel cogitatio, si peccata mortalia fuerunt, vel probabile dubium est utrum fuerunt, tunc pollutio nocturna ex eis proveniens prohibet de necessitate hujus Sacramenti susceptionem;* (Vide hujus Doctoris rigidam sententiam, sed simul lege probabilem benignitatem) *si autem certum est, vel probabile, quòd non fuerunt nisi peccata venialia, tunc illa pollutio non prohibet nisi de congruitate.*

22. Distin. 15 art. 2. quæst. 6. docet, quòd Monachus non potest facere eleemosynam sine licentia Abbatis *expressa, vel probabiliter præsumpta.* Art. 5. quæst. 3. vers *tertio modo*, asserit, quòd si quis accusatus de vero crimine, quod tamen probari non poterat, mentiendo neget crimen, non tenetur, *ut quidam dicunt probabiliter*, restituere famam alii recognoscendo crimen sibi impositum verum esse. Refert aliorum sententiam, quam duram vocat. Ecce quod Richardo placet benignitas, *probabilis tamen.*

23. Dist. 17. art. 2. quæst. 4. ad 1. asserit hominem ratione legis Ecclesiasticæ teneri ad confessionem venialium, postea subdit: *Aliqui dicunt, quòd talis non tenetur ad dicendum Sacerdoti aliquod peccatum in specie, sed tantum ad dicendum, quòd non credit se habere nisi venialia tantùm.* Certè existimat hanc doctrinam probabilem.

24. Distin. 18. art. 10. quæst. 1. dicit, quòd si Excommunicatio lata à Judice sit justa, non debet Judex invitum ab illa absolvere, tamen si absolvit, ille verè absolutus est, *ut quidam dicunt.* Sententia, quæ à quibusdam approbatur, nequit recipi nisi ut probabilis.

25. Dist 21. art. 4. quæst. 2. ad 4. asserit, quòd Prælatus potest removere ab officio subditum, cujus indignitatem novit ex Confessione Sacramentali, si nulla suspicio de peccato confesso oriatur, asserit autem hoc quia *ita aliqui dicunt*, dictum autem aliquorum solùm generat probabilitatem, non certitudinem.

26. Dist. 25. art 6. quæst. 1. ad 1. dicit, quòd Papa potest etiam, (*ut volunt aliqui* probabiliter,) abolere infamiam Laicorum etiam per civilem Judicem irrogatam. Dist. 39. art. 2. quæst. 2. habet: Alii dicunt, *& probabiliter*, quòd Matrimonium contractum coactione per metum cadentem in constantem virum firmatum per juramentum non tenet, nec in foro exteriori, nec in foro conscientiæ.

27. Legamus Petrum de Palude. Hic quidem in 4. dist. 15 quæst. 3. art. 5. concl. 2. scribit, quòd ab hujusmodi ergo prohibitionis transgressione excusantur recipientes eleemosynam, primò, si occultè. Secundò si ignoranter *probabili ignorantia* de constitut. cap. 2. Nescio, an Adversarii explicabunt ly *probabili*, ut significet idem, quod approbabile ex eo, quod Doctor alleget pro se secundum caput de constitut. ubi Pontifex loquitur de ignorante constitutionem, quæ nondum erat edita. Unde hæc ignorantia non fundatur in opinione pro-

probabili, cùm impossibile sit, quòd quis scire possit legem nondum latam.

28. Si possent explicare tali modo hunc textum, certè non poterunt hunc alium sumptum ex dist. 17. quæst. 2. art. 1. ubi sic docet: si Confessor *scit*, *vel probabiliter credit*, quòd pœnitens non recolit, quia sufficienter conscientiam non excussit; vel si recolit, errando non credit illud esse mortale, debet sibi illud ad memoriam reducere, vel conscientiam de illo facere; alioquin scienter indignum absolveret. Sed si Confessor dubitaret, utrum illud, de quo alius non pœniteret, esset mortale, & ille sibi diceret, quòd de Consilio peritorum illud faceret, de quibus ex scientia, & vita *probabile est*, quòd non consulerent nisi benè, potest se illorum judicio conformare, *secus si esset certus de opposito*. Ecce quòd hic Author, si est certus quòd illi periti benè non judicent, non vult absolvere pœnitentem; si verò *probabile est*, quòd benè judicent, vult illum absolvere. Hic quæro, ly *probabile* non accipitur pro certo, quia sic loqueretur obscurè satis; & sicut in secundo loco posuit illum terminum *certus*, posuisset etiam in primo, si certitudinem volebat exprimere, vel posuisset alium terminum æquivalentem. Ergo per ly *Probabile* intelligit cognitionem incertam, ut nos volumus. Doctrina Paludani laudatur ab Antonino part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. vers. *Revertendo*.

29. Paulò post allatum Textum habet hæc alia: *Qui autem habet Sacerdotem præsentem, sed non habet linguam, qua possit ab eo intelligi potest, quidem per interpretem confiteri, sicut & Matrimonium contrahere, sed fortè non tenetur. quia non tenetur homo confiteri, nisi Sacerdoti.* Nota illa verba: *Sed fortè non tenetur*, & nega, si potes, explicare cognitionem importantem formidinem; & sic esse *probabilem*.

30. Quæstione 5. art. 2. laudat rationem Divi Thomæ, qua probat debere omnia peccata uni Sacerdoti confiteri, & dicit, quòd non sit *demonstrabilis*, *sed probabilis, & nata ad persuadendum;* Ergo ratio, quæ potest aliter se habere, licèt cognoscatur ut potens aliter se habere, est laudabilis, & potest persuadere, & movere intellectum Divi Thomæ, & Petri Paludani. Et sic idem debemus dicere de nobis. Adverte quòd Divus Antoninus 3. part tit. 14. cap. 19. §. 6. fin. laudat hanc Doctrinam Paludani. Similem Doctrinam habet Cajetanus 3. part. quæst. 72. art. 3. Hic Doctor per Vendrochium est antiquus.

31. Dist. 32. quæst. 1. art. 3. concl. 3. dicit: *Quòd non videtur esse mortale* petere scienter debitum conjugale tempore, quo uxor patitur menstruum naturale. Illa verba: *Non videtur*, meo judicio significant, ut patebit infra, cognitionem probabilem; maximè cùm ibi afferat contra se Divum Bonaventuram, & Petrum, & etiam Textus ex Divo Hieronymo, & Augustino, qui videntur ipsi contrarii. Infra autem explicans hanc suam Doctrinam dicit: *Quarto sciens non generari, vel probabiliter credens, ut quia est sterilis, vel quia non consuevit tunc concipere....* similiter non peccat (petendo debitum conjugale) saltem mortaliter.

32. Durandus in 4. dist. 21. quæst. 4. num 12. ait, v.gr. Hæreticus impœnitens, & proponens alios corrumpere, nec credens Sacramentum Confessionis seu pœnitentiæ aliquid valere, nec intendens se subjicere Sacerdoti pro absolutione, nec pro consilio, nec facere aliquid, quòd fideles Ecclesiæ faciunt, aut quod intendit Ecclesia; sed volens provocare, & irritare Sacerdotem dicit ei se esse hæreticum &c. in tali casu nullum est Sacramentum, nec ex virtute Sacramenti peccatum sic dictum Sacerdoti est celandum.... & hoc habetur *tanquam probabiliter dictum* absque assertione alia. Notentur illa verba: *tanquam probabiliter dictum.*

33. Dist. 2. quæst 3. num. 9. relatis duabus opinionibus circa Baptismum Joannis Baptistæ, quarum una erat, quòd non haberet aliquam determinatam formam verborum, & hanc dicit *posse probabiliter*

babiliter teneri, concludit illum paragraphum: *tamen quæstio ista* est de facto, de quo Sacra Scriptura nihil expresse determinat: *Ideò utraque opinio potest probabiliter teneri sine aliquo præjudicio fidei.* Nota, quòd de aliqua re, quam meminit Scriptura, possumus habere duas oppositas opiniones probabiles juxta Durandum, si Scriptura nihil de illa quæstione expresse dicat. Et hoc sine præjudicio fidei. Durandus loquitur expresse de quæstione speculativa, an scilicet Baptismus Joannis habuerit determinatam formam verborum; Ast ego hanc doctrinam transfero evidenter ad quæstionem moralem, si tamen sit de re, de qua agat Scriptura, & fides doceat. Ratio est, quia fidei, & Scripturæ authoritas fundatur in revelatione Divina, quæ tam est de speculativis, quàm de moralibus, nec aliquo fundamento potest dici, quòd duplex opinio opposita non obstet fidei in materia speculativa, obstet verò si sit in morali, cum in utraque materia tota ratio asserendi, & negandi sit revelatio Divina.

34. Dist. 18. quæst. 4. num. 7. fin. dicit: Quamvis aliqui quandoque senserint, quòd proprius Sacerdos possit absolvere Parochianum à sententia majoris Excommunicationis, cùm jus Excommunicationis non retinuit sibi conditor Canonis; hoc tamen non est verum, *nec fulcitur aliquo jure, vel probabili ratione.* Ego infero à contrario sensu, quod est validum Argumentum in jure ex Barbosa in tract. de loc. commun. argument. juris frequent. Ergo si opinio fulciatur aliquo jure, *vel probabili ratione* est amplectenda. Ecce quòd Durandus rationem probabilem comparat cum jure, ut fecit Glossator in c. *ego solis.* 9. dist. V. *Probabiles.*

35. Dist. 24. quæst. 2. num. 6. dicit: Ex quo ergo tota plenitudo Sacramenti est in Sacerdotio, in aliis autem est solùm quædam participatio, patet quòd non sunt Sacramenta propriè, sed Sacramentalia quædam; nec video quare hoc non possit teneri probabiliter, imò nec videtur. Si Ordines Minores, Subdiaconatus, & Diaconatus non sunt propriè Sacramenta, sed Sacramentalia, & cùm Sacramentalia non conferant Gratiam juxta principia magni Glossatoris, sine simonia possemus dare pecuniam pro receptione Minorum, Subdiaconatûs, & Diaconatûs, sicut propter hanc rationem Glossator pluries dixit in Matrimonio, ut suprà notavi recipi pecuniam posse. Vides non solam doctrinam Modernorum, & Jesuistarum, ut volunt Adversarii, sed Antiquorum parere consequentias absurdas, & laxas. Hisce temporibus nequit negari Subdiaconatum, & Diaconatum esse Ordines. Vide Tridentinum Sess. 23. c. 1. & can. 2.

36. Dist. 31. quæst. 4. num. 7. habet doctrinam in rei veritate solùm probabilem, quam talem forsan Adversarii nollent, & illam expresse ut probabilem amplectitur. Illum audiamus: *Ideò videtur aliis, quòd probabiliter posset teneri, quòd actus Matrimonii, quando fit causa vitandæ fornicationis, in seipso non sit peccatum.* Ne verò aliquis credat ipsum loqui de redditione debiti ob hunc finem, in num. sequenti se explicat, & dicit: *Actus licitus est, si debitum petatur.* Vult tamen Durandus, quòd, ut petitio debiti propter vitandam fornicationem liceat, tunc non speretur proles, v. gr. quando *Uxor est sterilis, vel quando jam concepit.* Procul dubio Adversarii coguntur fateri in sententia Durandi propositionem *probabilem, cognitam ut probabilem* esse regulam morum.

37. Dist. 41. quæst. 2. num. 5. scribit: nunquam contrahitur publicæ honestatis justitia, nisi sint vera, vel *præsumpta* sponsalia. Judicium enim Ecclesiæ debet esse secundùm veritatem, vel *secundùm præsumptionem probabilem; hanc enim frequenter Ecclesia sequitur, ut habetur, qui filii, sint legitimi. c. cum inter Joannem.* Si Ecclesia sequitur nedum veritatem, sed etiam præsumptionem probabilem; ergo non sola certitudo, ut volunt Adversarii, sed etiam Probabilitas erit regula nostrarum operationum.

38. Dist.

38. Dist. 33. quæst. 3. clarè sequitur utramque partem in illa quæstione, an in veteri lege mulier à marito repudiata posset cum alio viro contrahere vivente primo. Hæc opinio est quidem nunc speculativa, tamen esset practica, si Christus legem repudii non abstulisset, vel Durandus vixisset in lege veteri.

39. Dist. 35. quæst. 1. num. 8. notat: quidam dicunt, quòd, quamvis non speretur de correctione uxoris adulteræ, vir potest eam ad Thorum recipere, sed non publicè..... *Quod non videtur omnino irrationabiliter dictum.* Hæc ultima verba solam probabilitatem clarè sonant.

40. Scotus in 3. dist. 3. quæst. 1. §. *Tertium est* ait: *Videtur probabile, quòd excellentius est tribuere Mariæ*, scilicet, *quòd fuerit concepta sine originali.* Ex hac porrò cognitione probabili credendum est adorasse Conceptionem Beatæ Virginis. In 4. dist. 15. quæst. 2. art. 2. §. *Quando autem.* ita scribit: *Quando autem relinquitur ipsis commutantibus, ut pensata mutua necessitate reputant sibi mutuò dare æquivalens hinc inde, & accipere.... satis probabile est, quòd quando sunt mutuò contenti, volunt sibi remittere, si secundùm aliquid deficiunt ab illa justitia requisita.*

41. Astesanus meo judicio Probabilitatem maximè prosequutus est. Igitur lib. 2. tit. 45. quæst. 3. refert duas opiniones, quarum una dicebat, virgines occultè corruptas posse sumere velum virginitatis, mutando secretè nomen virginitatis in nomen *Castitatis.* Secunda affirmabat, nullo modo tales posse sumere prædictum velum. De his duabus opinionibus tale judicium profert Author: *Salvo meliori judicio utraque opinio est satis tolerabilis.* Et ego subdo, quòd, salvo meliori judicio, hic textus probat clarè utramque opinionem probabilem; & sic clarè etiam Probabilitatem demonstrat.

42. Lib. 4. tit. 18. quæst. 2. dicit ex Palud. in 4. dist. 9. quæst. 2. art. 1. & Scoto ibidem quæst. un. quòd, qui se examinat pro Eucharistia præparatione probabili, conscientiam suam probabiliter examinando, si accipit Eucharistiam in peccato mortali, non peccat mortaliter. Nec hic se committit periculo discriminis, *quia non requiritur certitudo conscientiæ, sed probabilis conjecturæ.* Ecce clarè, ad fugiendum peccatum non requiritur *certitudo conscientiæ*, quæ propriè est certitudo, sed sufficit certitudo fundata in *conjectura probabili.* Inquiro, Probabilitas conjecturæ est forsan aliquid præter probabilitatem? Eandem doctrinam habet lib. 5. tit. 18. quæst. penult. ait enim, ad recipiendum effectum Sacramenti Pœnitentiæ; & sic ad dignè illud sumendum, non esse necesse se præparare dispositione sufficienti in veritate, sed tantùm quoad Probabilitatem; hæc autem dispositio est *Attritio.* Unde sufficit, *quod homo probabiliter se disponat ad gratiam per omnium peccatorum detestationem.* In titul. 20. quæst. 2. quæstiunc. 2. refert opinionem dicentium, Confessorem in quodam casu debere intrare in sylvam, ut sigillum Confessionis servet, licèt incurrat vitæ periculum; subdit postea: *Aliter dici potest, quòd non debet reputari revelator Confessionis, nisi faciat aliquod, quod de natura sua prodat peccatum confessum.* Nota illa verba, *aliter dici potest*, quæ certè opinionem incertam exprimunt.

43. Lib. 6. titul. 14. art. 3. quæst. 8. tenet, Clericum Jureconsultum non incidere in Irregularitatem, respondendo in causa mortis, si erravit in apicibus juris, in quibus sunt variæ opiniones Doctorum: dum tamen dixerit, in hoc adesse varias opiniones. Ecce textus clarus, quòd varietas opinionum probabilium salvat ab Irregularitate. In tit. 22. art. 3. quæst. 4. probat opinionem dicentium, quòd per generalem dispensationem quis illegitimus neque eligi in Episcopum. Postea subdit: *Sed etsi contrarium dicatur, nec displicet.* Existimo ego, Doctorem in hoc loco utramque opinionem tenere ut probabilem. In tit. 27. quæst. 2. scribit: *Potest etiam Papa, ut volunt aliqui, & probabilitr*

babiliter, abolere Laïcorum infamiam, etiam per civilem Judicem irrogatam. Ecce opinio, quàm expressè vocat probabilem, quæque in rei veritate non est in se, nisi probabilis.

44. Thomas Argentinas in 4. dist. 3. quæst. 1. art. 3. vers. *Nota tamen* scribit: Nota tamen, quòd si subtractio Filii, vel Spiritûs sancti, prolato nomine Patris, non esset voluntaria, puta vel quia baptizans moritur, vel baptizans non potest ulteriùs loqui: *Tunc dicunt multi Doctores, quòd verus est Baptismus, non obstante prædicta omissione.* Certè hæc doctrina vix probabilitatem attingit, & certè implicitè approbatur ab Argentina, & ex hac sequitur, quòd ille puer posset sepeliri in loco Sacro. Ipse Argentinas sequitur, & dicit quòd si impedimentum finiendi formam proveniat à baptizante subdit: *Fortè tutius esset*, quòd baptizaretur iterum sub conditione. Illa verba: *Fortè tutius esset*, clarè notant pro certo non habere, quòd iterum esset baptizandus in hoc casu, & sic probabiliter tenebat quòd baptizatus cum omissione Filii, & Spiritus sancti, si hæc omissio proveniat ex impedimento involuntario Ministri, sit validè baptizatus, & sic amplius non teneatur iterùm baptizari; quæ doctrina an his temporibus sit probabilis docti judicent.

45. Joannes Bacconius, meo judicio parùm favet Probabilitati, sed nil mirum, quia in rebus etiam arduissimis, & difficillimis intrepidè resolvit, nil tamen exprimendo an teneat sententiam probabiliter, vel probabilioriter, vel certò: propter hunc forsàn suum morem obtinuit nomen resoluti Doctoris. Invenio tamen, quod in 4. dist. 40 art. 4. quærit, an si non baptizatus levet filiolum de Fonte baptismi, contrahat compaternitatem; idem quærit de non confirmato tenente filium in confirmatione. Respondet: *Dicunt quidam, quòd non contrahitur compaternitas, secus si baptizaret.* Certè Authoritas quorundam Doctorum rem solùm probabilem facit, non certam. Idem Doctor paulò post ait, quòd *ignorantia* probabilis excusat Patrem proprium filium levantem de sacro Fonte.

46. Joannes Gerson part. 1. de aufer. Papæ consid. 16 pag. 36. scribit: *Dicamus ergo concludentes probabiliter, quòd sicut humana electio dat jus, & titulum ad papalem dignitatem.... sic per humanam destitutionem perdit istam præsidentiam.* In tract. seq. docet: *Si verò est ignorantia probabilis, sicut est in præsenti schismate apud multos.... non reputantur talibus sententiis alligati...... potest sine periculo damnationis nunc illi, nunc isti* (Papæ scilicet in tempore schismatis) *modis istis obedire, & nunc cum istis, nunc cum aliis communionem præstare. Et hoc totum dicitur propter probabilem ignorantiam juris istius, vel illius partis.* Si Doctor ipse profitetur sequi probabilem opinionem, & probabilem ignorantiam, credo, nullum negaturum fore, Gersonem *Probabilitatem* sequutum fuisse.

47. Joannes Nider in consolat. timor. conscien. cap. 11. tenet cum Divo Thoma quodl. 4. art. 14. variantibus Doctoribus an aliquis sit excommunicatus, non adesse obligationem vitandi illum, de quo est illa varia opinio. Ergo, quando adest opinio probabilis, quòd ille sit excommunicatus, & quòd non sit excommunicatus, possum sequi opinionem probabilem benignam, quòd ille non sit excommunicatus. Ibidem etiam tenet cum Glossa Raymundi, quòd in apicibus juris, ubi dubitant sapientes, excusabilis est ignorantia, ubi si aliquis bona fide partem illam, vel illam elegerit, non debet super hoc conscientiam habere nimis scrupulosam. Ego video in hac difficultate adesse varias opiniones Thomistarum, & Scotistarum, qui sunt Sapientes. Credere, quòd ambæ sint certæ, est impossibile. Adhuc tamen possum habere bonam conscientiam, & eligere illam, vel alteram opinionem. Ergo bona conscientia potest fundari in opinione probabili; quia omnis opinio vel est certa, vel est probabilis.

48. S. b-

48. Subdit Nider ex eodem Glossatore, circa retentionem Decimarum à Laicis dari duas opiniones, quòd nempe liceat, & non liceat, & quòd illa prima opinio benignior est; *& ideo magis amplectenda.* Nota hanc causalem, & videbis benignitatem junctam cum Probabilitate esse causam sequendi hanc partem, & non illam in aliqua quæstione. Hæc doctrina est ipsa formalis doctrina Probabilitatis.

49. In cap. 18. cum Gersone in tract. de contract. scribit: Probabilis certitudo sufficit in moralibus, ut non exponat se quis periculo, sicut dicunt Doctores de celebrante Missam, & similibus, ubi requiritur status gratiæ, quòd sufficit ad hoc probabilis conjectura, quia certitudo alia sine revelatione non habetur, prout in moralibus dicit Arist. sumendum esse certitudinem *grossè, & figuraliter, quæ certitudo non removet in una parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis, licèt declinet ad istam magis, quam ad aliam, quod sufficit.* Est inconcussum apud omnes, quòd qui est certus de aliqua re, non habet aliquam opinionem, aut probabilitatem de opposito. Ergo, qui habet cognitionem de aliqua re, & simul habet aliquam probabilitatem, & opinionem de opposito, hic non est certus. Ergo solùm habet Probabilitatem. Ergo per Nider, & Gersonem clarè habetur, quòd Probabilitas sit bona regula morum.

50. Supplementum Pisanellæ. V. *Confessor.* 2. quæst. ult. scribit: Sed quid si Confessori occurrit aliquid, de quo dubitabat, quid agere debeat. Respondetur, quòd hæc dubitatio aut procedit *ex varietate opinionum* Doctorum, aut ex sua imperitia. In primo casu dicit Glossa Raymund. de matrim. §. *sed nunquid peccant uxores.* Ver. *Abstinendum.* quòd hoc casu non est præcipitanda sententia, nec deneganda absolutio, sed via tutior est consulenda, & terror incutiendus ex periculo; quod videtur verum, *cum pœnitens ex aliqua probabili ratione adhæret alicujus Doctoris notabilis opinionis volens eam tenere.* In fine illius quæstionis docet: quòd nisi impositio pœnitentiæ præcedat absolutionem ipsa absolutio est nulla; *sed fortè posset excusari, si statim post absolutionem, antequam divertatur ad extraneos actus, imponatur pœnitentia.* Ecce opinio formidolosa, per quam potest licitè absolvi in casu, in quo illis temporibus probabile erat, non posse impendi absolutionem.

51. Nicolaus de Orbellis est Doctor valdè Probabilista; ast illum habui tardè, unde & rarò illo uti potui. Igitur in 4. dist. 17. quæst. 2. §. 18. sic scribit: *Dubitatur, an fictus accedens ad confessionem teneatur iterare Confessionem.* Dicunt quidam, quòd sic, & illius opinionis sunt Bonaventur. & Raymund. Thomas autem tenet oppositum.... Cum quo concordant Petrus, Richard. & Gratian. de pœnit. dist. 3. c. ult. & Ber. de pœnit. & remiss. quòd quidam. *Licèt autem hæc opinio sit probabilis, & habeat plures pro se Doctores, tamen Consilium sanum esset talibus, cum incipiunt veraciter pœnitere, generalem facere Confessionem de toto tempore præcedenti.* Ecce clarè quòd hic Doctor sequitur opinionem *Probabilem*, quamvis suadeat sequi oppositam, quod etiam ego suadeo, & quilibet suadebit.

52. Stephanus Brulifer in 4. dist. 17. quæst. 12 asserit, quòd justi ex lege Ecclesiæ tenentur confiteri venialia, subdit postea: *Tamen opinio Scoti est quòd nullus tenetur confiteri de venialibus.* Cùm referat hanc opinionem post illam, quam absolutè amplectitur, nec rejiciat, videtur, illam ut probabilem sequi, quæst. 14. scribit: *Ad Sacramentum pœnitentiæ non est necesse accedere cum charitate, vel dispositione ad charitatem sufficiente secundùm veritatem, sed secundùm Probabilitatem.* Hæc autem dispositio est attritio. Aliquando accidit, quòd aliquis ante Confessionem habet tantùm de attritione, quòd acquirit gratiam, sed non requiritur, quòd sit tanta attritio cum veritate, quia sæpè propter Confessionem supradiunctam,

&

& absolutionem Sacerdotis talis attritio formatur per gratiam.

53. Dist. 31. quæst. 5. dicit: Qui coit cum uxore causa vitandæ fornicationis in se, in hoc semper peccat venialiter. *Alii dicunt, quòd est in remedium, & sic non peccat.* Videtur amplecti hoc dictum ut probabile. Quæst. 6. relata opinione dicentium uxoratos peccare mortaliter, si coeant ob finem delectationis, subdit: *Hæc opinio, licèt probabilis videatur, tamen nimis dura est, licet enim viris cum uxoribus jocari.* Opinio, quæ opponitur opinioni probabili, non est nisi probabilis; cùm ergo hic Doctor sequatur opinionem oppositam opinioni probabili, ejus opinio est probabilis. Hic obiter accipe regulam benignam morum. Si sit aliqua opinio nimis dura, licèt tibi videatur probabilis, non cogeris sequi talem rigiditatem. Hæc regula procul dubio est juxta Probabilistarum principia, & contraria Adversariis.

54. Dionysius Carthusianus in 4. dist. 9. quæst. 5. vers. *consequenter ad secundum.* in med. scribit: Utrum sequens pollutio ex peccato acciderit, vel non; & an ex mortali, an veniali: *Satis tamen probabiliter* conjici potest non præcessisse consensum, quando in ipsa somnii imaginatione anima dissentit. Certè hoc argumentum & in se est solùm probabile, & expresè illud vocat *Probabile.*

55. Dist. 15. quæst. 2. vers. *qui consequenter* respondens ex Bonaventura scribit: Sicut dictum est de aliis Sacramentis, præsertim de Eucharistia, quòd non valet nisi charitatem habenti, non tamen tenetur quis verè ex charitate accedere, *sed probabiliter se ad eam disponere; ita de satisfactione* (de Pœnitentia scilicet à Sacerdote pro peccatis imposita) *dicendum, quòd opera pro satisfactione tenetur implere, seque quantum in se est ad charitatem disponere....* Sufficit tamen cum signis probabilibus *pœnitentiam fecisse, nec oportet eam iterari.* Quæst. 3. vers. *quæritur quoque* ex Richardo scribit: Interdum quoque damnificat, qui alium in fama sua injustè indirectè, dum proprium crimen renuit pandere, aut fateri; & talis, quamvis peccet, non tamen tenetur alteri restituere famam recognoscendo propriam culpam, *ut quidam probabiliter dicunt*, quia, dum alter non servat justitiam &c. aliqui tamen dicunt contrarium, *quod nimis durum videtur.* Hanc Doctrinam habet Richardus, ut supra retuli, in 4. dist. 15. art. 5. quæst. 3. Hic accipe transeunter regulam ex Richard. & Carthusian. de moribus: *Si quidam probabiliter aliquid asserant, & contrarium tibi nimis durum videtur, potes sequi illud benignum quidem, sed probabile dictum.* Non credo, quòd Probabilistæ aliud intendunt cum regulis suis benignis.

56. Dist. 17. quæst. 5. vers. *in oppositum est.* ex Divo Thoma recitat: Si periculum mortis immineat, tenetur homo per se ad confitendum. *Hinc probabilis videtur illa opinio*, quòd non tenetur homo statim confiteri, quamvis sit periculosum differre. Alii dicunt, quòd contritus tenetur mox confiteri debita opportunitate oblata..... *Sed hoc nimis durum videtur &c.* etiam hìc valet relata regula, *quòd opinio probabilis*, si contraria sit nimis dura, &c.

57. Quæst. 7. vers. *deinde quærit.* ex Bonaventura sic decidit: In omnibus autem sanum consilium est, ut privilegiati Confessores remittant sibi confessos ad proprios Sacerdotes, ut si contenti non sint, iterum audiant illos. Verùm, *ut aliqui Jurisperiti probabiliter dicunt*, non tenentur confessa, de quibus absoluti sunt pœnitentes, iterum confiteri.

58. Dist. 24. quæst. 4. vers. *de his dictum est*, asserit ex Bonaventura, quòd, si quis sibi conscius non est se habere peccatum mortale, imo probabiliter confidit se esse in gratia; potest celebrare Missam, & communicare.

59. Dist 32. quæst. 2. (in meo tamen codice non ponitur numerus) vers. *præterea si quæratur.* de illa quæstione, an fuerit licitum repudium Hebræis, cum Divo Thoma ait: Dictum affimativum *esse probabiliter prolatum*, negativum tamen

men esse communis. Approbat quoque utramque opinionem Divi Thomæ in illa quæstione, an mulier Hebræa sic repudiata possit alium virum ducere vivente repudiante.

60. Dist. 38. quæst. 3. vers. *porrò Bonaventura.* ex Bonaventura recitat oppositas opiniones circa illam quæstionem, an Papa possit omnia vota dispensare, & sic concludit: *Quæ harum opinionum sit verior nescio, ideo nullam assero, potestque unaquæque probabiliter sustineri, præsertim hæc ultima.*

61. Dist. 41. quæst. 1. vers. *in his continentur* ex Richardo refert, quòd aliqui opinantur, quòd, quamvis non valeat præscriptio contra jus solvendi decimas, secundùm quod decima sumitur pro parte necessaria ad sustentationem ministrorum.... tamen secundum quod decima accipitur pro tali parte determinata, potest præscribi. Nota ly, *aliqui opinantur.*

62. Gabriel Biel, me judice, multùm favit Probabilitati, & sæpius olim legi meminisse Probabilitatis; quia tamen tunc non decreveram præsens opus conficere, ideo nec Textus signavi. Duos ergo tantùm referam, quos memini, primus habetur in 4. dist. 16. quæst. 2. dub. 5. litt. S. Secundus verò habetur dist. 17. q. 1. litt. S.

63. Primo loco scribit: Respondetur *Probabiliter*, licèt consultum sit confitentem obedire in acceptatione Pœnitentiæ à discreto Confessore injunctæ... tamen non videtur de necessitate salutis.... & si dicis, requiritur satisfactio in voto, idest propositum satisfaciendi, hoc non impedit, sufficit enim propositum satisfaciendi eo modo, quo Dominus illam determinavit. Determinavit autem Dominus duos modos sub disjunctione, hoc est altero duorum, vel in Purgatorio, vel in præsenti vita. Certè Adversarii coguntur fateri hunc Doctorem expresse esse pro Probabilitate, & quia expresse dicit esse Doctrinam probabilem, *Respondetur Probabiliter*, & quia in rei veritate illis temporibus hæc Doctrina non excedebat lineam Probabilitatis. Nostris tamen temporibus talis doctrina sic universaliter sumpta videtur improbabilis, ut colligitur manifestè ex Tridentino Sess. 14. c. 8. Interea an hæc opinio possit cum limitatione sustineri videatur Mastrius in 4. de pœnitent. in hac quæstione, & nos forsan dicemus aliqua alibi.

64 Secundus Textus sic se habet, *sed illis dimissis* dicitur breviter, *&* *Probabiliter* sequendo opinionem communem dist. 14. recitatam, quæ est Beati Augustini, & communiter Doctorum præter Scotum, & sequaces suos. Pro intelligentia hujus brevis, *& Probabilis* responsionis sciendum, quòd hic Doctor tenet Sententiam, quam supra dixerat esse Divi Thomæ, Divi Bonaventuræ, Scoti, *& aliorum communiter*, & conformari *cum communi ritu Ecclesiæ.* Tenet, inquam, sententiam, quòd inferior Confessor auditis peccatis non reservatis, & reservatis potest absolvere pœnitentem, & illum remittere ad Superiorem, ut iterum de reservato à Superiore obtineatur absolutio. Ut igitur salvet hanc opinionem, affert nunc brevem, *& probabilem* responsionem, quæ sistit in hoc, quod detur duplex absolutio: una reconcilians peccatorem Deo, & hæc habetur per contritionem habitam à Pœnitente priusquàm confiteatur Sacerdoti. *Alia est absolutio quoad Ecclesiam, scilicet, quæ removet causam separationis ab Ecclesia; Nam omnis, qui mortaliter peccat, separatus est, & excommunicatus ab Ecclesia, & a communione Sanctorum; & sicut excommunicatus pluribus excommunicationibus potest ab una absolvi manente alia, sic quantùm ad Ecclesiam Sacerdos potest ab uno mortali, & non ab alio, sicut potest injungere Satisfactionem pro uno mortali, & non pro alio; unde si funditus attendimus virtutem Confessionis, ipsa* (attende quæso Lector) *non est instituta salutem in actu, tanquam necessaria remissioni peccatorum, sed hanc præsupponit. Sed propter tria instituta est; scilicet ut peccator innotescat Ecclesiæ tanquam absolutus, ut dicit Magister; ut certa Satisfactio,*

tisfactio, per quam pœna peccati tollitur, à Confessore imponatur; & ut pœna pars virtute Sacramentalis absolutionis remittatur. Sunt & aliæ causæ.... Sed tres primæ sunt ad propositum. Et quantùm ad illa potest fieri separatio absolutionis ita, quòd unus Sacerdos absolvat ab uno peccato, pronuncians scilicet peccatorem propter illud peccatum quantum ad judicium Ecclesiæ non esse separatum, & alius absolvit quoad aliud, vel alia. Et per hoc patet responsio ad replicam, quia procedit de absolutione reconciliante Deo, (& sic de Absolutione, quæ habetur per Contritionem) *quæ dividi non potest, secus de absolutione peccatorum quoad Ecclesiam.* (& sic de Absolutione, quæ habetur per verba absolutoria Sacerdotis) *Huic solutioni concordat Angelus.* Certè cùm ipse Doctor expressè vocaverit hanc Doctrinam *Probabilem*, non debemus nos credere, quòd illam reputaverit ut certam. Vellem tamen scire, an Adversarii possint, asserere nunc esse probabilem, & compossibilem cum Doctrina Tridentini asserentis Sess. 14. can. 1. *Sacramentum Pœnitentiæ esse institutum à Christo pro reconciliandis fidelibus ipsi Deo lapsis post Baptismum in peccata.* Et cap. 3. dicentis, præcipuam vim Sacramenti pœnitentiæ sitam esse in verbis illis: *Absolvo te &c.* Si absolutio Sacerdotis solùm est in ordine ad Ecclesiam, ut dicit Gabriel, & absolutio in ordine ad Deum habetur à contritione; ergo vis principalis Sacramenti Pœnitentiæ sistit in contritione, quia plus est absolvere in ordine ad Deum, quàm absolvere in ordine ad Ecclesiam. Cum ergo hæc doctrina Gabrielis sit falsa, debemus asserere illam tenuisse ut probabilem, quæ quidem ita vera apparet, quòd simul cognoscitur, posse aliter se habere. Unde, si illam credidisset ut certam, fuisset nimis ignorans Gabriel, & cœcus, dum nedum errasset, sed cognovisset se non posse errare. Gabriel tamen est dignus venia, quia, cùm tenuerit sententiam scrupulosam, quòd contritio esset necessaria ad Sacramentum, nec sufficeret attritio, ut volebat Scotus, hinc rectè inferebat, Sacramentum Pœnitentiæ non esse institutum tanquam necessarium pro remissione peccatorum. Adverto me non damnare opinionem, quòd Confessor inferior auditis non reservatis, & reservatis possit absolvere pœnitentem, & illum remittere ad Superiorem pro absolutione reservatorum; Hanc, inquam, opinionem non damno, scio enim fuisse præcipuorum Antiquorum, ne dicam omnium; sed nec illam laudo, & parum approbatur à nostris Modernis, etiam laxis. Hic damno solùm doctrinam Gabrielis de absolutione habita per formam Sacramenti Pœnitentiæ.

65. Cùm Gabriel allegaverit Angelum, videamus, an Probabilitatem laudaverit ipse quoque. In rei veritate Angelus. V. *Confessio.* 5. num. 9. habet totam doctrinam allatam à Gabriele, & insuper num. 9. asserit, quòd Confessor inferior potest absolvere pœnitentem, licèt habentem excommunicationem reservatam. Benè tamen verum est, quòd utramque opinionem vocat veriorem, & illam de absolutione pœnitentis habentis excommunicationem reservatam, vocat etiam *benigniorem*, quæ ratio forsan movit Angelum præcipuè ad illam sustinendam, quod est valdè notandum contra Adversarios, qui sibi tantùm complacent de sequendis opinionibus rigidis.

66. Igitur Angelus. Ver. *Ars Balistariorum.* num. 2. scribit, quòd si sint gladii, vel colores, quia possunt esse utilia ad aliqua, scilicet ad defensionem, vel ad colorandum hominem, vel mulierem, in casu licito, & pro bona causa licita est in his negotiatio secundùm Innocen. & hoc credo verum, quando existimat, *vel potest existimare probabiliter*, quòd talis emens, vel cui talia dat, vel facit, eis uti ad bonum, aliàs tale erit peccatum talia facere. Ecce per Angelum, ut licitè vendam arma, colores &c. non est necesse, quòd certò credam fœminas, & viros illis rebus benè usuros, sed sufficit, *si probabiliter hoc existimem*, & si pro-

probabilem existimationem non habeam, pecco. Hoc est totum, quod volunt Probabilistæ.

67. Sic *si miles probabiliter credat*, quòd alii milites eadem damna facturi fuissent sine suo auxilio, tunc non tenetur ad restitutionem illorum damnorum in solidum. Ita in Ver. *Bellum.* num. 10. tenet Angelus. Ego facerem argumentum à simili, quod validum est in jure, ut sciunt docti, & sic dicerem. Existimo probabilem illam sententiam, quòd Testes falsi, qui assumuntur ad pleniùs probandum delictum non influant simpliciter in sententiam mortis; unde probabiliter credo, quòd sine ipsorum testimonio Judex damnasset innocentes adhuc; ergo à simili hi testes non tenentur ad damna sequuta ex illa sententia injusta, quia jam probabiliter credo, quòd Judex motus ab aliis falsis testibus sententiam tulisset injustam.

68. Verb. *Consuetudo.* num. 15. asserit, *quòd ignorantia legis non est peccatum, ubi non esset probabile dubium super consuetudinis validitate.*

69. Verb. *Debitum conjugale.* num. 27. retulerat; quod Petrus de Palude asserebat licere uxori se erigere, & mingere ad ejiciendum semen, ne concipiat plures filios, quos possit pascere. De hac opinione sic decidit: *Sed de hac opinione valdè dubito propter cap. aliquando 32. quæst. 2. quod videtur innuere, quòd sit peccatum mortale. Sed potest dici, quod dictum. c. loquitur, quando quis ex sola voluptate hoc facit; vel quando postquam conceptio est facta, quærit aborsum. Sed Petrus intelligit, quando hoc fit ex rationabili causa, puta quia non potest eos pascere, & hujusmodi, & antequam concipiatur in ventriculo matris; & sic posset teneri, licèt sit periculosa.* Ex modo dicendi patet, hanc opinionem tenere ut possibilem aliter se habere. *De hac opinione valdè dubito. Posset teneri, licèt sit periculosa.* Si potest aliter se habere; ergo est solùm probabilis. In rei veritate hæc opinio est adeo periculosa, ut intellectus vix potuerit illam ut probabilem defendere. Ego certè illam rejicio.

70. Verb. *Eucharistia.* 3. num. 5. dicit: *Quod, si species Eucharistiæ transeant per stomachum indigestæ, & vadant in secessum, non est ibi Corpus Christi.* Et subdit, hanc opinionem appellari à Bonaventura *Probabilem*, & sibi placere. Si Angelo placet opinio probabilis, quare nobis non placebit? Hæc opinio formaliter quidem est speculativa, est tamen virtualiter practica, ut observavi, ubi ex Divo Bonaventura retuli eandem hanc Doctrinam; sequitur siquidem, quòd Angelus illas species Eucharisticas indigestas, transactas per secessum, non adorasset adoratione Latriæ, cùm non continerent juxta hanc opinionem Corpus Christi.

71. Verb. *Excommunicati.* 1. num. 10. asserit, quòd subditi existentes in territorio, & sciunt statutum, & sic illud transgredientes excommunicantur. *Si verò sunt ignorantes, sic non ligantur, nisi ignorantia sit crassa, vel supina.* Ego addo, sed ignorantia, quæ fundatur in opinione probabili, non est crassa, nec supina, ut est evidens; ergo sequentes opinionem probabilem non ligantur excommunicatione, si sequendo illam opinionem transgrederentur statutum.

72. Theologis placet addere aliquos Canonistas, non quia hæc sit ipsorum materia, cùm ut tales solum de legibus Ecclesiasticis agere debeant, ut dixi ex Divo Thoma quodl. 9. art. 15.

73. Primus sit Baldus, qui in c. *ne innitaris.* de constitut. num. 12. scribit: *Quando processus est multùm dubius, Judex eligendo unam opinionem non facit litem suam, quia non est peccatum. . . . . & si una vice tenuit unam opinionem, alia vice tenuit contrariam, non est increpandus, si ex probabili ratione emendaverit se.*

74. Secundus sit Joannes Andreas. Hic in c. *ex publico de convers. conjugat.* num. 9. ait: *Secundùm Hostiensem probabiliter dici posse, quod, cum circa impedimenta matrimonii restringenda, & relaxanda potestatem habeat Ecclesia &c. potuit statuere, quod hic dicitur, & de unius professione, & de alterius contractu*

75. Tertius fit Abbas Panormitanus in explicat. proem. decret. num. 16. ubi sustinet, instrumentum nomine Antipapæ inscriptum esse validum in iis locis, in quibus *probabiliter toleratur*. Et in c. 1. de constitutut. num. 15. docet, nos posse communem opinionem relinquere, *si opinio communis* sit evidenter falsa, vel posset convinci *probabilibus rationibus*. Hic Textus ullo modo nequit calumniari. Et in c. *Prudentiam*. de offic. deleg. num. 4. Et in c. *finem*. de dolo, & contum. num. 26. asserit, sequentem *opinionem probabilem magni viri, quamvis contra communem*, justè litem possem intentare, & si litem perdat, non subjacere expensis.

76. Pro hac nostra opinione militant illi Doctores Antiqui, quos infra pro opinione æquè probabili, & minùs probabili referam. Clarissimè etiam militant illi Authores Antiqui, quos attuli supra cap. 18. tanquam stantes pro opinione probabiliori. Expende verba Monaldi, à quo alii Summistæ suas lineas Doctrinæ sumpserunt, & videbis, quòd Lector potest *absque præjudicio veritatis* illam inter plures sibi eligere opinionem, *quæ sibi magis consona rationi videtur*. Si mens mea non me decipit, hæc ultima verba significant, quòd possumus inter plures opiniones seligere illam, *quæ nobis probabilior videtur*. Si nobis probabilior *videtur*; ergo illam judicamus probabiliorem; ergo operamur ex opinione probabiliori cognita ut tali; & sic Probabilitas ut talis erit per Antiquos Doctores regula morum. Nec credo Adversarios dicturos, opinionem probabiliorem non contineri intra lineam *Probabilitatis*, scilicet intra lineam illius habitus, qui quidem tendit in verum, quod tamen possit falsum esse; Non credo, inquam, hoc dicturos fore, nanque vidimus, Probabilitatem esse intensivè divisibilem, & opinio evadens probabilior non perdit suam essentiam, sed perfectiorem modum essendi acquirit, sicut calor intensus specie non differt à calore remisso. Tum quia opiniones plurimæ, quæ videbantur *probabiliores*, & Antiquis, & Modernis, evaserunt falsæ; ergo opinio, quæ nobis videtur *Probabilior*, est intra lineam Probabilitatis, cùm possit aliter se habere.

77. Pro hac opinione faciunt etiam Adversarii, & ipse quoque Vendrochius, qui, ut aliquam opinionem probent pro ipsa, afferunt unum, vel alterum Sanctum Patrem, vel aliquod Concilium Provinciale. Porrò est certum, quòd dictum alicujus, vel alterius Doctoris Ecclesiæ non est Argumentum certum, sed probabile, ut fatetur Divus Thomas 1. part. quæst. 1. art. 8. ad 2. Et Concilium Provinciale posse errare, & aliquoties errasse est certo certius, ut supra demonstravi. Ergo, si Adversarii nolunt se decipere, debent dicere in hisce casibus illas opiniones esse solùm probabiles; ergo etiam ipsi operantur juxta opinionem ut probabilem. Pro eadem opinione facit apertè Illustrissimus Cœtus Gallicanus, qui agens de usu Opinionum Probabilium sic ait: Altera Regula, ut circa Probabiles de Christiana Doctrina sententias sequamur id, quod Viennense Æcumenicum Concilium circa infusas tam parvulis, quàm adultis in Baptismo virtutes decrevit his verbis: *Nos hanc opinionem tanquam Probabiliorem, & dictis Sanctorum, & Doctorum Modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem duximus eligendam.*

78. Colligitur, quod, si opinio, quam sequimur, postea detegeretur falsa, non propter hoc peccavimus, dum juxta illam, antequam sciremus esse falsam, operati fuimus. Hinc certum puto, quòd saltem operans juxta probabiliorem, quamvis minùs tutam, si fortè illa opinio coram Deo esset falsa, adhuc non peccaret, & hoc sive sit in materia legis Naturalis, sive Divinæ, sive Ecclesiasticæ. Ratio est evidens, quia omnes Doctores etiam Sancti habent aliquas opiniones minùs tutas, & quæ possunt aliter se habere. Sic Patres Græci asseruerunt simulationem non esse peccatum. Divus Cyprianus cum octuaginta tribus Episcopis rebaptizabat Bapti-

ptizatos ab Hæreticis. Et Divus Hieronymus noluit esse bigamum maritum duarum, quarum primam ante Baptismum sibi copulaverit. Et vidimus supra, Antiquos penè omnes in multis erravisse; & quamvis fatear, usque modo Doctorem Angelicum non docuisse opinionem, quæ jam sit detecta falsa, tamen opiniones illas benignas ejusdem Sancti Doctoris à me supra relatas posse evadere falsas, negabit ille solus, qui opinionem habebit pro certitudine. Si ergo omnes Doctores, etiam Sancti, docent opiniones, quæ possunt esse falsæ, sequitur, vel quòd omnes Doctores, etiam Sancti, peccaverint tradendo tales Sententias, quod est absurdum, vel quòd nullum sit peccatum operando juxta tales opiniones. Oppositum docuit Vendrochius Not. 1. in Epist. V. sect. 2.

79. Dices Sanctos Patres, & Doctores Antiquos docuisse quidem opiniones, quæ poterant esse falsæ, tamen credebant illas esse certas; Hinc dices, quòd opinio, quæ mihi videatur certa, si tamen sit falsa in se, est bona regula morum, non tamen opinio cognita ut constituta in linea Probabilitatis. Assumptum probatur, quia v. gr. Augustinus, & Firmianus opinabantur, non dari Antipodes; at hoc ut certum habebant, cum vocarent opinionem admittentem Antipodas, *Fabulam*. Ipse quoque Glossator opinabatur, Christum in Eucharistia non descendere in stomachum, at hoc certò credebat; unde dicebat in c. *tribus gradibus* de consecr. dist. 2. V. *Miscere*. quòd, quàm citò species dentibus teruntur, tàm citò in cœlum rapitur Christus.

80. Sed contra est primò, quia sic falsum multoties salvat; & tamen Adversarii, præcipuè Vendrochius, clamant, *solam veritatem nos salvare*; & propter hoc Christum vocari *veritatem*, *non Probabilitatem*. Secundò in illis quidem locis tenuerunt illas opiniones *ut certas*, & hoc colligitur ex verbis ipsis, quibus illas docuerunt. Si oppositum creditur Fabula; ergo propria opinio judicatur certa. Cum ergo in aliis opinionibus taliter non sint loquuti, est signum, quòd illas ut certas non docuerint. Et si illas ut certas docuissent, in hoc errassent apertè. Numquid opiniones Sanctorum oppositæ Divo Augustino, & Firmiano sunt errores? certè non. Ergo, si Divus Augustinus, & Firmianus judicassent suas illas opiniones certas, erravissent. Hinc in rei veritate in illis opinionibus philosophicis non possumus excusare ab errore Divum Augustinum, & Firmianum. Et Glossator turpissimè erravit in illa Theologica opinione. Illo quidem tempore aliqui Doctores opinabantur, Christum non descendere in stomachum; talis tamen opinio communiter opinio reputabatur, non certitudo.

CAPUT XXIII.

Vendrochii Argumenta contra Probabilitatem ex Divo Thoma desumpta diluuntur.

1 ANte solutionem Argumentorum advertendum est, hic nos sermonem habere, ut cap. 20. notavi, de Probabilitate, præscindendo à majori, vel minori; unde conclusio nostra fuit de Probabilitate sumpta secundùm suam naturam specificam; & sic diximus, *cognitionem habentem motiva, quibus possimus assentiri, ita esse veram, ut tamen possit aliter se habere, & sic esse falsam*, esse regulam bonam voluntatis tum in lege Naturali, tùm Divina, tùm Humana. Hæc autem conclusio est diversa ab ea, in qua asseritur, *opinionem æquè probabilem, vel minùs probabilem, ac oppositam esse regulam Humanarum actionum*. Hæc diversitas est manifestissima, Primò, quia, ut salvetur prima, sufficit dicere, *opinionem probabiliorem sufficere ad bonitatem actionis*, quia Probabilioritas adhuc continetur intra ter-

minos *Probabilitatis*, sicut calor intensus continetur in specie, & linea calidi- tatis. Secundò, quia paucissimis exceptis, omnes Recentiores conveniunt in prima, & discrepant in secunda propositione. Hinc Gonetus, Fagnanus, Gonzalez, Mercorus,& alii Probabilioristæ subscribunt primæ, & mordicus negant secundam.

2. Vendrochius Not. 1. Epistol. V. sect. 2. & 4. cognoscere videtur hoc evidens discrimen; tamen in eadem sect. 2. §. 3. videtur etiam, inter hæc nihil distinguere, quatenus existimat Parochos Parisienses, & Episcopos Gallicanos excludere Probabilitatem à regula morum; cum tamen hi Episcopi, & Parochi damnaverunt quidem sequentes opinionem æquè probabilem, & minùs probabilem, non autem sequentem opinionem, *etiam Probabiliorem*; quin expressè hoc approbaverunt in Comitiis Generalibus in Palatio Sancti Germani anno 1700. ut vidimus. Opinio autem probabilior est intra lineam Probabilitatis; ergo, si Vendrochius ex eo, quòd Parochi, & Episcopi Gallicani reprobaverunt opinionem minùs, & æquè probabilem, credit proscriptam esse Probabilitatem, sequitur ipsum credidisse, nullam differentiam intercedere inter primam quæstionem, & secundam. Hoc monitum debemus bene memoriæ mandare, quia ex hoc facili negotio diluemus argumenta ipsius Vendrochii, quæ si aliquid probant, ad summum probant, æqualem, & minorem Probabilitatem esse excludendam à regulis morum, non tamen Probabilitatem secundùm se, & secundùm suam Naturam.

3. Dixi supra, paucissimos esse, qui saltem Probabilitatem, prout importat Probabilioritatem, refutent; quamvis enim apud Probabilioristas invenias execrationes, & dirissima probra in gloriosam Probabilitatem; tamen Lectoribus doctis patebit, ipsos non confutare omnem probabilitatem, sed solùm æqualem, & minorem, cum clarè Probabilioritatem amplectantur. Hinc puto malè ipsos sic loqui; unde deberent, non absolutè, & simpliciter damnare Probabilitatem, & dicere, *Probabilitas non est bona regula morum*; sed solùm limitatè, & dicere, *non omnis Probabilitas est bona regula morum.*

4. Inter illos paucissimos Probabilitatem abjicientes eminet Vendrochius, qui taliter illam execratur, ut Tom. 2. append. 2. sect. 3. art. 2. admittat, solùm Probabilitatem, idest cognitionem, quæ potest esse falsa, prodesse, quando sumus in casu, in quo ex duobus malis minus est eligendum. Dat exemplum de eo, qui ex præcepto debet Eucharistiam accipere. Hic ex una parte non est certus se esse in gratia, ex altera adigitur à præcepto, ut sumat Eucharistiam; si non sumit, facit contra præceptum certum. Si sumit, forsan accipit Eucharistiam in peccato mortali, quia solum probabiliter potest noscere, se esse dignum. Ex his duobus malis, ait Vendrochius, eligat minus. Sumat Eucharistiam, quia sumere est incertum, an sit malus; non sumere est certò malum; minus autem malum est, eligere malum incertum, quàm eligere malum certum. In hac quæstione præcipuè Vendrochii argumenta resolvo, quia præcipuus, & ex primis est, qui nostræ opinioni se opposuerit.

5. Sed jam audiamus Vendrochium illa sect. 2. §. 1. sic dicentem: Quemadmodum in hoc dogmate, *sive potius perniciosissimo errore*, refellendo duces sequimur Parisienses Parochos, qui multis Scriptorum suorum locis contrariam sententiam docuerunt, & validè confirmarunt, *Probabili scilicet opinione falsa in jure naturali*, (nam de positivo post agemus) *neminem à peccato excusari*, nihil satius, quàm eorum exemplo ejus authoritatem primùm à Sancto Thoma repetere, illiusque *Testimoniis luce clarioribus* reliquam disputationem superstruere.

6. Hic observa ausum hominis vocantis opinionem hominum præstantissimorum *perniciosissimum errorem*. Hoc tamen nihil mirum est, cum ipse Modernos, qui, velit, nolit, Theologiam

illu

illustrissimis commentariis condecorarunt, nihili faciat, & minoris, quàm Parochos Parisienses, quos, licèt velis fuisse doctos, Orbis tamen litterarius non credet doctiores Vasquio, Suario, Medina, Mastrio, & aliis plurimis. Fateor equidem, si opinionem de æquali probabilitate, vel minori sequenda, tanta nota inussisset, utcunque esset ferendum; at dicere de opinione asserente Probabilitatem esse regulam morum, etiam in jure naturali, tale dicterium, nunquam patiendum venit, dicendumque, esse errorem manifestum, ut ex superioribus liquet. Credo tamen hunc errorem provenire, quia Vendrochius, & alii Adversarii non intelligunt doctrinam de Probabilitate. Ergo recolendum ex dictis, Probabilitatem solùm habere locum in materia obscura, & incerta; unde dicebat Philosophus, opinionem esse de objecto contingenti, & in hoc distingui è scientia, quæ est de necessariis, quæ non possunt aliter se habere. Hinc, quia non implicat obscurum illuminari, quod aliquando erat opinabile, evadit scientificum; & sic ampliùs opinari non poterit. Sic tempore Gratiani erat opinabile, an Confessio esset sub præcepto; unde *viri Religiosi, & docti* negativam partem sustinebant; Nunc hæc obscuritas est illuminata lumine fidei, & opinio illa evasit hæresis.

7. Hac doctrina patet responsio ad ea, quæ dixerat Vendrochius, unde opinio, quandiu est opinio, & sic propositio de objecto contingenti, & obscuro, quæ per argumenta gravia ita apparet vera, ut possit esse falsa, excusat etiam in jure naturali, obscuro quidem, & contingenti, licèt postea falsa detegatur. Exemplum sit. Matrimonium spadonum, & sic utroque teste carentium, si tamen virga erigatur, erat validum tempore magni Glossatoris, qui nolebat distinguere inter seminationem viri, ac mulieris. Item simulatio per Hieronymum, & Patres Græcoscoetaneos erat licita. Hæc duo sunt in jure naturali, & illis temporibus, in quibus res erat obscura, opinio habebat locum, & juxta illam operantes excusabantur, nisi velimus damnare illos Sanctos Patres, & Idolum Canonistarum.

8. Sic etiam excusabantur illi *viri Religiosi, & docti* negantes confessionem esse sub præcepto. Nunc de hæresi notarentur, nec excusarentur, inquit Divus Antoninus 3. part. tit. 5. cap. 2. §. 9. quia explicatum est, Legem Divinam habere locum in hac materia. Sic olim licebat opinari, Leges Ecclesiasticas non obligare ad mortale, seposito scandalo, & contemptu; unde relinquens Missam ex pigritia, v. gr. non peccabat mortaliter; nunc verò decisa à Sede Apostolica quæstione, opinio non habet ampliùs locum, sed scientia, & certitudo. Ecce evidenter, quòd opinio probabilis, licèt postea sit detecta falsa, excusat in jure Humano, Divino, & Naturali, quandiu hoc jus erat incertum, & obscurum.

9. E' contrario, quia adhuc res est obscura, licet opinari cum Divo Thoma, filium non teneri obedire parentibus quoad Matrimonium; non adesse præceptum reficiendi Confessionem validam, & informem, & fatendi circumstantias aggravantes; Præceptum de jejunio non incipere, nisi ad finem tertii septemnii. Quòd si Sedes Apostolica decideret has quæstiones, & cùm in c. *tua fraternitas.* de desponsat. impuber. dixerit, filium impuberem *debere omninò* contrahere Matrimonium, postquam ad perfectam ætatem devenerit, cum ea, cui Pater priùs illam promiserat; nunc declararet, illa verba, *debere omninò*, accipi in propria significatione, & sic importare debitum *necessitatis*, non verò *honestatis*, ut vult Glossa; tunc opinio Divi Thomæ, & Glossatoris non posset amplius sustineri; Adhuc tamen filii, qui sequuti sunt dictam opinionem, non peccavissent contra jus naturale, nisi materialiter eo modo, quo laborantes ignorantia invincibili faciunt solùm materialiter contra legem, quod non imputatur ad culpam. Idem dico,

si eadem Sedes desideret alias duas quæstiones. Fateor me nescire, quomodo huic Doctrinæ refragari possit, & quomodo illam Adversarii non videant.

10. Dices, Divum Thomam illas opiniones credidisse certas. Supra solvi objectionem hanc. Sed contra primò, quia non per hoc illæ sunt necessariæ, sed possunt aliter se habere; ergo, si filius ductus à persuasione Divi Thomæ non obedivisset Patri in illo casu, materialiter posset facere, & forsan fecit contra jus naturæ; & adhuc non peccavisset. Contra secundò, quia quo fundamento potes hoc asserere? Tum quia præcipuè in secundo, & tertio casu Divus Thomas sciebat, viros præstantissimos ipsi contradicere; ergo Divus Thomas non poterat sine illorum injuria suas opiniones credere certas; maximè cùm non afferat argumenta insolubilia. Præterea communiter Doctores asserunt, non omnes opiniones Sancti Doctoris esse certas; ergo saltem illas Divus Thomas ut probabiles agnovit, non ut certas. Tum quia cognoscere objectum, quod potest aliter se habere, per certitudinem, est error, quia non cognoscitur eo modo, quo debet cognosci; & sic, si illas opiniones ut certas Divus Thomas cognovisset, errasset, quod non est dicendum.

11. Vendrochius ex Parochis Parisiensibus ad probandam suam Doctrinam primo loco veluti testimonium clarissimum, & cui nihil possit opponi, affert quodl. 8. Divi Thomæ art. 13. in quo sic scribit: *Dicendum, quòd duobus modis aliquis ad peccatum obligatur.* Uno modo faciendo contra legem, ut *cum aliquis fornicatur.* Alio modo faciendo contra conscientiam, etiamsi non sit contra legem; ut si conscientia dictat alicui, quòd levare festucam de terra sit peccatum mortale. Ex conscientia autem obligatur aliquis ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario ejus, quod agit, sive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. *Illud autem, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundùm conscientiam.* Et similiter, quod est contra conscientiam, est malum, quamvis non sit contra legem. Quod autem nec contra conscientiam, nec contra legem est, non potest esse peccatum. Dicendum ergo est, quòd, quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, alteram falsam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, utpotè habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem; & sic, cùm faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam, sic enim contra legem Dei facit; aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur, ita quòd licet verè habere plures præbendas; & tunc distinguendum est, quia aut talis habet conscientiam de contrario, & sic iterum peccat contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem; aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum; & sic, si manente dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem; aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.

12. Relato hoc textu subdit Vendrochius: *Nihil illo loco planius, nihil evidentius;* Loquitur enim de ea sententia, de qua diffidebant inter se Theologi: Inveniuntur enim, inquit, quodlib. 9. art. 15. de ista quæstione Theologi Theologis, & Juristæ Juristis contraria sentire; & tamen de hac quæstione sic controversa pronunciat, non utramque opinionem esse securam. Sed contra, cùm ex duabus alterutra tantùm sit vera, eum, qui contra veram opinionem facit, quia facit contra Legem Dei, certissimè peccare. *Qui facit*, inquit, *contra veram opinionem, cùm faciat contra Legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam.*

To-

Poteratne clariùs damnare totam Casuistarum nationem, quorum doctrina contrario principio tota nititur, nimirum à peccato illum excusari, qui in quæstionibus illis, de quibus inter se Doctores non consentiunt, falsam, ac Legi æternæ contrariam opinionem sequitur, dummodò eam probabilem existimet?

13. Juxta ergo Vendrochium est evidentissimum per Divum Thomam, facientem contra opinionem veram *non excusari à peccato*. At si sexagintà interpretibus Divi Thomæ credimus, quos refert Cardenas in Crisi Theologica disput 15. à num. 453. inter quos sunt Divus Antoninus 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10. vers. *revertendo* ad quartam. Joannes Nider in consolat. timorat. conscien. 3. part. cap. 11. qui duo Doctores procul dubio sunt Antiqui. Conradus Summenhart. de contract. quæst. 100. concl. 3. § *quinto sic arguitur*. Sylvester. Ver. *Opinio*. num. 1. Adrianus in 4. de restitut. §. *quia jam dictum est*. Navarrus c. *si quis autem*. de pœnitent. dist. 7. num. 57. qui quatuor Doctores ab ipso Vendrochio ponuntur in venerabili Choro Antiquorum Theologorum. His accedunt Tabien. Verb. *Opinio*. num. 2. Fumus. Ver. *Opinio* num. 1. explicantes eodem modo textum similem Doctoris Angelici. Et pariter hi duo à Vendrochio sunt numerandi inter Antiquos. Si, inquam, hos sexaginta Doctores, quorum viginti sunt Dominicani, & ii quidem principaliores, sequimur, debemus glossare Doctorem Angelicum, quod hæc non possunt intelligi, nisi de illis, *ubi manifestè patet ex Scriptura, vel determinatione Ecclesiæ*, inquiunt Nider, & Antoninus, *quod sit contra legem Dei*; & non de illis, ubi illud non apparet, *sicut seipsum*, addit Nider, *declarare videtur, quodlib. 3. art. 10. aliàs sibi contradiceret*, subdit Antoninus, *in eodem libro, quod non est credendum*; Ego credo, quòd per illa verba: *Aliàs sibi contradiceret in eodem libro*, Antoninus velit significare quodlib. 3. art. 10. ut clariùs expressit Nider, cujus etiam alia verba verbatim exscripserat.

14. Hæc verò Divi Thomæ explicatio multipliciter probatur. Primò ex eodem Textu, in quo afferens exemplum de faciente contra legem, inquit, *ut cum aliquis fornicatur*. Fornicatio autem est contra legem claram, non obscuram, & controversam. Hinc quando subdit Angelicus: *Illud autem, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam*, hæc verba debent intelligi de illa lege, de qua loquutus fuerat immediatè prius; (nec enim apparet aliqua verisimilitudo, quòd ad aliam transierit,) loquutus autem fuerat de Lege, pro qua exemplum attulerat *de prohibitione fornicationis*. Ergo evidenter illa verba: *Illud autem, quod agitur contra legem, semper est peccatum, nec excusatur per hoc, quod est secundùm conscientiam*, intelliguntur de lege, *quæ patet manifestè per Scripturam, vel Ecclesiæ determinationem*, non verò de lege controversa, & obscura. Hinc in quodlib. 3. art. 10. dicebat, quòd sequaces Arii, Nestorii, & aliorum Hæresiarcharum non excusantur; & ex hoc concludebat, assentientem opinioni alicujus Magistri *contra manifestum Scripturæ testimonium, vel contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ authoritatem, non excusari ab erroris vitio*. Alibi etiam, quando Divus Thomas dat aliquod exemplum, quòd ignorantia non excusat à legis transgressione, semper ponit exemplum vel de fornicatione, vel de alio, quod est *manifestè contra legem*. Quare ergo, sicut Divus Thomas absolutè dicit: *Faciens contra legem*, ponit exemplum, *ut cum aliquis fornicatur*, & peccantem *ex ignorantia* non excusari, v. gr. *Fornicantem*; sic etiam dum dicit, *quod agitur contra legem, semper est peccatum*, non poterimus nos subdere exemplum, *ut cum aliquis fornicatur?* Si hoc concedatur, ego inferam, non posse simile concludi, nisi de exemplis similibus, non verò dissimilibus, & hoc concordat cum jure cap. *cùm secundùm*. de præbend. & c. per-

venerabilem, qui filii sint legitim. In quibus Textibus illud, quod dicebatur de uno, infertur, esse dicendum de alio simili; *Cum secundùm Apostolum*, inquit Papa, *qui Altari servit, de Altari vivere debeat, patet à simili, ut Clerici vivere debeant de Patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur.* At, quod dicitur de uno, dicatur de dissimili, non invenio in jure; Immò tunc valet argumentum à contrario, ita ut, quod dicitur de uno dissimili, & opposito, dicatur totum oppositum de alio. Audiamus cap. *qualis* 25. *dist.* Si quis in Spiritum sanctum blasphæmiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro, in qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse laxari; *Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur.* Ecce quòd Canon ex eo, quòd culpæ In Spiritum sanctum negatur remissio tùm in futuro, tum in præsenti sæculo, infert, peccato, quod non sit in Spiritum sanctum, deberi remissionem vel in præsenti, vel in futuro sæculo. Sic etiam in cap. *quamquam.* de censibus in 6. dicitur, Ecclesias & Ecclesiasticas personas non teneri ad exactiones Principum *pro rebus suis propriis, quas non causa negotiandi deferunt.* Ex quibus verbis Doctores, præcipuè Geminianus num. 6. qui allegat Specul. de Immun. Eccles. fin. cui concordat Glos. Verb. *Negotiandi*, Inferunt à contrario sensu, Clericos teneri ad exactiones, si deferant *causa negotiationis.* Vide Barbosam de locis commun. argum. loc. 27. & loc. 101. Et Bordon. de opin. prob. in addit. fundam. 4. num. 38. & num. 50. In nostro ergo casu sequentes jura, & hosce Doctores sic argumentamur: Divus Thomas in claris asserit ignorantiam, & opiniones non excusare; ergo ab opposito licet inferre, in obscuris ignorantia, & opinio excusabunt. Et quidem, ut alibi observavi, si opinio in obscuris non excusaret, hoc debebat dicere, quando faciebat quæstionem in quodl. 3. art. 10. *An discipuli diversas opiniones Magistrorum sequentes excusentur à peccato erroris.* Et tamen in hoc articulo loquitur de opinione in claris. Quòd opinio contra textum expressum Scripturæ non excuset, parum difficultatis habet; aliter, ut dicebat Angelicus, Sequaces Hæresiarcharum excusarentur. At quòd opinio contraria textui obscuro excuset, habet maximam difficultatem; unde si Divus Thomas credidisset, non excusare, hoc debebat dicere, quando inquirebat in generali, quando opinio excusaret.

14. Præterea, ut observat Nider, Divus Thomas quodl. 4. art. 14. decidit, quòd in diversa Sententia Doctorum, an aliqui sint excommunicati vitandi, si nondum est declaratum per Judicum consensum, *tunc debemus sequi sententiam benigniorem*; si autem sit declaratum per Judices, tunc debemus stare sententiæ Judicum, non Doctorum. Ecce Textus clarus Divi Thomæ, quòd ante declarationem veritatis licet variare in opinionibus, non verò post declarationem. Per hunc ergo Textum clarum, & specificum debemus, declarare illum obscurum, & genericum, quia lex clara explicat obscuram. arg. cap. fin. de constitut. Et speciale rescriptum derogat Generali. c. *sicut.* c. *pastoralis* de rescript. & c. *studuisti.* de off. leg. Ergo, quando Sanctus Doctor generaliter scripsit, *quod agitur contra legem, semper est malum*, debet hoc scriptum glossari *ante Judicum declarationem.* Si enim Sedes Apostolica, quamvis sciat, variè opinari in materia Theologica, & Canonica, hoc permittit, nec damnat c. *litteras.* de restit. spol. c. *cum Marthæ.* de celebr. Missar. cur Divus Thomas debuit damnare variè opinantes in eadem materia?

15. Ulterius, si in illo quodl. 8. art. 13. generaliter dixit: *Illud, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam*, per quæ verba videtur velle, quòd nullus error in lege excuset. Tamen in eodem quodl. art. 15. admittit, aliquem errorem in lege excusare. Ecce ver-

verba: *Error autem conscientiæ, quandoque habet vim absolvendi, sive excusandi, quando scilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur.* Ecce expressè quòd error conscientiæ, & sic error in lege, quia conscientia est de lege, *quandoque habet vim absolvendi, seu excusandi.* Si in primo Textu Divus Thomas vellet, nullum prorsus errorem legis excusare, procul dubio sibi contradiceret, nam *Nullus*, & *Aliquis* sunt termini contradictorii. Ergo, si in art. 13. admittit nullum errorem legis excusare, & in art. 15. admittit aliquem errorem legis excusare, jam Divus Thomas sibi apertè contradiceret. Et forsan Divus Antoninus respexit ad hunc Textum ex art. 15. quando dixit deberi illum ex art. 13. interpretari de errore legis claræ, ne faciamus Divum Thomam sibi contradicentem in eodem Libro.

16. Præterea etiam omnes Theologi, qui faciunt quæstionem, an liceat variare in opinionibus circa Notiones Divinas, affirmativè tenent ante decisionem Ecclesiæ, & ante Inquisitionem, per quam rei veritas *scitur*, *videtur*, & *ostenditur*, verba Divi Thomæ in 1. distinct. 33. art. 5. negativè autem respondent facta decisione Ecclesiæ, & *viso*, *scito*, & *ostenso falso*. Si ergo Divus Thomas admittit errorem excusantem ante scientificam, & sic antè claram, cognitionem veritatis in rebus Divinis, & de Dei Unitate, & Trinitate, quæ est materia magis periculosa per Divum Augustinum, etiam debet, admittere errorem excusantem in moribus ante claram, & scientificam pertractationem; & sic ante *legem claram*, & *expressam*.

17. Sanctus Doctor in objectis illius articuli sic dicit: Videtur, quòd contrariæ opiniones in Notionibus Divinis non possint esse sine peccato, sicut enim dicit August. libr. 1. de Trinitat. cap. 3. Tom. 3. *Nec periculosius alicubi erratur, quàm in materia Trinitatis; sed contrariæ opiniones non possunt esse sine errore alicujus;* Ergo, cum iste error sit circa materiam Trinitatis, videtur, quòd sit periculosissimus.

18. In secundo autem objecto sic dicit: *Duorum contradictoriorum oportet alterum esse falsum; sed quidam dicunt non esse proprietates Divinas, & quidam esse infinitas &c. quæ contradictoriè opponuntur; ergo videtur, ex altera parte intervenıat mendacium. Sed secundùm Augustinum de Mendac. cap. 21. Tom. 4. Omnium mendaciorum gravissimum est, quod est circa Divina;* Ergo videtur, quòd ista contrarietas sine peccato esse non possit. *Si dicas, quòd excusantur propter hoc, quòd de Notionibus nihil in Sacra Scriptura habetur, & ita licet unicuique opinari, quod voluit.* Sed contra, *quia aut Sacra Scriptura dicitur Canon Bibliæ, aut dicta Sanctorum Patrum. Si Canon Bibliæ, sicut de Notionibus, ita nec etiam de Personis ibi fit mentio; Ergo per eandem rationem liceret negare Personas.... quod tamen Hæreticum judicaretur. Si dicta Sanctorum Patrum; contra expressè inveniuntur facere mentionem de proprietatibus...... ergo videtur, quòd omnino excusari non possit.*

19. In fine articuli scribitur: *Et per hoc patet responsio ad ea, quæ objecta sunt.* Eadem repetit Doctor Angelicus 1. part. quæst. 32. art. 4. Vellem hìc audire Adversarios respondentes ex doctrina posita in corpore articuli prædictis objectionibus; & certè aliud non potuerunt dicere ad primum, nisi quòd in materia Trinitatis periculosè erratur, postquam *scitum*, *visum*, & *ostensum est*, sequi aliquod inconveniens ad fidem; secus verò ante talem *scientiam*, *visionem*, & *ostensionem*. Ad secundam objectionem respondetur, necesse esse unum ex contradictoriis esse falsum, neutrum tamen esse mendacium, quia per opinionem judicat, esse verum, & sic illi contrariè opinantes contra mentem non eunt; & sic nec mentiuntur. Ad replicam, sive per Sacram Scripturam intelligatur Canon Bibliæ, sive dicta Sanctorum, tunc omninò quis excusari non poterit, qui

post

post scientificam, & visivam ostensionem cognoscet, suam opinionem contrariari Scripturæ; secus verò ante talem inquisitionem, & pertractationem; hinc Cajetanus explanans illum articulum ex 1. part. dicebat: Quando deest determinatio Ecclesiæ, non vocatur manifestum consequi aliquid contrarium fidei ex aliqua positione, ex hoc, quòd multi Doctores credunt sic, aliis oppositum sentientibus; *unde in hujusmodi falsum opinantes non solùm ab hæresi, sed etiam à peccato excusantur.* Clariùs loqui non poterat.

20. Denique ex Divo Bonaventura habemus in 2. dist. 15. circa tex. Catholicos tractatores in assertionibus non discordare, quia, quod asserunt, per revelationem Spiritus sancti dicunt, qui non est contrarius. In eo verò, in quo opinantur, dissentire possunt, & aliquando dissentiunt, quia opinio venit aliquando ex probabili conjectura rationis, in qua homo frequenter decipitur, *quæ deceptio potiùs est pœna, quàm culpa*, à qua vix aliquis tractatorum Catholicus immunis fuit; *& ideo talis dissentio reprehensibilis non est*; quamvis enim discordent aliquo modo judicia, concordant tamen desideria. Hìc nota, Seraphicum Doctorem officium Historici hìc obire, unde narrat Catholicos tractatores sine reprehensione dissentire inter se in opinionibus; *& quamvis frequenter decipiantur, hæc tamen deceptio potiùs est pœna, quam culpa.* Ergo Divus Thomas non potest dicere, quòd error in lege naturali obscura non excuset, quia Catholici tractatores, etiam in hac, dissentiunt, & si decipiuntur, hæc deceptio est pœna, non culpa. Nota, *est pœna, non culpa.* Velis, aut nolis, quis in lege naturali potest sine culpa errare juxta doctrinam Antiquorum.

21. Restat ergo demonstratum apertè, Divum Thomam in illo textu ex quodl. 8. art. 13. per Doctores, & per rationem non dicere, errorem contra legem obscuram naturalem non excusare, Nec refert, Parochos Parisienses explicare illum pro opposita opinione; Nam hi Parochi sunt Moderni, & nostri Doctores plurimi sunt Antiqui. Tum quia quo jure, vel levi ratione, illos Parochos fuisse doctiores probabis nostris Doctoribus, qui in plurimis Academiis per totam vitam interpretati sunt Divum Thomam; vel si non in publicis Academiis, saltem in Scholis suorum Religiosorum hoc munus obierunt? Nunquid Parochi Parisienses majorem partem temporis attendunt studiis, non verò administrationi Sacramentorum, visitationi Infirmorum, & aliis similibus operibus? Parochi ex officio debent quidem studere, sed nunquam audiemus referentem, Parochos, præcipuè Parisienses habentes Parochias populosas, plus studere, quàm studuerint, & studeant Regulares.

22. Dices ex Vendrochio §. 5. Viri hierarchici authoritate præstant non hierarchicis, & Pastores ovibus. Cum ergo Parochi Parisienses sint hierarchici, & Pastores, nostri verò Doctores sint non hierarchici, & oves, illi Parochi præstant nostris Doctoribus. Quis non ridebit hæc legendo? Nunquid Parochiale munus illustrat intellectum? Ego pro certo credo, quòd, quando viri illi Magni Petrus de Tarantasia, & Adrianus evaserunt Summi Pontifices, & Durandus factus est Episcopus; sicùt & multi alii Doctores Ecclesiasticas dignitates adipiscuntur, non acquisierint, nec acquirant majorem Scientiam; quin puto aliquantisper in ipsa defecisse, & deficere; cùm enim debeant plurimis negotiis incumbere, nequeunt studiis, ut priùs vacare. Fateor tamen, quòd Petrus ille, & Adrianus, & alii Pontifices loquentes ex Cathedra habeant in Scrinio pectoris sui omnia jura, ut est decisum expressè in jure c. 1. de constit. in 6. & nequeant decipere, & decipi.

23. Episcopi autem, licèt non sint infallibiles loquentes ut Episcopi, habent tamen majorem authoritatem, quàm non Episcopi; Nullam tamen talem authoritatem habent meri Parochi; Ubi enim

enim jus hanc illis concessit? Ergo Parochi nullam Authoritatem habent interpretandi Leges, & Theologos præter illam, quam habent cæteri Viri docti. Ex eo autem, quòd sint Parochi, & Pastores, possunt, & debent ministrare Sacramenta, & quidem solis suis Parochianis, & illos in rebus Fidei, & moralibus docere. Illi autem, qui ad Doctoratum Sacrum assumuntur, possunt omnes homines docere, & specialiter deputantur ad Principes Theologiæ, & sic etiam Divum Thomam, publicè interpretandos, ad quod munus Parochus utique non addicitur; ergo nostri Doctores majori Authoritate pollent circa interpretationem Divi Thomæ, quàm Parochi Parisienses. Ergo interpretatio nostrorum Doctorum potiùs est judicanda vera, quàm Parochorum Parisiensium.

24. Joannes Cardenas dederat hanc eandem explicationem Divi Thomæ. Quidam autem Theologus Gallus dixerat, esse *depravationem Textûs, quæ solo oculorum testimonio convincitur.* Revincens hic autem illum Theologum par. 3. disput. 56. cap 8. art. 10. num. 496. sic scripsit: Lepidum est, quod subjungit Adversarius, nempe solo oculorum testimonio convinci de falsitate explicationem meam, cum eandem explicationem tradiderint plusquàm viginti Thomistæ domestici, & alii quamplures Doctores, qui ferè *ad numerum sexagenarium pertingunt*, quos citavi ea disp. 15. à num. 453. Inter quos est Sanctus Antoninus relatus supra in hoc articulo. Nunquid carebant oculis Thomistæ insigniores? Nunquid caligabat Sanctus Antoninus? Nunquid Bannez, Molina, Alvarez? Nunquid Aragon? Nunquid Tapia? Nunquid Candidus? Nunquid Suarez, Vasquius, Thomas Sanchius? Nunquid Reliqui? *Nunquid Gallicis tantùm hominibus, paucissimis illis quidem, aperuit oculos Dominus, ut viderent defectum hujus explicationis?*

25. Sed audi pejora. Quia Vendrochius non poterat, negare Divum Antoninum explicare Divum Thomam, ut intelligatur de lege clara, & non obscura, sic contra Stephanum Decamps eadem explicatione utentem invehitur in Appendic. 1. ad dissertat. de prob. §. 7. quæ est post notas omnium Epistol. *Antoninus* cùm assentiretur Divo Thomæ asserenti semper esse malum agere contra conscientiam, *non nihil in priori sententia cœcutit; nam, cum ita sentiret, posse, quem excusari, si in rebus obscuris bona fide erroneam alicujus Magistri opinionem, quam probabiliorem crederet, sequeretur, conatus est hæc verba Sancti Thomæ*, quod agitur contra legem, semper est malum, *sic interpretari*, quasi de his tantùm essent intelligenda, ubi manifestè patet ex Scriptura, vel Ecclesiæ interpretatione, quòd sit contra legem Dei, non de illis, ubi non apparet, *in quo* Stephanus Decamps *illum* (Divum scilicet Antoninum) *perversè imitaris.* Igitur per Vendrochium Divus Antoninus *perversè interpretatur* Divum Thomam in prædicto Textu. Si hoc possit scribi sine ingenti contemptu Divi Antonini, judicabit Lector. Et quidem, si hæc dicerentur de Patribus, quos Ecclesia Romana recipit in c. *Sancta.* 15. distinct. hoc negari non posset; unde eodem jure judicandum est de Beato Antonino, qui in Officio Breviarii Romani die 10. Mensis Maji laudatur *de insigni Doctrina.* Nunquid plus est recipi alicujus scripta ab Ecclesia Romana, quàm laudari *de insigni Doctrina ab eadem?*

26. Instat ibidem Vendrochius, quòd si Divus Thomas *sic voluisset loqui*, idest, quòd solùm, quod agitur contra legem Dei claram, semper est malum, non verò contra legem obscuram, *non defuissent tam accurato* Doctori idoneæ voces, quibus sen entiam suam suis limitibus adstringeret.

27. Hæc replica est nullius momenti, quia nullus Doctor in quolibet Textu ponit omnes limitationes, sed ex alibi dictis unus Textus suppletur per alium; aliter qualibet quæstio in infinitum procederet, & Lectores docti tædio afficerentur, dùm sæpissimè legerent e.Elem li-

limitationes in pluribus Textibus, quas sufficit ponere in uno. Ipse Princeps Ecclesiæ, qui tamen vult. c. *erit autem.* 4. dist. legem esse claram, & manifestam, aliquando legem dicit taliter, ut una interpretetur, & suppleatur per aliam arg. c. fin. de constit. Ergo idem potest dici de Theologorum Principe, Divo Thoma. Præterea quoties Textus Divi Thomæ debent limitari, & explicari per alios? hoc unum sufficiat ex 2. 2. quæst. 32. art. 8. ad 1. Dixerat ibi in extrema necessitate posse aliquem *furari*, & tamen in quæst. 66. art. 7. dicit, furtum esse intrinsecè malum. Ergo nec in extrema necessitate licet furari. Ecce quòd prior Textus debet explicari per posteriorem, ita ut, ly *furari liceat*, accipiatur impropriè pro simplici acceptione rei, quæ reperitur apud alios. Sed hæc est res clarissima; unde Vendrochius quærit lumen in meridie. Igitur Divo Thomæ non deerant voces suum conceptum explicandi, sed non erat hoc necessarium, cùm per ea, quæ alibi sæpiùs dixerat, poterat facilè intelligi. Tum quia per exemplum de faciente fornicationem, licèt credat non esse peccatum, quod affert in hoc eodem articulo, manifestat se loqui de faciente contra legem claram, qualis est lex prohibens fornicationem. Lege quæ paulò ante dico. Addo, nonne de ratione legis est ex d. c. *erit autem.* esse claram, & manifestam? Ergo, quando absolutè quis dicit, semper peccari, *quando fit contra legem*, hæc verba debent intelligi, quando fit contra illam regulam, quæ habet omnia requisita ad legem, non verò quæ non habet talia requisita. Cum ergo Lex obscura non habeat omnia requisita ad Legem, faciens contra talem legem non facit contra legem, quæ absolutè dicitur Lex.

28. Urget Vendrochius ibidem. Divus Thomas non poterat credere opinionem de non habendo plures præbendas esse secundùm legem claram, & manifestam, quia illo tempore in hac quæstione Theologi Theologis, & Juristæ Juristis erant contrarii, ut ipse Divus Thomas fatetur quodl. 9. art. 15. & tamen asserit, quòd, si quis habendo plures præbendas faciat contra veram opinionem, cùm faciat contra legem Dei, *non excusatur à peccato*; ergo per Divum Thomam quis peccat, quando facit contra veram opinionem, licèt etiam habeatur opinio, quòd non sit peccatum sic operari.

29. Confirmatur. Divus Thomas sic argumentatur. Ex duabus contrariis opinionibus de eodem una est vera, altera falsa; ergo opinio de habendo plures præbendas est vel vera, vel falsa; si vera, nec per opinionem contrariam in aliquam dubitationem quis inducitur, tunc habens plures præbendas non peccat, utpotè nec contra legem, nec contra conscientiam operans; si autem est falsa, tunc cùm habendo plures præbendas faciat contra legem Dei, peccat. Nec potest dici, ex duabus opinionibus alteram esse *apertè* veram, alteram *apertè* falsam esse oportere; nam hoc est omninò falsum; cum enim adsunt duæ opiniones contrariæ, tunc neutra est apertè vera, aliter opposita non esset opinio, *sed certus error diceretur*, inquit Vendrochius.

30. Respondetur primò. In fine articuli Divus Thomas ait: *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic*, habendo plures præbendas non committit se discrimini, *nec peccat*. Igitur per Divum Thomam quis habens plures præbendas non peccat, quamvis habeat opinionem contrariam, & quæ remaneat opinio juxta Vendrochium, & non sit certus error. Si tamen ex hac opinione contraria in nullam dubitationem adducatur. Sed opinio remanens opinio potest esse vera secundùm Aristotelem, & Divum Thomam, & omnes Doctores; Ergo in nostro casu habens plures præbendas ex sua opinione absque aliqua dubitatione benè operatur, quamvis hæc opinio possit esse falsa, cum hic habeat etiam aliam opinionem, quæ potest esse vera; & sic necessariò reddens oppositam, quam sequi-

sequitur, potentem esse falsam. Ergo per Divum Thomam quis potest sequi opinionem, quæ potest esse falsa, & contraria Legi de non habendo plures præbendas.

31. Respondetur secundò. Hoc Argumentum sibi objecisse Divum Thomam, ut supra retuli, in 1. distinct. 33. art. 5. ad 2. & in 1. part. quæst. 32. art. 4. & Sanctus Doctor in corpore illorum Articulorum tradit Doctrinam respondendi, quam si legisset Vendrochius, legisset responsionem nostram, quam nunc impugnat. Item, ut etiam retuli, in eodem Quodl. octavo artic. 15. ait: *Error autem Conscientiæ quandoque habet vim absolvendi, sive excusandi*; quando scilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur...... quandoque verò *error Conscientiæ non habet vim absolvendi, vel excusandi*, quando scilicet ipse error peccatum est, ut cùm procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, & potest, *sicut si crederet fornicationem simplicem esse peccatum Veniale; & tunc, quamvis crederet peccare venialiter, non tamen peccaret venialiter, sed mortaliter.* Ecce error Conscientiæ quandoque excusat, quandoque non excusat per Divum Thomam. Error autem conscientiæ est error de lege, non de speculatione; nam conscientia ex eodem in 2. distinct. 24. quæst. 2. art. 4. *Nominat applicationem quandam legis naturalis ad aliquid faciendum per modum Conclusionis cujusdam*; unde ibidem facit hunc Syllogismum: *Omne malum est vitandum, Adulterium est malum, ergo Adulterium est vitandum*, & dicit primam propositionem spectare ad synderesim, secundam ad rationem superiorem, vel inferiorem, tertiam verò, idest conclusionem, ad conscientiam. Sicut ergo illa veritas, *ergo Adulterium est vitandum*, spectat ad conscientiam, & quidem rectam, ita error oppositus, *ergo Adulterium est amandum*, spectabit per Divum Thomam ad conscientiam erroneam. Si ergo hìc expresè dicit Angelicus, quòd error conscientiæ, qui est de iis; *quæ quis scire non potest, vel non tenetur*, excusat à peccato, per hanc Glossam, ut dicebam, limitanda est illa propositio generalis, *cùm faciat contra legem Dei non excusatur.* Limitanda est sic, *cùm faciat contra legem Dei, quam scire potest, & tenetur.* Et hæc Doctrina est conformis ad ea, quæ docet 1. 2. quæst. 74. art. 1. ad. 2. ubi tenet, ignorantiam invisibilem excusare à peccato; & quæst 76. art. 2. inquit, *Unde propter negligentiam ignorantiam eorum*, quæ quis scire tenetur, *est peccatum. Non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea*, quæ scire non potest; *unde horum ignorantia invincibilis dicitur*, quia studio superari non potest. *Et propter hoc talis ignorantia, cùm non sit voluntaria, eo quòd non sit in voluntate nostra eam repellere, non est peccatum.*

32. Et in articulo 3 ejusdem quæstionis dicit: *Si verò sit talis ignorantia, quæ omninò sit involuntaria*, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur, *talis ignorantia omnino excusat à peccato.* Si ergo in tot Textibus Divus Thomas asserit, *ignorantiam eorum, quæ vel scire non potest, vel scire non tenetur, excusare à peccato*, cur hanc limitationem non apponemus, quando absolutè in unico solo Textu dicit, quod agitur contra legem Dei est semper peccatum?

33. Dices. Divus Thomas in illo art. 15. quodlib. 8. dat exemplum de iis, quæ scire non tenemur, de marito, cui supponitur aliena mulier; unde Sanctus Doctor significat, quòd quidem ignorantia facti excuset, de quo est certum apud Doctores, excepto uno scrupulosissimo Parisiensi; Ex hoc tamen non licet inferre ad ignorantium, & errorem legis; de errore autem legis agit in hoc art. 13.

34. In rei veritate, sicut dum Divus Thomas dat exemplum de eo, qui transgrediens legem non excusatur, quamvis illam ignorat, utitur de fornicante cum credulitate, quòd fornicatio non sit peccatum. Ita dum dat exemplum de eo, qui,

quis, licèt faciat contra legem, excusatur tamen, quia non tenebatur scire, adhibet exemplum de marito, cui supponitur mulier aliena, ut patet in textu allato, & in 1. 2. quaest. 19. art. 6. & alibi. Porrò ignorare, quòd sit mulier aliena, non est ignorantia legis, sed facti, *& circunstantiae*, ut dicit Angelicus. Hinc sequitur evidenter, ignorantiam *facti*, *& circunstantiae* per Divum Thomam excusare, non verò ignorantiam juris, etiam obscuri.

35. Sed contra est, quia oportet considerare rationem formalem, in qua exemplum probat intentum. Nunc ignorantia mariti de aliena muliere affertur, quia quis non tenetur adhibere omnia prorsus media ad sciendum hanc mulierem esse suam, sed sufficere, si utatur consuetis diligentiis, inter quas non numeratur lucerna, per quam certam uxoris veritatem attingeret. Illae autem diligentiae consuetae possunt admittere falsitatem, quae tamen non imputatur, quia fecit, quod potuit *ordinariè* loquendo. Hoc totum verificatur in opinante, imò à fortiori; nam opinans facit omnes diligentias, nedum ordinarias, sed possibiles; & quamvis de Modernis Vendrochius negaret assumptum, non negabit de Patribus, & de Antiquis Doctoribus. Adhuc tamen positis omnibus hisce diligentiis Patres, & Doctores Antiqui in multis variè opinantur; ergo tunc omnes non assequuntur veritatem legis, & tamen omnes debent excusari. Et quamvis Patres Graeci mendacium officiosum protulerint, & Cyprianus, & alii octuagintatres Episcopi baptizatos ab haeretico rebaptizaverint, & plures confessionem mortalium omiserint, & alii opiniones Glossae, quae postea falsae apparuerunt, sequuti fuerint, omnes adhuc hi sunt excusandi. Ergo verè universaliter dixit Divus Thomas, ignorantiam eorum, quae quis scire non potest, *vel non tenetur*, excusare à peccato, & per exemplum subjectum versans *in materia de facto* noluit coarctare propositionem *ad materiam solius facti*, quia exempla non restringunt regulam, ut probat Barbosa de Axiom. jur. usu freq. num 86. ut patet ex l. penult. §. ult. ff. de jur. & fact. ignor. Sed solùm dedit exemplum particulare admissum communiter, ut probaret propositionem universalem. Ex hoc autem exemplo nos deducimus regulam universalem applicandam esse ad opinantem sequentem opinionem, quae postea apparet falsa, cùm hic quoque faciat diligentias consuetas, & plures, quàm maritus, & alii, qui excusantur ob ignorantiam facti; Nam parum esset adhibere lumen, ut cognoscatur uxor; adhuc tamen, quia hoc non solet fieri, ignorantia est inculpabilis. Patet ergo ignorantiam facti, & juris obscuri pari passu procedere.

36. Ad confirmationem supra positam patet responsio ex modo dictis; unde repetens assero, quòd opinio sustinens pluralitatem Beneficiorum, vel est apertè vera, vel apertè falsa. Si primum, & per opinionem contrariam, tanquam extrinsecè probabilem, in nullam dubitationem adducitur possidens plura beneficia non peccat. Si secundum, peccat. Ad id, quod subditur, dico ex opinionibus diversis in materia clara unam esse veram, alteram esse opinionem erroneam. Diximus enim alibi, quòd opinio contraria certae veritati sit *opinio erronea*. Hinc Divus Thomas quodl. 3. art. 10. opiniones Arii, Nestorii, & Haeresiarcharum vocat erroneas, & sic dicendae potius certus error, quàm opiniones. Ex opinionibus diversis in materia obscura neutra est erronea, aut error; aliter vel Divus Thomas, vel Scotus erroneas opiniones edocuissent, sicut & omnes Patres, & Theologi Antiqui; sed omnes sunt probabiles judicandae, vel aequaliter, vel inaequaliter à nobis. Unde pessimè se gereret Thomista, qui sequens opiniones Divi Thomae crederet opiniones oppositas Scoti, vel improbabiles, vel falsas, vel erroneas, & justissimè de temeritate à Scotistis redargueretur. Est tamen verissimum, quòd in se, & ex parte rei, etiam in materia obscura, una opinio est vera,

ra; altera falsa; sed hoc non consideratur; nam, quænam illa sit, sciri nequit; & quia aliter omnes Patres, & Doctores peccassent tradendo illas opiniones falsas.

37. Applicando autem hanc Doctrinam in materia de pluralitate Præbendarum assero, Divum Thomam in hoc articulo non decidisse, an hæc materia sit clara, vel obscura; illam autem decidit in quodl. 9. art. 15. ubi dicit, quòd habere plures Præbendas sit in numero illarum actionum, quæ absolutè considerata deformitatem quandam important, quæ tamen aliquibus circunstantiis advenientibus bonæ efficiuntur. Assignans verò deformitates habitionis plurium Præbendarum ait: Sequitur diminutio cultùs Divini, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur inæqualitas, dum unus pluribus Beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest, & *multa alia hujusmodi, quæ de facili patent*. Ego subdo, *si de facili patent multa alia hujusmodi*, idest *inordinationes*; ergo est evidens in his circunstantiis, quòd habere plures Præbendas sit peccatum mortale; quod enim *patet*, & quod *faciliter patet*, est clarum, & evidens; obscurum enim nec patet, *nec faciliter patet*, quin difficiliter aliquo modo noscitur.

38. Postea subdens circunstantias honestantes pluralitatem Præbendarum inquit: Aliæ circunstantiæ possunt intervenire ita honestantes actum, quòd prædictæ inordinationes totaliter evacuantur, ut puta, si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequii, & possit plus servire Ecclesiæ, vel tantundem absens, quàm alius præsens, & si qua alia sunt hujusmodi; & tunc istis conditionibus supervenientibus cum recta intentione *non erit peccatum*, etiam nulla interveniente dispensatione, si consideretur tantùm jus naturale..... Si verò aliquis hac intentione plura beneficia habeat, ut lautiùs vivat, & ut faciliùs ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesiarum, ubi est Præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, sed augentur, quia cum tali intentione & unum Beneficium habere esset illicitum. Et sic quidem esset dicendum secundùm jus naturale, etiam nullo jure positivo superveniente. Nunc autem certum est per antiqua jura hoc esse prohibitum........ Si ergo antiqua jura, quæ hoc prohibent, in suo robore maneant, contraria consuetudine non obstante, *certum est, non posse aliquem plures Præbendas habere absque dispensatione*, etiam illis circunstantiis supervenientibus, quæ secundùm considerationem juris naturalis actum poterant honestare. Si autem antiqua jura sunt per consuetudinem abrogata, tunc prædictis circunstantiis supervenientibus, etiam sine dispensatione, *licitum est* plures Præbendas habere, sine quibus circunstantiis, quantumcunque dispensatio interveniat, non est licitum, eo quòd dispensatio humana non aufert ligamen juris naturalis. Ecce evidenter quòd ut certum asserit, in quibus casibus liceat, & non liceat, habere plures Præbendas; & sic per Divum Thomam in hac materia dabatur aliquando, & aliquando non dabatur lex clara, & manifesta. In aliquo casu tamen Divus Thomas erat dubius, & ambiguus, nec se determinat; & consequenter non opinabatur, & est, an consuetudo habendi plures Præbendas sine dispensatione esset valida. Hinc in hoc casu, debemus sequi tutiorem, quia in dubiis tutior est eligenda. Igitur Doctor Angelicus erat certus, quòd habens plures Præbendas, si æquè poterat inservire illis Ecclesiis, & ipsis ejus servitus erat necessaria, tunc contra jus naturæ non peccabat; Erat pariter certus, quòd sine istis circunstantiis, etiam cum dispensatione, est illicitum habere plures Præbendas. Et sic per Divum Thomam in hoc casu, si quis opinaretur contrarium, & haberet plures præbendas, cum faceret contra legem certam, peccaret. Quia autem est dubius, an vigeant antiqua jura positiva prohibentia pluralitatem Præbendarum, ideò sequendo Divum Thomam de facto quis

S non

non poterat habere plures Præbendas sine dispensatione; quia dubius tenetur sequi partem tutiorem, ut est commune axioma, & quia, ut dicit Divus Thomas, aliter faciens *se committit discrimini*, *& sic peccat*. Et sic patet clarè, Angelicum in materia, de qua agimus, non admisisse opinionem in sua linea in hoc articulo, sed fuisse in quibusdam certum, & in quibusdam dubium.

39. Sed fortè in art. 13. quodl. 8. admisit opinionem in linea opinionis in hac materia; undè dixit: *aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & sic non committit se discrimini, nec peccat*. Ecce Textus clarus, quo asseritur habentem plura Beneficia, eo quia opinatur hoc esse licitum, non peccare; requiritur tamen, quòd ob opinionem contrariam in nullam dubitationem trahatur. Et hìc nota obiter contra Adversarios, versantem inter oppositas opiniones non semper dubitare, ut Probabilistæ pro certo contendunt. Nunc inquiro, in hoc casu habens plura Beneficia, aut opinatur probabiliter; & sic evidenter habeo Angelicum Doctorem pro me; aut opinatur certò; & sic Divus Thomas in hoc articulo controverso loquitur de *opinione certa*; & sic *de lege clara*, *& manifesta*, quod est contra Vendrochium.

40. Respondebis ex Vendrochio in illa 1. Appen. §. 7. illa verba, *Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magistrorum habendo plures prabendas, facit contra veram opinionem; & sic, cum faciat contra legem Dei, non excusatur*: non possunt intelligi de faciente contra legem manifestam Dei, quis enim de fornicatione, de adulterio, de homicidio ità loquitur, nisi impius, *si fornicatio, si adulterium sit contra Legem?* videtur enim, hæc verba denotare loquentem dubitare, an detur lex in talibus materiis.

41. Sed contra, quia objectum, quod erat obscurum, paulatim illuminatur, & ejus claritas prius percipitur à Sapientibus, quàm à minùs sapientibus, qui ad omnia non solent attendere; Hinc abeunt in diversas sententias, etiam in his. Vir autem sapientior quoad has materias, priùs scilicet obscuras, & quæ jam illuminatæ sibi certæ videantur, non sic autem aliis apparent, potest optimè dicere, *qui facit contra veram opinionem* &c. *& sic, cum faciat contra legem Dei, non excusatur*. Et optimè sic facit, quia sic modestiam præsefert, nec alios damnat, qui quamvis falsa docentes non sunt à privatis Doctoribus condemnandi, & hoc modo se gesserunt Antiqui Proceres, quorum doctrinam, sicut profitetur se sequi Vendrochius, multò magis facta imitari debet. Materia ergo de pluralitate Beneficiorum apud Doctores erat opinabilis ipso Divo Thoma Teste: Ipse autem erat certus in quibusdam casibus; de his ergo casibus sibi certis, aliis verò opinabilibus, loquens Divus Thomas protulit illa verba, *aut ergo ille, quia facit contra veram opinionem* &c. Ergo, si quis illuminaretur à Deo, ut certum attingeret, quod alii negant, carentes tali illuminatione, non debet hosce alios damnare tanquam falsa docentes, sed gratias agat Deo, quem enixè oret, ut reliquos etiam illustret. Propter hoc forsan Divus Hieronymus Epistola 13. inter Divi Augustini nolebat credere, quandam Epistolam esse Divi Augustini, in qua Author suadebat Hieronymo, *ut palinodiam caneret* in quadam opinione, quam ipse Hieronymus sequebatur; Hieronymo enim videbatur non convenire modestiæ Augustini, quòd hortaretur *ad palinodiam canendam* in opinione à viris veteribus, & famosis approbatâ.

42. Idem Vendrochius not. 1. in Epistol. V. sect. 2. §. 1. affert pro se duo alia loca ex Divo Thoma, primum ex quodl. 9. art. 15. Secundum ex quodl. 3. art. 10. Demus locum secundo, quem licèt alibi demonstraverim apertè favere nobis, Lector patietur, ut iterum examinemus, ut veritas clariùs elucescat. In hoc ergo loco quærit Sanctus Doctor, *utrum discipuli sequentes diversas opiniones Magistrorum excusentur à peccato erroris*. Pro solutione ergo sic scribit:

bit: Dicendum, quòd diversæ opiniones Doctorum Sacræ Scripturæ, siquidem non pertineant ad fidem, & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt. Tunc enim habet locum, quòd Apostolus dicit ad Rom. 14. *Unusquisque in suo sensu abundet.* In his verò, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, ***nullus excusatur***, *si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri;* In talibus enim ignorantia non excusat. Nihil aliud de hoc quodl. affert Vendrochius, & observo, quòd illa verba, ***nullus excusatur***, *si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri*, imprimi fecit peculiaribus caracteribus, ut demonstret, illa esse consideranda, & credo, quòd existimet decidere clarè suam opinionem.

43. Pro solutione addenda sunt alia ex textu, qui sic prosequitur: *Alioquin immunis à peccato fuissent, qui sequuti sunt opinionem Arii, Nestorii, & aliorum Hæresiarcharum; nec potest excusationem habere propter simplicitatem Auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequatur.* Nunc Doctrinam Divi Thomæ reduco ad formam syllogisticam. Si aliquis, qui sequitur opinionem erroneam quoad Fidem, & bonos mores excusaretur, excusarentur etiam à peccato sequaces Arii, & Nestorii; sed hi non excusantur; ergo, qui sequitur opinionem erroneam quoad fidem, & bonos mores, non excusatur. Ego vellem scire, an Vendrochius credat, ex opinionibus Catholicorum oppositis semper unam esse erroneam. Divus Bonaventura admittit actionem indifferentem, oppositum docet Divus Thomas. Secundùm plures circunstantiæ aggravantes sunt confitendæ, secundùm alios non sunt dicendæ sub præcepto. Multi asserunt, si mulier matrimonium incuba exerceat, peccare mortaliter, Albertus, & alii negant. In his materiis, utique moralibus, daturne propositio erronea? & certè debet dici, quòd non, ne omnes Doctores Catholicos dicamus erroneas opiniones tradidisse, & socios hæresiarcharum faciamus eosdem. Ergo quoad fidem, & bonos mores dantur opiniones oppositæ, quæ non sunt erroneæ, & certè ex allatis nulla est erronea. Nunquid est erronea opinio Divi Bonaventuræ? Divi Thomæ? Alberti Magni? Igitur cum Divus Thomas asserit, ***nullum excusari sequentem opinionem erroneam quoad fidem, & bonos mores***, verum asserit. At cum dentur opiniones oppositæ, quarum nulla est erronea, de his non debet pronunciari illud prædicatum, *Nullum excusari*, quod Sanctus Doctor enunciat de erroneis. Ergo prædictæ opiniones sunt probabiles, & aliquæ in se sunt falsæ, sed nulla est erronea, quia idem non est esse falsum, & esse erroneum. Hinc illas probabiles opiniones, antequam per Ecclesiam falsæ declarentur, possumus sequi licitè, & excusari, inquit Antoninus 3. par. tit. 5. cap. 2. §. 9. & ibidem dicit, ante decisionem Ecclesiæ potuisse excusari, qui variè opinabantur in materia paupertatis Christi; post illam verò nec simplices mulieres excusari sequentes opinionem damnatam. Per hæc ergo patet evidenter, Divum Thomam loqui de opinionibus *erroneis, & quæ sunt contra manifestum Sacræ Scripturæ testimonium, vel contra id, quod publicè tenetur per Ecclesiæ authoritatem*; & consequenter non loquitur de opinionibus probabilibus, quæ in seipsis sunt falsæ. Ego hortor Vendrochium, & alios utentes hoc textu, ut discant, quid sit *opinio erronea* apud Theologos, & quando viderint esse toto cœlo diversam ab opinione probabili, quamvis hæc postea falsa detegatur, tunc *palinodiam canant*, & fateantur, se errasse utendo dicto textu contra Probabilistas, cum potiùs ipsis faveat apertè, ut alibi dixi; & dicam mox infrà.

44. Colligitur, cùm nullam opinionem erroneam tradiderit vel Divus Thomas, vel Divus Bonaventura, vel Scotus, aut alii Antiqui Proceres Theologiæ, aut Canonistarum Principes, Gratianus nempè, & Glossator, sed semper probabiliter loquuti fuerint; colligitur, inquam, qui illas sequuti sunt

sunt, non peccasse peccato erroris, si postea ab Ecclesia deciderentur esse falsæ illæ opiniones; & ratio est, quia tunc non erant erroneæ, nec contra manifestum, &c. Ergo non habebant aliquam labem, propter quam Divus Thomas asserit, non posse excusari à vitio erroris.

45. Confirmatur. In solvenda aliqua quæstione debemus solvere difficiliora spectantia ad illam; faciliora enim sine magisterio Doctorum, & à nobis ipsis enodantur; cum ergo Divus Thomas in solutione quæstionis, *an discipuli sequentes diversas opiniones Magistrorum excusentur à peccato erroris*, afferat solum exemplum *de opinione erronea*, *de sequacibus Arii*, *Nestorii*, *& Hæresiarcharum*, *& de opinione contra manifestum textum Scripturæ*, *& contra id*, *quod publicè tenetur per Ecclesiam*, debemus dicere, hæc esse difficiliora pertinentia ad quæstionem motam. Sed nulla opinio probabilis, saltem probabilior, est erronea, nec contra manifestum Scripturæ Testimonium, nec contra id, quod publicè tenetur per Ecclesiam; ergo nulla opinio probabilis, saltem probabilior, pertinet ad quæstionem agitatam à Doctore Angelico. Quin addo, sed opinio minùs probabilis non est erronea, nec contra manifestum Scripturæ testimonium &c. Ergo nec opinio minùs probabilis spectat ad quæstionem motam à sancto Doctore. Probatur minor, quia Probabilistæ ad opinionem minùs probabilem exigunt, ut ipsa nihil convincens, & certum habeat oppositum, & nemo dicet, illam opinionem contineri intra lineam Probabilitatis, cui opponitur principium certum. Sic tempore Gratiani opinio asserens non dari præceptum de Confessione peccatorum erat probabilis, *& viri Religiosi*, *& docti illam sequebantur*, & ipse Gratianus dabat licentiam, ut amplecteremur eandem, quia, quamvis ipsi opponerentur plurimi Textus Sanctorum Patrum, & Conciliorum, quos affert per totam distinctionem primam de pœniten. tamen illos solvit, quia clarè veritatem non exprimebant; nunc verò illa opinio nullo modo est probabilis, eo quia datur nunc textus clarus, & apertus dictam opinionem convincens.

46. Igitur, ut meam mentem aperiam circa hunc textum Divi Thomæ, dico primò, ipsum nullo modo opponi cum Probabilitate minori, vel majori, & hanc conclusionem ex dictis puto certissimam absolutè. Dico secundò maximè favere *opinioni minùs probabili*, si tamen supponamus Divum Thomam, vel adæquatè hìc solvisse quæstionem, vel attulisse pro ipsa ea, quæ videbantur majoris ponderis; Data enim hac suppositione sequitur, tunc solùm nos peccare peccato erroris, dum sequimur opinionem *erroneam*, & quæ sit contra manifestam Scripturam, vel contra publicam authoritatem Ecclesiæ; Nulla autem ex his labibus inficitur opinio minùs probabilis secundùm omnes Probabilistas, quin hoc supponitur ab ipsis, & Adversarii hoc debent confiteri; nam Scotistæ dicunt, opiniones Scoti esse probabiliores, Divi verò Thomæ esse minùs probabiles; adhuc tamen Scotistæ debent fateri, opiniones Divi Thomæ posse esse veras, & sic posse determinari ab Ecclesia; ergo Scotistæ non possunt dicere, opiniones Divi Thomæ esse *erroneas*, & esse contra textum manifestum, & contra id, quod publicè tenetur per Ecclesiam, quia opinio erronea &c. non potest esse vera, & determinari ab Ecclesia. Hoc idem debent dicere Thomistæ de opinionibus Scoti. Et de facto nequit, negari nisi à stulto, quòd opinio asserens, Beatam Virginem fuisse conceptam in peccato originali, communiter olim fuerit reputata probabilior; & nunc communiter certè probabilior non reputatur. Ergo opinio probabilior, etiam communis, non habet pro se certitudinem, & textum manifestum Scripturæ, & publicam authoritatem Ecclesiæ; & sic opinio minùs probabilis opposita non est erronea, nec habet contra se textum manifestum &c.

47. Addo, ut alibi notavi, omnes Docto-

Doctores Antiqui, qui fecerunt quæstionem illam, *an discipuli*, sequentes opiniones diversas magistrorum, excusentur à peccato erroris, afferant totam doctrinam illius articuli Divi Thomæ, ut fecit etiam Astens. lib. 2. tit. 58. de hæret. art. 1. & Albericus Verb. *Opinio.* ultra alios allatos cap. 3. num. 26. & nihil aliud addunt. Ergo credunt, illam quæstionem sic esse benè solutam. Ergo, qui sequitur opinionem, quæ non sit contra manifestum Scripturæ testimonium, aut contra decisionem Ecclesiæ, vel contra aliud principium certum, hic excusatur à vitio erroris. Opinans autem vel æquè vel minùs probabiliter non facit contra aut decisionem Ecclesiæ &c. ergo hic excusatur à vitio erroris.

48. Sed audi Nider part. 3. timor. conscien. cap. 11. qui clarè tradit hanc doctrinam. Patet illud per Doctorem sanctum (Divum Thomam) in quodl. 3. art. 10. ubi dicit, quòd, quando diversæ opiniones Doctorum Sacræ Scripturæ non pertinent *expressè* ad fidem, & bonos mores, tunc *absque periculo* unam sequi possunt; ibi enim locum habet illud Apost. ad Rom. 14. *Unusquisque in suo sensu abundet.* Et iterum de illo, qui assentit opinioni magistrali, quæ non est *manifestè* contra Scripturæ testimonium, nec contra illud, quod publicè tenetur in Ecclesia, *nequaquam hunc condemnat.* Hucusque Doctor. Ecce clarè per Nider, & Divum Thomam, ut quis excusetur à peccato erroris, sufficit, ut teneat opinionem, quæ non sit expressè contra Sacram Scripturam, aut Ecclesiam; & hæc doctrina fundatur in communi opinione Antiquorum dicentium, ut alibi notavi, quòd in materia Trinitatis licet variè opinari, usque dum non scitur veritas, & ante decisionem Ecclesiæ

49. Quoad alium Textum ex quodl. 9. art. 15. sic refertur à Vendrochio. Dicendum, quòd omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, *nisi veritas expressè habeatur*, periculosè determinatur; quia error, quo non creditur esse mortale peccatum, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licèt fortè à tanto. Error verò, quo creditur esse mortale, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale; *Præcipuè autem periculosum est, ubi veritas ambigua est*, quod in hac quæstione accidit. Hic est Textus Divi Thomæ, cui Vendrochius hasce glossas subdit: Fingamus, quæso, Divum Thomam in vulgarium Probabilistarum fuisse sententiam, quid absurdius, quid à sanctitate alienius his illius verbis? *Quæstio*, inquit, *in qua de peccato mortali agitur, periculosè determinatur, nisi expressè veritas habeatur.* Immò, inquiunt Casuistæ, hujusmodi quæstiones sine periculo determinantur, quia expressè veritas non habetur; alterutrum enim sequi licet sine peccato; quod si expressè veritas haberetur, non liceret. Addit Sanctus Thomas, *error quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licèt fortè à tanto.* Immò, inquiunt Casuistæ, error ille, quo falsum probabile censetur, non modo excusat à toto, & à tanto, sed sufficit ad honestandam actionem, ita ut, *qui erroneam illam opinionem, quæ probabilis judicetur*, in praxi sequutus sit, sine peccandi periculo, *recta tendat ad superos.* Subdit Sanctus Thomas, præcipuè periculosum id esse, ubi veritas ambigua est. Contra opponunt Casuistæ; *præcipuè id vacare periculo, ubi veritas ambigua est, quia tunc certiùs sua utrique parti probabilitas constat.*

50 Porrò observa illa verba textùs Divi Thomæ, *nisi veritas expressè habeatur*, esse impressa peculiari charactere; & sic notare in ipsis specialiter textum vim facere; & de facto ipse Vendrochius in prima parte suæ glossæ illa præcipuè observat; & revera videntur sonare, quod intendit ipse.

51. Pro solutione duplex datur veritas, necessaria, & contingens. Prima est illa, quæ versatur circa objectum, quod aliter se habere non potest; & hæc est certitudo, & in naturalibus coincidit cum scientia. Secunda est, quæ at-

tingit objectum, quod potest aliter se habere; & sic potest esse falsa. Et hæc coincidit cum opinione. De his vide Aristot. 1. poster. cap. 24. & de hoc alibi dixi. Illa verba Divi Thomæ, *nisi expresè veritas habeatur*, videntur significare veritatem necessariam, & certam. Et quidem Juristæ Bertachinus in suo repertor. Legal. Tuscus, & Barbos. in axiom. jur. Verb. *Expressum*. videntur accipere verbum, *expressum*, quòd significet veritatem certam, quæ nequeat negari. Et ipse Vendrochius absque aliqua probatione supponit, Divum Thomam ita significare in allato textu.

52. Data hac explicatione sequitur absurdum evidentissimum; sed, ut evitetur absurdum, debent etiam verba legum, & sic multò magis Doctorum, impropriari, inquiunt dicti Legistæ Verb. *Absurdum*, & apud Philosophos, & Theologos est certum, propositionem continentem absurdum esse falsam; ergo illa verba, *nisi veritas expresè habeatur*, non possunt significare certam, & necessariam veritatem, sed opinativam. Major verò probatur, quia vel de omnibus quæstionibus, quæ fiunt apud Theologos de mortali peccato tum veteres, tum Moderni, tum etiam apud Sanctos Patres *expressa*, idest, certa veritas habetur, vel non habetur. Si habetur; ergo in omnibus talibus materiis, in quibus variè opinantur, semper aliqui peccaverunt, qui scilicet contra veritatem expressam decidunt. Si non habetur; ergo omnes Theologi, qui tales quæstiones agitant, periculosè determinant, quia per Divum Thomam, ubi veritas *expresè* non habetur, periculosè determinatur. Hinc in illa quæstione, quomodo sit supplendum Sacrificium, dum sumpta Hostia Sacerdos noscit, Calicem non esse consecratum, Divus Thomas, & Scotus periculosè determinarunt, quia *expresè* veritas non habetur. Idem dico in illa quæstione, an Filius teneatur obedire parentibus in Matrimonio contrahendo, & idem assero in omnibus quæstionibus, in quibus Divus Thomas tenet unam partem, & Divus Bonaventura, vel Scotus, vel alii Doctores Catholici aliam partem defendunt. Hæc autem esse absurda, negabit nemo. Celebris Scotista Mastrius in 2. disp. 5. quæst. 2. art. 5. num. 118. dicit, per veritatem expressam Divum Thomam non intelligere veritatem claram, & evidentem, sed veritatem, quæ reperitur in opinione verè, & propriè probabili. Huic explicationi calculum præbeo, ne absurdum dixisse cogar Divum Thomam.

53. Gonetus Dominicanus, & Probabiliorista tom. 3. dissertat. de opin. probab. §.4. num. 264. Cardenas Crisi Theol. part. 3. disput. 56. cap 8. art. 10. num. 502. explicantes doctrinam hujus articuli nihil dicunt, quid Divus Thomas intelligat per illa verba: *Nisi expresè veritas habeatur*, sed respondent solùm illis verbis: *Quia error, quo non creditur esse mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licèt fortè à tanto*, & dicunt, intelligenda esse de errore *vincibili*, *&* *culpabili*, inquit Cardenas. De errore *crasso*, *&* *affectato*, *non verò de invincibili*, *&* *inculpabili*, inquit Gonetus. Non loquitur *de errore physico*, qui subesse potest probabilitati, *sed de errore morali*, *qualis tantùm subest temeritati*, inquit Mastrius ubi supra. Hanc explicationem puto debere esse omnium Doctorum, qui tali explanatione utuntur, pro textu sumpto ex art. 10. quodl 3. Igitur data expositio est optima, & juxta mentem Angelici, qui sæpiùs, ut vidimus, admittit errorem illorum, quæ scire vel non possumus, vel non tenemur, nos excusare. In decisione ergo quæstionis de mortali, si error sit de iis, quæ scire possumus, & tenemur, tunc peccamus mortaliter in tali errore. Si autem error sit de iis, quæ non possumus scire, vel non tenemur, tunc in tali errore non peccamus. Unde expresè dicebat Angelicus, quòd maritus, cui supponitur mulier aliena, non peccat illam cognoscendo, quia, licèt possit hoc scire, majorem diligentiam habendo, quia tamen ad hoc non tene-

tur.

tur, ideò non peccat. A' pari nos dicimus in rebus obscuris ad jus pertinentibus, quòd error excusat, quia scire veritatem non possumus, quia scientia est de claris, & quæ non possunt aliter se habere; nec ad talem scientiam tenemur, cum sine miraculo in his illam habere nequeamus, & quam nec sancti, nec Antiqui obtinuerunt.

54. Per hæc patet responsio ad Glossas Vendrochii. Ad primam dicimus, nisi veritas expressè, idest *vel certò*, *vel probabiliter* habeatur, periculosè determinatur; quia tunc error de iis, quæ scire possumus, & debemus, non excusat à toto, licèt fortè à tanto. Si autem certò veritas non habeatur, sed *tantùm probabiliter*, tunc periculosè non determinatur, ut patet in omnibus Doctoribus, *etiam Sanctis*, qui determinarunt quæstiones, antequam veritas certa haberetur, nec peccaverunt, quamvis processu temporis eorum opiniones falsæ detectæ sunt, ut patet in Divo Hieronymo, Cypriano, & aliis octuaginta tribus Episcopis determinantibus ante decisionem Ecclesiæ quæstionem, quæ decisio postea falsa apparuit.

55. Ad secundam Glossam dico, apud Probabilistas nunquam inveniri hanc propositionem, *Erronea opinio est probabilis*; & hic error est Vendrochii, qui credit idem esse falsum, & erroneum, cum tamen apud Theologos diversa sit propositio falsa à propositione hæretica, erronea, scandalosa, piarum aurium offensiva, & temeraria, quorum meminit Concilium Constantiense sess. 8. & de quibus agunt Theologi in tract. de Fide, & possunt videri Suarez disp. 19. sect 2. Coninch. disp. 18. dub. 8. & Canus de locis Theol lib 12. c. 11. Et quidem, qui erit, nisi temerarius, qui audeat dicere, unam ex his propositionibus esse erroneam: *tenemur confiteri circumstantias aggravantes*, *non tenemur tales circumstantias aggravantes* fateri; *Tenetur Sacerdos sumpta Hostia consecrare utramque materiam, si calix valdè non fuerit consecratus*, *non tenetur consecrare utramque materiam in tali casu?*

56. Sed audiamus Canum ubi supra in princip. Non enim, inquit, ut quidam existimant, Concilium Constantiense propositionem erroneam usurpat in significatione generali, ut erroris hæretici, & cæterorum genus commune sit, quæ videtur esse ejus nominis propria significatio. Et quis enim credat, quicquam aliud esse propositionem erroneam, quàm errorem? Sed Concilium, ut dixi, ab usurpatione hac *longè abest*, id quod statim planum faciam, si verba Patrum adscribam. Compertum est, inquiunt, ex præfatis articulis *Vuicleff* plures esse notoriè hæreticos, alios non Catholicos, sed erroneos, alios scandalosos, quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos temerarios. Quæ forma sermonis esset falsa, & absurda, si propositio erronea pro quocunque errore communiter sumeretur. Jam enim rectè quoque dici posset post multas argumentationes enumeratas, in his quasdam esse syllogismos, quasdam inductiones, *quasdam argumentationes*; quod, quàm sit ineptum, nemo est, qui non intelligat. *Sine dubio igitur erronea propositio ab hæretica secernitur, non tanquam genus ab specie, quod esset discrimen rationis*, sed tanquam una erroris species ad altera, *quæ vera rerum, non modo vocabulorum, distinctio est*. Ecce quod est certum, propositionem erroneam esse speciem erroris distinctam ab hæretica. Certum pariter est, propositionem falsam non esse speciem propositionis, sed genus, cùm & propositio hæretica, & erronea sint falsæ. Ergo à propositione falsa nequit affirmativè argui ad speciem, sicut ab animali nequit argui ad hominem affirmativè; unde nequit dici, est animal, ergo est homo. Hinc sequitur evidenter, quòd, si propositio probabilis sit falsa in se, nullo modo possit dici, quòd sit hæretica, aut erronea. Consulat ergo Vendrochius Theologos, & ab ipsis discat, *quid sit propositio erronea*; hoc unum ab omnibus hauriet, ad propositionem erroneam requiri, quòd sit contra *certam veritatem*. Cum autem, quod est certum,

impossibile sit, quòd aliter se habeat, sic erroneum non poterit aliter se habere. E' contra *probabile, & opinabile potest aliter se habere*; ergo impossibile est, *quòd erroneum sit probabile, & probabile sit erroneum.*

57. Dices, nullam videri intercedere diversitatem inter errorem, & falsitatem; cum ergo per Divum Thomam error, quo non creditur esse mortale, quod est mortale, *non excuset à toto*, nec falsitas probabilis, qua non creditur esse mortale, quod est mortale, excusabit à toto.

58. Sed contra, quia si falsitas sumatur pro quacunque disconvenientia propositionis ad objectum, ut hìc sumitur, tunc evidenter discriminatur ab errore, quia error est contra certam veritatem, ut dicebamus; falsitas autem sic sumpta potest esse contra veritatem obscuram. Et falsitas sic sumpta potest esse in propositione, quæ à Sapientibus judicetur vera; unde Arist. 8. top. ut notat Ægidius in 3. distinct. 23. part. 2. quæst. 2. dicebat, falsa aliquando videri probabiliora; tum quia probabile judicatur verum quoad nos, & si falsum est, est falsum in se, non quoad nos, cùm nesciamus esse falsum, sed judicemus verum, licèt simul cognoscamus posse esse falsum. Error autem est falsum in se, &, si volumus, possumus hoc scire, cum sit contra certam veritatem. Hinc optimè dicit Divus Thomas, quòd error nos non excusat à toto, cùm sit voluntarius, & possimus, & teneamur illum depellere; & simul optimè sustinent Probabilistæ, probabile, & si falsum in se, nos excusare à toto, quia illa falsitas non est voluntaria, cum nequeamus scire veritatem; & sic nec teneamur.

59. Ad Tertiam Glossam dico. Nemo ex Modernis dicet, in omni ambiguitate inveniri suam probabilitatem; cum enim *ambiguus* idem significet, ac *dubius* ex Calepino, sicut per Modernos non omne *dubium* est probabile, ut patet in dubio, pro quo solvendo nulla ratio effulgeat, & vocant *dubium negativum*; ita non omne ambiguum est probabile per ipsos, sed solùm illud, quod habet rationes graves. v. gr. ambiguum est, an grana arenæ sint paria, vel disparia. Ambiguum pariter est, & Theologi Theologis, & Juristæ Juristis opponuntur inter se, an circunstantiæ aggravantes sint confitendæ ex præcepto. In primo dubio nullus dixit, posse intellectum sine periculo erroris se determinare, cum nullam rationem habeat; In secundo ambiguo, & dubio Probabilistæ rationabiliter asserunt, intellectum posse se determinare, quia in ipso invenit rationes, quibus se determinare valet. Et de hoc ambiguo valet illa regula juris: Ambiguis in rebus, quod minimum est, sequimur l. *apud Julianum*. §. *scio*. ff. *de legatis*. 1. l. *semper in obscuris*. ff. *de regulis jur*. c. *in obscuris* eod. tit. in 6.

60. Bartholomæus Medina 1. 2. quæst. 19. art. 6. dub. 4. §. *si quis agat* explicat Divum Thomam in quodlib. 8. art. 13. dicere, quòd dubitans de probabilitate opinionis asserentis posse habere plures præbendas, non possit illas retinere, quia sic se committit discrimini; unde hæc doctrina explicaret præsentem Textum. Ego explicarem sic: *præcipuè periculosum est, &c.* non quidem periculo errandi, idest dicendi errorem, qui est falsitas eorum, quæ scire possumus, & debemus, cùm sit contra certitudinem; *sed periculo dicendi falsitatem meram, & simplicem*; & sic nec imputabilem; cum non sit eorum, quæ scire possumus, & debemus. Ratio hujus explicationis est, quia nemo potest, negare, magis mihi imputandum esse ad peccatum, si erro in re, cujus scientiam habere possum, quàm si erro in re, in qua ipsi sapientes variant opinionem. Do exemplum. Tempore Magistri, & Gratiani viri Religiosi, & docti erant divisi circa quæstionem, an teneamur confiteri peccata mortalia, & Gratianus dabat licentiam amplectendi, quæ nobis opinio placeret. His temporibus decisa est pars affirmativa; adhuc tamen adsunt Calvinistæ, qui partem negativam sustinent. Ne-

gabitne Vendrochius, illos viros doctos Antiquos sequutos opinionem negativam esse dignos venia? & tamen est eadem opinio cum Calvinistica. Assignet rationem hujus veniæ, & utique alia non erit, nisi quia tempore antiquo illa quæstio erat *ambigua*, & Doctores veritatem amantes erant divisi circa ipsam. E' contra his temporibus quæstio est decisa, & veritas est clara, & Doctores veritatis indagatores sunt concordes. Ergo evidenter sequitur, quando quæstio est ambigua, tunc maximè periculosum est, ne incidamus in falsitatem; cùm enim res sit dubia, & obscura, quid mirum, si veritas non innotescat? Tale autem periculum non intervenit in materia clara, quia, si volumus, certam veritatem cum parva difficultate attingere possumus. Adhuc tamen falsitas non est imputabilis in primo casu, quia veritatem scire non possumus; In secundo casu error est imputabilis, quia possumus scire nedum veritatem, sed etiam facilè.

61. Dices: Divus Thomas ait, *Præcipue periculosum est errare, ubi veritas ambigua est.* Illud adverbium, *Præcipuè*, habet vim includendi majora, ut notat Barbos. de dict. usu freq. n. 274. Igitur Divus Thomas significat, quòd, quando veritas ambigua est, majus est periculum errandi. Data autem nostra explicatione majus periculum esset errandi, quando veritas ambigua non est, quàm quando est ambigua; quia error imputabilis ad peccatum major est, quàm error non imputabilis.

62. Sed contra, quia Calepinus explicans illud adverbium, *Præcipuè*, exponit *Præcipuò modo*, *Potissimè*, *Maximè*, & in Italico sermone reddit, *Specialmente*, & in Hispano *Senaladamente.* Hinc Divus Thomas vult dicere, quòd specialiter, & peculiariter, quando veritas ambigua est, periculosum est, idest, adest periculum, ne falsitatem dicamus. Et hoc verum fateor, quia, ut dicebam, quando res est ambigua, reperitur tunc specialis occasio dicendi falsum; quod non invenitur, dum res est clara. Hinc data explicatio Divi Thomæ non est ad rem, quin contra veritatem; Nam errare in re clara utique est imputabilis talis error, cum possimus, & teneamur scire veritatem. In re verò obscura, cum non possimus scire veritatem, est venia dignus talis error. Igitur, ut concludam, faciliùs falsum dicimus, dum evidentia non adest, difficiliùs, dum adest. Sed falsum dicendo in obscuris sumus venia digni; & propter hoc forsan est regula juris in sexto: *In obscuris minimum est sequendum*, ut alibi notavi; ex qua Regula dicebamus cum c. *ex parte* de censibus sequi, voventem non obligari ad dandam mensuram majorem frumenti, sed sufficere, si daret minorem, & hoc ideò, quia erat obscurum, an obligatio se extenderet ad majorem. Dicendo autem falsum in re clara non sumus venia digni, sed pœna, quia oculos claudimus veritati.

63. Pro mea explicatione hujusce textûs Divi Thomæ facit Nider in Consolat. timor. Conscien. 3. part. cap. 24. conclus. 5. ubi scribit: *Valdè periculosum est definire aliquid esse peccatum mortale*, nisi hoc constet multùm evidenter. *Patet hoc per præfatam Augustini authoritatem, ubi dicit: Difficillimum est invenire, periculosissimum definire. Unde Sanctus Thomas quodlib. 8. art. 15. dicit, omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresiè veritas habeatur, periculosè determinatur &c. præcipuè verò periculosum est, ubi veritas ambigua est; unde Cancellarius de vita Animæ dicit, doctrina salubris est pro Doctoribus Theologiæ, ut non sint faciles asserere actiones aliquas, aut omissiones esse peccata mortalia, præsertim sub verbo universali, & cum prædicandum erit ad populum.... Fit præterea quandoque, ut per tales assertiones publicas* nimis duras, *generales*, & strictas, præsertim non certissimas, *nequaquam non eruantur homines à luto peccatorum, sed in illud profundiùs, quia desperatiùs, immerguntur ..... Demum quoque quid prodest, immò quid non obest, coarctare plus justò mandatum Dei*, quòd

quod est latum nimis? *Quid insuper expedit amarius, graviusque reddere illud jugum Christi, quod suave est, & onus ejus leve? Nam, etsi contemptus ex hac laxatione apud quosdam improbos major oriatur*, habentes velamen malitiæ libertatem; *sed apud alios benè institutos gratiarum resonabunt actiones; præstabitur etiam sedulius obsequium Domino, & Patri tantæ mansuetudinis, cujus mandata gravia non sunt.*

64. Meo judicio Nider explicat textum Divi Thomæ, ut ego feci, & directè contra Vendrochium. Nota benè omnes particulas hujus textûs, quia singulæ clarè opponuntur doctrinis rigidis, quas adeò inculcant, & ut certas tradunt Adversarii, quique in materiis difficillimis præcipitant sententiam, & nos de peccato condemnant cóntra Divum Augustinum relatum in c. *quæro* 6. quæst. 1. & contra Antiquos, qui nullum de peccato condemnant, nisi veritas expressè, idest certò habeatur.

65. Hic tandem placet advertere, hosce Textus non esse detectos aut à Parochis Parisiensibus, aut à Vendrochio, sed illis usi sunt ante plures annos Candidus Philaletus, & Antonius Merenda, non quidem contra Probabilitatem simpliciter, cum & ipsi sequantur opinionem probabilem, sed contra opinionem minùs probabilem, contra quam quidem duo primi Textus videntur habere aliquod robur. Unde nescio causam, quare Vendrochius mentionem fecerit de Parochis, & non de Pilaleto, & de Merenda. Nunquid judicavit alios viros, præter Parochos, non habuisse intellectum adeò occulatum, ut videre illos non potuissent? Interea Vendrochiani parent responsionem huic dilemmati: *Aut potest decidi quæstio, cujus expressa*, idest certa *veritas non habetur; aut non potest decidi.* Si primum dicatur: *Ergo falsum est, quòd Divus Thomas asseruerit in quodlib. 9. artic. 15. periculosè determinari quæstionem, ubi certa veritas non habetur.* Si secundum, *ergo Sancti, Antiqui, & Moderni periculosè determinant illas quæstiones, in quibus variant opiniones, cùm varianda opinionem sit signum, non haberi in illa certam, & claram veritatem*; tunc enim essent concordes saltem Sancti, & Antiqui, cum non fuerint cœci.

CAPUT XXIV.

Solvuntur Objectiones Vendrochii ex Scripturis, & Patribus desumptæ.

1 PRæcipua objecta soluta sunt à Probabiliorista Goneto in Tom. 3. Clypei Theol. dissertat. de opin. probab. §. 4. & 5 Nos omnia solvemus breviori tamen calamo, quàm fecimus supra solvendo argumenta ex Divo Thoma.

2. Incipit ergo Vendrochius Epist. V. Not. 1. sect. 2. §. 2. solita exclamatione, atque ait: Quid clariùs, quàm illa Christi vox *a Parisiensibus Parochis allata*, si cœcus cœco ducatum præbet, ambo in foveam cadunt? *Quis enim neget, cæcum esse, qui opinionem æternæ veritati contrariam sequitur, cum verum lumen, idest, veritatem, non cernat?*

3. Retorquemus primò argumentum: Est de fide, neminem posse cum aliena muliere se copulare. Qui ergo Divus Thomas, & Theologi, uno Parisiensi scrupulosissimo excepto, excusant maritum, si ignoranter in suo lecto aliena mulier introducitur, habentem copulam carnalem cum illa? Æterna Veritas dicit, neminem se posse inebriare; qui ergo excusatur Noe ebrius? Sed fortiùs instatur. Divus Thomas, Divus Bonaventura, & Scotus, quin Sancti Patres pluries inter se opponuntur; ergo in illis opinionibus, cum necesse sit unam esse falsam, qui falsam docuerunt, cœci fuerunt, & cœcis ducatum præbuerunt.

4. Respondetur secundò, illum esse cœcum, qui utroque oculo caret, l. 1. ff. *de postul.* non verò esse cœcum, qui in obscuris non videt. Cœcitas enim est defectus

defectus potentiæ, non verò objecti. Qui ergo objectum illuminatum, & à luce circumfusum, non videt, illum cœcum esse necesse est; qui verò objectum ab umbris circumseptum non videt, ille non est cœcus, sed non videns; ergo, qui objectum ab æterna lege *clarè illustratum* non cernit, hic cœcus est, & cœco ducatum præbet; sed qui objectum solùm obscurè ab æterna lege septum non aspicit, hic cœcus non erit, sed non videns legem ob ipsius lugis defectum, quia scilicet claritate non illustratur, ut requiritur ad visionem, quæ cum sint evidentia, mirum est, quomodo illi Parochi, & Vendrochius non viderint.

5. Subdit Vendrochius: quid manifestius, quàm item ille locus, quem iidem *Parochi Parisienses* ex Proverbiis protulere, *est via, quæ videtur homini recta, & novissima illius ducunt ad mortem?* Quid enim aliud via, quæ videtur recta, & non est, *nisi falsa Probabilitas?* Omnino enim conscientia illa probabilis ab erronea nihil differt. Errat enim, qui falsum Probabile censet: errat, qui ex falsa regula mores dirigit. Sed sunt errores, qui vulgò intelliguntur, & his nomen erroris relictum est; Alii difficiliùs deprehenduntur, & à paucioribus, & hi probabilibus opinionibus ab istis aggregantur, non erroribus. Sed quocunque modo erretur.... peccat tamen, quisquis falsum sequendo ab æterna Veritate diffidet. Et sic, ego subdo, Hieronymus peccavit, dum juramentum illicitum, & simulationem licitam fecit, quæ opiniones sunt contra Æternam Veritatem.

6. Illustre, prosequitur Vendrochius, nobis hujus rei exemplum suppeditat Evangelium. Nam, si quæ opinio falsa probabilis dici potest, ea certè est, qua Judæi, quibus minus benè cum uxoribus conveniebat, fas esse sibi censebant, eas dato repudii libello abdicare. Nullus apud ipsos doctus vel suspicabatur illicitum, apertè enim id permiserat Moyses...... & tamen ex Christi verbis....... *constans Patrum traditio conclusit, nunquam Judæis repudium licitum extitisse.* Idem de lege talionis dici potest, quam August. in Psal. 108. justitiam injustorum vocat, & qua non omninò excusatos esse Judæos sentit, cum legis verba, & Doctorum suorum interpretationem in ulciscendis inimicis sequebantur.

7. Non est mirum, si Vendrochius velit nos obligare ad certitudinem, dum ipse in quæstione illa (*an repudium fuerit licitum Judæis*) crediderit, se certitudinem sequi, & audeat dicere, *constantem traditionem Patrum asserere; fuisse semper illicitum;* cum tamen in hac materia nulla sit traditio Patrum, & Scholastici tum Antiqui, tum Moderni in diversas abierint opiniones, ut videre licet apud Hiquæum in 4. distinct. 33. quæst. 3. in comment. ad Scotum; quin, ut ad advertit idem, Divus Thomas in hac distinct. quæst. 2. art. 2. Scotus, Richard. artic. 3. quæst. 1. & Durandus quæst. 3: problematicè processerunt, ut infra clariùs patebit, & utramque partem agnoscunt probabilem, sicut Gabrielis Supplem. in hac distinct. quæst. 2. litt. B. Immò Scotus, & Durandus vocant probabiliorem opinionem sustinentem fuisse licitam, & afferunt pro se Chrysost. seu melius imperfect. Hom. 34. in Matth. Idem tenent Orbellis in 4. distinct. 33. quæst. 2. Rubion. quæst. 2. art. 2. Argentinas quæst. 1. art. 3. fin. Hanc quoque opinionem ut probabilem amplectitur Carthusianus in 4. dist. 33. quæst. 2. Igitur Vendrochius, & Vendrochiani palinodiam canant agnoscendo errorem, & fatendo, *non adesse traditionem constantem Patrum in materia de libello repudii.*

8. Ad alia hujus objectionis, jam vidimus supra, & evidenter probavimus, propositionem probabilem, quæ in se est falsa, cujus tamen falsitatem scire non possumus, apud Theologos non esse erroneam, & assertio contraria est error in Theologia; Nam sancti Patres, & Theologi veteres, & Moderni variant in opinionibus, & tamen nulla ex illis opinionibus est erronea, quam-

vis aliqua necessariò in se sit falsa. Quin ipsi Judices, quando processus est valdè dubius, eligendo unam opinionem non faciunt litem suam, *quia non est peccatum*, inquit Baldus c. *ne innitaris*, de constit. num. 12. *Et quando inter Sanctos adest opinio* (adde diversa) inquit Anchar. ibidem, *ut de Salomone damnato c. Salomon 32. quæst. 4. quilibet potest dicere, quod vult*; concordant. Butrio, & Bellamera ibidem, quæ doctrina, ut videbimus infra, erat communis apud Antiquos Canonistas; nec ab aliquo negari potest, ni velimus dicere Patres erroneas opiniones docuisse. Hinc colligitur, errare Vendrochium asserendo, *quemlibet peccare sequendo falsum oppositum Æternæ Veritati*, quia in re obscura naturali Sancti variè opinati sunt; & sic aliqui falsum dixerunt; nemo tamen peccavit.

9. Ad illud dictum Prov.14. *Est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Respondeo cum magno Cornelio à Lapide, hanc viam multipliciter accipi posse. Mihi placet illa interpretatio, quam ex Authore Catenæ Græcæ affert: *Via*, inquit, *hoc loco est mens, vel voluntas humana libidine obcæcata, quæ bonis veris apparentia, stabilibus fluxa, temporaria sempiternis, & immortalibus anteponit.* Certissimè mens Divi Thomæ, & Divi Bonaventuræ, Scoti, &c. non fuit *libidine obcæcata*; & tamen hi Doctores inter se variè opinantur; & sic in una ex his opinionibus falsitas reperitur. Ergo opinio, quæ Divo Thomæ, Bonaventuræ, & Scoto videtur probabilis, & in se est falsa, non est illa via, de qua hìc loquitur Salomon. *Illa via est Cupiditas, Voluptas, Ambitio, &c.* quæ menti obcæcatæ recta videtur, novissima tamen deducunt ad mortem, quia *Cupidi, Voluptuosi, Ambitiosi &c.* ab his passionibus abrepti ruunt in cupiditates &c. mortales; & sic ad mortem animæ deducunt. *Via probabilitatis est via, in qua sapientes incedunt*; nam probabilia per Arist. sunt illa, quæ talia Sapientibus apparent, & aliquando falsa probabiliora videntur; unde antiquitus probabilius visum fuit, Beatam Virginem fuisse conceptam in originali, quæ opinio his temporibus à plurimis falsa judicatur.

10. Hæc via, subdit idem Cornelius, error est vel in fide, vel in moribus. Error in Fide est Atheismus, Paganismus, Saracenismus, Hæresis... Error in moribus est, quo licitum putat, & putat honestum, legique conforme, quod diforme est, inhonestum, & illicitum. *Id autem crebrò accidit, cum quis nimis indulget, & credit judicio suo, vel imperitorum, aut pravorum Consiliariorum, Magistrorum, Confessariorum &c.* Hæc verba de errore in moribus debent accipi ad similitudinem de errore in fide. Sicut ergo Cornelius non dixit, error in fide est opinio speculativa, v.gr. aut opinio Scoti asserentis gratiam habitualem non sanctificare ex natura sua, sed ex ordinatione Divina; aut opinio Divi Thomæ oppositum sustinentis; & tamen necesse est, unam ex his esse falsam. Sed dixit, *error in Fide est Atheismus, Paganismus &c.* Et sic loquitur de falsitate, quæ est contra veritatem certam, & claram. Ita ergo, dum loquitur de errore in moribus, debet intelligi de errore, qui est contra veritatem certam, v.gr. nullus Deus est adorandus, ut volunt Atheistæ, pluros Dii sunt adorandi, ut jubent Pagani. Non autem debet intelligi de illis opinionibus, quæ versantur inter Catholicos, quæque postea inveniuntur falsæ. Unde, sicut illi viri Religiosi, & docti, qui negabant adesse præceptum Confessionis, non damnabantur à Gratiano, & à Magistro; & sic nec à Theologis, & Canonistis illius temporis, quamvis hæc opinio postea *hæresis* evaserit; ita debemus dicere de opinionibus aliorum Catholicorum, si postea damnentur à Sede Apostolica.

11. Ad illud de Judæis odientibus inimicos suos, qui non excusabantur, quamvis sequerentur interpretationem Pharisæorum dicentium posse inimicum odio haberi, dico, quòd quidam apud Abu-

Abulens. in Matth. cap. 5. quæst. 347. asserebant, *Judæos non peccare odiendo inimicos.* Hinc patet, apud Antiquos non fuisse certum assertum Vendrochii, sed oppositum fuisse quoque probabile; & sic ejus responsio corrueret. Præterea clarè dicebatur Levit. 19. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Et Proverb. 24. jubetur: *Si ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas.* Et cap. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Et Exod. 23. injungitur: *Si occurreris bovi, aut asino inimici tui erranti, reduc ad eum, & si inveneris bovem, aut asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis eum.* Qui cæcus non est, nequit negare, dari in lege veteri præceptum de diligendo inimico, & de ei benefaciendo. Unde, si Pharisæi contrarium docebant populos, hæc doctrina non erat opinio Probabilis, sed erronea, cum esset contra manifestum Scripturæ testimonium. Et huic responsioni debet acquiescere Vendrochius, cum aliàs quoque scriptum sit Matth. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Pharisæi; omnia ergo, quæ dicunt vobis, servate, & facite.* Certè in rebus obscuris Populus Hebræus nequibat cernere veritatem; ergo debebat recurrere ad Pontifices; & sic servando, quæ dicebant, licèt erraret, erat excusandus, cum fecisset quod potuit, ut veritatem acquireret. Quid, quæso, poterat ampliùs facere?

12. Quodsi dicatur ex divo Thoma quodl. 3. art. 10. illa verba, *super Cathedram Moysis sederunt &c.* intelligi de iis, quæ pertinent ad Cathedram Moysis, ad quam non pertinent ea, quæ sunt contra fidem, & bonos mores; ergo per Divum Thomam Hebræi sequendo responsionem falsam datam à Scribis in materia morum, non excusabantur, cum illa responsio non pertineret ad Cathedram, utpote contra bonos mores.

13. Respondetur, quia, sicut per Divum Thomam in 1. dist. 33. art. 5. potest quis sine amissione fidei ante decisionem Ecclesiæ, & ante investigationem, per quam veritas *scitur, videtur, & ostenditur*, tenere opinionem, quæ postea appareat falsa, & sic illa opinio falsa non est contra fidem. Sic etiam ante investigationem, per quam veritas in moralibus *scitur, videtur, & ostenditur*, opinio falsa, *sed probabilis*, non est contra bonos mores. Igitur, sicut solum opinio falsa in speculativis est contra fidem, quando veritas *scitur, videtur, & ostenditur*, ita est dicendum de opinione falsa *probabili* in moralibus. Hinc Divus Antoninus 3. part. tit. 5. cap 2. §. 9. Explicans illum articulum Divi Thomæ dicebat, varias opiniones Divi Hieronymi, & Divi Augustini de simulatione Petri, & de observatione Legalium non esse contra bonos mores; & tamen certum est, quòd erant opiniones de re morali, & una erat falsa. Ulteriùs Deuteron. cap. 17. dicebatur, *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter causam, & causam, lepram, & non lepram, & Judicum intra portas tuas videris verba variari, venies ad Sacerdotes, & ad judices, quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem.* Hic observo, quòd Hæbræi debebant ire à judicibus inferioribus ad superiores, si inferiores judices civitatum variabant judicium. Ergo, quando erant concordes, non tenebantur. Ergo sequendo judicium concors illorum judicum faciebant, quantum tenebantur facere; porro illud judicium, quamvis concors, non erat certum, cum illi essent homines, nec in Scriptura invenitur data infallibilitas illis judicibus, ergo, si judicium fuisset falsum, adhuc Judæi non peccabant illud exequendo; Vide Alulens. hic quæst. 3. & Cornel. à Lapide.

14. Post Scripturas affert pro se Vendrochius Patres, & primo loco ponit Tertulianum de Spect. cap. 20. ubi sic ait: Erramus: nusquàm, & nunquàm excusatur, quod Deus damnat. Nusquam, & Nunquam licet, quod semper, & ubique non licet. Hæc est veritatis

ritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obsequii non mutare sententiam, nec variare judicium. Non potest aliud esse, quod verè quidem est bonum, seù malum. Omnia autem penes veritatem Dei fixa sunt. Ethnici, quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia nec Doctor veritatis Deus malum, ac bonum pro arbitrio, ac libidine interpretantur; alibi bonum, quod alibi malum, alibi malum, quod alibi bonum. Sic Tertulianus.

15. Subdit Vendrochius. *Videant Casuistæ, ne hæc in ipsos non minùs bellè, quàm in Ethnicos cadant.* Si hæc cadunt in novos Casuistas, cadunt etiam in Sanctos Patres, & Scholasticos Antiquos; apud quosdam enim hoc objectum erat bonum, sicut rebaptizare baptizatos ab hæreticis apud Cyprianum, & octuaginta tres Episcopos, apud alios erat malum. Sicut fricare barbam nec bonum, nec malum est apud Divum Bonaventuram, & Scotum; apud verò Divum Thomam erat vel bonum, vel malum.

16. Respondeo igitur, quod *Deus damnat*, & hoc certò scire possumus, nusquam, & nunquam excusatur. Potest pro nunc hæc propositio concedi. Dixi potest concedi, non tamen absolutè, & sine limitatione debet concedi, quia certum est, damnare Deum accessum ad non suam; & tamen Jacob cognoscendo Liam non peccavit. Certum est etiam, quòd Deus damnat ebrietatem; & tamen Noe se inebriando non peccavit. Quod autem Deus damnat, & hoc scire non possumus certò, sed solùm probabiliter, *tunc excusamur, si erramus*, uti excusabantur sectatores opinionum falsarum Cypriani, Hieronymi, Glossæ, Magistri, Gratiani, & aliorum Antiquorum. Nec moderni *pro arbitrio, & libidine* malum bonum interpretantur, sed ex ratione, *probabili quidem*, quia in rebus obscuris nisi probabilitas reperiri fas est, ut patet etiam in Patribus, & Antiquis variantibus in opinionibus, & unum, & idem sentientibus in assertionibus juxta Seraphicum in 2. distinct. 15. in explicat. Litter. ut alibi dixi.

17. Secundo loco refert Divum Augustinum hom. 12. sic dicentem: Ecce dat tibi securitatem Procurator, quid tibi prodest, si Paterfamilias non acceptet? Procurator sum, servus sum. Vis dicam tibi, vive quomodo vis, Dominus te non perdet. Securitatem tibi Procurator dedit, nihil valet securitas Procuratoris. Utinam Dominus tibi securitatem daret, & ego te sollicitum facerem. Domini enim securitas valet, etiamsi nolim, mea verò nihil valet, si ille noluerit. Quæ est autem securitas, fratres, vel mea, vel vestra, nisi ut Domini jussa intentè, diligenterque audiamus, & promissa fideliter expectemus? Et serm. 34. de diversis *dispensatores serpentis* vocat, quicunque promittunt, *quæ non promisit Deus.*

17. Hic pariter textus nihil probat, & patitur manifestam instantiam, & Vendrochius debet fateri aliquos Sanctos, & Scholasticos antiquos dedisse securitatem, in quibusdam non reperiri peccatum mortale, in quibus inveniri, alii affirmabant, & tamen certum est, Deum recepisse illam securitatem, licèt postea inventum fuerit, in illis mortale peccatum inveniri; & aliter dicere est damnare ad inferos illos Patres, & Scholasticos. Sic pariter, si in dubiis Subditus Parochum, vel Episcopum adeat, & faciat, quod Parochus, vel Episcopus dicit, non peccat eis obediendo. c. *quid culpatur.* 23. quæst. 1. & tamen Parochus, & Episcopus falsum dicere possunt.

18. Jam scimus Procuratorem non debere excedere terminos mandati. *l. diligenter ff. mand.* unde solùm debet facere, quod ipsi committitur. c. *Innotuit* de elect. quod si audax Procurator illos transierit, totum invalidum erit, quia quisquis rebus suis modum imponere potest, cui alter quiescere tenetur. *l. in tradit. ff. de pactis.* Hinc colligitur, quòd, si Procurator servat mandatum, Paterfamilias debet rata ha-

habere; quæ ille fecit, quasi ea fecerit; quia, qui per alium facit, per seipsum facere videtur, de Regul. jur. in sexto. Quæ dicimus ergo de Procuratore hominum, idem debet judicari de procuratoribus Dei; Hi autem sunt Episcopi, Parochi, & Confessarii, qui, si servant mandatum Dei, Deus tenetur rata habere, quæ dicunt. Porro Procurator, de quo loquitur Augustinus, mandatum Dei non custodit, dicit enim, *Vive, quomodo vis.* Hoc autem est evidens, esse contra mandatum Dei, qui non vult, ut vivamus, ut volumus, sed juxta suam legem. Sic Deus jubet, ut libidinosus vivat secundùm Castitatis legem, non juxtà libidinem voluntatis. Hinc, quamvis Confessarius diceret contrarium, Deus non acceptaret, quod dicit, quia evidenter transgreditur legem, & mandatum.

19. Dices, Deus non mandat, imo prohibet, quòd Parochus, Confessarius, &c. dicant falsitatem; ergò responsio probabilis, si est falsa, est contra mandatum Dei.

20. Sed contra est, quia Deus prohibet quidem, ne falsum dicamus, quando veritatem scire possumus, non autem, quando scire non possumus. Unde, si Ecclesia decideret, Beatam Virginem fuisse conceptam immaculatam, non per hoc peccavisset Angelicus, qui oppositum dixit, & hoc quia suo tempore res erat obscura; unde tunc veritas sciri non poterat. Ulteriùs lego Glossam in c. tempora 26. quæst. 7. V. *arbitrio tuo*, ubi ait, quod Procurator ex causa potest mandare contrarium illius, quod mandavit Dominus, *ut ff. mand. l. si hominem*, & jure merito lex decidit ita, quia in casu potest mihi placere oppositum ei, quod mandavi. In mandatis tamen Divinis nolo ego tantam libertatem concedere, quando clarè constat de voluntate Dei, quamvis etiam hoc possemus dicere accidere, quando ex causa Pontifex, & alii Prælati relaxant, & dispensant in juramentis, & votis. Concedo ego, & invitus debet concedere Vendrochius, quòd in rebus obscuris Procurator Dei Confessarius, Parochus, &c. potest mandare oppositum, quod Deus jussit, & hoc, ne damnemus Patres, & Scholasticos variè opinantes. Hac responsione satisfit alteri textui ex Augustino sumpto, quin potest satisfieri omnibus aliis, quæ affert, & afferre potest.

21. Hinc textui ex Fœlice Tertio Summo Pontifice Epist. 3. dicenti: *sciat, quòd se decipit ipse, qui fallit, nihilque per nostram facilitatem Tribunalis Excelsi Judicio derogari, cui illa sunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ justa sunt.* Ex allata Doctrina patet responsio; siquidem, qui in re obscura falsum dicit, se decipit quidem, non tamen peccat, quia tunc non tenetur scire veritatem; sicut Jacob cognoscens Liam decepit quidem se, quia credebat cognoscere Rachelem, non tamen peccavit, quia non tenebatur uti omnibus mediis ad sciendum, an esset illa mulier uxor sua. Per hanc porrò falsitatem, & per quamcumque aliam Excelso Tribunali nulla injuria irrogatur, ut optimè dicit Pontifex, quæ Doctrina nobis nihil obest, nec prodest. Deo autem rata sunt, non solùm quæ certò sunt pia, certò vera, & certò justa, sed etiam, quæ tantùm probabiliter, quia sequaces Divi Thomæ, & Scoti, &c. placent Deo, & tamen aut hi, aut illi falsum sequuntur, quod tamen est probabiliter verum.

22. Eadem Responsione explicatur textus Divi Basilii de abdicat: rerum dicentis: Contendit Adversarius noster, ut nobis persuadeat, ut alicui nos credamus propria vitia simulata quadam lenitatis specie commendanti, ut hoc modo innumeris nos pravis libidinibus irretiat. Si ergo cum corpore tuo mitiùs agere volens magistrum tibi quæsieris, tecum se ad vitia tua demittentem, vel, ut verius dicam, secum una in eamdem perniciem corruentem, frustra mundanis rebus nuncium remisisti, qui cæcum tibi ducem ascive-
veris,

veris, cujus ductum sequuto in foveam tibi sit procidendum.

23. Subdit Vendrochius: Ecce Basilio teste mollis ille, & indulgens Rector, quem certè discipuli probabiliter sentire existimant, non enim aliter ipsum sequerentur, nihilominus ipsos secum in foveam abripit qualibet probabilitate deceptos. Sic Vendrochius.

24. Huic quoque Textui, ut dixi, eadem responsione fit satis; nam Basilius loquitur de Rectore, *qui commendat propria vitia simulata quadam specie lenitatis, ut hoc modo innumeris libidinibus nos irretiat.* Dico ergo, quòd hæc de illo solo Rectore dici queunt, *qui contra certam veritatem per simulatam probabilitatem erroneam opinionem edocet.* Nec enim de illo ista canes, qui, quamvis alii Antiquiores partem rigidam amplexi fuerint, tradit partem benignam, & humanæ libertati faventem, tradit, in quam non certò, *sed probabiliter* in materia obscura. Exemplum sit de Beato Alberto Magno, qui in 4. distinct. 31. art. 24. sustinet, quòd variatio modi Copulæ maritalis, licèt fieret modo Brutorum, non esset peccatum mortale, & hanc conclusionem ponit his terminis, *ut mihi videtur, contraria non placet.* Porrò hæc verba non denotant cognitionem certam, & firmam, sed probabilem, & illam nedum non probat per Scripturas claras, & textus Sanctorum apertos, & authoritatem Ecclesiæ, quæ sunt principia certa Theologiæ, sed solùm ibi dicit, sibi contrariam opinionem alibi non placuisse. Ubi autem illam ex professo tractaverit, non inveni. Certum est hìc dicere quosdam tenuisse partem rigidam. Et certum quoque est, quòd Antoninus par. 3. tit. 1. cap. 20. §. 3. refert, hanc opinionem fuisse Alberti in 4. & ex eo nullam rationem affert pro ipsa. Ego ex nullo capite possum judicare, Albertum edocuisse ut certam suam opinionem; & in rei veritate certa non est, & nequit negari naturam valdè abhorrere à tali modo coeundi; ergo talis modus potest esse peccatum mortale. Beatus Antoninus sequitur opinionem Alberti merè ob authoritatem Alberti, & refert pro contraria Petrum de Palude, Henricum Boic, Guil. & Parral. in sum. vitiorum. Certè Authoritas Alberti non facit rem certam, præcipuè cùm ei opponatur authoritas Paludani, qui fuit magnus Theologus, & Boic, qui fuit magnus Canonista; Guil. autem, & Parald. Casuistæ non infimi fuerunt. Hinc ratione authoritatis extrinsecæ utraque opinio erat probabilis. Quia verò per Antoninum par. 1. tit. 3. cap 10. §. 10. inter duas opiniones, cæteris paribus, benignior est amplectenda, ideò hìc interpretationem Alberti benignam simul, & probabilem sustinet.

25. Ex his habeo, quòd Albertus, & Antoninus in materia luxuriæ sequuti sint opinionem benignam contra alios rigidam amplectentes, & illam solùm ut probabilem amplexi sunt. Adhuc tamen non per hoc Vendrochius audebit dicere, Albertum, & Antoninum fuisse *Duces cæcos, suos discipulos libidinibus deturpasse, illosque secum in foveam traxisse.* Sicut ergo de Alberto, & Antonino, quia opiniones verè probabiles sequebantur, textus Basilii non quadrat, ita de aliis benignas opiniones, quamvis solùm probabiles, sequentibus dicendum venit.

26. Refert etiam pro se Tres Authoritates ex Libris Moralibus Magni Gregorii acceptas.

27. Prima est ex lib. 1. cap. 2. sic se habens: Nonnulli ita sunt simplices, ut rectum quid sit, ignorent, sed eo veræ simplicitatis innocentiam deserunt, quoad virtutem rectitudinis non assurgunt; quin, dùm cauti esse per rectitudinem nesciunt, nequaquam innocentes persistere per simplicitatem possunt. Vendrochius dicit, hunc textum *apertiùs spoliare probabilitatem falsam securitate.* Si per probabilitatem falsam Vendrochius intelligit propositionem oppositam veritati claræ, & manifestæ, verum dicit, nec est contra nos, qui dicimus opinionem oppositam veritati certæ non esse probabilem, sed erroneam. Si verò

per

per probabilitatem falsam intelligit propositionem nixam rationi gravi, & propter hoc pluribus Sapientibus approbatur, ut vult Aristoteles ad probabilia requiri 1. Topic. cap. 1. num. 6. quæ propositio postea decursu temporis apparet falsa; si, inquam, talem propositionem intelligit, errat prorsus Vendrochius, quia sic vel Divus Thomas, vel Divus Bonaventura, vel Scotus, &c. veræ simplicitatis innocentiam deservissent in iis, in quibus variè opinantur; cum aliquis ex ipsis falsam propositionem sustinuerit. Igitur eadem responsione fit satis; Unde, qui contra veritatem manifestam eunt, hi simplicitatem innocentem derelinquunt, non qui contra veritatem occultam, & obscuram determinant; Nam, cum scire veritatem nequeant, procul dubio venia digni sunt, ut est venia dignus, qui cognoscit uxorem alienam credens habere rem cum sua.

28. Secunda Authoritas sumitur ex lib. 3. cap. 19. Plerumque, inquit, quædam se nobis vitia sub specie virtutum tegunt, quasi blanda ad nos facie veniunt. Sæpe immoderata ira justitia; sæpe incautus timor humilitas; sæpe affrænata superbia appetit libertas apparere. Ad consolandum ergo amici Job veniunt, sed ad increpationis verba dilabuntur; quia nimirum vitia virtutem specie palliata blanda quidem superficie inchoant, sed aspera nos contrarietate perturbant.

29. Ego, si verum, quod sentio, fateri debeo, non video, ad quid inserviat hic Textus, & nullo modo probabilitatem impugnat. Addo, quòd ego, ne decipiar à me, consulo Doctores Antiquos, & quia vixerunt in tempore, quo per Adversarios Doctrina Veritatis non erat corrupta, ideò credo vitia pro virtutibus non intrusisse, illos ergo sequor in omnibus. Quia verò in multis variant in opinionibus, cogor credere in illis probabilitatem sequi, & adhuc credo, in vitia, virtutis specie blanda tecta, non ruere, cum, ut dixi, vixerint ante talem corruptionem. Quòd si Vendrochius hos etiam Antiquos calumniari voluerit, intrusisse vitia pro virtutibus, illum amando ad Thomistas, Scotistas, &c. ut pœnam debitam pro tanta temeritate recipiat.

30. Tertia Authoritas ducitur ex lib. 5. cap. 6 Sæpe, inquit Gregorius, opus nostrum causa damnationis est, quod profectus putatur esse virtutis. Sæpe, unde placari judex creditur, inde ad irascendum placidus instigatur, Salomone attestante, qui ait: Est via, quæ videtur homini recta, & novissima illius ducunt ad mortem; Unde Sancti viri cum mala superant, sua etiam bene gesta formidant, ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur, ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris. Sciunt enim, quia corruptionis adhuc pondere gravati dijudicare bona subtiliter nesciunt, & cum oculos ante extremi examinis regulam deducant, hæc ipsa in se nonnumquam, & quæ approbant, metuunt, & tota quidem mente interna desiderant, sed tamen de incertitudine operum trepidi, quo gradiuntur, ignorant.

31. Subdit Vendrochius, quòd hæc pestifera labes putredinis, & vitia tecta sub virtutis specie sint illiciti per se actus, qui liciti à nobis falsa verisimilitudine videntur. Hæc ergo cum nihilominus certa esse peccata pronunciet Gregorius, & propterea trepidos semper esse justos jubeat, ne fortè Deo displiceat, quod à nobis rectum existimatur, *manifestè totam Probabilitatis doctrinam evertit*.

32. Ego pro certo teneo hunc Textum suffragari Probabilitatis doctrinæ. Sic ego formo Argumentum. Qui operatur cum formidine, ille operatur cum Probabilitate; sed Sancti viri, Gregorio teste, operantur cum formidine; ergo operantur cum Probabilitate. Major patet, quia formido solùm ponitur in definitione opinionis per Philosophos; & quia formidans non est certus, & certus non formidat. Nunquid formidabo malè facere, si sequar opinionem affirmativam, esse præceptum confitendi circumstantias aggravantes? Minor Ar-

menti est ipsa doctrina Gregorii....... quia Sancti operantur cum incertitudine, *de incertitudine operum trepidi, quo gradiuntur, ignorant.* Incertitudo autem, & ignorantia itineris non stant simul cum certitudine, & cum scientia, bene quidem *cum Probabilitate*; ergo, si sancti cum incertitudine, & ignorantia viæ gradiuntur, proculdubio non ambulant cum certitudine, & scientia, ut vult nos cogere Vendrochius, ut credamus, ad ambulandam viam Dei requiri cognitionem certam, & scientiam, *nec sufficere Probabilitatem.*

33. Cùm Divus Gregorius referat textum illum Proverbiorum, jam liquet Sanctum Doctorem explicandum esse, ut fecimus eundem textum; & illa duplex explicatio mihi videtur multum quadrare; Nam proprium Sanctorum est benè quidem agere, sed semper timere, ne aliqua passio ipsos moveat ad illam bonam actionem; & sic ne bonum opus corrumpet. Passio ergo est illa pestifera labes, quæ sæpe sub specie boni operis se insinuat, & quam valdè Sancti metuunt, & formidant, & curant, ne lateat in suis operationibus. Sic sæpe Judex offensus ab aliquo particulari rapitur ab ira sub specie vindicandi violationem Legum ad vindictam particularem. Cognitio autem hujus rei est difficillima; & ideò Sancti tam metuunt, & formidant; Nec Probabilitas est illa pestifera labes, de qua sine probatione Vendrochius asserit, Gregorium loqui; aliter, ut centies dicebam, cum Divus Thomas, & Divus Bonaventura sequuti sint oppositas opiniones, & sic probabilitatem, unus ex ipsis hac labe infectus fuisset, quod est absurdum.

34. Tandem Vendrochius refert longum Textum ex Divo Bernardo lib. de præcep. & dispens. cap.17. & 18. quem dicit decretorie vitiosis accensere actiones ex opinione falsa, quamlibet probabili, profectas. Ait ergo Sanctus Doctor: ut interior oculus verè sit simplex, duo illi arbitror esse necessaria, Charitatem in intentione, & in electionem veritatem; nam si bonum diligat quidem, sed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, sed non secundùm Scientiam, & nescio quemadmodùm judicio veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas. Volens denique ad veram discipulos instruere simplicitatem Magistra Veritas, estote, inquit, prudentes, sicut Serpentes, & simplices, sicut columbæ. Præmisit ergo Prudentiam, sine qua neminem satis esse posse simplicem sciret. Quomodò denique vere simplex erit oculus cum ignorantia veritatis? Aut verò vera potest dici simplicitas, quam simplex ignorat veritas? Scriptum est enim, Ignorans ignorabitur. Patet ergo laudabilem illam, & à Domino laudatam Simplicitatem absque his duobus non esse bonis, *benevolentia, atque prudentia*, ut oculus videlicet cordis non solum pius, qui fallere nolit, sed & cautus sit, qui falli non possit.

35. Prosequitur Divus Bernardus cap.18. sine malo quocunque non erit decepta simplicitas. Cur, inquis? numquid non ex fide? prorsus ex Fide, sed falsa, vel potiùs non ex fide, quia fides falsa fides non est. Denique de fide vera, non falsa puto dixisse Apostolum, omne, quod non est ex fide, peccatum est. Non autem ex fide vera bonum creditur, quod malum est; est enim falsum; peccatum igitur est. Utrumque proinde complectitur præsens capitulum: omne, quod non est ex fide, peccatum est &c. & cœcam videlicet malitiam, & deceptam innocentiam, quia, quod à nesciente fit, & bonum prorsus condemnat intentio prava, & malum non penitùs excusat recta. *Sive itaque malum putes bonum; quod fortè agis, sive bonum malum, quod operaris, utrumque peccatum est, quia neutrum ex fide.* Subdit Vendrochius, nihil huic loco addere necesse est; videtur enim Bernardus omnia istorum suffugia præcludere studuisse.

36. Verè, Vendrochi, omnia suffugia præcludere studuit Mellifluus Doctor, non præclusit tamen, nec potuit, aut voluit, evertere Glossas veras, quæ suæ Doctrinæ necessariæ sunt. Dicit ergo

ergo Divus Bernardus in Opusc. diversi Sentent. §. *Quatuor fontes* litt. E. quòd triforme vinum in Scypho Dei est, Rubicundum in longaminitate Sanctorum, quod lætificat Isaac in ægritudine; *Album in remuneratione justorum, quo ebriatur Noe*; Nigrum, & Acidum in damnatione pravorum. Certè Noe non bibit juxta Sanctum Doctorem in damnatione pravorum: ergò Noè per ipsum *non peccavit, dum ebriatur vino Albo in remuneratione justorum*. Ergo Noe non credebat, se facere contra temperantiam; & tamen de facto fecit; ergo Noe habuit cognitionem falsam, ergo aliquando cognitio falsa in moralibus per Divum Bernardum stat simul cum actione bona, seu saltem cum actione, quæ non est mala.

37. Præterea lib. 5. de consid. ad Engenium cap. 3. asserit, quòd Deus, & Spiritus Beati tribus modis, velut viis, totidem nostra sunt consideratione vestigandi, *Opinione*, Fide, Intellectu, quorum intellectus rationi innititur, fides auctoritati, Opinio sola verisimilitudine se tuetur.

38. Habent illa duo certam veritatem, sed fides clausam, & involutam, Intelligentia nudam, & manifestam; Cæterum *Opinio certi nihil habens verum per verisimilia quærit potius, quàm apprehendit.* Omninò in his cavenda confusio, ne aut *incertum opinionis* fides figat, aut, quod firmum, fixumque est fidei, opinio revocet in quæstionem. Et hoc sciendum, quia opinio, si habet assertionem, temeraria est. Fides si habet hæsitationem, infirma est. Multi suam opinionem intellectum putaverunt, & erraverunt. Et quidem opinio potest putari intellectus, intellectus opinio non potest; Undè hoc accidit? profectò, *quia hæc falli potest, ille non potest*; aut, si falli potuit, intellectus non fuit, *sed opinio*. Possumus singula hæc ita definire. Fides est voluntaria quædam certa prælibatio veritatis, nec dum propalatæ. Intellectus est rei cujuscumque invisibilis certa, & manifesta notitia *Opinio est quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias*; ergo, ut dixi, fides *ambiguum non habet*, aut si habet, fides non est, *sed opinio*.

39. Ecce evidenter per Divum Bernardum de ratione opinionis esse, *quòd nihil habeat certi, quòd falli potest*, quòd habeat ambiguum, & quod *verum per verisimilia quærit*. Hinc optimè definitur opinio, quòd per ipsam *quasi pro vero habemus aliquid, quod nescimus esse falsum*. Si enim sciremus esse falsum, illa cognitio non esset opinio, sed error; utpote contra certam, & manifestam veritatem. Hinc ego colligo, quòd in opinione ipsa definita à Divo Bernardo reperiri possit falsitas. Requiritur tamen quòd opinans nesciat in ipsa falsitatem reperiri; Unde ulterius infero, D. Bernard. coincidere nobiscum in acceptione opinionis, ut dixit c. 2.

40. Per Divum ergo Bernardum considerare possumus Deum, & Beatos Spiritus tribus modis, & tribus viis, scilicet *Opinione*, Fide, & intellectu. Per Fidem certò attingimus, quæ revelata sunt, v. gr. quòd Deus sit Unus, & Trinus, *quòd Angeli à Deo sint conditi*. Per Intellum cognoscimus, quæ per demonstrationem de Deo habere possumus, v. gr. quòd Deus sit Unus. Per opinionem ea, quæ incerta sunt, v. gr. quòd Angeli loquuntur producendo physicè actum auditionis in alio, ut tenent Scotistæ. Divus Bernardus c. 4. *dixerat*, fide nos tenere Beatos Angelos esse in Cœlo petentes, gloriosos, perfectos in genere suo, *corpore æthereos*, immortalitate perpetuos, &c. Subdit tamen Sanctus Doctor, quamquam de corporibus horum, non modo unde sint, sed an aliquatenus sint, hæret sententia aliquorum; *Undè, si inter opinabilia magis id ponendum censuerit, non contendo.* Nota, lector, Divus Bernardus non contradicit, quòd ponamus inter opinabilia, Angelos esse *corpore æthereos*. Ergo possumus licitè opinari, Angelos Beatos esse *corpore æthereos*. Quòd Angeli constent corpore, nunc communiter à Theologis falsum creditur, ut videre licet apud Suarez lib. 1. de Angelis

T 2

lis cap. 6 num.6 & quidem sic dicunt Patres, quos longa serie Stephanus Bubalus in tom. de Angelis in comment quæst. 50. Doctoris Angelici art.1. quæst.3. diffic.1. §. 7. refert; Unde concludit §. 10. hisce temporibus Catholicum non posse opinari, Angelos esse *corpore præditos*. Ex his habemus per Divum Bernardum, nos posse cognoscere Deum, & Angelos Beatos per cognitionem, quæ ita sit vera nobis, ut possit esse falsa in se, & hæc est cognitio probabilis Modernorum. Si autem licet de Deo opinari, licebit de ejus Lege, etiam æterna, quia Lex æterna non est objectum nobilius, quàm Deus ipse. Juxta ergo principia Divi Bernardi nequit negari, quòd *probabilitas*, quamvis in se esset falsa, sit regula bona operationum humanorum.

41. Nunc directè respondendo ad textus Doctoris Mellifluí assero, intelligendos esse in materia clara, non obscura; In hac enim, si quis bonum diligat, sed falsum per accidens eligat, bene facit. Sicut, si quis diligens Christum adorat hostiam à Sacerdote in Missa elevatam, quam tamen non consecravit, hic bene facit, licèt falsum eligat. Sic etiam, si ego intendens servare præceptum Christi de Confessione fateor peccata, & relinquo circumstantias aggravantes ob opinionem Divi Thomæ, si postea hæc opinio falsa detegeretur, adhuc illa mea Confessio fuisset bona, & Sancta. Sic etiam, si Confessor Ordinarius auditis reservatis, & non reservatis, sequens Antiquos absoluit pænitentem, & jubet, ut pro reservatis ad Superiorem recurrat, & ideò absoluit, quia videt, Antiquos excepto Durando, sustinere licitam esse talem absolutionem; si deinde damnaretur talis opinio, tamen illa absolutio fuisset licita, nec peccasset Sacerdos. Hinc illa verba: *sive itaque malum putes &c.* sic glossanda veniunt: sive itaque malum *in materia clara, & manifesta* bonum putes, quod fortè agis; sive bonum malum, quod operaris, utrumque peccatum est. Addo hunc textum Divi Bernardi fuisse prolatum à Merenda ante Parochos, & ei fuisse satisfactum à Mastrio in 2. disput.5. num. 98. qui pariter refert, & explicat textus Patrum, quibus Merenda impugnabat probabilitatem, qua Doctrina optimè explanantur Textus Vendrochii; Unde mirum est, quare afferat textus, & non impugnet Adversariorum explicationes. Nunquid explanationem suorum Parochorum judicat certam? At nobis nec probabilis apparet.

CAPUT XXV.

Expenduntur Decreta Episcoporum Gallorum, quæ refert Vendrochius, quibus videtur Probabilitatis Doctrina condemnari.

1 IN meo Codice Vendrochii post notas in epistolas Montaltii reperitur duplex appendix, in quarum Prima rursus Probabilitatem contra Stephanum Decamps insectatur. Nescio ego, an ipse Vendrochius hasce composuerit, an ejus discipulus; Stylus certè Vendrochium refert, cùm politior, & acerbior, quàm credi queat, existat.

In prima ergo Appendice §. 11. refert censuras factas ab aliquibus Episcopis Gallis.

2. Prima est Archiepiscopi Senonensis, quam, quia loquitur de opinione minùs probabili, alibi discutiendam relinquo.

3 Secunda est Ecclesiæ Parisiensis; sed quia in ipsa sermo est de Probabilitate *generatim*, & *indefinitè accepta*, & sic in omni materia, non est ad propositum; cùm certum sit, in materia de validitate Sacramentorum, & aliis aliquibus Probabilitatem non habere locum.

4. Tertia est Episcopi Bellovacensis facta 12. Novembris anno 1658. & in ipsa

ipsa dicitur; *doctrina Probabilitatis omnium corruptellarum scaturigo.* Quia Vendrochius non affert integrum decretum, ideo juvat credere, loqui de Probabilitate generatim, & indefinitè accepta, ut fecit Archiepiscopus Parisiensis.

5. Quarta est quinque Episcoporum Aquitanorum; sed quia damnant Probabilitatem *prout ab Apologista explicatur*, negotium erit illorum, qui defendunt hunc Apologistam, respondere huic censuræ.

6. Quinta ultima, & longa est Episcopi Venciensis lata anno 1659. 6. Maii, & de hoc Episcopo dicit illud Carmen dictum ab Augustino de Prospero: *Flumina Librorum mundum effluxere per omnem.* Magna Laus! & credo veram. Sed cùm Libri inscribantur, & nuncupentur à Nominè, & cognomine Authoris, non verò à Dignitate, ordinariè loquendo, ideò maximè laudi tanti Episcopi consuluisset, si illum proprio nomine, & cognomine appellasset; sic enim, qui illum non noverunt, nec viderunt sua opera, potuissent illum cognoscere, & hæc sibi comparare. Ego ergo volo tot, & tanta opera comparare, qui potero? Fortè reperiuntur in Italia, illa tamen Bibliopolæ mihi non vendent, nisi nomen Authoris, & cognomen indicabo.

7. Sed Censuram referamus, & respondeamus eidem. *Hæc*, inquit, *Probabilitatis Doctrina à mendacii parente procul dubio his postremis temporibus eo Consilio inventa est, ut omnia præcepta Evangelii eluderet, & carnalibus animis Christianæ Doctrinæ, propriæque salutis supremum arbitrium permitteret.* Nescio, an Illustrissimus Episcopus hæc scribat per modum decreti Episcopalis, an verò disserat hæc ut Theologus. Ex narratione Vendrochii videtur Episcopus decretum edere; utcumque tamen res se habeat, dicimus, salva reverentia ipsi debita, negamus, & iterum negamus, & tertiò negamus, Probabilitatis Doctrinam à mendacii Parente inventam fuisse. Et quærimus, An dum Sancti, dùm Scholastici Antiqui in rebus gravissimis dissentiunt, illa Doctrina sit inventa à mendacii parente, an non. Primum sine temeritate dici nequit. Si secundum dicatur, tunc assignetur ratio, quare illa varietas opinionum, quæ necessariò importat falsitatem, non sit inventum Dæmonum, benè verò Probabilitas. Nec pariter Probabilitatis Doctrina inventa est his postremis temporibus; cùm Antiquissimus Aristoteles tractaverit de Probabilibus, & de opinione, quam asseruit posse aliter se habere; atque adeo ita esse veram, ut possit esse falsa. Et supra dixi, Divum Bonaventuram referre, quòd Catholici Tractatores in opinionibus differant, consentiant autem in assertionibus. Et Divus Bernardus optimè per opinionem considerabat Deum, & Beatos cives. Per nos autem opinio, & Probabilitas nihil differt. Ergo Probabilitatis Doctrina non est inventum modernum, sed Antiquum.

8. Nec Probabilitas omnia præcepta Evangelii eludit, sed nullum; Explicat solum in obscuris non adesse præceptum probabiliter, in quibus alii probabiliter sustinent vigere. At hoc non est eludere præcepta Evangelii; aliter sic calumniarentur Sancti, & Antiqui, qui in his materiis hoc modo procedebant, & præcipuè calumniaretur Illustrissimus Archiepiscopus Sanctitate, Theologia, & facultate Canonica Beatus Antoninus, qui part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. inter duram, & benignam legum interpretationem volebat benignam esse amplectendam cæteris paribus.

9. Præterea dùm Divus Thomas, Bonaventura, Richardus, & alii Antiqui expressè asserebant, vel utramque vel unam partem, etiam benignam, esse probabilem, ut præcipuè demonstrabo in difficultate sequenti, non per hoc possumus dicere, illos eludere præcepta Evangelica.

10. Sine autem injuria nostrorum Doctorum nequit dici, quòd probabilitas permittat *Carnalibus animis propriæ salutis, & Christianæ Doctrinæ supremum*

arbitrium. Sicut obscuritas Præceptorum permittebat Sanctis, & Scholasticis antiquitus, ut variè opinarentur; ita nunc permittit non animis carnalibus, sed *animis doctis*, veluti Suario, Vasquio, Medinæ, Salonio, Dianæ, & similibus, ut in varias probabiles sententias abeant, etiam in materia naturali, obscura tamen, in qua re nullum video discrimen inter varietatem opinionum, & plurium sententiarum probabilium.

11. Prosequitur censura: *Asserit Evangelium sola demum veritate vos liberos effici posse. Veritas liberabit vos. Asserit, nos non ex hominum sermone, sed ex verbo Dei judicandos. Sermo, quem loquutus sum vobis, ille vos judicabit in novissimo die.*

12. Ego pro responsione eruo hanc conclusionem: Ergo vel Divus Thomos, vel Divus Bonaventura, vel Scotus damnati sunt. Consequentia probatur, quia, cum opponantur in Doctrina morum, jam falsum in re gravi docuerunt; & sic liberari non potuerunt; & sic ille sermo non fuit ex verbo Dei.

Nec fieri posse, sequitur censura, *quia, qui cæcum sequitur ducem, videlicet vel propriæ, & alienæ rationis errorem, cum ipso pariter in foveam decidat.*

13. Si mea mens non me fallit, per errorem intelligit propositionem quomodolibet falsam, etiamsi sit contra veritatem occultam. Quod tamen apud Doctores est falsum, ut vidimus, & ex propositionibus contrariis Divi Thomæ, & Scoti una est falsa, sed nulla est error, & aliter dicens vapulabit à Thomistis, vel à Scotistis.

14. *Asserit Sanctus Thomas*, reassumit censura, *& cum eo omnes nomine digni, Legem Dei æternam immotam esse actionum nostrarum Regulam; & quæcunque actio ab ea dissideat, hoc ipso malam esse.*

15. Et ego replico, Jacob noscentem Liam, & maritum quemlibet cognoscentem alienam mulierem secretò subintroductam non peccare mortaliter per omnes Doctores Theologos, excepto, ut dixi, scrupuloso Parisiensi; & tamen Jacob, & ille maritus dissident à lege æterna, quæ prohibet mixtionem cum non sua. Et sicut Doctores illos excusant, eo quòd Jacob, & ille maritus non tenebantur ad omnia media ponenda, ut veritas haberetur; ita dicimus, quòd in materia obscura impossibilitas sciendi veritatem excusat nos, si erramus; & qui contrarium asserit, debet afferre textum, qui dicat, legem naturalem obligare, etiam obscurè propositam; sed hoc adhuc factum non est, nec fiet.

16. *Asserunt Theologi iidem*, inquit censura, *Conscientiam erroneam*, idest, quæ veritati contrariam opinionem sequitur, *in naturali jure non omninò excusare. Error, inquit Sanctus Thomas, quodlib. 9. art. 13. quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licèt fortè à tanto.*

17. Episcopo opponamus Episcopos. Episcopus ergo fuit Canus, & quidem doctissimus, & qui juxta principia Vendrochii doctor Antiquus est censendus. Vidimus ergo supra, ipsum pro errore, & propositione erronea intelligere illam, quæ est contra veritatem certam. Episcopus, quin Archiepiscopus, fuit Theologus, & Canonista Beatus Antoninus, & tamen 3. part. tit. 5. cap. 2. §. 9. opiniones diversas Divi Augustini, & Divi Hieronymi de observatione legalium, & de simulatione Divi Petri non vocat erroneas, & asserit contineri intra illas, in quibus per Divum Thomam licet unicuique abundare in proprio sensu. Et ibidem subdit Antoninus, quòd ante determinationem Ecclesiæ potest excusari, si quis hanc vel illam partem defendat; & sic opinionem contrariam veritati amplectitur. Ergo opinio contraria veritati non semper est conscientia erronea, si per conscientiam erroneam intelligatur, quæ obligat ad peccatum.

18. Audiamus Pelbartum in Rosar. tom. 1. ver. *opinio*, num. 1. Tertiò quædam sunt annexa fidei, vel Scripturæ, ut

nt illa, quæ faciunt ad fidei, & Scripturæ explicationem. Et in his illa opinio, quæ magis concordat, & sequitur ad fidem, & Scriptura, est tenenda; *Illa autem opinio, quæ sequitur oppositum*, & sic est falsa in se, *si teneatur ante pertractationem, & determinationem tanquam opinio*, potest sine peccato teneri. *Sed post pertractationem, & determinationem tenere est peccatum, sicut & opinari falsum de his, quæ determinata sunt per fidem, & scripturam, &c. Hæc ex Bonaventura.* Similia scribit Joannes Altenstaig in Lexic. Theolog. V. *opinari.* Ecce juxta Pelbartum ex Divo Bonaventura est licitum, & non peccat, qui sequitur falsum opinando ante pertractationem, & determinationem de iis, quæ sunt annexa fidei, & Scripturæ. Sed scripturæ annectuntur ea, quæ sunt juris naturalis, & Divini. Ergo ante pertractationem, & determinationem, & sic ante certam cognitionem, licet opinari falsum in jure Divino, & naturali.

19 Si Gonetus Probabiliorista, quique fuit unus ex Revisoribus Vendrochii, est *Theologi nomine dignus*, certè censura errat in explicatione *Conscientiæ erroneæ*; nam ipse in Clyp. Theolog. tom. 3. dissert. de opin. probab. art. 7. num.266. asserit, Vendrochium *errare, dum confundit opinionem probabilem falsam cum opinione erronea.* Prima enim illa est, quæ, licèt veritatem non attingat, probabili tamen rationi, seu verisimilitudini nititur. Secunda verò probabili rationi, vel authoritati non nititur, sed communi Ecclesiæ testimonio, vel Sanctorum Patrum traditioni repugnat; *Unde Theologi in tractatu de fide distinguere solent inter propositionem falsam, temerariam, erroneam, & hæreticam.* Sic egregiè Gonetus, quæ Doctrina apud me certissima est, & aliter dicens debet asserere, quòd vel Divus Thomas, vel Scotus opiniones erroneas sustinuerit. De hoc fusiùs dixi suprà.

20. Nec censura bene applicat ad propositum Textum ex quodlib. 9. Divi Thomæ; vidimus enim suprà, & evidenter probavimus, intelligendum esse ex Divo Antonino, & plurimis Theologis tum Antiquis, tum modernis in materia clara, non obscura. At quæstio nostra procedit in materia obscura, in qua certa veritas haberi nequit.

21. Prosequitur decretum: *At novi illi Doctores prorsus oppositam statuunt Conscientiæ legem, nil referre scilicet, veræne sint opiniones, an falsæ, modò sint probabiles, idest, ut ipsi se explicant, modò eas probantibus probabiles videantur, & aliqua nitantur ratione, vel saltem nonnullorum authoritate Doctorum; Alterutra enim ipsis, ut fatetur Caramuel Theol. fund. pag. 132. probabilitas sufficit. Addunt quidem illi nonnumquam rationes, quibus nituntur opiniones probabiles, solidas esse debere, nec ullam probabilitate donandam, nisi quæ non repugnet Scripturæ, & traditioni. Verùm hæ conditiones nihil aliud sunt, quàm laquei irretiendis, deludendisque simplicioribus instituti; non enim per solidas illas rationes eas intelligunt, quæ veræ sint; nullæ enim veræ rationes inveniri possunt ad stabiliendas opiniones falsas*, quibus certè accenseri debet magna probabilium opinionum pars, quæ, cum sibi invicem adversentur, simul veræ esse non possunt. *Has ergo illi solidas vocant, quæ solidæ probantibus videntur; hoc vero omnibus sine exceptione erroribus convenit; Nec enim quisquam ullum tuetur errorem, qui non solidas in judicando rationes sequi sibi persuadeat.* Addit Vendrochius: En illam, quam ac flatis rationum falsarum soliditatem explosam. Mi Vendrochi, si Doctissimus Episcopus esset infallibilis, benè diceres ab ipso *explosam* esse soliditatem rationum falsarum; cum verò sit fallibilis, & de facto hìc evidenter erret, ideo malè, & falsò dicis *explosam.*

22. Probemus intentum. Igitur assero, quòd in re obscura *opinio nixa gravi fundamento*, inquit Caramuel in edit. Secunda Roman: anno 1656. Fundam. 11. de opin. probab. *quam possit vir doctus defendere*, est regula humanarum actio-

actionum, licèt in seipsa esset falsa, & falsa posterioribus temporibus appareret. Insuper assero, in eadem materia obscura opinio, quæ à pluribus Sapientibus defenditur, est bona regula humanarum actionum, cum sic juxta Aristotelem sit probabilis, quamvis in se falsa, & postea falsa appareat. Et addo, quod dicere contrarium est damnare Patres, & Antiquos Scholasticos quoad illas materias, in quibus dissident in opinionibus, *quæ cum sibi invicem* (ut utar verbis præfati decreti) *adversentur, simul vera esse non possunt.* Ergo, si opinio falsa ex hoc *non est solida, nec bona regula actionum, & explodenda*, debent damnari Patres, & Scholastici Antiqui, qui falsas opiniones postea comperientur docuisse. Si ergo futuris temporibus Ecclesia Romana declarabit Beatam Virginem fuisse immaculatè conceptam, Divus Thomas erit condemnandus, sicut Divus Bonaventura, Divus Antoninus, & alii Sancti, qui contrarium communiter approbatum sustinebant. Huic argumento à me centies inculcato opto responsionem.

23. Opinio autem, licèt in se sit falsa, solidissimas rationes habet, & à viris doctis, & Religiosis approbatas; sic opinio asserens non dari præceptum de Confessione, tales rationes, & à talibus propugnabantur antiquitus, referentibus Magistro in 4. dist. 17. & Gratiano de pænit. dist. 1. fin. Unde ipse Gratianus dabat licentiam Lectori ipsam amplectendi. Et tamen hæc propositio, quæ illo tempore nomen opinionis merebatur ex Divo Thoma in 4. dist. 17. in exposit. litter. *nunc hæresis est*, ex c. *omnis utriusque*, sed clarissimè ex Conciliis Florentino, & Tridentino. Præterea Thomistæ, & Scotistæ habent rationes solidissimas, & dicere oppositum vapulabimus vel à Thomistis, vel à Scotistis; & tamen sustinent oppositas opiniones; *& sic simul vera esse non possunt.* Ergo opinio, quæ in se est falsa, potest habere rationes solidas.

24. Sic in materia Philosophica Aristoteles tenuit opiniones falsas; Unde lib. 2. Meteor. cap. 5. tom. 2. per Divum Thomam part. 1. quæst 102. art 2. ad 4. ut probabilius sustinuit, circulum æquinoctialem esse inhabitabilem, quæ opinio experientia constitit postea esse falsa. Adhuc tamen omnes opiniones Aristoteles suo tempore habebant rationes solidas; Ergo in Philosophia dantur rationes solidæ pro opinionibus falsis, quandiù sunt in materia obscura.

25. Sic etiam vidimus, Divum Bernardum considerare Deum, & Beatos Angelos *opinando, & opinione*, quæ per ipsum falli potest; & de facto dedit licentiam, ut opinaremur illos spiritus esse *Corpore æthereos;* & tamen hæc opinio est falsa. Nunquid ergo debemus, dicere, opiniones Divi Bernardi, si apparerent falsæ, ut apparuit illa de corporibus Angelorum, non habuisse rationes solidas?

26. Error ergo est duplex. Unus, qui est contra certam veritatem, & hic propriè à Theologis vocatur error teste Goneto. Alter, qui est contra veritatem occultam, & obscuram, & hic propriè vocatur propositio falsa, quæ potest esse probabilis, quin probabilior, ut patet in opinione asserente circulum æquinoctialem esse inhabitabilem, quæ antiquitus probabilior judicabatur, quamvis in se falsa. Secundus error potest habere rationes solidas, & graves, non itidem Primus. Hinc, quia materia de præcepto Confessionis tempore antiquo erat obscura, tunc utraque opinio, & sic negativa falsa, habebat rationes solidas; Unde magnus ille vir propter rationes oppositas non potuit, se determinare ad asserendam existentiam talis præcepti, & utraque opinio pro illo tempore, sicuti supra dixi, merebatur nomen *opinionis.* Tempore verò posteriori, cùm hæc materia sit declarata, utraque pars non habet rationes solidas, sed sola affirmativa, & pars negativa amisit nomen opinionis, & *hæresis est*, inquit Angelicus. *Hinc, cum alterius partis certitudo, aut evidentia accedit, omnes cessant probabilitates,*

litates, dicebat Caramuel ubi supra.

27. Quòd si quis tuetur errorem contra manifestum Scripturæ testimonium, vel contra decisionem Ecclesiæ, & sic contra certitudinem tueatur opinionem, judicando *suas rationes esse solidas*, dicimus hunc esse cœcum, qui veritatem lumine perfusam non videat; & quia est cœcus voluntariè, ideò peccat, & ejus rationes nullo modo sunt solidæ, cum, si vellet, videret illas esse falsas. Non est autem cœcus ex dictis, qui in re obscura non videt veritatem; sine enim lumine, licèt quis habeat oculos, nequit videre. Unde venia est dignus, si in talibus falsum dicit; qua venia dignos credimus Glossatorem, Gratianum, Magistrum, qui in multis, & plures Sanctos Patres, qui in aliquibus hisce materiis falsum docuerunt.

28. *Nec volunt etiam Casuistæ*, subsequitur decretum, *suas Probabilitates reipsa Scripturæ, Traditionisque principiis non repugnare; sic. enim omnes omnino falsas opiniones submoverent. Quid ergo? Ii demùm, ut qui eas tuentur, Scripturæ, ac Traditioni contrarias esse non existiment.* Jure hoc dicunt, & habent pro seipsis Beatum Antoninum ubi suprà, & alios Antiquos sustinentes illum, qui ante decisionem Ecclesiæ hanc partem tuetur, vel illam.

29 *Quid si habeantur contrariæ? nec sic probabilitatem amittent.* Bone Deus! nunquid inter Patres, & Scholasticos Antiquos non dantur opiniones contrariæ? vel quia certò dantur, ex hoc, quòd sunt contrariæ, probabilitatem amiserunt? Nonne per omnes Antiquos licet varie opinari de divinis Notionibus, usque dum inveniatur veritas certa? *Sufficit enim, quosdam Casuistas sic dicere;* qui tamen agitent quæstionem ex professo, & sint docti; Vel si non agitent illam quæstionem, tamen suas summas confecerint stylo scientifico, & more Doctorum, ut sunt Sylvester ex penè Antiquis, Astensis ex Antiquis, Castropalaus, Navarrus, & Azorius ex Modernis. In rebus enim obscuris facere, quod doctiores nobis dixerunt, non est malum; qua enim ratione tu asseres illud esse falsum?

30. Sed audi Pelbartum num. 15. sic dicentem: Secundùm Pan. in c. *Capellanus de Fer.* & in Angelica Summa, ac Antonina excusatur homo, qui sequitur opinionem Doctorum, *quæ postmodum apparet falsa*, nec tenetur homo semper in diversitate opinionum eligere tutiorem, *quia opinio est tuta*, (nota hanc propositionem causalem) *cùm habet doctorem pro se satis acceptum*, & hoc sufficit ad salutem cum tali voluntate, quòd non adhæreret ei, si non crederet esse veram. Unde in tali non est contemptus, *nec periculo se exponit;* & sic nec est peccatum inobedientiæ. Nam, si Joachim Abbas non fuit hæreticus, licèt tenuit falsum contra Fidem, quia talis Articulus non erat ab Ecclesia damnatus, ergo &c. vellem, quòd Adversarii deducerent Conclusionem, quam Author reticuit. Faciebat ipse quæstionem, an excusetur homo à peccato, qui sequitur opinionem doctorum, quæ postmodum apparet falsa. Cum doctor teneat affirmativè, conclusio debet esse: Ergò *excusatur homo à peccato sequens opinionem Doctorum, licèt postmodum appareat falsa.* Et debet addi, *etiamsi detur opposita opinio*: nam in responsione expressè ait, non teneri in diversitate opinionum eligere tutiorem.

31. Nota Primùm, nos excusari sequendo opinionem probabilem, quamvis in se *falsam*, quod dixit etiam ultra prædictos Doctores Baptista de salis in sua summa V. *ignorantia*, quod est contra Vendrochium, & contra Decretum. Nota Secundum, in diversitate opinionum sufficere, ut eligamus tutam relicta tutiori; & hanc securitatem provenire, quia habet pro *se doctorem satis acceptum*; Unde non provenit ex ipsa materia, quasi ipsa non possit contineri sub præcepto, quia ad illam amplectendam tunc non requiritur, quòd pro illa sit ullus doctor. Debet ergo supponi, ut respondeat titulo quæstioni, ut materia possit contineri

tineri sub præcepto; ut autem *tutè judicemus non contineri*, Pelbartus vult, ut habeat pro se *Doctorem satis acceptum*. Nos autem ipso Decreto teste exigimus ad securitatem, ut opinio habeat pro se *quosdam Casuistas*; & quamvis Decretum non referat alias conditiones, debent tamen subintelligi; quia, si dicta testium, qui sunt homines idioti, debent interpretari, ne sequatur absurdum, multò magis eadem Charitas adhibenda est in dictis Doctorum. Igitur illi Casuistæ debent esse docti, vel quæstionem tractare ex professo, &c. Caramuel ubi suprà exigit, ut defendatur *à probis, doctisque, & sufficere, si sint quatuor*. Subdit tamen, quòd si *alterius partis accedat vel certitudo, vel evidentia, omnes cessare probabilitates*. Hinc patet, plus requirere ad sequellam opinionis Caramuelem, & nos, quàm Pelbartus cum Angelo, Antonino, & Panormitano.

32. Joannes Nider in consolat. timor. conscient. par.3. cap.11. refert, se legisse in libris Veteribus Dominicanorum, Albertum Magnum responsum dedisse, quòd *quilibet cum salute potest sequi in Consiliis, quamcumque opinionem voluerit, dummodò alicujus Magni Doctoris sit*; Idem referunt Antoninus par.1. tit.3. cap.10. §. 10. & Altenstaig. Nescio, an faveat nostræ Doctrinæ dictum Beati Alberti; video enim in ipso non fieri mentionem de diversitate opinionum, ut nunc est controversia; scio tamen facere contra intentum prælibati decreti condemnantis Probabilitatem præcisè. Nam dictum cujuscunque Magni Doctoris non reddit rem certam, sed solùm Probabilem; ergo dictum Alberti approbatum ab Antonino, Nider, & Altenstaig opponitur præfato Decreto.

33. Prosequitur decretum. *Tunc enim ex Vasquesio, Sanchio, Escobario debet quis sibi suadere, quod sibi ineluctabile videtur, revera non esse, & ab alio solutiones quasdam, ac responsiones inventum iri.*

34. Mihi displicet, non notari locum, in quo videatur, an verè referantur; quia sic Lector sibi ipsi plenè satisfaceret. Vasq. 1.2 quæst. 19. art.6. disput.62. cap. 4. num. 18. ait, quòd, si quis solùm consideravit rationem aliquam peculiarem contra oppositam sententiam, *quæ sibi videatur omnino solvi non posse*, non propterea ce fere debet oppositam opinionem improbabilem, ut eam sequi non possit, *quia solo suo judicio non debet aliorum sententiam improbabilem judicare*. Hoc puto omnino certum; nam nobis aliquandò argumenta videntur demonstrativa, cum vix probabilia ab aliis judicentur; Et ego legi censuratas aliquas opiniones Scoti, & in particulari illam, quòd Christus ablata visione beatifica possit peccare, ob quasdam rationes, quas certas judicabant, quas tamen Scotistæ levi negotio solvunt, & ego cum ipsis. Sic etiam Lactantius instit. divin. lib.3. cap.24. asserebat quædam argumenta adeò sibi certa, ut alios in opinione opposita persistentes *in stultitia perseverantes* affirmaverit. Ibi autem Lactantius negabat Antipodas. Experientia autem compertum est, hanc *aliorum stultitiam* veritatem evasisse, & argumenta adeò Lactantio certa Sophistica apparuisse; Ergo evidenter sequitur, quòd quis solo suo judicio non debet fidere; Unde, si sibi *quædam ratio insolubilis videatur*, per quam aliorum opinio improbabilis esset censenda, & sic à se in praxi illa opinio non esset deducenda; adhuc debet humiliare intellectum suum, & judicare fortè se decipi, & à Doctoribus oppositis *responsionem, & solutionem inventum iri*; & sic adhuc illam opinionem remanere probabilem, & à se deducibilem in praxi. Sic etiam Dominicus Soto in 4. dist. 5. art.11. judicavit, opinionem omnium Antiquorum docentium, non posse baptizari infantem in uteris maternis inclusum, esse decisam à Canone, *qui in maternis*, & à Canone *si ad matris de consecr. dist.* 4. Unde per hoc inferebat, nemini licere hæsitare de hac opinione. At ego dico, errasse Sotum dicendo illam opinionem esse decisam in jure, quod infrà demon-

demonstrabo. Legamus antiquos, & videamus, an ipsi dicant, quæ scripsit Vasq. Nider in consolat. timor conscien. part.3. cap.19. docet: Ad idem est Matthæus de Cracovia lib. de ration. divinor. oper. ubi sic dicit: *hoc argumentum non est bonum: nescio solvere dubium, quod circa hanc conclusionem occurrit; igitur debeo de ea dubitare. Ratio est, quia magna dubia occurunt circa conclusiones Geometricas, & infallibiliter demonstratas. Item similiter circa fidei conclusiones. Item non est materia tam facilis, quin subtiliter investigantibus occurrant in ea, quæ vix aliquando, aut nunquam fortè plene possunt absolvi.*

Si mea mens non me decipit, iste Matthæus, & Nider dicunt, quæ scribit Vasquez; & tamen nec Nider, nec Matthæus censurati fuerunt, ut nunc accidit Vasquezio.

35. *Itaque ex illis Casuistis*, verba sequentia Censuræ, *ut aliqua opinio plenam habeat in conscientia securitatem, id demùm requiritur, ut qui eam suis consentaneam cupiditatibus judicat, vel propter aliquam* apparentem rationem, *vel etiam contra propriam rationem, propter solam nimirum aliorum authoritatem eam esse probabilem, nec evidenter falsam sibi in animum inducat.*

36. Hæc particula continet quædam verba causantia malum sensum apud ignorantes, & devotos, quæ tamen in bonam partem à doctis accipi possunt. Sunt autem illa: *suis consentaneam cupiditatibus judicat.* Ignorantes, & devoti putant esse malum suis cupiditatibus satisfacere, quod tamen non est malum, quia malum non est cibis, v. gr. etiam delicatis famis cupiditati satisfacere, &c. Malus ergo sensus tollitur, si reponantur verba; *Ut quieam sibi faventem judicat*, vel melius, *ut qui eam benignam judicat*, quæ est phrasis Divi Antonini par.1. tit.3. cap.10. §. 10. reg.7. dum vult explicare opinionem, quæ favet homini, & ipsum liberat à jugo legis.

37. Continet etiam verba non plenè explicantia opinionem nostram, & sunt illa: *apparentem rationem.* Scrupulus, Suspicio, Temeritas faciunt apparere aliquid. Nunquid Probabilistis impingemus, quod apparentia facta à Scrupulo, à Suspicione, à temeritate sit sufficiens ad Probabilitatem? Quænam ergo apparentia sufficiat, ex dictis colligitur, sicut etiam colligitur responsio ad alia hujus particulæ.

38. *Sic humana ratio quamlibet cæca*, alia particula ejusdem decreti, *& peccato depravata certa nostrorum actuum regula constituitur, cui suum judicium Deus ipse accommodare debeat, insontesque pronunciare, quos Divina Lex damnat, & humana Probabilitas absolvit.* Lex Divina damnabat simulatores, & Divus Hieronymus cum Patribus Græcis absolvebat. Lex Divina damnabat rebaptizantes baptizatos ab Hæreticis, Cyprianus, & octuaginta tres Episcopi absolvebant. Lex Divina damnabat non Confitentes peccata, Glossa, & alii viri Religiosi, & docti absolvebant. Lex Naturalis damnabat Spadones, quamvis virgam erigentes, si matrimonium contrahebant, Glossa illos absolvebat. Debeo prosequi Concionem? Sicut ergo debemus dicere, quos Lex Divina obscurè proposita damnat, potest humana *Probabilitas Antiquorum* absolvere; ita in casu simili de Probabilitate Modernorum est affirmandum, & de humana ratione, quam *cæcam* vocat Decretum; sed pace doctissimi Episcopi, non bene sic vocat; nam, sicut Cœcus non dicitur ille, qui in tenebris ambulans errat viam, ita non debet dici ratio humana cœca, dum in rebus obscuris operans non videt veritatem. nunquid videri potest objectum obscurum?

39. *Sic nescio quibus scriptoribus, nunquam ab Ecclesia probatis, genus quoddam infallibilitatis tribuitur ab ea longè diversum, quàm in Catholica Ecclesia Catholici omnes agnoscunt.* Alia particula Decreti.

Non tribuimus aliud genus infallibilitatis nostris modernis, quod non sit tributum Antiquis, etiam non probatis ab Ec-

ab Ecclesia. Nunquid Ecclesia probavit Glossas Canonicas, quæ licèt sint parvus liber, continent tot, & tantos errores, ac hæreses? Inveni in libris magnis, & multis Magni Suarii tot errores, ac hæreses, & libens subscribam, nec Magnum Suarium esse bonum ducem conscientiæ dicam.

40. *Propterea enim falli nos ab Ecclesia non posse confidimus, quia promissi à Christo Spiritus munita præsidio nec in fide ipsa, nec in morum regulis falli potest.* Alia propositio decreti.

41. Quæro, an ad bene operandum necessariò requiratur Regula, quæ habeat infallibilitatem Ecclesiæ; & sic opiniones oppositæ Divi Bonaventuræ, Thomæ, Scoti, & Patrum non erunt bonæ regulæ. Vel non est necessaria infallibilitas Ecclesiæ ad bene operandum, & fugiendum à peccato; & sic possumus tribuere modernis securitatem sufficientem in suis Regulis ad bene operandum, & à peccato fugiendum.

42. *At illi contra, cum se sæpius errare, nec ullam sibi veritatis in opinionibus probabilibus certam cognitionem adesse fateantur; Immò cum alius alii inter se oppositi sint, adeoque plures errore teneri necesse sit*; inaudita tamen absurditate incertos se ad veritatis viam duces certos ad veritatis Regnum profitentur, *nec minus tutò animas à se regi contendunt, cum à via deerrant, quam cum rectam insistunt viam. Postremo non minus tutum in ore suo esse mendacium, quàm in ore Christi, Apostolorum, & Patrum veritas fuit.* Hæc est postrema particula decreti quoad illam partem, in qua damnat opinionem Probabilem. Prosequitur postea ad damnationem opinionis minùs Probabilis, quam suo loco considerabimus.

43. Augustinus ipse, & multò minùs alii singuli Patres, & adhuc multò minùs Scotus, Richardus, & alii Antiqui Scholastici certam cognitionem in suis opinionibus, in quibus diversimodè opinabantur, profitebantur. Unde, quia Augustinus semel Hieronymo videbatur, quòd judicaret suam opinionem certam, animadvertitur, ut teneret quidem, quod sibi placebat, sed non damnaret aliena. Adhuc tamen, & Augustinus, & singuli Patres, & Scotus, & Ricard. & alii Antiqui Theologiæ Proceres, quamvis incertas opiniones tenentes, sunt duces certi ad veritatis Regnum perveniendi. Ergo etiam, licèt moderni tueantur opiniones incertas, ex hoc non sunt arcendi à certo ducatu ad veritatis Regnum. Unde pro certo dicimus, & inculcamus omnibus modis, opinionem incertam, *probabilem tamen*, esse certam regulam in rebus obscuris nostrarum operationum, & in iisdem rebus obscuris opinionem in se falsam, sed nobis probabilem, esse tam tutam, quàm opinio vera sit secura. Et loquendo de opinione probabilissima est clarè decisum ab Alexandro Octavo, ut vidimus, num.3. & loquendo de Probabiliori est pene omnium Theologorum, qui Theologiam ediderunt.

44. Postremò quæro. An, si deciderentur quæstiones, in quibus diversa opinantur inter se Sancti Patres, & Scholastici Antiqui, Scotus, Richardus &c. illi, qui partem damnatam defendissent, dixerint mendacium? Si decernitur, Beatam Virginem fuisse immaculatè conceptam, Beatus Thomas dixitne mendacium? utique non, quia mentiri est contra mentem ire; Cum ergò ipse opinatus sit, rem ità se habere, non est mentitus c. *Is autem*, 22. quæst. 2. & ita à pari dicam de Modernis. Præterea moderni dicunt, v. gr. Probabile est, nos non teneri ad confitendas circunstantias aggravantes &c. si decideretur, dari præceptum de confessione talium circunstantiarum, non per hoc moderni illi falsum dixerunt, nam illa propositio est modalis, in qua modus prædicatur de dicto; Nunc decisio non esset de propositione modali, sed de categorica; & sic propositio modernorum non fuisset falsa. Divus Thomas part. 1. quæst. 102. art.4. dicebat, communiter probabilius reputari, lineam æquinoctialem esse inhabita-

bitabilem, quia inventum est esse habitabilem, forsan Doctor Angelicus mentitus est?

45. Igitur sustinens opinionem probabilem in se falsam, non mentitur, quia opinans falsum ex Divo Bernardo nescit, esse falsum, sed quærit verum, atque adeo verba respondent menti; & sic nullum ibi mendacium. Illa verba Decreti: *Postremò non minus tutum in ore suo esse mendacium, quàm in ore Christi, Apostolorum, & Patrum veritas fuit*, non sunt ad propositum. Addimus tamen propositionem in se falsam, nobis tamen probabiliter apparentem ut veram, non esse tàm tutam, ut veritas in ore Christi &c. quia veritas est tuta, tum in materia clara, tum in materia obscura, tum in necessariis necessitate medii, ac præcepti. Non sic autem illa propositio, quæ est falsa in se, & nobis probabiliter vera apparet; nam hæc solùm est tuta in præceptis, non in mediis, & in præceptis obscuris, non claris. Si enim in obscuris præceptis non possumus scire veritatem; quare venia dignus non ero, si errem?

46. Si digni sunt venia Hieronymus, Cyprianus, plures Patres Græci, & Aphricani, Glossator, Gratianus, Magister, & alii famosi Proceres Antiqui, quamvis aliquoties opiniones probabiles antiquitus, detectas verò falsas hisce temporibus docuerint, quare tali venia indigni erunt moderni? Magister ad minùs sexdecim errores sequutus est, & pauca scripsit, & tamen dignus est venia. Suárez, Vasquez, Medina, Azorius, & alii moderni valdè plura scripserunt, & minùs errarunt, quod communiter error existimetur, erunt venia indigni?

CAPUT XXVI.

Plura objecta Vendrochii à Ratione desumpta evertuntur.

1 EX parte hæc solvit egregiè Gonetus tom. 3. dissert. de opin. probab. art. 7. §. 5. ideo breviter attingemus, & diluemus, præcipuè cum ex doctrina data pro responsione ad authoritates facillimè omnia solvantur.

2. Vendrochius ergo not. 1. epist. 5. sect. 2. §. 3. objicit primò: Certum est, sine gratia nullum opus esse bonum, sicut certum est, per gratiam semper immitti in animum cognitionem veritatis, & Charitatis ardorem. Utrumque habetur ex Tridentino sess. 6. ergo cum opinio probabilis falsa non sit à Spiritu Sancto, illa actio non erit bona; præcipuè cum Ecclesia canat, quòd sine numine Spiritùs Sancti nihil est innoxium.

3. Si Vendrochius legisset Scotum in 1. distinct. 17. quæst. 3. §. *quantum ad primum artic.* invenisset, *quod ex nullo actu, quem experimur, nec ex substantia actus, nec ex delectatione, sive facilitatione in operando*, neque ex bonitate, sive rectitudine morali actùs *possumus concludere, aliquem talem habitum supernaturalem*, Charitatis, *inesse . . . . . quia vel actus potest ex sola potentia habere omnia prædicta concurrente ratione recta. . . . . . vel si concurreret habitus, posset iste esse aliquis habitus acquisitus*. Unde per hunc textum concludunt Scotistæ, actum Charitatis in via non esse supernaturalem quoad substantiam, & essentiam actùs, sed naturalem, uti & alios actus virtutum Theologicarum, ut videre licet apud Mastrium in 3. disp. 6. quæst. 6. pro qua alios Antiquos refert; hinc sustinent, præcipuè Faber in 1. disp. 61. cap 3. nos sine gratia posse amare Deum super omnia amore amicitiæ, etiam efficaciter, pro brevi tempore.

4. Si ipsum quoque legisset in 2. distinct.

ftinct.28. quæft.1. §. *ad quæftionem poteft dici*, obfervafset cum ejus Scholiafte, quòd Scotus cum communi fere omnium fententia fupponit, hominem fine gratia pofse cavere ab omni peccato divifim. Quòd fi legifset Modernos, vidifset, uno excepto Vafq. 1.2. difp.190. vel aliquo alio, quòd homo fine gratia poffit aliquod opus bonum morale ex omni parte bonum facere; & vidifset hanc veritatem probari ex damnatione articulorum Baii facta à Gregorio XIII. & Pio Quinto; Qui Bajus num.28. dicebat, quòd liberum Arbitrium fine gratia; & Dei adjutorio non nifi ad peccandum valet; quæ authoritas eft omninò efficax tenendo, quòd non dentur actiones indifferentes in individuo. Nec Tridentinum feff.6. contradicit; nam vel loquitur de operibus fupernaturalibus; vel fi naturalibus, loquitur de iis collectivè; unde tanquàm de fide certum puto, quòd homo *fine gratia nequit jufte vivere*, ut dicitur can 2. Non autem juftè vivit, qui obfervat hoc, vel illud præceptum, fed qui omnia. Quin fubdo cum Maftrio ubi fupra, & aliis Scotiftis, quòd Tridentinum non negat, *pofse nos credere, fperare, diligere, aut pœnitere fine gratia*; fed addit, *ficut oportet, ut juftificationis gratia conferatur.* Quæ verba folùm de Fide, fpe, amore, & pænitentia fupernaturali intelliguntur; quia Fides, fpes, amor, & pænitentia naturalis non funt difpofitiones ad juftificationem. Ergo dicere, quòd homo fine gratia poffit credere, fperare, amare, & pœnitere de peccatis, quamvis fint actus boni, fi tamen non fint, *ficut oportet*, non eft contra Tridentinum. Nec Vendrochius afferat contra nos Sanctos Patres; namque jam à Vafq. longa ferie funt relati, fed ab aliis plurimis funt explicati ad bonum fenfum; quin Scholiaftes affert pro nobis alios.

5. Quòd fi poffumus fine gratia aliquod bonum opus ex omni parte bonum operari, multò magis veritates, etiam practicas, naturales tamen, fine gratia poterimus attingere, & hoc puto expresè efse fententiam Divi Thomæ dicentis 1.2. quæft.109. art.1. ad 1. in expofitione Divi Pauli 1. ad Corinth. 12. Nemo poteft dicere Dominus Jefus, nifi in Spiritu Sancto; dicentis, inquàm, *omne verum* à quocunque dicatur à Spiritu Sancto, *ficut ab infundente naturale lumen, & movente ad intelligendum, & loquendum veritatem*, non autem ficut ab inhabitante per gratiam gratum facientem, vel ficut largiente aliquod habituale donum naturæ fuperadditum. Nota illa verba: *ficut ab infundente naturale lumen.* Et clariùs lect.1. cap.15. Joannis exponens illa verba, *fine me nihil poteftis facere*, ait: Opera noftra *aut funt virtute naturæ, aut ex gratia Divina.* Si virtute naturæ, cùm omnes motus naturæ fint ab ipfo Verbo Dei, nulla natura ad aliquid faciendum moveri poteft fine ipfo. Si verò virtute gratiæ, cum ipfe fit author gratiæ, manifeftum, quòd nullum opus meritorium fine ipfo fieri poteft.

6. Sed audiamus Magnum Suarium lib.1. de necef. gratiæ cap 2 num.5. fic concludentem; Vera tamen refolutio hujus quæftionis eft ...... unam, vel alteram, atque adeò fingulas practicas cogitationes honeftas, & fufficientes ad actus bonos de objectis proportionatis naturali lumini, regulariter haberi poffe abfque fpeciali gratia. Hæc eft communis fententia in 2. dift.28. ubi Bonaventur. art.2. quæft.3. Alb. Scot. Richar. Durand. quæft.1. Gabriel. art.2. concl.1. Ægid. dub.2. Soto lib.1. de Nat. & Grat. cap.20. & lib.3. cap.4. Vega in Opuf. de Juftific. Driedon. de capt. & redemption. gen. hum. tract.2. cap.1. Bellarm. lib.5. de gratia, & libro 4 cap.1. & 2. & fine dubio eft fententia Divi Thomæ in d. art.1. quæft.109. ut ibi docent ferè omnes. Ita Magnus Suarius. Unde Vendrochius nequit negare, hanc noftram opinionem efse abfolutè probabilem; & fic falfum efse, quòd certum fit, gratiam femper immitti in animum cognitionem veritatis; nam probabile eft, imò probabilius, *natura aliquando immitti in animum cognitionem veritatis, etiam* prati-

practica. Nec Vendrochius in vanum laboret afferendo in contrarium Patres, & Concilia; nam magnus idem vir plura retulit, & docuit modum omnia rectè explicandi.

7. Apertè autem est falsum illud, dum dicit: *certum est, gratia semper immitti in animam charitatis ardorem*; hæc enim propositio est error apertus, & damnatus ab Alexandro octavo num.14. *Timor Gehennæ non est supernaturalis*, & num.15. *Attritio, quæ Gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.* Ecce evidenter actus bonus sine, nedum *Charitatis ardore*, sed etiam simpliciter sine dilectione Charitatis. Legat Lector alia ibi damnata, & videbit suum errorem. Quæro insuper à Vendrochio, an peccator in mortali existens possit elicere actus bonos supernaturales; Si negat, apertè est contra Tridentinum sess.6. cap.5. & 6. ubi admittit in peccatoribus actus supernaturales Fidei, & spei ante justificationem. Si concedit, jam datur gratia sine Charitatis ardore, cum ardor, & fervor Charitatis nequeat stare cum peccatore; Charitas enim operit multitudinem peccatorum.

8. Respondetur ergo in forma ad Argumentum, negando antecedens quoad omnia; quia, ut probavi, datur opus bonum naturale, & cognitio veritatis, etiam practicæ, sine gratia, & gratia sine Charitatis ardore. Nec Tridentinum ipsi favet, imò opponitur, ut patet ex modò dictis. Ad consequentiam pro nunc illam concedo; Ad illud, quod subinfertur, nego, quod, si actio à gratia non est, nequeat esse bona; sequitur enim solùm, quòd non sit bona supernaturaliter, quod ut dogma de fide concedo. Est tamen bona bonitate naturali, quæ actio bona naturaliter esset à Spiritu Sancto, *ut infundente naturale lumen*, dicebat D. Thomas; Unde sine numine Spiritus Sancti, saltem *ut infundente naturale lumen, & movente ad intelligendum veritatem, nihil est in homine, nihil est innoxium*, ut canit Ecclesia.

9. Objicit secundò: Peccatum definitur per Augustinum, & Theologos, quòd sit dictum, concupitum, vel factum contra legem Dei æternam; ergo actio facta ex opinione probabili falsa est factum contra legem Dei æternam; & sic est actio peccaminosa. Hinc Divus Thomas 1.2. quæst.19. art.4 docet, *bonitatem voluntatis pendere ex lege æterna.*

10. Sciunt, etiam pueri, illud axioma Philosophicum, nihil volitum, quin præcognitum; & pariter omnes sciunt, peccatum esse voluntarium. Hinc certum quoque est, laborantes ignorantia invincibili non peccare. Hinc justissimè proscripta est ab Alexandro Octavo num.2. hæc propositio: *Tametsi detur* ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa *non excusat à peccato formali.*

11. Apud autem Theologos certum pariter est, legem æternam esse regulam bonitatis humanæ remotam; lumen verò rationis esse regulam proximam; Cùm enim regula proxima debeat esse homogenea cum regulato ex Aristot. Metaphys. 10. tex. 4. & Divo Thoma 1.2. quæst.19. art.4. ad 2. & lumen rationis sit homogeneum voluntati humanæ, non verò lex æterna, ut expresse dicit ibidem doctor Angelicus, sequitur evidenter, lumen rationis esse regulam proximam, legem verò æternam esse remotam voluntatis humanæ. Et quia remota causa, ut agat, debet applicari per proximam, hinc, ut Lex æterna sit regula, debet applicari per lumen rationis; Unde Sanctus Doctor ad 3. fatetur, legem æternam applicari nobis vel *per rationem naturalem, vel per aliqualem revelationem superadditam.*

12. Ex hac Doctrina patet responsio ad objectum. Peccatum formaliter sumptum, & sic nobis imputabile, est dictum, concupitum, & factum contra legem Dei æternam, quæ tamen sit nobis applicata, *vel per rationem naturalem, vel per aliqualem revelationem superad-*

ferædditam; Peccatum *materialiter sumptum*, & sic nobis non imputabile, est dictum &c. contra legem, quæ nullo modo sit nobis applicata, vel per rationem, vel per revelationem. Explico. Dementes, & omnes laborantes ignorantia invincibili faciunt materialiter, & ex parte rei contra legem; non tamen eis imputatur, nec peccant formaliter ex Alexandro Octavo. Hoc autem ideo est, quia illi nullo modo cognoscunt, esse contra legem Dei. Et si Argumentum concluderet, inferret Jacob peccasse cognoscendo Liam, & maritum peccare habendo copulam cum muliere furtivè introducta; hi enim ex parte rei faciunt contra Legem Dei æternam. Ad textum Angelici ibidem ipse se explicat, quomodo voluntas humana pendeat à lege æterna, & à lumine rationis; dicit enim pendere à lege velut à regula remota, à lumine verò velut à regula proxima, & homogenea.

Objicit Tertium Argumentum fundatum in variis Textibus Augustini, in quibus dicitur hominem injustum non posse fieri justum, nisi se convertendo ad quandam Justitiam, idest Deum, à qua si recedis, injustus es, si accedis, justus es. Ita dicit lib.2. cap.19. de liber. arb. & serm.44. de diver. cap.6. dicebat: *Ille justè vivit, cum eam*, Justitiam, *videt, ut secundùm eam actus dirigat, quia nisi secundùm justitiæ regulam direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingitur.*

13. Respondetur ad primum Textum, hominem ex peccatore non posse fieri justum, nisi ad veram justitiam, idest ad Deum convertatur, ut est de fide ex Tridentino sess. 6. hoc autem fit, vel per Contritionem supernaturalem Charitate perfectam extra Sacramentum, vel per Attritionem cum Sacramento ex Tridentino sess.14. cap.4. Et si illi actus, etiam invincibiliter, non essent supernaturales, ille de injusto non fieret justus, quia ad justificationem requiruntur actus ex gratia eliciti, ut fides docet. Nemo autem dixit ex Catholicis oppositum, & nostra Doctrina procedit in ordine ad cavendum à peccatis, & ad benè operandum, non verò in ordine ad justificationem obtinendam, & ad supplenda media pro consequutione finis.

14. Ad alium Textum evidenter patet, Augustinum loqui de materiis claris, non obscuris, dicit enim, *Cum eam videt.* Numquid in controversiis, in quibus Catholici Tractatores juxta Seraphicum variè opinantur, illi vident justitiam? Si vident justitiam, cur non conveniunt, sicut faciunt in assertionibus juxta eundem Sanctum Doctorem? vel in rebus visis potest haberi nedum opinio, sed etiam varia? Præterea, nunquid Catholici tractatores variè opinantes possint dici *impingere in errorem iniquitatis?* Nos autem loquimur, & dicimus opinionem probabilem solùm habere locum in *rebus obscuris*, in quibus justitia videri non potest, sed solùm illam *opinari* valemus. Præterea, sicut per ignorantiam invincibilem juris naturæ excusamur à peccato formali ex Alex. 8. & maritus accedens invincibiliter ad non suam non peccat; & hoc quia, tunc nequit scire veritatem. Sic opinantes in obscuris, cum nequeant scire veritatem, excusabuntur, si veritatem non attingant.

15. Objicit quartò illud Scripturæ, *Justus ex fide vivit*, & illud aliud ad Romanos 14. *Quod non est ex fide, peccatum est*; quibus significatur, ait Vendrochius, tunc justas, ac vivas actiones hominis, cùm lumine fidei diriguntur, malas esse, si non diriguntur. Alia enim vita rationis, alia fidei. Vitæ rationis prælucet Ratio, vitæ fidei fides. Illam invenit Christus in mundo, hanc intulit Christus in mundum. *Ratio rationis Probabilitas, fidei constans, ac certa veritas.* Itaque, qui probabilitatem errantem, ac falsam sequitur, *ratione fortasse vivit, quæ erat Gentilium vita.* Fide non vivit, quæ Christianorum vita est. Ideò autem fide non vivit, quia fides falsa fides non est, inquit Bernardus. Jam vero ex Apostolo, omne, quod non est ex fide, peccatum est, quod de vera, & Christiana fide di-

dictum, & Bernardus loco citato, & sexcenties Augustinus affirmat; aut si de conscientia accipiatur, ut vult Divus Thomas, certè de conscientia intelligendum est, quam dirigit fides, ut idem significat.

16. Ecce quòd Vendrochius concedit Probabilitatem *fortasse* fuisse rationem, qua vivebant Gentiles. Quia Vendrochius nequit ostendere, quòd Hebræi in omnibus actibus fuerint obligati agere ex fide supernaturali; ergo Probabilitas errans fortasse ratio erat, qua vitam ducebant Hebræi. Quia verò nec potest ostendi ratio, qua Christiani semper obligentur ex fide operari; ergo saltem aliquando Christiani poterunt vitam ducere *ex probabilitate*, quamvis in se falsa. Antecedens vero est manifestum, quia probabilis est opinio Divi Bonaventuræ, & Scoti, & aliorum asserentium, dari actiones indifferentes in individuo; Actio autem facta ex fide nedum est bona, sed bona supernaturaliter.

Illa autem verba, *omne, quod non est ex fide, peccatum est*, probabilius est, quòd intelligantur de conscientia. Audi Magnum Suarium 1. 2. tract. 3. de human. actuum bonitate, & malitia disp. 12 sect. 4. num. 1. explicantem illum textum, *idest, quod non est secundùm conscientiam*, ut constat ex ipso contextu, & ex omnibus, seu Græcis, seu Latinis exponentibus, & ex Pontificibus supra relatis; Unde, licèt Hieronymus, & Beda, & Augustinus 4. contra Julianum cap. 3. interdum exponant de fide infusa, tamen non excludunt priorem expositionem. Cui credas? Magno Suario dicenti meliorem explicationem illius textus esse de conscientia, an Vendrochio, cui melius videtur intelligendum esse de fide infusa? Ego proculdubio Suario accedo.

17. Respondetur ad Argumentum, falsum esse semper actiones Christianorum esse malas, si à lumine fidei, hoc est à theologica virtute non dirigantur, quia dantur actus indifferentes in individuo; Et quia ex dictis dantur actus boni morales naturales. Sed audiamus Divum Thomam explicantem illum textum, *omne quod non est ex fide, peccatum est*, lect. 3. in eod. capite: cum dicitur opus omne, quod non est ex fide peccatum est, sic est intelligendum: *Omne, quod est contra fidem, vel contra conscientiam*, peccatum est, & si ex genere suo bonum videatur, puta si Paganus ad honorem suorum Deorum Virginitatem servet, vel Eleemosinam det, hoc ipso peccat..... *quia omnis infideliter vivens, vel agens vehementer peccat.* Cum ergo operans ex opinione probabili, *quamvis in se falsa*, non agat contra fidem, cum nullibi fides doceat oppositum; nec pariter agat contra conscientiam, quia tunc nequit scire veritatem; ergo operans juxta probabilem opinionem non facit contra Divum Paulum.

18. Objicit Quintò: De se dicit in Evangelio Christus: Ego sum via, veritas, & vita, quibus verbis *ex consentiente traditionis sensu ad vitam perveniri non posse demonstrat, nisi per veritatem*; ergo ad vitam non ducit opinio probabilis, quæ licere asserit, quod revera coram Deo non licet.

Audi consequentiam, quam ego infero, si objectio valet. Ergo Ecclesia nequit decidere, quòd teneamur præcepto Divino ad explicandas circumstantias aggravantes, & præcipuè nequit decidere, quòd fur teneatur dicere, se furatum fuisse centies millies aurea, quia Divus Thomas tenuit non dari talem obligationem, & Divus Antoninus expressè dicit, furem non teneri ad explicandam quantitatem furti. Consequentia probatur, quia si declararet falsas tales opiniones, sequeretur, illos Sanctos esse in Inferno; cum enim docere falsum contra legem Dei æternam sit peccatum mortale, unde *tenetur*, ait Divus Thomas quodlib. 5. art. 25. *eam omnibus modis revocare, & maximè si ex ea sequatur spirituale damnum*, ut est in casu nostro, cum sit causa infinitorum peccatorum mortalium, & illi Sancti mortui sint cum illa Doctrina, nec unquam retractaverint, aut retra-

ctare mandaverint, sequitur, quòd essent mortui in peccato mortali, & in inferno sepulti. Quis autem non horreat hæc audire? Imò quis fidelium saltem piè non credat, illos esse in Cœlo Beatos, ut vult D. Thom. quodl. 9 art. 16.?

19. Quin subinde, omnes Doctores, qui ab initio Ecclesiæ docuerunt, imo etiam Patres, si paucos excipias, & omnes Episcopos, Parochos, & Confessarios, qui fuerunt, sunt, & erunt, Orco damnandi erunt; Cum enim sint homines, & omnis homo mendax, impossibile est, quòd aliquod falsum, & legi Dei contrarium non docuerint. Si Cyprianus cum octuaginta tribus Episcopis erravit rebaptizando baptizatos ab Hæreticis, majori jure suspicari non poterimus, singulos alios Episcopos erraturos?

20. Respondetur ad Argumentum, evidenter esse falsum, sensum consentientem Traditionis explicare, solam veritatem, hoc est, solam propositionem, quæ in se sit vera, esse viam ad vitam æternam. Dicimus enim, & experientia videmus, omnes Doctores docuisse aliquam propositionem, quæ in se erat falsa; & tamen non per hoc illi Doctores, quorum aliqui sunt Sancti, damnati sunt. Nec Magister Sententiarum, nec Gratianus, nec Glossator, quamvis pluries falsum dixerint, per hoc Averno addicimus. Hæc tamen Doctrina valebit, ut centies dicebam, in materiis obscuris, & quoad præcepti violationem. Hac Doctrina solvitur ejusdem Vendrochii argumentum, quod num. 6. habet, in quo refert alias Scripturas, in quibus dicitur, vias Domini esse vias veras &c.

21. Objicit Sextò: Opera bona in Scriptura dicuntur opera lucis, mala opera tenebrarum; Lex autem illa ipsa est veritas ipse Christus, qui de se dicit: Ego lux veni in mundum. Quæro igitur, an actio æternæ veritati contraria sit opus lucis? Hoc si nemo dicere audeat, quid restat, nisi ut sit opus tenebrarum? Cùm nemo dicere audeat, Patres inter se oppositos, sicut & Scholasticos antiquos, & celeberrimas Scholas Thomistarum, & Scotistarum facere opera tenebrarum operantes juxta illas opiniones oppositas; ideò quilibet debet dicere opera, elicita juxta opinionem probabilem in se, licèt æternæ veritati contrariam, esse opera lucis, non opera tenebrarum.

22. Quia forsan Guilielmus Parisiensis, & Guilielmus Altisiodorensis non poterant capere ex cognitione probabili, & in se falsa, sequi actum bonum voluntatis; ideò ille tract. de leg. cap. 21. dixit, Prædicatori falsum Concionanti non posse nos licitè credere, & maritum non posse licitè habere rem cum muliere, quam credit esse uxorem suam; & hinc Jacob peccasse cognoscendo Liam. Iste autem in 3. tract. 8. cap. 4. de latria quæst. 5. fine dixit, peccare subditum credentem suo Prælato, qui falsum prædicat, & ibidem in solut. ad ult. quæst. primæ scripsit, quòd fidelis non debet credere simpliciter Corpus Christi esse *sub hac forma*, idest, sub his speciebus, sed debet credere Corpus Christi esse sub hac forma, si ritè facta est consecratio; potest enim decipi Sacerdos, qui porrigit hostiam; unde fidelis non debet credere sub hac forma esse Corpus Christi, nisi sub conditione prædicta, idest, si est ritè consecrata.

Ego puto pro certo, quòd si uxorati omnes legerent Doctrinam illam Parisiensis, justissimè conquererentur de tanto rigore, & illum dimitterent cum justissima ira. Sed de hoc alibi.

23. Quod attinet ad secundum Casum; Albertus in 3. dist. 9. art. 11. asserit, quòd, si Sacerdos, qui dat hostiam adorandam, sit notus, *tunc eo ipso conditio probabiliter* (nota bene terminum hunc, *probabiliter*, qui excusat à peccato adorantem hostiam non consecratam) *præsupposita est ab adorante, quòd scilicet sit hostia consecrata. Si autem Sacerdos sit ignotus, & nota sua negligentia indivinis, tunc vel actualiter, vel habitualiter debet apponi conditio.* Hanc doctrinam approbat quoque dist. 23. art 3. fin.

24. D.-

24. Divus Bonaventura in 3. dist.24. art.1. quæst.1. ad 6. dicit, quòd omnis fidelis rectè adorans Hostiam Consecratam, adorat sub conditione, *si perfecta sunt circa ipsam ea, quæ ad consecrationem sunt necessaria.* Richardus art.1. quæst.3. ad 2. ait, *non oportere, quòd fidelis semper habeat istam conditionem* (si perfecta sunt circa &c.) *in cogitatione actuali;* unde per ipsum oportet, quòd illam habeat, vel actualiter, vel habitualiter.

25. Thomas Argent. quæst. 1. art. 2. ad 3. ait, adorandam esse illam hostiam *cum illa conditione*, si rite facta sit consecratio, *vel actualiter, vel habitualiter adjecta.* Stephanus Brulifer quæst. 1. idem omnino sustinet, quod Doctor Seraphicus. Dionysius Carthus. in 3. dist. 9. §. *postremò secunda secundæ* recitat dictum Alberti Magni suprà relati, & cum eo concordat; unde illum non refero. Gabriel lect.50. can. Missæ dub. 2. ait: non est opus, ut adorans hostiam in Missa actualiter, seu expresè conditionem apponat, sed sufficit si habitualiter, hoc est, *tacitè, vel expresè.* Eadem habet in fine, & subdit haud dubium, quin fidelis quisque requisitus responderet, nequaquam adorarem, si consecratio non esset debitè facta. Alen. ex parte 3. quæst. 68. membr 7. art.1. ad 5. videtur dicere, hostiam esse adorandam non simpliciter, sed conditionaliter, scilicet, si facta sunt ea, quæ exiguntur secundùm formam traditam à Christo.

26. His Doctoribus videtur adhærere Divus Thomas 2 2. quæst.1. art 3. ad 4. quatenùs dicit, quòd fides credentis non refertur ad has species panis, vel illas, sed ad hoc, quòd verum Corpus Christi sit sub speciebus panis sensibilis, quandò rectè fuerit consecratum. Sed clarè ipsis consentit in 3 dist.9. qu.1. art.2. quæst.6. ad 2. ubi dicit: quòd, qui adorat hostiam non consecratam, adorare eam oportet cum conditione, scilicet, si est consecrata; non tamen oportet, quòd hæc conditio semper sit actu explicita, sed sufficit si habitu teneat illam.

27. Rubertus Holcot in 3 quæst. 1. litt MM. art. 5. concedit, quòd Joannes potest licitè adorare Diabolum ipsi apparentem sub specie Christi, si fecit, quod potuit, ut cognosceret esse Christum; & hìc Doctor non meminit debere adorantem apponere conditionem, ut volunt omnes Doctores allati, vel *expresè*, vel saltem habitu, sed loquitur absolutè, quòd ille Joannes potest licitè, & meritoriè adorare diabolum apparentem sub specie Christi, si fecit quantum potuit, ut nosceret veritatem. Et in solutione objectorum litt. O.O. dicit, dari duplicem errorem, periculosum, & non periculosum. *Error periculosus est, quoties quis errat contra Articulos fidei, vel præcepta divina. Error non periculosus est in aliis, quando deceptus ignorantia invincibili approbat falsa pro veris. In casu autem transfigurationis diaboli in effigiem Christi verum est, quòd Joannes errat......* sed certe error iste, *cùm sit invincibilis*, & non sit contra aliquem articulum, nec contra bonos mores, non est periculosus. Et hoc est, quod expresè dicit Magister in 4. dist. 30. cap. 1. Diabolus enim transfigurans se in Angelum lucis, si credatur bonus, non est error periculosus. *Hoc etiam satis declarat Augustinus Enchirid. cap.59. & est Glossa communis 2. Corinth. cap.2. Satanas cum transfigurat se in Angelum lucis, quando Corporis sensus fallit*, mentem verò non movet à vera ratione, vel sententia, nullum est in religione periculum ...... *quisque fidelem vitam gerit, vel cum se bonum fingens ea vel facit, vel dicit, quod bonus Angelus, etiamsi credatur bonus, non est error periculosus, aut morbidus...... conscientia erronea secundo modo*, ideft errore non periculoso, *obligat sic, quòd, si non fecerit secundùm eam, peccat*, si fecerit secundùm eam, non peccat, *sed excusatur à peccato propter ignorantiam invincibilem.* Et hìc noto, quòd hic Doctor litt. V.V negat, Deum debere illuminare Joannem adorantem aliquem pro Deo, qui Deus non est. Unde Adversarii nequeunt recurrere ad solitum

 sub-

ſubterfugium, quòd ſi homo per ſe, & per alios homines nequit verum attingere, illud attinget illuminatus à Deo, ſi illum orabit.

28 Idem Doctor art.6. litt. XX. aſſerit, *quod vetula in multis caſibus* audiens ſuum Prælatum falſa prædicantem *poſſit mereri per fidem falſam.* Et ponit exemplum, ſi crederet ob concionem ſui Prælati, *quòd Chriſtus ſit lancea percuſſus ante mortem.* Hanc verò concluſionem probat argumentis, & exemplis. Sic Beata Virgo credidit Chriſtum eſse in comitatu virorum cum Joſeph; & hæc fides fuit falſa, & per ipſam meruit. Sic Magdalena credidit, Chriſtum eſse hortulanum, & ſic non Deum; & tamen *probabile eſt*, quòd per talem fidem falſam meruerit. Sic hominem occultè malum tenemur credere eſse bonum, & hæc fides falſa eſt bona, & meritoria. Judex credens teſtibus judicat ad mortem, & illum damnat; & per hanc falſam fidem, & actum injuſtum ex parte rei meretur. Et Judex Eccleſiaſticus deceptus à falſis teſtibus excommunicat maritum, ut recipiat mulierem, quæ non eſt ſua uxor, & per hanc fidem falſam meretur. Pater putativus credens filium eſse ſuum, illum alit, & meretur. Quis ſe credens baptizatum, licèt non ſit, alium Baptiſmum non accipit, & ſalvatur. Denique dicit, quòd laicus adorat hoſtiam non conſecratam. Hic obſerva, quòd hic Doctor velut ſupponit fideles ſuo tempore adorare hoſtiam ſine aliqua conditione.

29. Ex Summiſtis ſequuntur hanc doctrinam Raynerius verb. *Adoratio*, cap. 8. qui verbatim recitat, quæ habet Angelicus in 3. Aſtenſis lib.1. tit.6. fin. dicit, ſufficere in adoratione hoſtiæ, ſi habeatur illa conditio habitualiter. Angelus verb. *Adoratio fin.* verbatim exſcribit dictum Aſtenſis. Gerſon par.2. in regul. moral. de Euchar. dicit, quòd in omni adoratione Sacramenti Altaris ſubintelligitur conditio iſta, vel ſimilis, *ſi conſecratio fuerit celebrata*; ac perinde adorans eſt alienus ab Idolatria, quamvis Sacerdos non conſecrando eſſet in culpa.

30. Hiſce Antiquis Summiſtis addo ſequentes, qui multùm moderni appellandi non ſunt. Sylveſt. verb. *Adoratio* num. 2. ait: Adoranda eſt Euchariſtia latria ſub conditione tamen habituali, ſi ſit ritè conſecrata. Thom.3. diſtin.9. quæſt.1. art.2. quæſt.6. ad 2. Tabien. verb. *Adorare* num.13. dicit: Qui adorat hoſtiam non conſecratam, adorare oportet eam cum conditione, non quidem ſemper explicita, ſed ſufficit, *quòd habitu teneat illam.* Joannes Altenſtaig verb. *Adorare* §. de adoratione Euchariſtiæ inquit, quòd hoſtia debet adorari ſub conditione habituali, hoc eſt tacita, vel expreſsa. Bartholomæus Fumus verb. *Adoratio* num.9. tenet ex Divo Thoma ubi ſupra, quòd hoſtia ſit adoranda ſub conditione in habitu, quia ſi non crederet eſse conſecratam, non adoraret.

31. Hic nota obiter, quòd Tabiena ubi ſuprà refert, Scotum tanquàm dicentem in omni caſu hoſtiam eſſe adorandam ſub conditione, quod tamen eſt falſum; nam, ut notat ipſe Tabiena verb. *Euchariſtia* num.26. Scotus in 4. diſt.8. quæſt.2. §. *de iſto ſecundo articulo* ubi tractat de hac adoratione conditionali, loquitur ſolum de ſanguine in caſu, quo Sacerdos moreretur ante prolationem omnium verborum conſecrationis Calicis; & de Corpore in caſu, quo ſacerdos diceret præcisè hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum*, relinquens omnia præcedentia. Et revera illa opinio de ſanguine eſt omninò certa; opinio verò de Corpore taliter conſecrato eſt ſub lite ex capite illo ſpeciali, quia ſcilicet eſt dubium, an illa ſola verba ſufficiant. Unde Scotus non poteſt ullo modo referri, quaſi aſſerat ſimpliciter, hoſtiam eſse adorandam ſub conditione.

32. Gabriel in 3 diſt.23. quæſt.2 lit E. fin. dicit, quòd fidei nequit ſubeſſe falſum; ſubdit tamen, quòd ſpes, & Charitas poſsunt tendere in objectum, circa quod invincibiliter erratur. Sic ergo ſcri-

rò scribit: Non enim solus actus fidei sufficit ad opus Charitatis, vel Spei, sed requiruntur alii actus cognoscitivi, qui non sunt actus fidei. Gratia exempli. Ad reddendum debitum uxori propter Divinum præceptum est actus Charitatis; & tamen non sufficit fides, qua cognoscitur debitum esse reddendum; Sed etiam oportet scire, quòd illa sit uxor; quæ cognitio non est cognitio fidei, ubi contigit error. Hujus rei verò assignat rationem à priori ex eo, quòd scilicet spes, & Charitas sunt virtutes appetitivæ, quæ non tendunt in verum, sed in bonum; ergo ex sua ratione formali non supponunt verum in objecto. Ergo, licèt objectum sit falsum, non per hoc tollitur ratio formalis sui objecti, quæ est bonitas. Cum hic doctor expresse concedat Charitatem, & spem ex eo, quòd sint virtutes appetitivæ, posse tendere in objectum, licèt falsum à parte rei, nec meminit illius conditionis ponendæ, nescio, quomodò voluerit in adoratione hostiæ, quæ est actus Religionis, & ipsa quoque virtus appetitiva, apponi conditionem *habitualiter*, hoc est *tacitè, vel expressè*. Si spes, & Charitas appetunt objectum falsum, cur non Religio? Vel conditio tacitè posita, & habitualiter facit actum verè conditionatum, vel non. Si Primum, debet assignare rationem, cur maritus absque aliqua conditione possit, & debeat exercere actum Charitatis reddendi debitum uxori, quæ creditur esse sua, & non est; fidelis verò nequeat, aut non debeat, Hostiæ reddere latriam, quæ creditur consecrata, & non est, absque aliqua conditione: Si secundum; ergo, cum conditio tacitè, & habitualiter posita nihil operetur, sed relinquit actum absolutum, jam impertinenter fit mentio de ipsa.

33. Durandus in 3. distin. 23. quæst. 2. videtur quoque, concedere, quòd spes possit tendere in objectum ex falsa imaginatione propositum. Idem quoque videtur concedere de Charitate Alex. ubi supra ad 2. dicit enim, quòd potest esse Charitas circa bonum, quod non est, volendo illud. Expressè hoc concedit de Charitate Divus Bonaventura ubi supra ad 5. dicit enim, *non omne, quod appetit Charitas, fides credit, quia de pluribus contingit dicere, quod sunt bona, falsum tamen est dicere, quòd sint vera ... Unde bonum erat Apostolum ire ad Hispanos, quamvis non esset credibile.* Idem videtur dicere Argentinas ubi supra ad 5.

34. Divus Thomas 2.2 quæst 1. art. 3. ad 1. scribit, quod virtutes perficientes partem appetitivam non excludunt totaliter falsum; *potest enim aliquis secundum justitiam, aut temperantiam agere habens aliquam falsam opinionem de eo, circa quod agit...... Similiter etiam ad Charitatem pertinet diligere Deum, in quocunque fuerit;* Unde non refert ad Charitatem, ut non in illo sit Deus, qui propter Deum diligitur. Et in 3 dist. 24. quæst. 1. art. 1. quæst 3. ad 4. scribit, quòd *hac hostia sit ritè consecrata, hoc est humana æstimationis, & ex hac parte potest accidere error in latria.* Major in 3. dist. 23. quæst. 10. ad 1. concedit, vetulam non peccare credendo falsum prædicatum ipsi à suo Prælato. Et ad 2. concedit; quod spes, & Charitas possunt esse circa objectum, circa quod contingit error; non quidem per actum fidei, sed per aliquem alium actum cognitum. Non solus actus fidei sufficit utrobique ad actus spei, & Charitatis, sed prudentiæ, & alii actus apprehensivi, & judicativi requiruntur.

35. Cajetanus in comment. ad illum articulum 3. ex 2.2. ad 4. asserit, esse errorem apertum dicere, quòd illa Hostia, quæ adoranda offertur in Ecclesia, adoranda sit sub conditione, *si ritè sit consecrata*; & hanc Doctrinam probat satis efficaciter. Primò, quia, quòd hostia sit ritè consecrata, habetur certitudo moralis, quæ haberi potest. Secundò, quia Ecclesia instituit orationem, in qua Sacerdos sumpturus hanc hostiam fatetur absque conditione, & hunc Calicem continere Corpus, & Sanguinem Christi. Tertiò, adoramus absolutè summum Pontificem, & Episcopos.

scopos. Quartò, Sacerdos sine conditione absolvit peccatores. Et tamen sicut potest Sacerdos, ritè non consecrare hostiam, ita potest non ritè baptizare hominem, qui adoratur ut Papa, ut Episcopus, & absolvit peccatores, ut Sacerdos.

36. Ego non dubito, quòd Moderni omninò assentiant Cajetano, præscindendo tamen, an opinio Antiquorum asserens, hostiam esse adorandam sub conditione, sit error; Cum enim habeat tot, & insignes Doctores, abstinendum à censuris. Et ratio efficax patet ex exemplis claris allatis à Cajetano. Cur enim absolutè adoramus Papam, & Episcopos, & non Hostiam? Cur Sacerdos absolvit absolutè, & sine conditione? & hoc exemplum de Confessario est efficacissimum, nam est certum ex Innocent. undec num.1 nos non posse licitè conferre sacramenta, quando agitur de eorum valore relicta opinione tutiore. In absolutione autem à Sacerdote tutius esset, absolvere sub conditione, sicut in adoratione Hostiæ tutius est, illam adorare sub conditione. Item Homines ad invicem actus justitiæ commutativæ exercent, & tamen, quod hi nummi sint mei, dependet ex Petro, à quò illos habui, & asseruit esse suos.

37. Cardinalis de Lugo de fide disp.4. sect.6. num.94. & seqq. asserit, communiter sustineri Doctrinam illam, quòd voluntas possit versari circa falsum; voluntas siquidem non fertur in objectum, ut est à parte rei, sed prout à cognitione proponitur, & aliquandò potest accidere, ut invincibiliter proponatur diverso modo, ac est à parte rei; Quod totum concedit ipse Lugo, sed demonstrat ultimum judicium, à quo proximè virtutes affectivæ diriguntur, semper esse verum, quam doctrinam accipit ab Hurtado de fide disp. 19 §. 8. & Coninch. disp.10. num.80. cui ipse subscribo. Videatur etiam Banes 2.2. quæst.1. art.3. dub 2 ad 2 & Joannes à Sancto Thoma 2.2. disp 2. art 3. in solut. quæst. *an fides possit subesse falsum num*.4.

38. Ex his colligo, responsionem evidentem Argumento Vendrochii. Dicimus ergo, opus procedens ex cognitione probabili in se falsa esse *opus lucis, non tenebrarum*, esse opus bonum, *non malum*. Vel enim sequimur in adoratione hostiæ non consecratæ, quæ creditur consecrata, opinionem communiorem Antiquorum; & tunc dicimus, quòd, sicut tunc adorando illam non peccamus, quia *habitualiter, vel tacitè, & implicite* subintelligitur conditio, *si est ritè consecrata*; & sic ille actus tendit in objectum bonum. Ita in aliis materiis, in quibus opinando operamur subintelligitur *implicitè, habitualiter, & tacitè* conditio, *si res ita se habet* Et sicut Gabriel excusat fidelem adorantem hostiam non consecratam, quia si interrogaretur, responderet, *si non esset consecrata*, non illam adorarem. Ita & ego dico, non fateor circumstantias aggravantes, quia credo Christum non dedisse tale præceptum, quodsi tale præceptum posuisset, illas faterer, sicut explico peccata mortalia, quia de his extat hujusmodi lex.

39. Si autem sequimur opinionem Holcot, Cajetani, & Recentiorum, dicimus, nos non peccare operando juxta opinionem probabilem in se falsam, sed bene operari; Sicut actus Charitatis, justitiæ, & virtutum appetitivarum sunt boni, licèt versentur circa objectum, quod à parte rei non ita se habet, ut patet ex Doctoribus allegatis tàm Antiquis, quàm modernis. Quin addo, illum actum esse in eadem specie bonitatis, in qua esset, si objectum ita se haberet à parte rei, v. gr. si tempore Glossæ Spado sequens opinionem illius, quæ falsa erat, probabilis tamen credebatur à Glossa, matrimonium iniisset, si reddidisset debitum uxori, illa redditio fuisset actus justitiæ commutativæ, Castitatis, & Charitatis, ut dicebat Gabriel, in quo genere est actus illius, qui verè est maritus. Sicut Magnus Suarius 1.2. tract.3. disp. 12. sect 4. num.8. dicebat, actus procedentes a conscien-

scientia erronea invincibili esse ejusdem virtutis cum illis, qui sunt circa objecta, quæ verè sunt materia illius virtutis. Et hæc Doctrina est juxta Antiquos asserentes, virtutes appetitivas totaliter non excludere falsum. Potest enim, inquit Doctor Angelicus, aliquis secundùm justitiam, aut temperantiam agere habens aliquam falsam opinionem de eo, circa quod agit.

40. Nota verò pro conciliandis modernis cum Antiquis dicentibus hostiam esse adorandam sub conditione *in habitu, tacitè, & implicitè*, quòd conditio in habitu, tacitè, & implicitè non reddit actum conditionatum, sed illum relinquit absolutum; quia, ut dicit de Lugo de Incarn. disput. 37. sect. 4. num. 46. Episcopus credens Petrum esse Diaconum, illum ordinat in Sacerdotem absolutè, unde, si à parte rei non esset Diaconus, adhuc Petrus non esset iterum reordinandus Sacerdos; & sic illa ordinatio est absoluta; Cum hoc tamen stat, quòd Episcopus, si sciret illum non esse Diaconum, non ordinaret; de facto tamen illum ordinat, quia de facto, & absolutè judicat esse Diaconum. Do aliud exemplum forsan non adeò rarum. Titius accipit Bertam in uxorem credens esse Virginem; & si sciret non esse Virginem, illam non acciperet; adhuc tamen illam absolutè accipit, & Matrimonium est absolutum, & insolubile. Sic etiam de facto quis adorat absolutè hostiam, quia judicat de facto esse consecratam, habitu tamen, implicitè, & tacitè ita se habet, quòd, si non esset consecrata, illam non adoraret. Et hæc Doctrina fundatur in legibus. Canonistæ sed enim ex c. *fin. de præsumpt.* inferunt, expressionem illius, quod jure inest, nihil operari, nec reddere actum conditionatum, sed illum relinquere absolutum, de quo vide Tuscum ver. conditio. concl. 590. & V. *expressio ejus*, quod tacitè inest concl. 657.

41. Objicit Septimò. In extremo Judicio Christus judicabit actiones per sermonem, quem ipse loquutus est; cum ergo Christus nunquam loquutus fuerit falsitatem, ut fides docet, nullum falsum, quamvis probabile, erit sermo, juxta quem erimus judicandi.

42. Sed nullam umbram difficultatis facit hoc Argumentum; sicut enim Lex æterna est regula remota nostrarum operationum secundùm Divum Thomam, & Theologos; ita dicimus de lege Divina Christi; & sicut illa obligat juxta cognitionem, & propositionem humanam, ita & hæc; imò à fortiori. Sicut ergo illa in rebus obscuris licitè à Patribus, & Antiquis variè proponitur, variè opinando, & Christus in die Judicii judicabit juxta legem naturalem variè explicatam à Patribus, & Antiquis, ita de lege Divina, & sermone Christi. Hinc Thomistæ, & Scotistæ variant in assignando tempore, quo inceperit obligare Præceptum de Baptismo; Unde plurimi non judicabuntur per legem Christi juxta Scot. in 4. dist. 3. quæst. 4. de quo vide Mastrium in 4. disput. 2 num. 13. qui essent judicandi juxta Thomistas. Et Principes, qui facerent baptizare pueros suorum infidelium invitis parentibus, essent judicandi per legem Christi in sententia Thomistarum, qui tamen liberabuntur, si operati sunt ex opinione Scoti eos vindicantis à tali judicio. Quæ Doctrina, cum sit clarissima, mirum est, quì potuerit arguere contra Vendrochius.

43. Objicit Octavò. Certum est per Patres, & Theologos ignorantiam juris naturalis non excusare; *Si quis*, inquit Augustinus, epist. 154..... *bonum putaverit, quod malum est, hoc putando utique peccat*, & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quandò quique bene fieri putat, quod malè fit; Unde Gratianus 1. quæst. 4. cap. turbatur §. *item ignorantia* dicebat: *Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis est.* Subdit Vendrochius: hoc constantissimum Theologiæ effatum ab antiquis Theologis admissum unanimi consensu, ipso etiam Vasq. teste, rem planè conficere. Nec per ignorantiæ invinci-

bilis cavillos possumus evadere; nam, si probabile existimo hoc licere, probabile quoque est, non licere; ac proinde tunc dubitamus, à qua dubitatione ut nos expediamus, ad præfinitas à Deo inveniendæ veritatis vias, ac maximè ad orationes, debemus confugere; quòd si hoc facere neglexerit, jam illa ignorantia vincibilis erit; Si verò hoc diligenter perfecerit, proculdubio, quod quærit, inveniet. Sic Vendrochius.

44. Vellem scire à Vendrochio, an obligatio orandi Deum pro consequutione veritatis naturalis, dùm non possumus per nos, & hominum ministerio addiscere, sit ex præcepto naturali, & de lege naturæ, an verò sit de jure Divino solùm. Si secundum, cùm de jure Divino possit dari ignorantia invincibilis, poterit etiam de hoc. Si Primum, certè non continetur explicitè in primis principiis, nec expressè in Decalogo; Ergo continetur in conclusionibus ab illis deductis; & sic in conclusionibus remotis à primis principiis claris, & consequenter erunt conclusiones obscuræ; Si sunt obscuræ, qua ratione potest, nos tanta certitudine obstringere ad tales preces? de hoc alibi. Scio, Parisiensem de leg. cap.21. lit. C. & alios doctores tenere dari talem obligationem; scio tamen, etiam illam negare Major. in 4. quæst.2. prologi §. *contra secundam conclusionem.*

45. Etiam hoc Argumentum nullius negotii est. Pro solutione sciendum ex Divo Thoma, & Thologis 1.2. quæst. 94. art.6. ad legem naturalem pertinere primò quædam præcepta communissima omnibus nota. v. gr. *Malum est fugiendum, bonum est amandum.* Secundò pertinent quædam præcepta, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ primis principiis. Et hæc continentur in decalogo. Ultra hæc autem, quorum meminit Divus Thomas, dantur etiam aliæ conclusiones remotæ à primis principiis, & quo magis sunt remotæ, eo obscuriores evadunt; & sic apud omnes non sunt eædem quoad notitiam, sed variæ. Quidam enim tenent unam, alii alteram partem defendunt. Nec hoc tantum accidit *ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ*, propter quæ capita Divus Thomas art.4. narravit, Germanos ex Julio Cæsare lib.6. de bello Gallico post med. existimasse, latrocinium fuisse licitum, Sed hoc accidit etiam absque ulla passione, aut mala consuetudine, sed ex ipsa imperfectione naturæ nostræ, quæ cùm cognoscat dependenter à sensibus, veritates à sensibilibus remotas dificulter percipit; & hoc etiam accidit ex isto capite in vèritatibus speculativis, quamvis veritates speculativæ sint facilioris cognitionis; unde & in conclusionibus propinquis primis principiis nemo discordat. Tùm quia hoc patet experientia; Nam Sancti Patres, & Antiqui Scholastici, quorum vita illibata fuit, & Catholici Tractatores ex Divo Bonaventura variant in opinionibus speculativis, & practicis.

46. Doctores acriter decertant, an possit dari ignorantia invincibilis de lege naturæ, ita ut faciens contra ipsam non peccet. Et omnes conveniunt non dari talem ignorantiam quoad prima principia. Quoad conclusiones propinquas, & sic quoad præcepta Decalogi, plurimi Doctores apud Vasq. 1.2. disp. 120. cap.1. & disp. 122. cap.1. negativam partem amplectuntur, & sunt Parisien, Altisiodor. Alen. Divus Bonaventura, Durandus, Albertus, Gabriel, Gerson, Adrian. Hugo de Sancto Victore, Alphonsus de castro, & Gratianus, & Divus Thomas dicto art.4. quatenus dicit, Germanos prava consuetudine inductos fuisse ad concedenda latrocinia. Sed clarè tenet hanc doctrinam quodl. 3. art.10. ubi docet, neminem excusari, qui sequitur opinionem contra manifestum textum Sacræ Scripturæ, vel quod publicè tenetur per Ecclesiam. Et quodlib.8. art.15. ait, fornicantem ex conscientia credente fornicationem esse peccatum veniale, peccare mortaliter, quia error eorum, quæ quis scire tenetur, & potest, non excusat. Idem dicit 1. 2. quæst. 19. art.6. & par. 3. quæst.80.

art.4.

art.4. ad 5. Et in 4. dist.21. quæst.2. art.2. addicit, ignorantiam juris divini non excusare hæreticos, & simplices. Unde puto, in sententia Divi Thomæ esse certum non dari ignorantiam invincibilem, & inculpabilem in habentibus usum rationis de lege nedum naturali, sed etiam Divina clarè, & manifestè expressa.

47. Rainerius verb. *Ignorantia* cap.1. expressè asserit, ignorantiam juris naturalis non excusare. Idem dicunt Astens. de verbor. signific. V. *Ignorantia*. Supplem. Pisanel. V. *Ignorantia* q.2. Angelus V. *Ignorantia* num.3. Divus Bernardinus tom.2. fer 4. Dominic. secundæ Quadrag. art.2. cap.5 Nider in consolation. timoratæ conscientiæ par.2. cap 4. cum Paludano tenet, ignorantem fornicationem non esse peccatum, non excusari. Alios pro hac opinione non refero; quia non est locus hujus quæstionis, nec refert ad solutionem Argumenti allati; Addo tamen hoc non esse certum, & plures refragantur, vide Vasq. d. disp. 122. cap 2. Medinam 1. 2. quæst. 1. art.6. quin Nider ubi supra tenet cum Ulrico in 2. dist.22. & in sum. lib.6. Ray. August. & Ambros. quibus addo Supplem. ubi supra, Joannem de Friburg. lib.3. tit. 32. quæst.17. D. Antonin. part.1. tit. 4 cap 4. §. 3. Angelum V. *ebrietas* num.3. & forsan Divum Bernardinum cap.2. & Rosellam verb. *Ignorantia* num.1. Ebrium non peccare, si hominem occidat.

48. Quoad verò conclusiones remotas, & obscuras, puto certum, dari ignorantiam invincibilem, & inculpabilem. Nider ubi supra recitans Ulric. Ray. August. Ambros. scribit: Si quis de aliquo agendo dubio magis peritos consulit, de quo nullam habet authoritatem expressam, utrum ita sit, vel non, dummodo formet sibi bonam conscientiam, postquam magis peritos consulverit, *etiamsi res aliter se habet, quam ipse sentit, excusatur, quia fecit, quod potuit; Deus enim nihil impossibile requirit ab homine.* Eadem verba scribit in Præcept. præcept. 9. cap. 3. litt. B. fin. Eadem Divus Antoninus par.1. tit.3. cap.10. §. 10. vers. *Revertendo ad quartam.* Eadem & Supplementum Pisanel. ubi supra; Eadem Joannes de Friburgo, ubi infra, & Rosell. ubi supra; unde in hac opinione isti Antiqui sequuntur Ulricum, ut una avis sequitur alias. Hoc noto, ut scias, non solùm modernos sequi se invicem ut aves, sicut illos arguit Vendrochius, sed etiam Antiquos. Quin puto, hanc sententiam debere esse doctorum dicentium, nos licitè posse sequi in praxi opinionem probabiliorem; nam probabilioritas opinionis, maximè si sit peculiaris, potest stare cum falsitate, ut est evidens; Ergo in casu, in quo esset propositio falsa, si licitè sequimur illam opinionem probabiliorem, ignorantia illius veritatis est licita, & nos excusat. Hi porro Doctores, qui, exceptis duobus, aut tribus, sunt omnes Theologi, asserunt posse sequi opinionem probabiliorem, etiam in materia legis naturæ. Vide Antoninum ubi supra in Regula sexta fin. ubi universaliter dicit, & sic in materia legis naturæ, quòd *operans juxta probabiliorem, etiamsi opinio, quam tenet, non esset vera, non peccat.* Vide omnino textus Antiquorum stantium pro probabiliori, quos supra verbatim retuli cap.18. qui omnes ideo asserunt, posse nos sequi opinionem Probabiliorem, quia in materiis obscuris ignorantia est excusabilis, tum in speculativis, tum in moralibus.

49. Idem Antoninus in vers. *revertendo ad quartam* scribit: Guilelm. etiam in Glossa Ray. dicit, quòd in apicibus juris, ubi dubitant etiam Sapientes, excusabilis est ignorantia. Et Angelus V. *Ignorantia* num.4. ait, quòd si quis facit ex ignorantia contra legem Dei, & naturæ, & hoc non sit expressum in ipsa, sed reducibile, maximè cum subtilitate, excusatur, unde esset durum damnare aliquem, qui facit contractum illicitum ob subtilitatem juris.

50. Ad Argumentum ergo concedo, nedum ignorantiam quoad prima principia, sed etiam pro nunc quoad conclusio-

clusiones proximas juris naturæ juxta Patres, & Theologos non excusare; at nego de ignorantia quoad conclusiones remotas, & obscuras; si enim Patres, & Theologi in his materiis variè opinantur, ergo credunt, in his materiis non dari præceptum de scienda veritate; aliter si daretur tale præceptum, qui tenerent partem falsam, peccarent; sicut peccarent juxta illos, qui ignorarent Decalogum, & prima principia. Hæc Doctrina est juxta principia Divi Thomæ dicentis, illam ignorantiam esse damnabilem, quæ *est eorum*, *qua quis scire tenetur*, *& potest*; cum ergo ubi variant sapientes, ibi scire veritatem non possimus, ut est evidens; ergo &c. Hinc optimè Joannes Nider in consolat. timorat. conscient. par.3. c.24. concl 4. asserit, nos non teneri, nec posse scire veritatem, ubi variant Doctores in opinionibus, quod nititur probare ex Augustino. 21. de Civit. Dei cap. ult. & ex Divo Thoma quodlib.8. art. 15. & inferebat cum Gersone de vita animæ, doctoribus monitum salubre dando, ne simus faciles ad asserendum aliquas actiones, & omissiones esse peccatum mortale, maximè sub verbo generali, & cum prædicandum est ad populum.

51. Dices, Augustinus absolutè, & absque limitatione dixit, peccare, qui malum putaverit esse bonum; & Doctores Antiqui absolutè dicunt, ignorantiam juris naturalis esse damnabilem; ergo gratis nos hanc Doctrinam limitamus, & voluntariè coarctamus, cum nullo textu, & authoritate id faciamus. Hac doctrina utitur Vendrochius contra doctores, qui præceptum de non occidendo restringebant, ut non comprehenderet illum, qui ob salvandas res suas invadentem occideret: Hanc eandem habet in append.2. art.3. vers. *postremò* pag. 381.

52. Sed contra est, quia in jure Canonico, & civili nedum est validum Argumentum per textus legum, Canonum, & authoritatis, sed etiam *per rationes probabiles*. audiamus c. *Ego Solis* 9. dist. Alios autem ita lego, ut quantalibet Sanctitate, doctrinaque polleant, non ideò verum putem, quia ita ipsi senserunt, sed quia mihi per alios authores, *vel Canonicas*, *vel probabiles rationes* quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Et in originali Augustini, qui est Author hujus textûs, dicitur: *Mihi*, *vel per illos authores Canonicos*, *aut probabili ratione*, quod à vero non abhorreat, &c. Ecce Magnus Augustinus, & Canon dant licentiam nobis probandi intentum vel per Authores, vel per Canones, *vel per probabilem rationem*. Qua ratione Vendrochius nos coget ad probandum semper per textus, & Canones? Legamus etiam Glossam in l. *non omnium* ff. de leg. V. *non omnium*, quæ dicit, quòd quandoque *habet locum ratio*, *& non lex*; ergo quandoque possumus reddere rationem nostræ conclusionis absque eo, quòd legem afferamus. Præterea, nunquid doctores semper referunt pro suis dictis Textus? ego certè in Antiquis hoc non experior. Augustinus in epistola allegata fine dicit absque ulla authoritate, aut textu, quòd quis potest ob famem vesci illa carne, *quæ scitur non esse Idolithum*, *vel ignoratur*. Quomodò Augustinus limitat legem Apostolicam universalem prohibentem, ne Idolitho vescamur, ut ignorantem non liget? Nullo Textu hoc dicit. Ipse quoque Vendrochius rarò de suis dictis, vel nunquam Canones, & leges allegat, & solùm aliquando Patres, & Scripturas.

53. Sed pareamus Vendrochio. Legantur Joannes de Friburgo in sum. lib.3. tit.32. quæst.17. & affert Ulric. in 2. dist.22. & in summ. lib.6. tract 2. cap.3. & Baptista de Salis. Verb. *Ignorantia*. Legantur etiam alii Doctores allegati supra. Hi universaliter asserunt, ignorantiam legis naturalis non excusare; Unde de Salis dicebat, puellas se impudicè tangentes non excusari à peccato, & à confessione. Adhuc tamen subdunt, excusari illos, qui in dubiis consulunt peritos, *& sequuntur illorum opiniones*, *quamvis aliter veritas se haberet*. Et cum

cum Cardinalis dixisset ex c. *Si quis dederit.* 24. quæst. 1. & c. *qui ea*, 25. dist. ignorantiam ex negligentia ortam non excusare à mortali, si sit circa præcepta naturalia, & divina. Sylvester Verb. *Ignorantia* num. 10. Glossat hanc doctrinam universalem, & Glossat absque textu: Intelligo, quando negligentia est lata, ut quia est contra contenta in dictis *legibus expresse, & non subtiliter reductive*. Per dictas leges intelligit *naturalem, & divinam*. De ignorantia enim Juris positivi loquitur immediate post: Ulterius Antiqui inquirentes, an excusemur, si sequamur opinionem non subtiliter investigatam, & quæ postea appareat falsa, & respondent affirmative, nisi tamen sit contra ea, quæ sunt expressa in ipsa lege, ut videre licet apud Angelum Verb. *Opinio*. num 2. remittendo se ad ea, quæ dixerat Verb. *Ignorantia*. Hæc quoque doctrina est juxta illos Doctores, qui expressè asserunt *non dari juris naturalis ignorantiam*, nec postea faciunt quæstionem expressam, an hoc dictum intelligendum sit etiam, quando res est obscura; Illi enim Doctores semper dant exemplum de eo, quod est expressum, & clarum in lege. Solent enim afferre exemplum de eo, qui nesciret *fornicationem esse peccatum*, quo pluries utitur Angelicus, vel de eo, qui nesciret, *furtum esse peccatum*, quod afferunt Joannes de Friburgo, & Baptista de Salis. Porro hæc duo exempla sunt de ignorantia eorum, quæ sunt expressa, & clara in lege. Ego rogo etiam atque etiam Vendrochium, ut referat aliquem Antiquum, qui dicat expressè, & clarè ignorantiam non excusare in rebus obscuris, etiam loquendo in jure naturali; & usque dum non referet, & procul dubio nunquam referet, sequar doctrinam Antonini 3. par. tit. 5. cap. 2. § 9. dicentis, in varietate opinionum nos posse sequi hanc partem, vel illam ante decisionem Ecclesiæ.

54. Addo pulchrum textum Gersonis, & Joannis Altenstaig verb. *Ignorantia invincibilis*. Hic retulerat duas opiniones, quarum prima dicebat, furiosum ex culpa, si totaliter careat ratione, excusari totaliter à peccato. Alia affirmabat, non excusari totaliter à peccato. Subdit Author. *prima opinio*, inquit Gerson, *probabilis videtur*; (& sic potest sequi) *propter dubium tamen talibus, si sanentur, debet secundùm canones pænitentia injungi* (utique solùm ad cautellam) *vide & eundem lect. 2. de vita spirituali animæ*. Sic Altenstaig. Nostra limitatio, quòd ignorantia in rebus obscuris prosit, utique saltem *probabilis videtur*, tum ob tot, & tantos Doctores, tum ob rationes; ergo possumus illa uti.

55. Colligitur, opinionem asserentem posse nos sequi opinionem probabilem, quæ scilicet ita nobis vera videatur, ut possit aliter se habere, quamvis in se sit falsa, & postea detegatur, etiam in jure naturali; colligitur, inquam, hanc opinionem esse certissimam, & esse velut traditionem, quia ab initio Ecclesiæ usque modo fuerunt Doctores, etiam Sancti, qui sequuti sunt tales opiniones, & cum talibus opinionibus mortui sunt. Et licèt velim credere, nullam opinionem Divi Thomæ esse falsam de facto, ita certissimum puto aliquas in jure naturali posse esse falsas, & has esse assero: Prima per Divum Thomam 2. 2. quæst. 104. art. 5. in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur obedire homini, sed solùm Deo. Secunda in 4. dist 29 quæst. unic. art. 4. docet filium non teneri obedire Patri quoad Matrimonium contrahendum, nisi quantum ipsa justa causa coegerit. Tertia ex iis, quæ dicit art. 3 ejusdem quæstionis ad 2. quæstiunc. 2. sequitur, posse fieri Matrimonium licitè, & validè, quamvis detur consensus post multum tempus, quo altera pars illum dederat. Quarta in 4. dist. 31. in expos. litt. dicit, quòd variare situm in copula Carnali non semper sit peccatum mortale. Has, & alias plures docet Angelicus Doctor, ut alibi vidimus, quas esse probabiles, vel etiam probabiliores, vel etiam probabilissimas teneo, certas tamen constanter non habeo, sed illas posse esse falsas non dubito,

56. Ven-

56. Vendrochius in illa objectione se refert ad notas, quæ habet ad Epistolam præcedentem; sed nihil habet, meo judicio, quod nobis officiat. Plura habentur tom.2. in Appendice secunda art.2. quibus contenditur probare, juris naturalis ignorantiam nunquam excusare; & Primò refertur Divus Thomas 1. 2. quæst 76. art.4. ubi docet Fornicantem ex ignorantia, quòd peccet, adhuc committere formaliter fornicationem, quia adhuc habet rem cum fœmina non sua. Secundò refertur Estius in 2. distinct.22. artic.14. eadem docens, & pro se allegans Cajetanum 1.2. quæst. 76. artic. 4. Tertiò citatur c. *per tuas* de Simon: ubi damnatur de Simonia ille, qui nesciebat id, quod egerat, Simoniacum esse. Quartò plura loca Augustini cumulantur, in quibus apertè asseritur, ignorantiam legis naturę non excusare. Instar. sit omnium, quem habet lib.1. retract. cap.15. *qui nesciens peccavit, quia voluit, fecit, etiamsi non quia voluit, peccavit nesciens peccatum esse, quod fecit; ita nec tale peccatum sine voluntate esse potest, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum fuit, hoc enim factum est, quod fieri non debuit.* Meo judicio, credo, hunc textum non posse intelligi universaliter, ut verba sonant; nam sic nec ignorantia facti excusaret; siquidem occidens amicum, quem putavit pro certo esse feram, fecit *non voluntate peccati*, sed voluntate facti, & hoc factum est, idest, facta est occisio amici, *quæ fieri non debuit.* Quintò inducitur Textus Aristotelis 3. Ethicor. cap.1. sic dicentis: *quæ agenda, quæ fugienda sunt, nullus improbus non ignorat, & hoc ipso vitio improbi, & justi fiunt. Non igitur ideo quisque involuntariè agere dicitur, quia, quid expediat, nescit. Omnino enim illa ignorantia, qua quis eligit certum aliquod malum, non efficit, ut involuntaria sit actio, sed ut sit mala; quod idem de ea dici potest, qua quis præcepta bene vivendi generatim ignorat; talem enim ignorantiam vitio vertimus; quæ vero involuntarias facit actiones, ac venia, ... misericordia dignas, circa singulares rerum circumstantias versatur, & tunc propriæ veniæ locus.*

57. Ego habeo plures Codices Aristotelis impressos in diversis locis, & nullus habet verba relata à Vendrochio. Primus Codex est impressus Basileæ 1542. Secundus est, qui habetur in Divo Thoma impresso Romæ 1593. apud Nicolinum, & ejus socios, & hic Textus est geminatus. Tertius est Patris Manri excusus Romæ 1668. & revera Aristoteles solet esse valdè obscurus, & textus Vendrochii est valde clarus, unde non videtur justè referri.

Vasq. d.disp.122. n.53. meminit hujusce textûs, & dat duas responsiones, quarum secunda erat ex Eustratio, Aristotelem hic agere non de ignorantia, quæ accidit cum falsitate, sed de ignorantia practica, de qua Aristoteles dixerat, *Omnis malus est ignorans*, & sistit in eo, quod ignorat, quod ei magis expediat in operatione, deceptus utilitate, & commoditate præsentis operis. Omnis enim peccans scit, se malè facere, sed deficit in consideratione eorum, quæ à male operando illum retraherent. Mirum est, quòd Vendrochius, qui legerat illam disputationem Vasquez, nihil respondęrit huic interpretationi. Forsan credidit dictum Aristotelis non posse explicari, & interpretari?

Sextò dicitur hanc veritatem haberi ex Epi. Bernardi ad Hugonem, & ex innumeris textibus Augustini apud Jansenium de statu naturę lapsæ lib.2. c.2.3.4.5. &6. Subditur quodl.8.ar.13. Divi Thomę, quem alibi nos quoque expendimus, & quodlib.3. art.10. quo relato addit de suo Author. *nec juvat excipere, hic loqui Sanctum Thomam de illis, quæ manifestè Scripturæ adversantur, omnis enim error in moribus manifestè secundum se Scripturæ adversatur, licèt id errantibus non sit manifestum.* Sic Author hujus Appendicis. *Si omnis error manifestè Scripturæ adversatur*, cum duo contradictoria semper importent errorem, etiam in materia obscura, sequitur per Vendrochium, quòd error in materia obscura manifestè adversetur Sacræ Scripturæ

pturæ; Sed sequens errorem contra manifestam scripturam non potest ab erroris vitio excusari per Divum Thomam quodl.3. art.10. Ergo sequens in materia obscura propositionem falsam non potest ab erroris vitio excusari. Ergo, dum Sancti in materia Sacra variè opinantur, ut & omnes Theologi, illi, qui sequuntur opinionem falsam, non possunt ab erroris vitio excusari; nec poterunt etiam excusari à peccato mortali, si materia Sacra erit moralis, & gravis. Hinc Doctores illi Religiosi, qui docuerunt non adesse præceptum de Confessione, peccaverunt mortaliter; & sic ipse quoque Gratianus, qui dabat licentiam sequendi hanc opinionem, peccavit mortaliter, & fecit peccare mortaliter; & quia mortui sunt cum tali opinione, sepulti sunt in Inferno. Eadem absurda infero de Glossa, & aliis Antiquis, etiam Sanctis, qui falsas opiniones docuerunt in materia morali gravi. Ad dictum ergo Vendrochii Respondetur, apertè falsum esse, quòd *omnis error*, ideft falsitas *in moribus*, manifestè adversetur scripturæ. Nunquid omnis sensus Scripturæ est manifestus, nec ullus obscurus? Augustinus epistol.154. dicebat Publicolæ: de hac re recole verba Apostoli, quæ si obscura essent pro modulo nostro exponeremus. Quia data explicatione Augustini Scriptura estne clara, ita ut non liceat amplecti explicationem oppositam aliorum Sanctorum? Si ergo datur sensus Scripturæ obscurus, poterit dari error, qui solùm obscurè, & non manifestè ipsi opponatur.

58 Alia denique coacervat illa Appendix eo art. quæ brevitati studens omitto, & quia eadem responsione diluuntur, & est nostra, quam sæpè dedimus. Augustinus ergo, Aristoteles, Divus Thomas, & alii Patres, & Philosophi asserunt, non dari ignorantiam invincibilem in lege naturæ, v. gr. de *Fornicatione*, *de Furto*, *de Homicidio*; fateor libentissimè pro nunc. Et quia de similibus est faciendum judicium l. *non possunt* ff. de leg. ideò hoc idem dicendum de aliis materiis clarè decisis à lege; illa enim sunt clarè, & manifestè sub lege; & hoc maximè, quia de ratione legis est, quòd sit manifesta c. *erit autem* 4. distin. nec aliquod obscurum debet continere, ne in captionem adducamur. Glossa ibidem cum allegatis juribus. Nego tamen, quòd Patres, & Philosophi intelligendi sint de casibus obscuris, & qui tantùm obscurè contineri possunt sub tali lege; à diversis enim non fit illatio juxtà proloquium Juristarum. Cum ergo Sancti, & Antiqui explicantes suam regulam ponant exemplum ver. gr. *de Fornicatione*, *de Furto*, *de Homicidio*, & aliis sceleribus, non debet hæc regula transferri ad res obscuras; *quæ enim conventio lucis*, dicebat Paulus, *ad tenebras?* Hoc argumentum utique est pessimum. *In luce possumus, & tenemur videre viam rectam. Ergo etiam in tenebris.* Ergo etiam erit pessimum hoc argumentum. In materia de Adulterio tenemur scire veritatem; hoc est, teneor scire veritatem, quòd habere rem cum aliena muliere sit peccatum; ergo etiam teneor scire veritatem, an habere rem cum uxore modo innaturali sit peccatum mortale, nec ne. Sicut ergo non valet argumentum à luce ad tenebras, ita nec valet à materia clara ad materiam obscuram.

59. Nec valet replicare, quòd Viator, si non videt viam rectam, non facit iter, nec ambulat per viam, quam non scit esse rectam; ergo etiam, si non scimus veritatem, non debemus illam operationem facere, sed suspendere. Nam non sic fecerunt Sancti, & Antiqui, qui opinabantur in materiis obscuris, & variabant in opinionibus teste Divo Bonaventura, asserebant autem, & in assertionibus idem dicebant in rebus claris.

60. Præterea per Patres illa ignorantia legis naturæ non excusat, quæ causat immania flagitia; sed ignorantia in rebus obscurè pertinentibus ad jus naturæ non causat immania flagitia; ergo ignorantia in rebus obscurè pertinentibus ad jus naturæ non est illa, de qua loquuntur Patres. Major est doctrina Vendrochii, minor verò probatur; siquidem sequens opiniones illas Divi Tho-

Thomæ, quamvis futuro tempore damnarentur, non potest dici flagitiosè vivens, sed bene, & virtuosè. Sic, si quis centum florenos furatus ob vitæ suæ, & filiorum conservationem illos non restitueret ad pinguiorem fortunam elatus, sequutus opinionem Scoti in 4. distin. 15. quæst. 2. §. *ad argument.* prope med. non per hoc deberet dici fur, si opinio Scoti proscriberetur. Quòd juris obscuri ignorantia excuset, mihi videtur ita sentire Alen. par. 2. quæst. 155. de pecc. ex ignoran. menb. 3. fin. ubi hæc scribit. Illa authoritas Augustini intelligenda est de illis, *qui habent ignorantiam illorum, quæ necesse est cognosci per disciplinam. Et tales excusantur non tantùm à pœna, sed etiam à culpa.* Ecce clarè, quòd per Augustinum juxta mentem Alensis datur ignorantia excusans in iis rebus, quæ cognoscuntur *per Disciplinam.* Hæc autem, quæ per disciplinam addiscuntur, quænam sunt, nisi conclusiones remotæ à primis principiis? Ergo justè dicebam, ignorantiam juris obscuri nos excusare.

61. Hic Vendrochius affert exempla sequentium quasdam opiniones, quæ videntur probabiles, qui certè malè operari debent judicari; v. gr. calumniam calumnia rependendo, interficiendo judicem sibi necem molientem, alapam intentantem occidendo, & alia similia perpetrando. Sed hæc non faciunt ad propositum; quia etiam olim parùm probabiles hujusmodi propositiones videbantur; & quidem Prima clarè vindictam sonat, & Secunda homicidium, & Tertia homicidium, etiamsi fiat post impactam alapam, ut deciditur ab Innocentio Undecimo num. 30. Tum quia olim Doctores illarum opinionum negavissent esse vindictam &c. qui, si poterant probabiliter solvere argumenta opposita, Vendrochius certè non poterat illos redarguere jure. Si verò non poterant; jam patet illas non potuisse sustinere ut probabiles; opinio enim, quæ habet contra se argumentum, quod probabiliter nequit solvi, est erronea, non probabilis.

62. Sed Author illius Append. secundæ sect. 1. art. 4. propè finem asserit, *per cordis Castimoniam, per amorem Dei, per orationis assiduitatem perveniri posse ad cognitionem consectariorum abstrusorum legis naturalis.* Per illa verba *consectariorum abstrusorum* videtur comprehendi materia obscura legis naturalis; & sic per illam nec dari poterit ignorantia invincibilis juris naturalis in materia obscura, & opinabili, quod clarè etiam videtur astruere superius vers. *contendit Caramuel*, in quo laudat Mercorum *negantem in aliqua opinione probabili dari posse ignorantiam invincibilem.*

63. Non juvat hìc reponere, nostros modernos, cum fuerint viri Religiosi, & maxima pars Regulares, vixisse *cordis Castimonia, Amore Dei, & orationis assiduitate*; & tamen juxta Adversarium moderni talem cognitionem non attigerunt. Non juvat, inquam, ita respondere, ne cogamus illum in viros Religiosos Satyram conficere, vel ad minus negare, quòd juxta sui Ordinis instituta vitam composuerint. Juvat tamen ipsi objicere Sanctos Patres, & Scholasticos Antiquos, qui *cum cordis Castimonia, Amore Dei, & precum assiduitate* varietatem, & contrarietatem opinionum, etiam in jure naturali, pacificè conjunxerunt, nam in eo, *in quo opinantur*, inquit Seraphicus in 2. distin. 25. in expos. litt. dub 3. *dissentire possunt, & aliquando dissentiunt, quia opinio aliquando venit* ex probabili conjectura rationis, in qua homo frequenter decipitur deceptione potiùs, quæ est pœna, quàm culpa, *à qua vix aliquis tractatorum immunis fuit; & ideò talis dissensio reprehensibilis non est; quamvis enim aliquo modo judicia discordent, concordant tamen desideria; omnes enim Catholici tractatores veritatem dicere volunt.*

64. Quòd sint *contraria opiniones*, ait Antoninus, part. 1. tit 3. cap 10. § 10. vers. revertendo ad quartam *inter doctores Sanctitate, & scientia maximos in materia morali*, aliquandò etiam ad salutem

tem necessaria, *patet per exempla.* Hic ponit exemplum in jure Divino, aliud in jure humano, & subdit: *& sic exempla innumera possent poni.* Nota, quæso, illa verba: *ad salutem necessaria,* quæ forsan horrorem incutient Vendrochianis, omnia in deterius accipientibus; illa tamen tu benignè interpretare, sunt enim verba viri Sanctitate, doctrina, & Archiepiscopali dignitate celeberrimi, quique teste Ecclesia Romana in Breviario Romano libros insignes composuit.

65. Conradus Summenhart de contract. quæst. 100. vers. *quarta suppositio,* dat plura exempla, in quibus discordant Antiqui, & ponit inter alia, quod Scotus vult, peccare mortaliter reddentem debitum tempore menstruorum; Palud. autem oppositum asserit. Hæc verò materia est in jure naturali; sed ignarus esset ille, qui negaret Sanctos, & Antiquos Scholasticos discordare in opinionibus, etiam in jure naturali. Quotidie audimus Thomistas certare cum Scotistis asserentibus invitis parentibus infidelibus posse baptizari ipsorum infantes, & decernentes hoc esse contra jus naturale paternum. At hæc discordia nullum est peccatum.

66. Audiamus Antoninum par. 2. tit. 4. cap. 8. ante. §. 1. sic dicentem: Tertio modo contingit discordia inter duos, vel plures *sine peccato utriusque,* & hoc, quia est de eo, quod *non est manifestè bonum,* & quia uterque intendit bonum honoris Dei, vel proximi utilitatem; sed uni videtur uno modo agendum aliquod, quod tractatur, alteri aliud contrario modo, *& rationes probabiles sunt pro utraque parte,* & plures etiam, & sapientes pro utraque parte, vel inter duos magnæ Authoritatis, & probitatis; & sic etiam in Sanctis viris invenitur aliquando discordia; Unde Act. 15. facta est dissentio inter Paulum, & Barnabam &c. In hoc casu, inquit Astensis lib. 2. tit 64. art. 2. *discordia non est peccatum, nec repugnat Charitati, nisi sit cum errore circa necessaria ad salutem, vel nisi sit cum indebita pertinentia.* Addit Angelus verb. *discordia* fin. *quia Charitas est voluntatum unio, non opinionum.* Subdit Supplement. *Quia talis discordia est per accidens, & quia Concordia, quæ est Charitatis effectus, est unio voluntatum, ut in Summa Confessor.* (Nempe Joannes de Friburgo) *lib.* 3. tit. 34. quæst. 226. Concordat Henricus Herp in primo præcepto serm. 26. prope fin. Tabiena, Sylvester, & Fumus verb. *discordia,* qui omnes transcripserunt hanc Doctrinam ex D. Thoma 2. 2. quæst. 37. art. 1. nihil addendo, nisi quòd Sylvestr explicat Canones *Oblationes dissidentium* 90. distinct. & *Abut* 11. quæst. 3. & *Ismael* 56. distinct. & poterat etiam explicare Canones c. *dissidentes* 90. distin. & c. *si primates* 5. qu. 2. qui faciunt ad idem propositum. Destructorium Vitiorum par. 6. cap. 56. scribit. Secundo modo accidit discordia inter aliquos per accidens, videlicet cum quæritur in consultatione, quid sit magis expediens *pro defensione, vel conservatione justitiæ, & unus dicit unum, & alius dicit aliud,* sic tamen, quòd uterque intendat honorem Dei, vel bonum proximi. Et hæc discordia est potiùs dissensio opinionum, quàm voluntatum; *& sic non est peccatum,* vel saltem veniale; nisi talis discordia sit cum errore circa ea, quæ sunt de necessitate salutis, vel nisi indebita pertinacia adhibeatur; quia aliter non repugnat Charitati, *quæ est unio voluntatum, non opinionum.* Ecce diversitas opinionum in materia *Justitiæ,* & sic in jure naturali, non est peccatum, vel saltem veniale, *nec repugnat Charitati,* & sic stat cum Charitate, & sic cum salute Animæ stat diversitas opinionum in jure naturali.

67. Quamvis autem Divus Thomas, & alii Doctores expressè non faciant mentionem de diversitate opinionum in jure naturali, tamen, cum loquantur universaliter *de discordia opinionum,* quæ accidere potest, & accidit etiam in jure naturali, debent intelligi etiam de discordia in jure naturali. Ex his patet, cum Charitate, & sic cum salute Ani-

Animæ, stare opinionem falsam invincibiliter cognitam ut probabilem; & sic *per cordis Castimoniam*, &c. non perveniri ad cognitionem consectariorum abstrusorum legis naturalis, ut dicit Vendrochius num. 62.

69. Instat Author illius Appendicis art. 4. vers. *at si satis esse*, per speciale Dei auxilium, & lumen potest tolli ignorantia, qua Gentilis laborat ob suam legem, & exempla majorum, & ob eam absque scrupulo committit horrenda scelera. Et quia hæc ignorantia potest tolli medio illo speciali lumine, ideò illa scelera excusari non possunt; sed medio hoc lumine speciali, *& iisdem adminiculis cujuslibet etiam remotissimæ legis Divinæ partis ignorantia exui potest*; ergo ignorantia conclusionum remotarum legis Divinæ non excusat operantes ex tali ignorantia. Et infra vers. *Nec verò ad pellendam*, ait: Nos scimus esse ignorantes legis naturalis, *ex hoc admonemur verò, poscendam à Deo Sapientiam, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Preces autem illæ pro veritatis impetrandæ cognitione fusæ, si tales sint, quales esse convenit, non illorum notitiam modo obtinebunt, quorum nobis inesse ignorantiam conscii sumus, sed eorum etiam, quæ nescientes ignoramus.*

70. Nescio capere, quomodò Author non viderit fallaciam primi, & imbecillitatem secundi argumenti. Ad primum ergo assero, per auxilium, & lumen Divinum, quod Pater luminum sua mera benevolentia decrevit dare facientibus quantum in se est, posse quidem attingi veritates vel in primis principiis, vel in conclusionibus proximis expressæ, non verò, quæ latent in remotis, remotioribus, & remotissimis conclusionibus deductis ex illis principiis; quia ad hanc cognitionem nec Patres, nec Antiqui pervenerunt, cum varient in his materiis. Per lumen autem, & Dei auxilium indebitum, & quod Deus non tenetur dare, nec dat, nisi iis, quibus vult, possumus has veritates abstrusas acquirere, at non tenemur; quia non est in nostra potestate illud lumen; & quia aliter Sancti, qui falsas opiniones docuissent, peccassent mortaliter.

71. Sed Vendrochius, & ejus sequaces non implent munus suum, dicunt, *si preces fundemus tales, quales esse convenit, nos consequuturos scientiam rerum obstrusarum.* Quare nos non instruunt de qualitatibus tantæ, & talis orationis? Sancti suis orationibus talem scientiam non impetrarunt, & ipse Vendrochius fatetur, Sanctum Antoninum tenuisse, *quòd discipulus potest bona fide sequi opinionem erroneam Magistri, quam putat probabiliorem*, & in hoc Sanctum Doctorem damnat, & dicit errasse. Ergo Divus Antoninus suis orationibus non obtinuit à Deo cognitionem hujus veritatis legis naturæ. Necesse est ergo, quòd doceamur qualitates tàm admirabilis orationis; Nam ipsi quoque Sapientissimi Scotistæ fatentur nec Divum Thomam illam scivisse, aut fecisse, dum negant opiniones oppositas in jure naturali Scoto, quas docet ipse, esse probabiliores, & veras. Hic obiter adverte, quòd Divus Antoninus nullibi docuit, nos posse sequi opinionem erroneam, nec unquam docuit, propositionem erroneam posse esse probabiliorem, cum expressè asserat par. 3. tit. 5. cap. 2 § 9. cum Divo Thoma, nullum excusari, qui sequitur *opinionem erroneam in pertinentibus in talibus ad fidem, & bonos mores.* Ipse quidem Sanctus Doctor docet, nos posse sequi opinionem probabiliorem, *quamvis in se aliter res se habeat*; at apud Divum Antoninum, & Theologos *idem non est, esse falsum, ac erroneum*, ut vidimus; Hoc quidem Vendrochius credidit, & propter hoc tale absurdum affinxit Divo Antonino, sed ipse culpandus est de sua credulitate, & de tali injuria illata illi Sancto Doctori.

72. Ulteriùs ipse Adversarius negare nequit, quòd per speciale auxilium possimus cognitionem factorum attingere; & tamen non per hoc tenemur orare Deum pro tali cognitione habenda.

72. Respondet Vendrochius sect. 1. art. 6.

art.6. vers. *nec magis urget*, differentiam esse inter juris cognitionem, & factorum, quia factorum *cognitio nec homini connaturalis, nec naturæ debita, nec peccato amissa, nec prorsus ad bene vivendum necessaria.* E contra *lex naturæ in ipsis humanæ mentis visceribus impressa, & regendo homini immutabili Divinæ Sapientiæ ordine præstituta*, nec ex animo hominis nisi peccato deleri potuit. *Manet igitur* in homine corrupto illius implendi juris obligatio, ejusque in memoria renovandi perpetua necessitas.

73. Adversarius, quando nos respondemus suis argumentis, illa vel negando, vel distinguendo, statim insurgit, nostram responsionem nullo textu inniti; & sic esse abjiciendam; ego jure merito eamdem objectionem ipsi facio. Addo, evidenter continere in prima parte nimiam lassitatem. Ait, quòd *factorum cognitio nec homini est connaturalis, nec naturæ debita, nec peccato amissa, nec prorsus ad benè vivendum necessaria.* Lego quidem in jure l.2. C. *de veter. jur. enucle.* §. *si quid autem* omnium habere memoriam, & in nullo peccare divinitatis est potiùs, quàm humanitatis; & illud nomen *Omnium*, explicari solet à Juristis de factis, ut videri potest apud Goffredum Tranens. in Sum. de constit. num.16. & de rescript. nu.39. Unde Legislator solet dicere de se, quòd habeat quidem in pectore clausa omnia jura, non autem facta. c.1. de constit. in 6. Omnium ergo factorum cognitio non est debita homini, nec est necessaria; aliquorum tamen est omninò debita; ut notat inter alios Alen. par.2. quæst.155 de peccato ex ignoran. memb. 4. Hinc & in jure aliquando facti ignorantia non solet excusare. Gloss. de reg. jur. in c. *Ignorantia facti* V. *eodem in* 6. summ. Azo. in li.1. de ignor. juris,& facti n.6. Puto autem omninò certum factorũ cognitionem esse peccato originali amissam, & pro certo habeo, quòd nullus v. gr. in statu Innocentiæ habuisset ex errore copulam cum fœmina non sua. Igitur credo, quòd cognitio illorum factorum, quæ facilè haberi potest, est debita homini, quæ verò difficulter nequaquam; & à simili infero, quòd juris clari ignorantia non detur ordinariè loquendo, nec excuset, bene verò juris obscuri; & sic ubi discordant Doctores in opinionibus, etiam juris naturalis ignorantia proderit; quia jus tunc est obscurum; & sicut Maritus v.gr. tenetur uti mediis solitis, & facilibus ad sciendum, hanc mulierem esse suam uxorem, nec obligatur ad insolita, nec tenetur orare Deum pro hac cognitione, & si orabit Deum, non per hoc Deus in casu, quo mulier non esset sua, *infrigidabit eum, nec ipsi immittet aliquam cogitationem, aut aliter occupabit, nec terrebit fœminam, ut inde abeat, aut aliqua alia via impediet copulam illam non matrimonialem*, ut divinando dixit Parisiens. de leg. cap.21. litter. D. Ita dicimus, quòd homines tenentur ad media solita, & facilia ad sciendum jus. Mediis autem solitis, & facilibus possumus solùm leges claras percipere, non abstrusas, & quas post etiam longum laborem, & studium ipsi sapientes non percipiunt, & inter se sunt varii. Nec tenemur Deum orare pro hac cognitione habenda; Deus enim in naturalibus nihil per se aliquid facit, ut dicunt Philosophi, nisi quandò deficit causa naturalis potens ad illum effectum. Cum ergo natura, & lumen naturale intellectûs nequeat suis viribus attingere has veritates abstrusas, Deus non tenetur supplere hunc defectum; & sic nec tenemur Deum orare, ut talem defectum suppleat. Hinc ignorantia invincibilis solet definiri, quòd sit illa, quæ studio superari non potest. Ita Summa *Destructorium vitiorum* part.4. cap.40. Nota illud nomen, *studio*. Studium ergò est medium solitum, & adhibendum, ut scientiam habeamus, non autem oratio; est enim medium insolitum; sicut lucerna est medium insolitum, ut vir veniat in cognitionem suæ uxoris.

74. Divus etiam Thomas. 1.2. quæst. 76. art.2. scribit, illam esse ignorantiam invincibilem, *quæ studio superari non potest*,

test, & propter hoc talis ignorantia, *cum non sit voluntaria*, eo quòd non est in potestate nostra eam repellere, *non est peccatum.* Ecce clarè, quòd nequit addisci *studio*, ignorare illud licitè possumus. Ergo oratio non est medium per se ordinatum ad habendam cognitionem rerum; aliter D Thomas debebat dicere, illam esse ignorantiam invincibilem, & inculpabilem, quæ est de iis, quæ studio, *& oratione* superari non potest Sic etiam Gloss. Raym. lib. 1. tit. de Sortil. §. 3. V. *scribit in charta*, docet simplices excusari per ignorantiam deferendo brevia superstitiosa, si tamen super hoc *non fuerint admoniti, & instructi.* Ecce cum carentia orationis datur ignorantia excusans in jure naturali, & divino.

75. Prætereà non sequitur, si oro Deum, acquiro scientiam juris; ergo teneor orare Deum, ut scientiam juris acquiram; ergo si non oro, pecco. Nam secundùm Doctores, si quis nutritus in Sylvis viveret secundùm legem naturæ, Deus vel per Angelum, vel alio miraculoso modo illum illuminaret, ut fidem Christianam capesceret, Adhuc tamen hic non tenetur benè vivere, ut habeat fidem Christianam, & hic malè vivendo non peccat contra præceptum de capessenda fide. Unde Divus Thomas dicebat 2. 2. quæst. 10. art. 1. quòd infidelis negativus damnatur quidem ob alia peccata, non autem propter infidelitatis peccatum, quia hæc infidelitas non habet rationem peccati, sed magis pœnæ. Licèt ergo vita innocua sit medium connexum cum fide, adhuc non teneor vivere innocuè, ut fidem acquiram; Ita, quamvis oratio esset medium connexum, quod tamen nego, & in æternum negabo, cum cognitione juris obscuri, non propter hoc sequitur, quòd ego tenear orare Deum pro tali cognitione habenda, & orationem relinquendo non pecco.

76. Ad illud, quod addebat Vendrochius, *legem* scilicet *naturæ esse impressam in mente hominis, & à Deo præstitutam pro ejus regimine, nec ex animo hominis nisi peccato deleri posse*, Respondeo; prima quidem principia, & conclusione proximas ad summum esse impressas à Deo in mente hominum, & solo peccato deleri, non sic conclusiones remotas, in quibus Sancti, & Innocentes variant opinando diversa. Dixi ad summum *conclusiones proximas, &c.* Ego enim nullum absurdum existimo dicere, quòd infans in tempore immediatè antecedenti ad lumen rationis tangens impudicè seipsum nequeat invincibiliter prosequi hos tactus in tempore saltem brevi post acquisitum tale lumen. A quo enim edocebitur statim de veritate? Quicquid dicas, puto te divinaturum, non discursurum.

77. Quodsi Vendrochius velit intelligere, quòd Deus impresserat in homine in statu Innocentiæ cognitionem legis naturæ quoad conclusiones remotas, & talem cognitionem solo peccato deleri posse; concedendo pro nunc hoc dictum, assero deinde, non esse verum, quòd postea ibi inferebat, nimirum, *manere in homine corrupto illius implendi juris obligationem, ejusque in memoria renovandi perpetuam necessitatem.* Siquidem gratis dicitur, nos obligari ad acquirendam scientiam, quæ data fuerat nobis pro statu Innocentiæ; Debet probari, illam scientiam esse debitam naturæ hominis ex vi suæ naturæ, non ex vi Gratiæ, & liberalitatis Divinæ. Nos hìc loquimur de præceptis naturæ, quæ radicantur in natura, & dicimus, quòd ex natura nostra non obligamur ad sciendas conclusiones remotas, quas in statu puræ naturæ scire non possemus; Unde talis scientia, si dabatur in statu innocentiæ, erat donum Dei; & sic, si teneremur ad redeundum ad talem cognitionem, teneremur solùm ex præcepto superaddito Dei, non verò ex præcepto naturali, de quo est difficultas.

78. Claudo hanc quæstionem addendo breviter quædam valdè notanda pro hac materia. Primum sit Authoritas Alberti in 2. distinct. 22. art. 10. quam etiam alibi retuli; dicit ergo, *Quod ignorantia juris universalis, quod omnibus imponitur ad sciendum, est crassa, supina, & non excusans. Ignorantia juris particularis, quod* non

non scitur nisi per studium, excusat vel à tanto, vel à toto, si casus est multùm difficilis. Ego subsumo, casus, in quibus variant Doctores in jure naturali, non discuntur nisi per studium, & sunt multùm difficiles, cùm & ipsi Doctores fallantur; ergò horum ignorantia per Albertum excusat à toto. Expressè hoc dicit Nider in consolat. Timorat. Conscient. par. 3. cap. 24. Inquit ergò: in multis scire tenemur, ubi committitur peccatum mortale; nullis tamen tenetur, nec scire potest specialiter in omnibus difficultatibus, an ibi sit peccatum mortale. Prima pars patet... Secunda pars patet in multis materiis, *ubi Doctores contraria opinantur.* Illud etiam videtur sentire Augustinus de Civ. Dei cap. ult. &c.

79 Secundum, quod addo, est: Vendrochius in sect. 2. ejusdem secundæ Append. art. 13. vers. *Hæc illorum ratio fuit*, scribit: *Utrùm detur ignorantia invincibilis juris naturalis, incertum est. An, talis ignorantia generatim excuset, adhuc incertius est, quicquid contra clamitet Caramuel. Hæc incerta Casuistæ pro certis sumunt, & primum hoc decretum figunt:* Ignorantiam invincibilem semper excusare. *Deindè aliud adjungunt*, dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, *& ex duobus illis incertis simul junctis colligunt* adversus Patres, *juris naturalis violationem sæpe excusare.* Audiamus Alexandrum Octavum in suo Decreto condemnatorio num. 2. damnantem hanc propositionem: *Tametsi detur ignorantia invincibilis* juris naturæ, *hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.* Ecce expressè Pontifex decidit hanc propositionem: Operans ex ignorantia invincibili juris naturæ in statu naturæ lapsæ excusatur à peccato formali; Unde secunda pars, quæ incertior erat apud Vendrochium, certissima est facta ab Oraculo Pontificio. Prima pars, licèt expressè non definiatur à Pontifice, tamen videtur evidenter sequi; Si enim non posset dari ignorantia invincibilis juris naturæ, ad quid valeret decisio Pontificia? Tum quia hæc damnatio est de objecto morali, est aliquòd factibile, & possibile; Tum quia subjectum illius propositionis decisæ: *Operans ex ignorantia, &c.* est aliquod reale; ergo debet dari aliquis, qui operetur ex tali ignorantia.

80. Tertium, quod addo est. Ipse Vendrochius sect. 1. illius Append. art. 2. vers. *demonstrare nititur* dicit: quòd vera, & unica responsio ad Argumentum Caramuelis est, *nec probabilem, nec probabiliorem sententiam à peccato excusare, nisi sit reipsa Divinæ, & æternæ legi conformis.* Divus Thomas in 4. distin. 32. quæst. 1. art. 4. ad 3. scribit. *Si alter conjugum nunquam peteret debitum, ex hoc alteri Matrimonium onerosum redderetur...... ideò alii probabiliùs dicunt, quòd neutrum potest unus absque consensu alterius vovere.* Ecce evidenter vel ipse Divus Thomas, vel alii teste Divo Thoma asserebant, conjugem non posse facere votum de non petendo debitum, & hoc asserebant solùm *ut probabilius.* Ergo, si in se hæc opinio esset falsa, Divus Thomas, vel illi alii Doctores peccassent mortaliter contra jus naturæ, quo jubetur vota esse Deo reddenda. Hoc autem est ingens absurdum, ergò &c.

81. Quartum: sect 3. art. 3. fin. scribit: *tunc tantùm peccati damnandi sunt, qui opiniones probabiles sequuntur, Primò, si opiniones illæ falsò asserant, licitum esse quod re vera non licet. Secundò, si suppetat via prorsus tuta, vel tutior, quæ imprudenter alicujus commodi temporalis gratia negligatur.*

82. Contra Primum sic insto: Sancti, & Antiqui variantes in opinionibus quoad jus naturale, vel sequebantur suas opiniones ut certas, vel ut probabiles; si ut certas, cum tamen essent oppositæ, una ex illis erat falsa; & sic non sola probabilitas, sed opinio judicata certa, cum esset falsa, esset mala regula. Ergò Vendrochius non solam probabilitatem, sed certitudinem falsam debet damnare; & sic cum pauci, aut nulli sint liberi ab erroribus in jure naturali; sic pauci, aut nulli, etiam Sancti, essent excusandi à damnatione Vendrochii. Si sequebantur illas opiniones ut probabiles, cum me-

medietas illarum juxta ipsum esset falsa, Doctores Sancti, & Antiqui sequentes illam medietatem opinionum essent damnandi.

83: Contra Secundum insto breviter, quòd, si est malum sequi probabilem relicta tutiori ob commodum temporale, erit bonum illam amplecti ob bonum spirituale; Unde, quia Confessarius videt, quòd Pœnitens non restituet, si sequatur opinionem probabiliorem; & sic peccabit; ideò, ut vitet hoc malum spirituale pœnitentis, poterit Confessarius sequi minùs probabilem, & minùs tutam.

84. Quintum: sect. I. art 4. vers. *hac invincibilis* laudat Mercorum negantem contractam *peccato ignorantiam esse involuntariam, & excusabilem.* Vidimus supra, plures Summistas Antiquos sequi ut probabiliorem opinionem oppositam, quibus addo, ni fallor, Altisiodor. in 2. tract. 29. de ignorant. cap. I. quæst. 4. & Gloss. in c. *si quis insaniens* 15. quæst. I. V. *propria*, & c. *sanè.* V. *damnantur*, & c. *inebriaverunt.* V. *quantum* ead.

85. Sextum: sect I. art. 2. vers. *quænam hic Parisiens.* reprobat Mercorum dicentem, fideles securè posse uti qualibet dispensatione Summi Pontificis; & in specie damnat dispensationem, qua Laicus ad Episcopatum assumitur, & dicit, nullum discrimen reperiri inter Laicum, & puerum quinquennem ad obeunda munera Episcopalia; Unde, si carpitur Joannes Decimus à Baronio, quia puerum quinquennem assumpsit, damnandi sunt Pontifices præsentes dispensantes Laicos, ut possint in Episcopos assumi.

86. Ego primùm fateor, illum puerum fuisse malè dispensatum ab iniquo illo Pontifice per Fœminam in Pontificem intrusum; quia nullum motivum æquivalens dabatur pro tali dispensatione. Secundò dico, de facto intervenire posse motivum talis dispensationis. V. g. inter fœdera inita in Germania inter Catholicos, & Hæreticos est, quòd Episcopus Paderbonensis alternativè sit Catholicus, & Hæreticus. An hoc pactum sit justum, nil ad præsens interest. Quæro, si Hæretici convenirent, ut illa vice, qua Episcopus deberet esse Hæreticus, eligeretur puer quinquennis Catholicus, nonne Pontifex deberet potiùs, dispensare cum tali puero, quàm sinere, ut eligatur Hæreticus? Tertiò assero, Pontificem posse errare in dispensationibus; subdo tamen, ita esse fidendum, ut potiùs credamus, errare, qui damnant Pontifices, quàm Pontifices dispensantes.

87. Ultimum addo: Eodem articulo, vers. *Hac regula inquam:* Conqueritur Adversarius, Doctores nostros statuentes aliquam opinionem non allegare Doctores oppositæ opinionis, specialiter in assertione, quòd possimus sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, non meminerunt Antiquorum oppositum sustinentium. Unum ex capitibus, ob quod libenter in moralibus lego Modernos, est, quia solent allegare Doctores ipsis oppositos; sic enim eligo opinionem, quæ mihi placet, non quæ placet illi Doctori. Scholastici quidem Antiqui oppositos non allegant, & ita etiam se gerunt plures Summæ Antiquæ. Moderni, si non omnes, saltem principaliores pro utraque parte citant Doctores. In illa speciali quæstione legant alii Vasquez, Medinam, & Azorium, & suis oculis condemnabunt Vendrochium.

CAPUT XXVII.

An ex pluribus opinionibus æqualibus possimus licitè quamlibet sequi.

1 IN cap. 4. probavi, ad assensum opinativum requiri imperium voluntatis, & in cap. 5. voluntatem posse physicè flectere intellectum existentem inter motiva æqualiter, vel inæqualiter probabilia ad quamlibet partem, etiam minùs probabilem. In præsenti quæ-

quæra

quærimus, an voluntas possit flectere *licitè* intellectum ad quamlibet ex æquè probabilibus; quia verò meum institutum est ex principiis Antiquorum difficultatem resolvere, ideo dicendum, juxta Antiquos posse licitè voluntatem flectere intellectum, ut sequatur quamlibet ex pluribus opinionibus moralibus oppositis æquè probabilibus. Ego non dico, quòd possimus utranque sequi, & utrique assensum præbere, hoc enim pro meo instituto non est necessarium, ut dicebam cap.3. num.36. Mihi sufficit, quòd intellectus hanc, vel illam sequi possit; sic enim mihi datur libertas complectendi partem benignam, de qua sola est difficultas: Vide omnino cap.30.

2. Probatur ex D. Hieronymo in epist. quæ est undecima inter D. August. cap.3. & ex parte memini cap.4. num. 12. Ita ergo scribit Hieronymus D. Augustino: *Hoc si placet, imo quia placet, ut quicunque credunt ex Judæis, debitores sint legis faciendæ*, Tu, *ut Episcopus toto orbe notissimus*, debes hanc promulgare sententiam, & in assensum tuum omnes Coepiscopos trahere. *Ego in parvo tugurio cum Monachis, idest cum compeccatoribus meis, de magnis statuere non audeo, nisi hoc ingenuè confiteri*, me majorum scripta legere, & in commentariis secundùm omnium consuetudinem varias ponere explanationes, ut è multis sequatur unusquisque, quod velit. *Quod quidem te puto, & in sæculari litteratura, & in Divinis libris legisse, & probasse.*

3. Nota, quòd Hieronymus suadet Augustino, ut cum aliis Episcopis suam unicam opinionem defendat circa obligationem Judæorum Baptizatorum observandi adhuc legem Judaicam. Hoc notant illa verba verba, *Hanc promulgare sententiam.* E contra ipse Hieronymus ingenuè fatetur, se majorum scripta legere, & in commentariis, secundùm omnium consuetudinem, varias *ponere explanationes*, unde de eadem quæstione plures referebat opiniones. Et nota, quod modus decidendi quæstiones, plures scilicet referendo opiniones, erat mos omnium. *Secundum omnium consuetudinem.* Sed quare referebat illas plures opiniones? Audi aurea Sancti viri verba: *Ut è multis sequatur unusquisque, quod velit.* Si, *ut sequatur unusquisque, quod velit.* Quia verò hic textus Hieronymi loquitur de commentariis, quæ edit super Sacram Scripturam, & Scriptura tractat tum de rebus speculativis, tum practicis; ideo hæc libertas eligendi opinionem è multis nobis concessa est intelligenda tum de speculativis, tum de practicis.

4. Fagnanus in c. *ne innitaris de constit.* num.274. dicebat, quòd D. Thomas adductis hinc inde argumentis *semper ultimo loco docet, quid tenendum, & respondet objectis*; idemque ferè observant reliqui graviores Theologi. Sed & Patres ubique docent, quid nos tenere oporteat; *nec unquam in spectantibus ad mores memini me legisse, eos relinquere libertatem eligendi opinionem, quam maluerimus.* Ita Fagnanus.

5. Posthac Fagnanus mutabit sententiam, postquam legerit textum clarum Hieronymi, & alios Antiquorum, quos attuli cap.4. & 5. & quos afferam in præsenti, & sequentibus. Igitur Adversarii mutent sententiam, & credant illum pulcherrimum modum scribendi, quem adhibent moderni, præcipuè Diana, quo in eadem difficultate varias afferunt opiniones, & dant libertatem, ut quilibet seligat ex illis, quæ sibi placet; credant, inquam, non esse inventum novum, sed antiquissimum, & practicatum fuisse à Hieronymo, & ab omnibus Patribus illorum temporum: Legaiterum verba Sancti Doctoris: *me legere majorum scripta, & in commentariis* secundùm omnium consuetudinem *varias ponere explanationes; ut unusquisque sequatur è multis, quod velit.*

6. Huic textui Hieronymi unicè posset responderi, ipsum scilicet referre varias opiniones super eadem difficultate, non tamen oppositas; non enim *varia* opinio idem significat, ac *opposita*; sicut *diversum* non est idem ac *contrarium* ex C. *cum apostolica ut de his*, *quæ*

quæ fiunt à prælat. & notat Geminianus in §. 1. 20. dist. quæst. 3.

7. Tum quia communiter Theologi cum D. Thoma 1. par. quæst. 1. art. 10. Alber. in 1. dist. 1. art. 5. & Alen. par. 1. quæst. 1. memb. 4. art. 4. dicunt, eundem textum Scripturæ habere plures sensus, & alium esse litteralem, alium anagogicum, alium allegoricum &c. isti tamen plures sensus omnes sunt veri, & intenti à Spiritu Sancto; & sic non sunt oppositi; & adhuc sunt varii, & diversi. Igitur è pluribus, & variis opinionibus possumus liberè eligere unam, quam volumus, non verò è pluribus, si sint oppositæ. Nostra autem difficultas est de oppositis.

8. Sed contra, quia hic D. Hieronymus debet intelligi de oppositis; nam ex textu patet, quòd concertationem habebat cum D. Augustino volente esse veram suam solam opinionem; & hinc dicebat Hieronymus eidem, quòd hanc suam opinionem cum aliis Coepiscopis teneret; e contra asserebat, legere Scripta majorum, ipsorumque *varias explanationes ponere in commentariis, ut è multis unusquisque sequatur, quod velit.* Nunc patet illorum majorum scripta habere oppositas opiniones. Insuper Hieronymus profitetur, se sequi modum oppositum illi, quem sequebatur Augustinus, quemque respuebat; non poterat autem Augustinus respuere plures explanationes secundùm illam multiplicem acceptionem sensuum *litteralis, anagogici &c.* nam de his non habebant concertationem, sed de solo litterali sensu; unde Augustinus tenebat unam partem, & Hieronymus oppositam tuebatur. Tum quia apud Hieronymum accipiebatur pro eodem ly, *Varias*, ac *contrarias*; nam in epist. 13. inter August. scribit: absit autem à me, ut quicquam de libris Beatitudinis tuæ attingere audeam; sufficit enim mihi probare mea, & aliena non carpere. Cæterum novit Prudentia tua, *unumquenque in suo sensu abundare*, & puerilis esse jactantiæ, quòd olim adolescentuli facere consueverunt, accusando viros illustres suo nomini famam quærere, *nec tam stultus sum, ut diversitate explanationum tuarum me lædi putem, quia nec tu lederis, si nos contraria senserimus.* Nota illud verbum, *diversitate*, & illud aliud, *contraria*, & videbis accipi pro eodem.

9. Nota illam propositionem: *unumquenque in suo sensu abundare*, & suppone, intelligendam esse in materia morali, quia ibi Hieronymus scribebat Augustino de simulatione Petri, quæ est quid morale, & volebat, quòd Augustinus non damnaret in hac materia opinionem ejusdem Hieronymi, sed sineret, ut *quisque in proprio sensu abundaret*; & sic videbis, apud Patres concedi libertatem in moralibus sequendi opinionem, quam volumus, ita enim significare illa verba: *unumquenque in suo sensu abundare*, mihi videtur; & sic concludet, non bene scripsisse Fagnanum, dum dixit: *Patres ubique docent, quid nos tenere oporteat; nec unquam in spectantibus ad mores relinquere libertatem eligendi opinionem, quam maluerimus.*

10. Addo. Fagnanus dicit, *Graviores Theologos ferè semper observare methodum D. Thomæ, quæ est docendi ultimo loco, quid sit tenendum.* Observo illam particulam, *Ferè*, non significare omnes casus, ut notant Bertachinus in suo repert. Legali, Et Barbosa in tract de dict. usufreq. ex l. *in omni* ff. de adopt. si ergo non continet omnes casus, in aliquibus casibus graviores illi Theologi sequuntur methodum oppositam. In rei veritate afferam textus clarissimos Antiquorum, in quibus amplectuntur utramque partem. Si graviores Antiqui sequuntur æqualem probabilitatem in aliquibus casibus, sequitur evidenter, quòd talis methodus non sit contra legem naturalem, & quòd non importet contradictionem, & quòd includat veritatem; nam lex naturalis est necessaria, & sic de omnibus valet; nec unquam intellectus potest assentiri duobus contradictoriis, aut propositioni falsæ.

11. Denique nota ultima verba textùs D. Hieronymi: *Quod quidem Te pu-*

to, &c

to, & in sæculari litteratura, & in Divinis libris legisse, & probasse. Illud relativum, *Quod*, sequitur ad illa verba, in quibus Hieronymus asserit, se legere scripta majorum, & illa referre in suis commentariis, *ut unusquisque è multis eligat, quod velit.* Igitur illud relativum significat, quòd D. Augustinus legerit in libris *sæcularibus*, v. gr. in Philosophicis, & *Divinis*, v. gr. theologicis hanc methodum, nempe referendi plures opiniones, & dandi libertatem electionis in talibus. Ergo D. Augustinus juxta narrationum D. Hieronymi approbat æqualem probabilitatem.

12. Sed in libris ipsius Augustini hoc patet evidenter; nam, ut retuli cap. 5. num. 52. Sanctus Doctor in epist. 7. refert quatuor opiniones de Animæ Rationalis ortu, quarum duas dicit, maximè esse juxta textum Scripturæ; hinc has duas credebat probabiliores in ordine ad alias; in ordine verò ad invicem credebat æqualiter probabiles, quia ambo erant maximè juxta textum Scripturæ. Credebat etiam alias duas æqualiter probabiles, nam de illis judicabat verificari textum Scripturæ, nec de una dicebat magis verificari. Ergo judicabat æqualiter veras. Mihi videtur evidens, in hoc textu Sanctum Doctorem sequi plures opiniones oppositas æqualiter probabiles. Est quidem materia speculativa, sed adhuc omnino nobis favet, ut pluries dixi, & dicam.

13. Probari potest ulterius, & hæc probatio erit in materia morali, ex eodem D. Augustino de Doctr. Christian. lib. 2. cap 8. & refertur in c. *in Canonicis* 19. distinct. ubi hæc habet. In eis verò (scripturis,) *quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, gravioresque accipiunt, eis, quas pauciores, minorisque authoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi,* (quamquam hoc inveniri vix possit) æqualis tamen authoritatis eas habendas puto. Glossa in V. *Plures*, notat, quòd dignitas personarum compensatur cum numero. Per Canonem ergo habetur, & per Glossam, quòd dignitas personarum æquatur à multitudine; & insuper habetur, quòd Scripturæ Canonicæ debeant recipi, & recipi cum æquali authoritate & illæ, quæ approbantur à gravioribus, & quæ à pluribus minoris authoritatis. Inde infero, quòd duæ opiniones oppositæ, quarum una sit approbata à gravioribus Doctoribus, alia verò à pluribus, debeant, recipi, & recipi cum æquali authoritate, & approbatione.

Dices disparitatem esse, quia Scripturæ Canonicæ non habent propositiones oppositas; Hinc possunt recipi duæ propositiones non oppositæ cum æquali approbatione; non sic verò oppositæ, ut quæstio est præsens.

14. Sed contra est, quia, si propositiones oppositæ, & non oppositæ recipiunt eandem formam, oportet, quòd recipiant eundem effectum formalem: hinc, licèt ignis, & aqua sint opposita, tamen, quia ambo recipiunt quantitatem, ambo sunt longa, lata, profunda &c. Ergo, si oppositæ propositiones, & non oppositæ recipiunt illam formam, quòd approbentur vel à pluribus, vel à gravioribus, debent recipere effectum formalem, quòd recipiantur ab omnibus, ut vult Augustinus, quæ receptio est veluti effectus formalis illius approbationis. Ratio à priori est, quia propositiones, quæ in una ratione opponuntur, in alia possunt esse non oppositę, sicut patet in aliis rebus, & in exemplo allato de igne, & de aqua est manifestum. Ergo propositiones, quæ sunt oppositæ in affirmatione, & negatione, & sic quoad veritatem objectivam non conveniunt, possunt convenire in alia ratione, & in Probabilitate, quia hæc non opponitur cum affirmatione, & negatione, cum falsum in se possit esse probabile, quin probabilius, ut alibi ex Aristotele dicebam. Vide alium textum D. Augustini relatum cap 4. num. 11.

15. Liceat hìc authoritati Sacræ prophanam Aristotelis addere. Hic ergo

definiens Probabilia 1. Topic. cap 1. numer.6. ait: Probabilia autem sunt, quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut Sapientibus, & his, aut omnibus, aut plurimis, vel maximè familiaribus, & probatis. Adverte illam particulam, *Plurimis*, reperiri in quatuor impressionibus Aristotelis, quibus utor. Prima facta est Basileæ anno 1542. Secunda Venetiis anno 1572 apud Juntas. Tertia Lugduni anno 1579. Quarta Romæ apud Angelum Bernabò. Adverte insuper hanc voculam satis strictè accipi à Juristis; Dicebat enim Barbosa in tract. de dict. usufreqn. dic. 266. *Dictio.* Plurimi, *ad minus in tribus debet verificari*, *Gloss. in* §. *& quod sæpè in authen. de trient. & semiss. Doct. in l. Continuus.* §. *item*, *qui insulam ff. de verb obligat. Benintend. Bononiæ decis. 43. num. 7. &c.* Sed nos latiùs valde explicemus Supponamus ergo ad vocem, *Plurimi*, requiri non Tres, sed Triginta..... & sic arguamus: Video oppositas opiniones amplecti à Thomistis, & Scotistis, qui sunt Sapientes *maximè familiares*, *Probati*, & *Plurimi*; Ergo debeo judicare utramque opinionem esse probabilem; Consequentia est evidens, quia de utraque verificatur allata definitio Aristotelis. Antecedens autem in nulla sui parte negari potest sine ingenti injuria celeberrimæ Thomistarum Scholæ, & Scotistarum.

14. Confirmatur, & explicatur argumentum in particulari materia. Docet Divus Thomas 3. par. quæst. 83. art 6. ad 4. Si Sacerdos assumpta Hostia novit, se consecrasse aquam pro vino, debere utramque materiam consecrare. E contra Scotus in 4. distin 8 quæst. 3. §. *dico quod*, & §. *alio modo potest*: asserit, debere consecrare solùm vinum. Utraque ergo opinio habet viros doctos, probatos, familiares, & plurimos; Ergò cum utraque habeat definitionem Probabilium datam ab Aristotele, utraque debet recipi ut Probabilis.

15. Scio Fagnanum c. *ne innitaris* de const. num. 407. in prædicto textu Aristotelis legere, *Pluribus*, loco *Plurimis*; unde videtur posse inferri ad Probabilitatem requiri, quòd approbetur *à Pluribus*, quàm ejus opposita propositio.

16 Sed contra, quia jam dixi in quatuor impressionibus reperiri vocem *Plurimis*; Tum legatur *Pluribus*, non *Plurimis*, adhuc non convincor, quia vox, *Plures*, tàm est comparativa, quàm positiva. Unde Barbosa ubi supra nu. 265. & Bertachinus in repertor. legali V. *Plures* cum plurimis Juristis docent, vocem, *Plures*, etiam in duobus verificari; & subdunt, si testis diceret Petrum possedisse agrum *per plures*, & *plures annos*, verificari, si per quatuor annos obtinuerit illos agros. Ex hac explicatione patet, opiniones oppositas Thomistarum, & Scotistarum approbari *à pluribus*, & *pluribus sapientibus*. Sed, si etiam Vox *Plures* importaret centum, adhuc hæ opiniones verè debent dici approbari *à pluribus*, & *pluribus*.

17. Probatur ex Lactantio Firmiano lib. 3. de divin. institution. cap 27. ubi hæc scribit: Nihilne illi Philosophi præcipiunt? Immò permulta, & ad verum frequenter accedunt, sed nihil ponderis habent illa præcepta, quia sunt humana, & authoritate majori, idest divina, illa carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse, qui audit, quàm est ille, qui præcipit. Præterea *nihil apud eos certi est, nihil, quod à scientia veniat. Sed cum omnia conjecturis agantur, multa etiam diversa, & varia proferantur, stultissimi est hominis, præceptis eorum velle parere, quæ utrùm vera sint, an falsa, dubitatur; & ideò nemo paret, quia nemo vult ad incertum laborare.* Illa verba: *utrùm vera sint, an falsa, dubitatur*, duplicem sensum reddere possunt. Primo, ità ut dubium sit de existentia præcepti. Secundò, ita ut præceptum sit certum; Dubium verò sit, an præceptum sit justum; v. gr. Rex jubet, ut subditi adorantur talem urbem, quia credit sibi deberi jure Sanguinis. Existentia præcepti est evidens; tamen justitia, & veritas, cui innitur præceptum, est dubia, & incerta. In quocunque sensu

Le-

Lactantius explicetur, evidenter est pro me; Ex ipso enim habeo, quòd, ut non sim stultus, debeo ad certum laborare, idest res præcepta debet esse certò justa. Vel certum debet esse, quòd existat præceptum. Ergo, quando solùm probabile est, vel quòd existat præceptum, vel quòd res præcepta sit justa, non teneor præcepto, quia, quando sumus in probabilibus, sumus in incertis secundùm omnes Doctores, & secundùm Adversarios sumus etiam in dubiis; in quibus etiam per Lactantium stultum est, velle parere.

18. Igitur in materia obscura, & incerta vel intellectus potest utramque partem probabiliter sustinere, & licitè in praxi deducere. Et sic habeo intentum; vel solùm unam, vel nullam. Si nullam, cùm tunc incertum sit præceptum, per Lactantium stultum est illi parere. Si solùm unam; tunc vel est, quòd non sit præceptum, & sic nec teneor præcepto. Si verò sit, quòd præceptum vigeat, cùm hæc cognitio sit incerta, probabilitas namque non infert certitudinem, tunc etiam per Lactantium est stultum vel e parere præcepto proposito per cognitionem incertam.

19 Probatur ex Divo Thoma, qui secundùm Cajetanum opusc. de eleem. cap 2. non mutat opinionem, nisi se retractet expresse. Porrò in 4. distin.38. quæst 1. art 4 quæstiun.1 ad 3. sustinuit Pontificem posse dispensare in voto solemni, Sed 2 2. quæst 88. art.11. oppositum docuit: Ergo secundùm Cajetanum Divus Thomas docuit probabiliter utramque opinionem oppositam. Et hìc noto Cajetanum per Vendrochium esse Theologum repositum in venerabili Antiquorum Choro; unde ejus Authoritas est magni facienda ab ipso Vendrochio. Scio Petrum de Bergomo conari, ut monstret, Sanctum Doctorem loqui in libro sententiarum de voto secundùm rem promissam, in Summa de voto ratione consecrationis indelebilis Vel loquitur in libro sententiarum in sententia aliorum, in Summa verò in sententia propria.

20. Sed contra ad primum, quia in Sententiis loquitur de voto continentiæ, Religionis quantumcunque solemnizato, & aliis votis essentialibus Religionis, & dicit, quòd in tali voto ob bonum Ecclesiæ, & Reipublicæ potest dispensari. Religionis certè votum omnino solemnizatum importat consecrationem indelebilem, per quam homo consecratur Deo. Tum quia loquitur de *voto continentiæ, & aliis votis essentialibus Religionis.* Ad secundum dico asserere quidam illam opinionem esse aliorum; adhuc tamen illam sequitur, quia illam agnoscit ut probabiliorem. Tum quia in illo loco quam opinionē sequitur? non primam, quia sequeretur opinionem minùs probabilem. Ergo sequitur opinionem aliorum, quam proinde vocat probabiliorem. Assumptum patet, quia nequit respondere objectioni, nisi unam ex allatis opinionibus sequendo.

21. Præterea Divus Thomas in 4. distinct. 17. quæst.3. art.1. quæstiunc. 3. ad 3. dicit, ex Institutione Ecclesiæ nos obligari ad Confessionem venialium, nisi habeamus mortalia. Subdit postea. *Vel potest dici secundùm* quosdam,... *qui non habet mortalia, non tenetur ad Confessionem venialium, sed sufficit ad præceptum implendum, ut se Sacerdoti repræsentet, & se ostendat absque conscientia mortali esse, & hoc ei pro Confessione.* Ecce ipse asserit expressè *deberi Confessionem venialium fieri ex institutione Ecclesiæ*, Addit postea: *Vel potest dici, &c.* Certè amplectitur etiam hanc aliam conclusionem; Si enim nullo modo amplecteretur, non scriberet: *potest dici.* Numquid falsum potest dici? Hæc alia porro conclusio est, ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ sufficere, se præsentare Sacerdoti, & immunem se fateri à mortalibus. Hic patet, nos non obligari in hac sententia ad Confessionem venialium Meo judicio negari nequit Sanctum Doctorem hic utramque opinionem probabiliter amplecti. Vide omnino cap.13. num 13. & 14.

22. Utrumque sequitur etiam in dist. 33. quæst.2. art.2. quæstiunc.2. in illa diffic.

ficultate, an Hebræi licitè repudiarent uxores; nam partem affirmativam vocat probabilem, at, *primam sustineri*, ait, *communiùs*; *& ideò respondendum esse ad utrasque rationes.* Certè, qui pro utraque parte affert rationes, & solvit objecta utriusque partis, & unam dicit esse probabilem, aliam verò communiùs defendi, amplectitur utramque partem. Divus autem Thomas ita hic se gerit. Ita etiam se gerit in quæstiuncula sequenti: An mulier repudiata posset licitè iterum nubere; Et ait, quòd secundùm unam opinionem poterat, & secundùm aliam non poterat, & affert pro utraque suas rationes, & objecta utriusque resolvit. Adversarii aliud respondere non possunt, nisi quòd sunt exempla speculativa; sed si Christus non abstulisset repudium, propter hoc Divus Thomas non haberet motivum, per quod mutaret opinionem.

23. Sed clarissimè amplectitur utramque opinionem oppositam Sanctorum Patrum in expositione textùs Matth. cap.10. Hic textus habetur 1.2. quæst. 108. art.2. ad 3. his verbis: dicendum, quòd illa præcepta Dominus dedit Apostolis non tanquàm cæremoniales observantias, sed tanquam moralia instituta, *& possunt intelligi dupliciter*, Uno modo secundùm Augustinum tom.4. de consens. Evangelist. lib.2. cap.30. ut non sint præcepta, sed concessiones; concessit enim eis, ut possent pergere ad prædicationis officium sine pera, & baculo, & aliis hujusmodi, tanquàm habentes potestatem necessaria vitæ accipiendi ab illis, quibus prædicabant; Unde subdit, dignus est enim operarius cibo suo; *Non autem peccat, sed supererogat*, qui sua portat, ex quibus vivat in Prædicationis officio non accipiens sumptum ab his, quibus Euangelium prædicat, sicut Paulus fecit. Alio modo possunt intelligi secundum aliorum Sanctorum expositionem, *ut sint quædam statuta temporalia* Apostolis data pro illo tempore, quo mittebantur ad prædicandum in Judæam ante Christi passionem. In art. autem 4. ad 4. scribit: Illa autem, quæ ponuntur Matth. 10. & Luc.9. & 10. fuerunt *quædam præcepta* disciplinæ pro tempore illo, *vel concessiones quædam*, ut supra dictum est, & ideò non inducuntur tanquàm consilia. Ecce evidenter Divus Thomas probabiliter judicat illos textus Evangelicos continere, & non continere præceptum; seu, ut loquar verbis Angelici, continere quædam præcepta pro illo tempore, *vel non esse præcepta, sed concessiones.*

24. Clarè etiam sequitur utramque opinionem in 4. distinct. 11. in exposit. litter. fin. ubi hæc habet: Si autem per errorem contingat, ut aqua loco vini ponatur (in calice) si ante vini consecrationem percipiat, debet aquam effundere, & vinum imponere; si autem post, debet incipere consecrationem vini alio vino super infuso; contritione de negligentia præhabita, vel etiam à capite Canonem inchoare super aliam Hostiam, Hostia prius consecrata posita seorsim, ut Innocentius dicit de Myster. Missæ lib.4 cap 22 fin. Ecce Sanctus Doctor asserit, & quòd in hoc errore debet solum vinum consecrare, & hæc est ejus opinio; sed adhuc ex Innocentio dat licentiam, ut consecremus utramque materiam. Eandem doctrinam tradiderat dist.8. quæst 2. art.4. quæstiunc.2.

25. In 2.2. quæst.2. art.7. ad 2. amplectitur expositiones oppositas Sanctorum super illum Textum Matth 11. Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Una enim opinio dicebat, quòd *ex ignorantia* inquisivit, an Christus esset personaliter descensurus in Infernum; Altera opinio Chrysostomi affirmabat, quòd non inquisivit, quia ipse *ignoraret*, sed ut per Christum satisfaceret suis discipulis. Ecce opinio affirmans Inquisitionem ex ignorantia, & opinio negans inquisitionem ex ignorantia. In quæst 95. art.4. ad 2. expressè affirmat, quòd Samuel verè apparuerit Sauli Reg.1. cap.28. ut docet Augustinus lib.2. quæst.3. post princip. Sed subdit: *Vel non verè Spiritus Samuelis à requie sua excitatus*

tus est, sed aliquod Phantasma, & illusio imaginaria diaboli machinationibus facta.

26. Denique clarissimè propugnat utramque partem Doctor Angelicus de Potentia Dei quæst.4. art.2. circa illam difficultatem, an Mundus creatus fuerit successivè, vel simul. Hunc textum retuli, & expendi cap.5. num.21. & illum ab objectis Adversariorum defendo. Adde illis. Ratio cur fieret præjudicium Sanctis Doctoribus, si non defenderem ipsorum opiniones speculativas, est, quia eorum doctrina approbatur ab Ecclesia in c. *Sancta* is distin. & alibi. In his autem Sacris Canonibus approbatio non limitatur quoad speculativas opiniones, sed absolutè, & simpliciter recipiuntur opuscula Sanctorum Cypriani, &c. Ergo eorum opiniones morales approbantur etiam; Ergò, si fieret præjudicium opinionibus oppositis speculativis, nisi sustinerentur ambæ, idem præjudicium fit opinionibus oppositis moralibus, nisi ambæ sustineantur. Divus Thomas in eodem Articulo, & in præcedenti, si non erro, sustinet alias opiniones oppositas speculativas Sanctorum, quas necessarium non duco referre; Exempla enim allata clarissima sufficiunt.

27. Divus Bonaventura sequitur etiam utramque opinionem probabiliter, ut retuli alibi: Hic iterum expendo quatuor loca, quorum primus est in 4. distin.6 par.2. in exposit tex. dub.1. ubi refert duas opiniones circa exultationem Joannis Baptistæ in utero. Prima tenet, quòd hæc exultatio non fuerit ex prævia cognitione. Secunda affirmat. Doctor Seraphicus sic concludit: *utraque positio est probabilis, nec possunt de facili improbari* distinct.13 art.2.quæst. 2. in qua dissolvit illam difficultatem, *an Corpus Christi descendat in ventrem hominis.* Refert quatuor modos oppositos pro solutione, & reprobat primum, & quartum; de aliis duobus sic scribit: *de duobus positionibus mediis, quæ sit verior, non est facile judicare, cùm utraque sit multùm probabilis.* Ecce Seraphicus Doctor Secundam, & tertiam positionem vocat expressè nedùm probabilem, *sed multùm probabilem.* Porro istæ duæ Positiones, seu opiniones erant oppositæ. Legamus textum: *Probabile enim est, quod sumptione completa ...... desinit esse Sacramentum, & hoc dicit Hugo de Sancto Victore; dicit enim sic: Postquam manducasti, si corporalem præsentiam quæris, in Cœlo quære, ubi est ad dexteram Patris*, & hoc videtur satis probabile. *Quandiù enim Christus est sub speciebus illis, est adorandus, sed stultus esset*, (nota hæc verba) *qui adoraret Christum in ventre manducantis.* Sanctus Doctor non ponit conclusionem, quæ sequitur ab his præmissis; & est, *Ergo Christus facta manducatione Specierum non moratur in ventre hominis;* Et hæc conclusio est tertia opinio. *Secundùm hanc positionem satis patet responsio ad objecta...... ad secundum. .... de specierum vomitu, & pœna imposita non est, nisi quia species illæ fuerunt contentivæ Dominici Corporis; & ideò in magna reverentia sunt babendæ..... Sic potest ista opinio satis probabiliter sustineri.* Juxta hanc positionem duæ propositiones sunt concedendæ, prima speculativa, Altera practica. Prima: *Corpus Christi facta manducatione non est sub speciebus.* Secunda, quæ necessariò sequitur ex prima: *Si species facta manducatione evomantur, in magna quidem reverentia sunt babendæ, quia fuerunt contentivæ Domini Corporis;* Cum tamen secundùm hanc opinionem actu non contineant Corpus Christi, non sunt maxima veneratione habendæ; & sic nec adorandæ adoratione illa, qua adorabantur, dum actu continebant Dominicum Corpus. Hæ duæ Propositiones juxta phrasim Seraphici sunt *multùm probabiles, & satis probabiliter sustineri possunt.*

28. Prosequitur Sanctus Doctor: *Nihilominùs tamen alia positio videtur securior, & authoritatibus magis concordare, quia Corpus Christi cum illis speciebus descendit ad stomachum, & sub illis est, quandiù illæ sunt sub propria forma, & habent rationem reficiendi, & secundùm ordinationem ad refectionem humanam Sacramen-*

cramentum erat; *Unde concedunt*, *quòd Corpus Domini est in stomacho*; (Ecce propositio contradictoria antecedenti opinioni) *quia ibi sunt species ut cibus*; *& ideò si evomuntur species*, *evomitur Eucharistia. Et si species possit ab aliis discerni sumenda esset*....... *Secundum hanc positionem satis patet responsio ad objecta.* Si secundùm hanc positionem *Corpus Christi est in stomacho*, & dum evomuntur species, *evomitur Eucharistia*; Ergo illæ species sunt adorandæ ea adoratione, qua adoratur Eucharistia. Eucharistia autem adoratur ex Tridentino sess.13. can.6. & cap.5. adoratione Latriæ, cum contineat Christum. Igitur Divus Bonaventura *satis probabiliter*, ut notat etiam suus Marginista, sustinet duas propositiones oppositas, speculativas quidem formaliter, sed virtualiter practicas. Et illis datis necessariò debebat Sanctus Doctor, concedere relatas oppositas morales propositiones ut satis probabiles. Nescio, an Marginista sit ipse Divus Bonaventura, an verò alius; sic etiam nescio, si est alter Doctor, an sit Antiquus, vel Modernus. Si esset Author alter, & Antiquus, haberetur alter Antiquus approbans utramque opinionem probabilem.

29 Tertius Textus est in distinct 17. par.2. art.1. quæst.3. ubi dicit, adesse opinionem asserentem, quòd Confessio, seu narratio peccatorum non sit instituta à Christo, sed insinuata; unde Hugo dixit lib.2. par.4. c.14. Medicis dixit, ut curarent, sed infirmis non dixit, ut ad Medicos curandi causa venirent. De hac opinione sic subdit Seraphicus Doctor. *Et licèt hoc sit satis probabile*; *potest tamen & aliter dici*, *quòd Dominus Confessionem per se non instituit*, *quia est in remedium recidivantium*, *&c. ideò Confessio fuit à Domino insinuata*, *ab Apostolis instituta*, *ab Episcopo Hierosolymitano*, *idest Jacobo promulgata*: Ecce evidenter contra propositionem *satis probabilem* Seraphicum Doctorem defendere suam opinionem, quæ solùm poterit esse vel probabilior, vel æquè probabilis. Si secundùm, habetur intentum; si primum, ergo opinio minùs probabilis est nedum probabilis, sed etiam *satis probabilis*; si est satis probabilis; ergo illa uti possumus in praxi. Hìc nota ex Tridentino sess. 7. de Sacram. esse de fide, omnia Sacramenta esse instituta à Christo Domino, & specialiter de Sacram. pænitentiæ hoc fatetur sess. 14. cap. 1.

30. Quartus Textus Divi Bonaventuræ est in 4. pariter distinct.38. art.2. quæst.3. ubi quærit, an Summus Pontifex possit dispensare in voto. Tres opiniones refert. Prima dicebat, in omnibus votis Papam posse dispensare. Secunda sustinebat, quòd in omnibus potest, excepto voto continentiæ. Tertia concedebat de omnibus præter Tria vota Religiosum constituentia. Subdit deinde de his tribus opinionibus: *Quæ istarum trium sit verior*, *fateor me nescire*, & satis potest quælibet sustineri, *ideò nullam assero.* Certè hæ tres opiniones sunt oppositæ, & sunt morales, adhuc tamen *satis quælibet sustineri potest.* Ergo secundùm Divum Bonaventuram ego possum satis sustinere, & defendere has tres opiniones oppositas. Si quamlibet autem satis sustineo; ergo erunt æquè probabiles. Quando autem dicit, *ideò nullam assero*, non significat, quòd nullam sequatur, sed quòd nullam pro certa habet. Verbum enim *Assero* Antiquitus significabat cognitionem certam; Undè Antiqui, ut dixi supra, permittebant quidem quoad Notiones Divinas variari posse opiniones, dum tamen nihil *assererent*, & ipse Divus Bonaventura, ut etiam ibidem retuli, dicebat, quòd Catholici tractatores variabant quidem in opinionibus, non in assertionibus.

31. Nescio, an magister Sententiarum sit pro nobis. Affero, quod potuì invenire. In 4. distinct.22. cap.2. ibi quærit, an peccata dimissa redeant per novum peccatum. Prima opinio simpliciter affirmabat. Secunda dicebat, solùm per ingratitudinem redire. Subdit Magister: *Utrique parti quæstionis probati favent Doctores*; *ideoque alicui parti non præjudicans studioso lectori judicium relin-*

relinquo. Nostri probabilistæ, dum vident utramque partem à magnis Doctoribus defendi, cognoscunt cum Magistro ingens præjudicium factum iri, si cogerent Lectores ad unam partem; ideo libertatem dant sequendi illam, quam volunt. Secus faciunt Probabilioristæ abjicientes æqualem Probabilitatem, & cogunt miserum Lectorem ad partem rigidam.

32. Raymundus lib. 1. tit. De voto §. 17. Primò dicit, quòd Religiosus ignarus juris, si ipsi non fit explanata asperitas Religionis, & si credebat, Religiosos illos regulariter vivere, & ad illam asperitatem voluit se obligare, & non ad majorem, & hoc expressit, *non cogetur ibi remanere, sed transibit ad alium Ordinem, quem valeat sustinere* Subdit Sanctus Doctor: *Vel dic* indistinctè, quòd debet *remanere.* Ecce clarè utraque opinio: *debet remanere ibi.* Tit. *de mendacio* post med. facit quæstionem, quid debeat respondere ille, à quo siccarius petit, ubi fit Petrus, quem vult occidere. Respondet primò, quòd debet, si potest transferre sermonem ad aliam materiam; secundò, quòd debet eludere siccarium utendo verbo *æquivoco.* Tertio, *vel dic simpliciter, quòd debet negare, & asserere, eum non esse ibi.* Tit. de decimis. §. 2. scribit. Alii dicunt, quòd, si Clerici non recipiunt Sacramenta ab illa Ecclesia, non-tenentur dare decimas, aliàs sic. *Vel dic, quòd, si deserviant illi Ecclesiæ, non tenentur, aliàs sic.* In §. 7. *habet.* §. *jus non spirituale*, nec proprietatis, sed percipiendi fructus temporales fuit concessum ante dictum Concilium militi in feudum, & ipse bene vivat, & defendit Ecclesiam, potest excusari. *Vel dic, quòd nullo tempore poterunt*, decimæ *dari in feudum, etiam quoad jus temporale.*

33. Lib. 2. tit. de rapt. §. 5. circa pœnitentiam cujusdam delicti scribit. In illo c. *pessimam*, dicitur etiam, quòd detur ei pœnitentia, ut Hierosolimis, vel in Hispania per annum integrum in servitio Dei permaneat. *Vel dic arbitrarias.* Scilicet, quòd Confessor non tenetur dare illam pœnitentiam determinatam, quam præcipit ille canon *Pessimam*, sed potest dare illam, quæ sibi benè visa fuerit. In §. 15. circa pedagia, & telonea antiqua, & nova, an sint solvenda ita decidit: Mercatores verò, & transeuntes credo indistinctè, quòd *debent solvere antiquum, & novum*; dummodo recipiens faciat illud, propter quod fuit institutum juxta formam supradictam in utroque, quòd si non faceret, isti, à quibus exigitur, possent negare. *Vel debent adire super hoc Judicem*, quod tutius est. *Vel dicant, quòd cessante in illo causa cessat in eis obligatio, vel illo non servante fidem eis, nec ipsi tenentur ei.* Ecce clarè per Divum Raymundum in eodem casu Mercatores *debent solvere antiquum, & novum pedagium*; & sic docet opinionem rigidam. Adhuc tamen amplectitur etiam benignam illis verbis: *Vel dicant &c. nec ipsi tenentur ei.* Ergo per Sanctum Doctorem Mercatores *debent, & non tenentur solvere pedagium.*

34. Hunc modum decidendi quæstionem, scilicet docere unam opinionem, & postea subdere illa verba: *Vel potest dici*, aut alia æquipollentia, adhibet quoque Sanctus Doctor in §. 21 ejusdem tituli, in lib. 3. tit. de Sacram. iter. §. 10. tit. de difter. offic. §. 7. tit. de pœnit. § 6. tit de sentent. defin. præcept. &c. §. 18. & §. 37. & §. 42. & tit. de pœnitent. & remiss. §. 39. Porrò hic modus decidendi quæstionem est ipsamet doctrina æqualis probabilitatis; nam Doctor primò docet unam opinionem, postea oppositam asserit posse dici illis verbis, *vel potest dici &c.* Si Probabilioristis displicet modus decidendi quæstionem Modernorum, dum dicunt, *utraque opinio potest teneri, defendi &c.* Ipsis debet placere modus allegatus Divi Raymundi. Igitur, ut placeam Adversariis, & sequar Sanctum Doctorem, posthac difficultatem resolvam hoc modo, v. gr. Adultera debet restituere pretium Adulterii, quia maritata non est domina usus sui corporis; & sic facit contra Justitiam, dum illud alteri dat; & propter hoc ab illo

illo aliquid recipit: *vel dicas*, quòd illa maritata malè facit, dum dat copiam sui corporis alteri, sed malè non facit, dum post adulterium recipit pretium; nam saltem potest recipere illos nummos, si non ut pretium, saltem ut donum Adulteri. Fateor meam ignorantiam, nullum video discrimen inter hos duos modos resolvendi quæstiones. Certè Adversarii modum Beati Raymundi non adhiberent, si resolverent difficultatem in aliqua materia, quæ modo esset decisa. Si Pontifex decideret, decimas non potuisse ante Concilium dari in feudum, etiam quoad jus temporale, utique non possemus dicere, ut fecit Beatus Raymundus: *Si jus non spirituale, sed percipiendi fructus fuit concessum, potest quis excusari.* Vel dic, *quòd nullo tempore potuerunt dari decimæ in feudum &c.* Sed deberemus solùm dicere: Decimæ non potuerunt dari in feudum, etiam quoad jus temporale.

35. Ulteriùs particula, *Vel*, ex sua natura est alternativa, ut patet apud Bertachinum, V. *vel*, Barbosam de dicti usu frequen: V. *Vel*, & Tuscum V. *dictio* concl. 244. in alterativis autem possumus eligere, quod volumus, de quo vide Tuscum V. *Alternativum*. Tum quia in hoc modo decidendi asseritur prima pars; ergo traditur ut vera; Postea subditur, *vel dic*, nunquid potest dici falsum?

36. Sanctus Doctor habet alium modum clariorem admittentem utramque opinionem æquè probabilem. Ipse namque expresè dat in tribus locis libertatem eligendi opinionem, *quam volumus.* Lib. 3. tit. *de senten. defin. præcep.* §. 37. quærit, quid debeat facere debitor excommunicati. De hoc refert duas opiniones. Prima est, quòd debitor non tenetur persolvere debitum ipsi excommunicato, sed debet deponere illud in æde sacra, usque dum creditor absolvatur ab excommunicatione. Postea dicit, hanc secundam opinionem *esse bonam*, *&* *securam.* Mox subdit: *Vel si vis tenere primam, consulo &c.* In tit. de pænit. & remiss. §. 53. refert duas opiniones in illa quæstione, an peccata dimissa redeant per peccatum de novo commissum. Has retuli cap. 4. num. 29. fin. illas ibi vide. Concludit quæstionem: *Elige, quam volueris.* In §. 60. scribit: *dicunt quidam, quòd debet adire Episcopum, & dicere: custodi &c. Vel, si placet, dic, quòd possit revelare talibus &c.* Nunc sileant Probabilistæ, nec utantur amplius illa phrasi in decisione quæstionum, *utraque opinio potest sequi: Utraque opinio est probabilis &c.* sequantur methodum traditam à Beato Raymundo, aliàs Doctore admodum rigido. Igitur referant opiniones, quas tradunt Doctores in illa materia, postea concludant: *Elige, quam volueris.* Igitur ego sequor Beatum virum; Relinquo invidiosam, & censuratam æqualitatem Probabilitatis, & ejus loco pro Regula statuo, *Inter plures opiniones oppositas Thomistarum, Scotistarum, Baconistarum, & aliorum famosorum Doctorum eligite opinionem, quam vultis.* In eodem tit. sed §. 46. *refert duas* opiniones in materia morali, & subdit. *Verùm quancunque opinionem teneas.* Expendat lector, an hic implicitè det licentiam sequendi opinionem, quam volumus.

37. Adversarii dicent, illas opiniones æqualiter probabiles esse speculativas, non morales; & de speculativis concedi, nos posse sequi, non de moralibus. Contra est, quia textus ille ex §. 37. *de sent. defin.* est moralis. Tum quia nequit assignari ratio, cur in materia speculativa Sacra æqualiter probabili possimus eligere opinionem, *quam volumus*, & non in moralibus. Si enim dicatur, in moralibus, eligendo partem benignam, nos incurrere periculum frangendi legem; contra est, quia in speculativis Sacris, eligendo unam partem, incurrimus periculum dicendi oppositum illi, quod revelavit Spiritus Sanctus, ut alibi dicebam. Debent ergo Adversarii assignare rationem, quare periculum faciendi contra legem obscurè propositam debeat nos retrahere ab electione opinionis benignæ in moralibus, periculum verò dicendi oppositum illi, quod

quod obſcurè revelavit ſpiritus Sanctus non debeat nos retrahere ab electione opinionis in ſpeculativis Sacris; maximè cum D. Auguſtinus aſſerat, nullibi periculoſius errari, quàm dum quæritur unitas Summæ Trinitatis. Nec dicas, in moralibus nos poſse cavere periculum, ſequendo partem rigidam; nam in ſpeculativis fugiemus periculum nullam partem tuendo, & ſuſpendendo aſſenſum utrique partium.

38. Confirmatur. Dum in ſpeculativis Sacris ex æquè probabilibus eligimus unum, vel dicimus verum, vel falſum. Secundum nequit dici. Ergo eligimus verum. Ergo etiam eligendo unum ex moralibus æque probabilibus dicimus verum. Nec poteſt recurri ad periculum faciendi contra legem, quia tale periculum non reddit opinionem rigidam magis veram, quàm benignam; quia ſupponimus, eſſe æqualiter probabiles.

39 Confirmatur iterum. Si quis velit operari juxta partem rigidam, poteſt eligere partem benignam, illam defendendo; ſicut ego teneo ut probabilius, non eſſe confitendas circumſtantias aggravantes; & adhuc in praxi ſequor oppoſitum. Aſſumptum probatur, quia tota ratio, cur in moralibus nequeo eligere opinionem, quam volo, eſt, quia eligendo benignam, incurro periculum faciendi contra legem. At nunc ſuppono, quòd voluntas nolit operari juxta illam opinionem benignam; unde in hoc caſu ſolùm incurreretur periculum dicendi oppoſitum illi, quod revelavit Spiritus Sanctus, quod tamen periculum. Adverſarii nihili faciunt. Si Adverſarii concedunt, nos poſſe eligere opinionem moralem ex æquè probabilibus, ſi tamen voluntas ſit affecta, ut nolit operari juxta illam opiniorem benignam; tunc inquiro, an illa opinio ſit vera; & ſic objectum erit quoque bonum; & ſic voluntas poterit illud amplecti; an verò ſit falſa; & ſic intellectus nequit illam defendere.

40 Gloſſator Raymundi habet quoque ſuas æquales probabilitates, ſicut habuit pluries *Probabilitatem*, Lib. 1. tit. *de voto* §. 17. V. *non excuſat* habet de verbo ad verbum illam Doctrinam, quam tradit D. Bonaventura in 4. diſt. 38. art. 2. quæſt. 3. quamque ego retuli num. 30. Lege ibi, quia nihil poteſt addi, nam textus eſt apertus. Lib. 4. tit. *de impedimento voti.* §. 4 V. *non audiretur* tenet, quòd, ſi quis ſumat habitum in Monaſterio, qui dari profitentibus conſuevit &c. hic tacitam profeſſionem emiſerit; unde teneretur remanere in Religione, vel ſaltem ad mitiorem tranſire, ut in prædicto decret: notatur. Subdit Doctor. *Vel hoc intelligas de illo*, *qui in habitu profeſſorum ſtetit cum regularibus* ultra tempus probationis, *qui de cætero non poteſt inde recedere*, *niſi tranſeat ad arctiorem religionem.* Utique prima opinio erat, quòd ipſum aſſumere illum habitum profitentibus dari ſolitum eſſet tacita profeſſio religioſa; ſecunda verò opinio exigebat ulterius, quòd ſtaret inter Religioſos per tempus probationis. Certè illæ opiniones opponuntur. Et certum pariter eſt, quòd Doctor tenet primam rigidam, ſed ſimul dat licentiam ſequendi ſecundam benignam illis verbis: *Vel hoc intelligas de illo &c.* Hic Doctor fuit author illius opinionis valde benignæ, quamque multi Summiſtæ antiqui ſequuntur, quòd ſcilicet in apicibus juris, & ubi dubitant ſapientes, ſit excuſabilis ignorantia, ſi ipſe ſit juris peritus, & reſpondeat ſecundum ſuam opinionem, in qua ſint alii Juriſperiti. Lector judicabit, an ſit hic textus pro æquali probabilitate. Hoc eſt certum, evidenter opponi Vendrochio, qui non vult excuſari illos, qui in materia juris naturalis obſcuri errorem ſequuntur.

41. Irrefragabilis Alenſis habet textum meo judicio clarum, in materia quidem ſpeculativa, Sacra tamen. Igitur par. 2. quæſt 161. memb 7. ad 2. ſcribit: Aliud eſt dicere hiſtoriam non eſſe veram, *& aliud eſt exponere hiſtoriam ſic, vel ſic, & opinari circa ejus expoſitiones.* Ille autem, qui diceret hiſtoriam non fuiſſe veram, & pertinaciter, hæreticus judicaretur. Sed ſic non faciebant

San

Sancti opinantes de sex diebus; ipsi enim non destruebant historiam illam, imò omnes in illa concordabant, *differenter tamen ipsam exponebant; quia quidam exponebant eam de diebus materialibus, quidam de spiritualibus*; sed hoc non est destruere historiam, sed exponere; *unde tales expositiones sunt declarativæ Scripturæ; quoniam dicunt hoc Sancti rationibus ad hoc inducentibus.* Unde Augustinus, & Sancti Patres, qui ista diversa senserunt, à *Spiritu Sancto est*; concordant enim omnes in historia, quia historia dicit, tot fuisse dies, *sed discordant in expositione dierum. Unde ex Spiritu Sancto moventur Sancti ad istas expositiones ad Scripturæ declarationem*; & si sit ibi aliquando falsitas, *hoc non est ex natura hominis primitus instituti*, sed ex pœna damnati; In natura enim primò instituta non erant opiniones, nec erunt similiter in gloria, sed modò sunt, *quia opinio importat pænalitatem.*

42. Nota primò, quòd Sancti variaverunt circa qualitatem dierum, quibus mundus creatus est; *quidam enim dicebant esse dies materiales, quidam spirituales.* Nonne hæc varia expositio clarè importat in una parte falsitatem? Certè impossibile est, quòd si est vera expositio de diebus spiritualibus, sit vera illa de materialibus; impossibile nanque est, quòd idem dies sit simul spiritualis, & materialis. Nota secundò, hanc varietatem expositionum inservire *ad declarationem Scripturæ, & esse à Spiritu Sancto*, & ad hanc variam opinionem Sanctos habuisse *rationes inducentes.*

43. Nota tertiò, diversitatem opinionum importare quidem *pænalitatem* provenientem à peccato Adæ, non tamen dicere peccatum; quia aliud peccatum non contrahimus ab Adam, nisi Originale, quod deletur per baptismum ita, & taliter, *ut post ipsum*, inquit Tridentinum sess. 5. in decr. de orig. pecc. tollatur *totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet*, licèt remaneat in baptizatis concupiscentia, vel fomes, *quæ tamen ad agonem relicta est, nec nocet non consentientibus*,

44 Nota quartò, hæc omnia esse contra Adversarios vociferantes per diversitatem opinionum eludi Scripturam, & ipsam invehere lassitatem morum. Si per ipsam *declaratur scriptura, & à Spiritu Sancto est* juxta Alensem, quomodo scriptura eluditur, & mores lassantur? Nota ultimò ad propositum nostrum, Alensem laudare has varias, & oppositos opiniones; & sic illas amplecti, & judicare veras, & utique saltem *æqualiter probabiliter veras.* Nunquid falsum poterit laudari?

45. Idem Doctor ad ult. videtur admittere, quòd Magistri licitè de Divinis Notionibus contrarias opiniones teneant. solùm enim vult, quòd contrarias opiniones non potuerint licitè asserere; ergo & jure Doctor negat, posse nos in hac materia licitè asserere contraria, quia, cum assertio per Antiquos importet certam cognitionem, qui opinionem ut certam teneret, & illa esset falsa, implicitè, illam teneret, quamvis esset contra determinationem Ecclesiæ; quando enim quis est certus, oppositum omnino rejicit. In hoc etiam textu Doctor videtur laudare æqualem probabilitatem.

46. In par. 4. quæst. 28. membr. 6. art. 2. §. 3. refert de tempore, quo ex præcepto incipiendum est jejunium, fuisse varias opiniones. Prima erat, quòd inciperet in fine tertii Septemnii, Secunda anno vigesimo, Tertia anno sextodecimo. De Secunda, & Tertia ita decidit: *Neutram reprobo, sed tamen mediam eligendo dico, quòd tempus aptum jejunio est tempus decem, & octo annorum.* Si non reprobat illas opiniones; ergo illas non credit falsas, ergo illas judicat probabiles; ergo vel æquè probabiles; & sic habeo intentum; vel ut minùs probabiles; Et sic Alensis tenet ut minus probabile, quòd jejunium incipiat anno vigesimo, & ut probabilius, quòd incipiat anno decimo octavo; Et sic Alensis vel est pro hac mea præsenti sententia, vel est pro sententia minùs probabili. Ego in rei veritate credo, quòd sit pro minùs probabili; nam sequens unam opi-

opinionem, & oppositam non damnans duo facit: primum, quòd illam non respuit; & sic aliquo modo amplectitur; Secundum, quòd illam non amplectitur adeò firmiter; ergo illam solùm ut minùs probabilem sequitur.

47. Albertus magnus tom. 19. qui dicitur *Summa de creaturis* tract. 4. de quatuor coævis quæst. 71. art. 1. diffusè tractat quæstionem, an *omnia simul facta sint*, & primò ponit rationes pro utraque parte; postea consentit Augustino asserenti in Libro super Genesim ad litteram, quòd Deus formaverit *Omnia simul in tempore*; unde per sex dies non intelligit *distinctionem temporum, sed rerum secunda natura principia.* Mox solvit rationes oppositas.

48. Solutis objectis concludit Albertus ita scribens: *Si quis autem aliam velit tenere opinionem, scilicet quòd non omnia simul tempore facta* sunt, *sed secundùm ordinem illum, quem ponit Genesis, respondebit ad objecta in contrarium &c.* Ecce expressè sequitur unam opinionem, & dat licentiam sequendi oppositam. Aliud nequit responderi, nisi quòd sit in materia speculativa; hæc tamen responsio alibi manifestè rejecta est, & evidenter sequitur, intellectum inter opiniones æquales posse se determinare, nec remanere suspensum, nec defensionem utrinsque partis importare contradictionem, quæ omnia sunt contra Adversarius. Hæc sequella probatur, quia quoad hæc materia speculativa non habet aliquid magis, ac moralis.

49. Ægidius, vidimus alibi, quòd concedit, nos posse variè opinari, usque dum veritas clarè non habetur; & sic dat facultatem in materia obscura, saltem æqualiter probabili, alterutram opinari. In 3. dist. 25. art. 2. ad 3. amplectitur duas explanationes oppositas circa illa verba Christi apud Matt. 15 *non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Prima interpretatio est, quòd Christus principaliter sit missus ad Hæbræos, minùs verò principaliter ad Gentiles. Secunda interpretatio est, quòd Christus in persona sua non fuit missus, nisi ad Hæbræos; in ministris verò est missus etiam ad Gentiles. Amplectitur utramque explicationem hoc modo. Primò ait, *dicendum, quòd verba Christi intelliguntur &c.* Ecce clarè docet primam opinionem. Secundò subdit: *Vel potest dici &c.* Ecce clarè amplectitur secundam explanationem; nam si illam non crederet veram, non posset asserere: *potest dici*, nunquid falsum potest dici? Jam patet has interpretationes esse oppositas.

CAPUT XXVIII.

Alii Antiqui pro æquali opinione referuntur.

1 DUrandus in 4. distinct. 8. quæst. 3. nu. 10. asserit, quòd, si consecrata Hostia moreretur Sacerdos, deberet alter consecrare Vinum, & perficere sacrificium; *vel Secundùm Innocentium Tertium Hostia jam consecrata esset ponenda seorsim, & super aliam non consecratam una cum Vino esset facienda nova Consecratio incipiendo à principio Canonis.* Ecce textus clarus, in quo pro supplendo defectu Missæ utitur duplici opinione opposita probabili, scilicet, quòd illo casu vel potest fieri consecratio solius vini, vel panis, & vini.

2. Distinct. 15. quæst. 2. num. 13. fin. asserit, quòd oratio injuncta à Confessario, si fiat in peccato mortali, non sit satisfactoria; & ideo necesse esse, quòd iteretur in statu gratiæ. Sed num. 14. Subdit: *Si quis verò vellet tenere*, quòd opera facta extra Charitatem essent satisfactoria pro peccato priùs dimisso, posset respondere ad rationem alterius partis dicendo, &c. Certè in hoc casu sequitur æqualiter utramque opinionem, dùm pro utraque affert rationes, & pro utraque solvit objecta, &, ut faciebat Richardus, dabat licentiam amplectendi opinionem, quam volumus.

3. In eadem distinct. quæst. 11. In principio probat in die jejunii toties pec-

cari, quoties comeditur. Postea nu.9. sic scribit: *Istud autem, etsi probabiliter dictum*, videtur tamen multùm durum; & ideò potest aliter dici, & mitius, *quòd talis non peccat mortaliter in qualibet comestione*. Probabilistæ dum asserunt, posse sequi duas opiniones æquè probabiles oppositas, aliud non dicunt, nisi quòd Durandus. Vident ergo opinionem stantem pro lege esse quidem probabilem, ut videbat Durandus in hac quæstione, & inde dicunt: *hac quidem opinio est probabilis*. Vident tamen *etiam esse multùm duram*, ut videbat Durandus; inde inferunt cum eodem, *Ideò potest aliter dici, & mitiùs, quòd talis mortaliter non peccet*, Verb.gr. non confitendo Circumstantias aggravantes; non restituendo lucrum acquisitum *ex lenocinio, ex Adulterio, & similibus*, in laborando per horam in die festo &c.

4. Nec valet, si dicas, quòd Durandus afferendo rationes pro sua opinione illam reddiderit sibi probabiliorem. Sed gratis omninò dicitur, & legendo integrum textum nihil de hoc suspicari possumus; Tum quia Durandus vocat oppositam opinionem *Probabilem*, non verò *minùs Probabilem*, ut debuisset, si clarè voluisset loqui. Sic comparando lumen candelæ cum lumine solis dicimus, est minus lumen; Tum quia dando totum, quod volunt Adversarii, sequitur evidenter, quòd minùs Probabile sit in rigore in linea Probabilitatis, & debeat absolutè dici *Probabile*; & sic, quòd possimus defendere duas opiniones, Unam ut minùs probabilem, alteram ut Probabiliorem, ut Adversarii credunt hic facere Durandum. Quodsi responderent, Durandum quidem sequi simul & probabiliorem, & minùs probabilem ita tamen, quòd minùs probabilis sit etiam tutior, & stet pro præcepto, in quo omnes concedunt posse sequi.

5. Sed contra est, quia mensura probabilitatis non habetur ex eo, quòd opinio sit tutior, quia etiam falsa sunt tutissima. Sic opinio asserens ad Sacramentum pænitentiæ prærequiri contritionem Charitate perfectam, nec sufficere Attritionem, est falsa; adhuc tamen est tutissima in praxi. Ergo tutioritas nihil confert ad probabilitatem opinionis; ergo, quòd opinio asserens toties peccare, quoties comeditur in die jejunii, sit tutior, nihil confert, quòd sit probabilis Ergo, si possumus sustinere, & defendere opinionem ut probabilem, & minùs probabilem contra oppositam probabiliorem, licèt opinio minùs probabilis sit tutior, illam etiam poterimus defendere ut talem, quamvis ex parte objecti possit aliter se habere, & possit esse peccatum; quia, ut dicebam, tutioritas nihil confert ad probabilitatem. Tum quia multæ opiniones oppositæ Divo Thomæ sunt tutiores, v.gr. opinio asserens confitendas esse circumstantias aggravantes, statim esse confitenda peccata, &c. adhuc tamen non per hoc opiniones Divi Thomæ perdunt aliquid de Probabilitate.

6. Nota, Lector, diligenter causalem præsentis textùs, quæ directè opponitur doctrinæ Adversariorum in hac difficultate. Dicunt ipsi: opinio asserens in tali materia legem obligare est tutior; ergo non possumus sequi opinionem oppositam, quamvis probabilem; quia sic operando nos exponimus periculo frangendi legem, si adesset; ergo debemus sequi partem tutiorem, quamvis rigidam, & duram. Durandus totum oppositum dicit: opinio asserens in tali difficultate adesse legem est probabilis, *sed quia est multùm dura, ideo mitius dici potest*, quòd lex hìc non obliget propter hæc, & illa motiva, ratione quorum *mihi videtur* legem hìc non adesse. Lector legat textum Durandi, & judicet, an ego idem asseram, quod Durandus.

7. Distinct.30.quæst.2. num 8 pro solutione difficultatis, quomodo Beata Virgo potuerit contrahere Matrimonium, cum in corde suo disposuisset, servare se Virginem, Refert duos modos oppositos, Primum, quòd Beata Virgo proposuerat quidem Virginitatem custodire, non tamen voverat; & dum nupsit, habebat propositum de Virginitate

tate absolutè, sed sub conditione Divini beneplaciti. Secundum, quòd quidem ante Matrimonium voverat Virginitatem, sed ante Matrimonium fuit certificata, quòd copula maritalis non erat subsequutura. Subdit Durandus, *quòd uterque modus discurrendi sufficienter evadit prædictam dubitationem.* Ecce apertè Durandus sustinet probabiliter, quòd Beata Virgo ante Matrimonium vovisset, & non vovisset Virginitatem. Huic textui aliud responderi nequit, nisi quòd est in materia speculativa, quod nihil officit ex dictis, & dicendis.

8. Distinct.33. quæst.3. affert rationes pro utraque parte in quæstione de libello repudii in lege veteri permisso, & solvit rationes militantes contra utramque; unde clarè utramque partem sequitur probabiliter. Sequitur quoque utramque in 3. dist. 34 quæst. 1. & 2. in 4. dist.2. quæst.3. distin. 10. quæst.2. num. 15. dist.17. quæst.9. num.10. dist. 23. qu. 3. ad 7. & in hoc loco sequitur unam opinionem, & postea ait, *si quis vellet tenere, &c.* dat libertatem sequendi oppositam opinionem. Fateor hosce textus esse omnes speculativos; est tamen practicus sequens. Igitur

9. Distin.41. quæst.1. num.11. fin. ait: quòd quidam dicunt, quòd Vir, aut uxor si fraudulenter baptizet filium Communem, potest quidem reddere debitum Conjugale, sed non exigere, *quod, quamvis sit probabiliter dictum, non invenitur tamen in jure expressum, quod non liceat ei debitum petere.* Ego infero, si non est in jure expressum; ergo licet huic fraudulento debitum petere; quia non tamen oppositum *probabiliter dicitur*, ideò hoc solùm potest esse probabile. Ego puto hunc textum esse omnino idem cum allato ex distist.15. quæst.11. num 9.

10. Dicent forsan Adversarii, quòd secunda opinio judicetur certa à Durando? Contra est, quia contra certitudinem non datur Probabilitas, cum certitudo non possit aliter se habere, bene verò Probabilitas. Ergo, cum Durandus judicet probabile esse, quòd fraudulentus in casu dicto nequeat exigere debitum, non potest recipere ut invariabilem, & certam opinionem oppositam.

11. In Scoto nondum inveni textum pro nostra opinione in materia, quæ nunc sit moralis. In 1. dist.17. quæst.2. fin. clarè vocat utramque opinionem probabilem, quòd habitus habeat virtutem activam, & quòd non habeat; & subdit: Argumenta, quæ sunt contra istas duas vias, *quia utraque potest probabiliter sustineri*, postea solventur secundùm alterutram istarum. Ecce evidenter sequitur duas opiniones æqualiter probabiles; Fateor tamen esse speculativas. In 3. dist.38. §. *in solut. argut. primò* non excusat à mendacio Jacob, postea subdit: *dicitur tamen, quod tales sermones possunt figurativè intelligi, vel sub alio intellectu, quàm verba primò exprimant.* Ecce quòd etiam ipsum excusat à mendacio.

12. In 4. dist.19. quæst.1. art.5. §. *ad argumenta* in solutione ad 4. utitur duplici opinione, ait enim, quòd secundùm unam opinionem *Clavis de se est tantùm potestas remota; secundùm autem aliam opinionem Clavis est potestas propinqua.* Ecce Clavis & *est potestas remota, & non est potestas remota*, cum sit potestas propinqua.

Dist.33 quæst.3 §. *hic dicitur, quod*, & hunc textum retuli etiam cap 4. nu. 33. affert primò opinionem dicentem, Repudium fuisse illicitum cum suis fundamentis. Secundò subdit aliam sustinentem ut licitum Repudium. Narrat pariter ejusdem rationes, & docet modum convenientem defendendi illam, & solvit objecta contraria. Tandem subdit: *qui vult tenere primam opinionem, ad argumenta in oppositum potest faciliter respondere.* Ecce Scotus tenet expressè secundam opinionem, sed adhuc dat licentiam sequendi primam oppositam, & docet modum objecta solvendi. Ergo existimat probabilem etiam hanc primam opinionem. Quæro nunc ab Adversariis, si Scotus vixisset in Lege Mosayca, num mutasset opinionem? Si non mutasset; Ergo Scotus sequitur

 utram-

utramque opinionem moralem. Si mutasset; assignent motiva, quæ certè nulla imaginari possunt.

13. Petrus Paludanus in 4. distin.31. quæst.3. art.2. habet: Ratione periculi infectionis tempore menstrui tunc secundùm quosdam exigere debitum conjugale scienter est mortale; sed reddere cum dolore, & displicentia non: *Vel dicendum, quòd non est mortale etiam scienter exigere*, quia, licèt videatur esse contra charitatem &c. Nota illam particulam, *Vel*, quæ certè, ut alibi dixi, supponit aliam opinionem posse probabiliter sustineri. Si tu diceres: *secundum quosdam Antiquos non tenemur ad confessionem. Vel dicendum teneri ad Confessionem.* Si, inquam, sic diceres, certè non bene loquereris. Ergo quia illa particula, *Vel*, supponit aliam partem esse probabilem, quæ in casu de Confessione non est. Lege eundem in dist. 16. qu.4. art.2. ad 2. & dist.33. q.2. art.3. nam videtur sequi utramque partem in materia speculativa.

14. Rainerius de Pisis. V. *confessio*, *cap.*10. facit quæstionem, an non habens mortalia teneatur confiteri, & sic resolvit difficultatem: Tertio modo respondeo, *& dico*, quòd ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, *sed ex institutione Ecclesiæ sic*, quando non habet alia peccata mortalia, quæ confiteatur. *Vel potest dici* secundùm quosdam, quòd ex Decretali prædicta, quæ præcipit omnis utriusque sexus *non obligantur nisi illi, qui habent peccata mortalia*, quod patet ex hoc, quòd dicit omnia peccata confiteri. Ecce evidenter, quòd per hunc Doctorem habens solùm venialia *tenetur confiteri ex institutione Ecclesiæ.* Adhuc tamen *potest dici*, quod ex illa Decretali *non obligatur* confiteri. Ergo clarè utramque opinionem sequitur.

15. Astensis. lib.1. tit.18. art.7. quæst.2. affert duas opiniones circa illam difficultatem, an juramentum dolosum obliget, & primam vocat probabilem juxta D. Bonaventuram; Hæc verò dicebat, tale juramentum esse obligatorium in foro fori, non verò in foro poli & apud Deum. Secunda volebat, esse obligatorium in utroque foro. Pro hac opinione respondet objectis. Meo judicio negari nequit, Doctorem existimare probabilem utramque opinionem.

16. Lib.2. tit.45. art.4. quæst.3. refert quoque duas opiniones in illa quæstione, an Virgo occultè violata debeat consecrari. Prima communis *secundùm omnes* dicit, non licere dicere, vel facere ea, quæ sunt de substantia consecrationis; circa verò ea, quæ sunt de solemnitate consecrationis, vult, quòd adhibeatur cautela ad vitandum scandalum, & infamiam secundùm *aliquos.* Alia opinio dicit, quòd tales corruptæ *nullo modo* debent se sociare Sacris Virginibus in consecratione, etiam quantùm ad ea, quæ sunt de solemnitate, *cum talem Sanctitatem simulare sit hypocrisis maxima.* Subdit Astesanus: *salvo meliori judicio, utraque opinio est satis tolerabilis, sed secunda videtur esse tutior.* Ego addo: salvo meliori judicio, negari nequit, quòd Doctor judicet, utramque opinionem esse in praxi eligibilem. Si utraque est *satis tolerabilis*; ergo utraque est satis practicabilis. Et nota, quòd Author cognoscit, secundam esse tutiorem. Adhuc tamen utraque est *satis tolerabilis.* Ergo etiam nos à simili poterimus dicere in difficultatibus, quando pro utraque parte aderunt DD. & rationes, *utraque opinio est satis tolerabilis*; & sic practicabilis. Nunquid potest tolerari opinio in re morali, quæ in praxi sit prava? si prior textus potest aliquo modo elidi, secundus omnino est insuperabilis, meo judicio.

17. Lib.3. tit.11. art.3. decidit, usuram esse peccaminosam. Contra ipsam affert rationes, quarum prima est authoritas Ambrosii, quæ refertur. 14. quæst.4. ibi dicitur. *Ab illo exige usuras, cui meritò nocere desideras. Cui jure inferuntur arma, sibi legitimè inferuntur usuræ.* Doctor huic textui respondens ita scribit: De illo verbo Ambrosii sunt diversæ opiniones, & variæ expositiones, quarum duæ sufficiant ad præ-

præsens gratia brevitatis, quæ videntur rationabiliores, & communiores. Una est, quòd *debet intelligi, & exponi de Paganis, & hostibus Reipublicæ*, sicut littera sonat planè. *Casibus* (corrige) *Hostibus enim ea, quæ detinent, modis omnibus, quibus possumus, apertè, & insidiosè tanquam ab indignis debemus auferre.* Secus est de Judæis, qui sunt nostri servi. Alia opinio, quæ est communior secundùm Ray, est, quòd à nullo homine Christiano, *Pagano*, vel alia licet usuram exigere. Meo judicio hic quoque textus est inevitabilis, nam clarè dicit, utramque expositionem esse *sufficientem, rationabiliorem, & communiorem.* Numquid opinio falsa sufficiet pro salvanda mea conclusione, vel poterit dici *rationabilior?* In art.4. quæstiun.2 scribit: *quid ergo de Emphiteota obligante* Domino *Emphiteomata. R. Host. quod forte est idem, quia eadem est ratio.* Vel dicendum, *quod non est simile, quia Emphiteota &c. Vel dicendum super hoc Papa consulendum.* Hic vides, Authorem dare tibi licentiam triplicem opinionem amplectendi. Possunt esse benigniores Moderni?

18. Lib.5. tit 20. quæst 2. quæstiun. De casu particulari scribit: *quod possit dici*, Confessarium, qui scit ex confessione Latronis esse occidendum ab aliis Latronibus, si intret nemus, *debere nemus intrare*, si nequit ex alia occasione divertere, quin appareat illis aliis, quòd propter confessionem diverterit. Subdit Doctor: *Aliter dici potest &c.* Ecce expressè, quòd Author tenet, utranque opinionem *dici posse*, scilicet, quòd *teneatur intrare*, & quòd *non teneatur intrare.* Vide tit 10 art.2. quæst.4. quæstiun illis verbis: *Vel potest dici.*

19. Lib. 6. tit.14 art. 8. quæst. 5. Supponit, quòd in quadam rixa, facta à pluribus ex utraque parte, aliquis fuerit occisus. Nunc quærit, an omnes rixantes sint irregulares. Prima opinio affirmat. Secunda opinio Guil. Na. *contradicit, & dicit, neminem in dubio repellendum.....* Alii dicunt, quòd, si constet de aliquo, quòd percusserit, semper in dubio repellitur, si verò neget, se percussisse, relinquatur conscientiæ suæ, ut dicitur in c. *nullum* de cleric. percuss. cap. pe. & ult. Secundùm autem Hostien *satis potest dici*, quòd in utroque casu est relinquendus conscientiæ suæ.... *Vel etiam secundùm eundem in utroque casu relinquatur conscientiæ suæ*, nisi tanta laboret infamia, quòd generet grave scandalum; *Tutius tamen faciet*, si in dubio homicidam se reputet. Ecce in dubio orto ex diversitate opinionum, quis potest sequi opinionem, quam voluerit, in materia de irregularitate. Nostri Probabilioristæ hoc grande piaculum crederent. *Tu ne crede illis, sed, quod placet, ipse sequaris. Sic te ritè geres, sic ritè imitabere Priscos.*

20. In tit.19. quæst. 4. vel 5. quærit, an ille, qui juravit alicui ad certum tempus solvere, vel scribere, vel aliud opus honestum facere, possit ordinem sacrum recipere, antequam impleat, quod juravit. Sic solvit quæstionem. *Respondeo quòd sic.....* Unde, si talis prohibente creditore fuerit promotus, non propter hoc deponetur, sed bona sua cedent ei in solutionem, *quæ si non sufficiant, Episcopus secundum Ber.* tenetur ei *dist.88. fornicari. Vel etiam Episcopus* non tenetur ei, *quia ille non tenetur facere ultra illud, quod potest.* Sic Astensis. Ecce Episcopus juxta ipsum & *tenetur* creditori, & *non tenetur* creditori solvere debitum Promoti ad ordinem sacrum. Nos Probabilistæ per nostram *æqualem Probabilitatem aliud nolumus.*

21. In tit.35. art 4. fin. refert textum Matt.23. *decimatis mentam, & anetum hæc oportuit facere, & illa non omittere*; quod tamen referri debet ad tempus Legis, in quo Christus loquebatur, ut dicit Chrysosthomus. *Vel potest dici*, quòd illud, quod dicit, *oportuit*, sonat *in convenientia*, non in debitum, unde *oportuit*, idest, *conveniens fuit:* Ecce secundum Asten illud verbum, *oportuit*, sonat *debitum*, vel convenientiam. *Vel potest dici &c.* Hunc modum solvendi quæstionem per particulam, *Vel*, habet tit.55. art.8. quæst.7. art.9. vers *quarto quæruntur*

tur quæst. 1. & 5. Habet quoque lib. 7. tit 6. quæst. 3. tit. 8. art. 3. quæst. 1. tit. 12. quæst. 7.

22. In tit. 9. art. 1. quæst. 23. scribit: *Nunquid ad repellendum actorem sufficit, eum esse denunciatum excommunicatum? videtur, quod non per d. c. licet, ubi denunciatur excommunicatus, qui fortè non est excommunicatus...... Hostien. tamen notavit contrarium, & pro eo facit etiam d. c. licet &c.* si quis tamen vult tenere primum dictum, *respondetur &c.* Hunc modum decidendi quæstionem, ut det libertatem sequendi opinionem, quam quis velit, habet quoque tit. 11. art. 3. quæst. 5. Porro hæc libertas sequendi opinionem, quam volumus, saltem debet valere in æquè probabilibus, ut patet ex se, & alibi dictis. Art. 1. quæst. 30. dicit, in apicibus juris, & ubi dubitant sapientes, ignorantiam esse excusabilem; unde, si aliquis bona fide *partem istam, vel illam eligeret, non debet super hoc habere conscientiam nimis scrupulosam.* Ergo inter duas partes potest quis eligere *illam* vel *istam*, & hoc *bona fide.* Hæc porro electio saltem dabitur, quando illæ partes erunt æqualiter probabiles. Ibidem quæst. 31. cum D. Thoma vult non esse vitandos illos excommunicatos, de quibus datur varia opinio. Igitur formo casum. Utraque opinio est æquè probabilis, quòd Petrus sit vitandus, & non sit vitandus. Quid faciam? si consulam Probabilioristas, debeo illum vitare, quia æqualis probabilitas importat dubium; in dubiis autem tutior pars est eligenda. Si consulam Astesanum, & Probabilistas non debeo illum vitare, quia *in hoc casu in minorem partem legem interpretari debemus.* Sequere Astesanum.

23. Lib. 8. tit. 9. art. 2. quæst. 1. refert utramque opinionem ut probabilem in illa materia, an variatio modi in copula matrimoniali, præcipuè quoad modum brutalem, sit peccatum mortale. Opinionem affirmativam vocat tutiorem. Subdit: *totum tamen relinquitur saniori judicio.* In tit. 10. art. 1. quæst. 1. refertur D. Hieronymus dicens, reddentem debitum uxori non posse manducare Agni carnes. Astensis dupliciter respondet huic textui, primò, quod intelligitur de ministris, *non de aliis.* Secundò, *vel potest dici*, inquit ipse, *quòd a communione convenit excludi non tantùm propter peccatum proprium, sed etiam propter reverentiam Sacramenti.* Ecce textus clarus, quo alii non excluduntur à communione, & quo alii excluduntur. In art. 2. quæst. 7. refert duas opiniones illa quæstione, an conjux dans alteri licentiam vovendi castitatē possit illum postea revocare. Doctor resolvit quæstionem illo modo adeo familiari Richardo: *Qui vult tenere primam opinionem, potest dicere &c. Qui vult tenere secundam opinionem &c.* In art. 4. quæst. 5. forsan etiam sequitur utranque opinionem in materia de muliere menstruata, an teneatur reddere debitum. Ipsum lege, & pondera. Lege etiam ipsum lib. 6. tit. 22. art. 4. quæst. 5. ubi respondet affirmativè cuidam quæstioni, postea subdit: *si velis opinionem Raym: tenere, dici potest &c.* Mihi videtur, hasce opiniones esse oppositas. Lector doctus judicabit.

24. Thomas Argentinas duos textus pro nobis suppeditat; & PRIMUS habetur in 4. distinct 12. quæst. 3. art. 1. ad 1. ubi asserit, posse dici Eucharistiam delere peccata mortalia inculpabiliter oblita, sicut Venialia delet: Postea subdit: etiam posset dici, quòd istud Sacramentum dicitur ablutio scelerum, *non quantum ad deletionem peccati mortalis*, quia hoc necesse est, ut deleatur vel Sacramento Baptismi, vel Sacramento Pænitentiæ, sed quantum ad reatum, & pœnam. Ecce evidenter, quòd hic Doctor concedit Eucharistiam *delere*, & *non delere mortalia.* Ergo in hoc casu evidenter sequitur utramque opinionem æqualiter probabilem. Est quidem materia formaliter speculativa, sed virtualiter practica. Si enim Eucharistia delet mortalia inculpabiliter oblita, si deinde illa reminiscitur, si deberet v. gr. ministrare Sacramenta Baptismi, Pænitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, non esset necesse, quòd vel actum

Con-

Contritionis eliceret, vel priùs confiteretur ea scelera, cum ad hæc conferenda supponam sufficere statum gratiæ.

25. SECUNDUS habetur distinct.16. quæst.1.art.2.concl.2. ubi dicit, non esse necesse explicare circumstantias aggravantes v.gr. dicere *furatus sum centum*; subdit deinde: *Oppositum tamen istius tenent quidam alii Doctores dicentes, quòd, quando Circumstantia notabiliter aggravat peccatum, tunc necesse est, ut de ea fiat Confessio specialis; quia, si aliquis furatus esset centum marcas auri, non sufficeret, ut isti dicunt, ad salutem, si simpliciter confiteretur, se accepisse rem alienam..... quæ autem istarum opinionum sit verior, ad præsens non determino, quamvis secundam reputem securiorem, & dictis Beati Augustini magis conformem, ut apparet expresè in ista distinct.16. cap 2.* Nequit negari, quòd hic Doctor non sequatur opinionem benignam, cùm illam expressè asserat in conclusione secunda. Insuper non determinat, quænam ex duabus opinionibus sit verior. Ergo supponit esse æqualiter veras. Præterea dicit secundam opinionem *oppositam*, scilicet illi benignæ, quam posuerat priùs, esse securiorem, quod est evidens, & dictis Sancti Augustini magis conformem; Ergo hæc quoque secunda est vera, cum Augustinus falsa non asserat; quin erit verior, utpotè conformior Augustino. Hinc patet evidenter, vel Argentinam esse pro utraque opinione æquè probabili, vel pro minùs probabili. Hic etiam Doctor d. dist.12. quæst.1. art.1. § *ad secundam instantiam principalem* sustinet, inhærentiam actualem accidentis non distingui ab accidente; tamen in §. seq. subdit: *Si quis autem voluerit dicere, quod iste modus sit quoddam accidens differens ab accidente inhærente &c.* ecce evidenter sequitur oppositas opiniones in materia quidem speculativa.

26. Franciscus Mayron Scoti discipulus in 2. dist.24. fin. scribit: sed cui tenetur plus obedire, vel rationi erranti, vel Prælato? dico, quòd Prælato. Ratio enim erronea non potest demonstrare falsum, sed probabiliter tantùm arguit, & debet supponere, quòd æquè *rationem probabilem habet Prælatus.* Ecce quòd quis judicat *probabiliter* ita esse, quod dicit Ratio errans, v.gr. quòd contractus sit illicitus; sed adhuc judicat *probabiliter*, non esse illicitus, dum Prælatus ipsi præcipit, quòd illum faciat, quia debet supponere, quòd *æquè rationem probabilem habeat Prælatus.* Nota obiter contra Episcopum Venciensem, *Antiquitus* rationem erroneam *probabiliter arguisse.* Nota quæso hanc Doctrinam, quia directè opponitur Probabilioristis.

27. Petrus Aureolus in 3. distinct.38. in solut. argum. scribit: concedunt aliqui, quòd Patres antiqui peccaverint, (mendacium nempe dicendo) nec est inconveniens majus de antiquis Patribus, quàm de Petro, qui negavit Christum. *Vel dicendum de Abraham, quòd veritatem unam taceret, & unam assereret.* Ecce excusat à peccato mendaci i Abraham, & tamen videtur amplecti primam opinionem asserentem Abraham mentitum fuisse. Eandem Doctrinam habet Antonius Andreas eadem distinct.

28. Petrus Aquilanus, dictus *Scotellus*, in 1. dist. 47. quæst.2. fin. amplectitur clarè utramque opinionem, & dicit, quòd, quando dicitur, Oseam accepisse uxorem fornicariam, ly *fornicariam* possit intelligi de fornicatione spirituali, *& non carnali*, vel *de carnali*. In 2. dist.20. art.2 dat libertatem ex pluribus opinionibus amplectendi, quæ placet Hanc licentiam dat etiam in 3. dist.21. & 22. art. 3. Loquitur tamen in materia speculativa.

29. Joannes Gerson par.1. tit. *Unum ex quatuor* cap.30. princ. in marg. habet: *Probabile est, quòd fuerit idem sermo, quem Matt. & Lucas narrat, sicut hic connectitur; nihilominus probabilis est altera pars, quòd fuerint distincti.* Hic textus est clarus, & inevitabilis. Potest tamen dici, quòd textus marginalis non sit Gersonis sed parùm refert, quia est Doctoris antiq

tiqui, juxta Adversarios, cum meus codex sit impressus Parisiis anno 1521. est tamen textus speculativus.

30. Nicolaus de Orbellis in 4. dist.17. quæst.2. §. 14. scribit: Si Sacerdos non potest pœnitentem absolvere, mittendus est ad superiorem, & secundùm Richar: *primò debet eum de casibus sibi reservatis absolvere*; & si nolit ulteriùs audire, *debet eum ad inferiorem remittere*, & facta integra confessione de aliis absolvatur; & sic absolutio superioris, & inferioris unam complent sufficientem absolutionem. *Secundùm verò Thomam in quodlibetis præcedere debet absolutio inferioris*, & remittendus ad Superiorem, ut ab eo absolvatur à casibus sibi reservatis. *Uterque modus dicendi videtur mihi sufficiens*; dum tamen peccator omnia peccata sua uni confiteatur. Certè hic duplex modus est oppositus; nam secundùm Richardum priùs debet præcedere absolutio superioris; Secundùm verò D. Thomam debet præcedere absolutio Inferioris; adhuc tamen per Nicolaum *uterque modus est sufficiens*, & sic *debet*, & *non debet* præcedere absolutio Superioris. Ego à simili dicam, secundùm Raymundum, & alios peccator *debet* fateri circunstantias aggravantes, secundùm Thomam *non debet. Uterque modus mihi videtur sufficiens*. Certè mea positio quoad formam est eadem. Certum pariter est, quòd mea positio importat æqualitatem Probabilitatis; ergo & illa, quam tenet Orbellis.

31. Divus Antoninus multum favet nostræ opinioni, plures textus referemus commodiùs cap. seq. In sum. ergo quæ dicitur *Summa confessionalis*, par.1. tract.2 de 2. præcep cap.2. ait, quòd, quia Doctores sunt contrarii in illa difficultate, an liceat emere jura montis Florentiæ, impræstitorum Venetiis, & Locorum Januæ, non est consulendum, ut quis faciat talem contractum; si verò sit factus, consulendum est, ut rescindatur: subdit Sanctus Doctor: *Si verò non vult adhærens opinionis contrariæ*. Non facilè condemnens, *quia in hujusmodi secundùm Doctores non est præcipitanda sententia*. Hanc quæstionem diffusissimè agitat in alia Summa par.2. tit.1. cap.11. & §. 28. concludit, quòd pœnitens *relinquendus videtur judicio suo, nec condemnandus ex hoc, aut deneganda absolutio tanquam perseverans videatur in vitio usuræ*.

32. Alibi etiam pluries dixit, Doctorem non debere præcipitare sententiam, & confessarium non debere denegare absolutionem pœnitenti sequenti oppositam opinionem, de quo puncto infra diffusè agam. Si ergo confessarius absolvit in hoc casu, oportet, quòd credat, opinionem pœnitentis esse probabilem: & cum aliàs judicet probabilem suam opinionem; jam per D. Antoninum confessarius sequitur utramque opinionem. In dicta quoque Summa confessionali tract. *de restit.* cap 7 vers. *quinto nota* tenet, quòd, si esset plures creditores, & pars æqualis concederet dilationem debitori, pars verò altera æqualis negaret, tunc eligenda est clementior sententia, scilicet dilatio danda. C. de cess bon l.fin.

33. Dionysius Carthusianus in 4. dist. 18. quæst.4. prope fin. §. *Si autem quæratur* quærit, an facultas in foro conscientiæ, quæ dicitur Clavis, & facultas in foro fori, quæ dicitur gladius, sint simul datæ; & concludit posse dici, quòd simul datæ sint. *Potest etiam probabiliter dici, quòd non simul.* Hæc æqualitas probabilitatis quoad D. Petrum est speculativa; si tamen Papa uteretur iisdem verbis, quibus usus est Christus erga D. Petrum, dum daret facultatem Spiritualem alicui Prælato, tunc posset eadem æqualis probabilitas erga hunc Prælatum evadere practica Idem Author in 4. distin.38. quæst 3. refert Doctrinam D. Bonaventuræ circa illam quæstionem, an Papa possit dispensare in votis solemnibus, & concludit cum Seraphico: *quæ istarum sit verior, fateor me nescire, & satis potest qualibet sustineri, ideo nullam assero.* relege textum relatum suprà, cum de D. Bonaventura egi; & sicut D. Bonaventura in hoc *favet clarè æqualiprobabilitati*, ita dicas de Carthusiano.

Utran-

Utranque pariter opinionem cum D. Thoma sequitur in distin.33. quæst.2. §. *Præterea si quæratur* , & §. seq. in illis quæstionibus,an Judæis licuerit repudiare uxorem, & an mulier repudiata potuerit alteri nubere, & expresse dicit, secundum unam opinionem licuisse, non licuisse secundum aliam.

34. Angelus à Clavasio proculdubio est pro utraque opinione probabili; Verb. Absolutio 1. num.2. affert opinionem affirmativam, & negativam cum Doctoribus pro unaquaque in illa quæstione: An proprius Episcopus, vel Curatus possit absolvere ab omni excommunicatione majori lata à jure; ipse posteà subdit: *Ego consulo, quòd Sacerdos proprius eam opinionem sequatur, quæ sibi videtur, in illo casu magis expedire saluti ipsius pænitentis, vel communitati fidelium, quia utranque potest tenere, & prima de subtilitate juris mihi videtur verior.* Potest loqui clariùs?

35. Verb. Adoratio num.6. quærit, quanam adoratione sit adoranda Crux. Refert duas opiniones oppositas. Ipse concludit, *quòd qualibet harum potest teneri.* Ver. Alienatio num 8. loquendo de juribus, Actionibus, & nominibus Debitorum, quæ pertinent ad Ecclesiasticas personas ait: Alienari non possunt sine debita solemnitate, & causa, quia servando servari possunt, quamvis Din. ut notat Alber. in d Auten. hoc jus, consuluerit posse alienari; *quod posset teneri post factum, vel etiam ante ex magna causa.* Ego non credo, quòd *Factum*, aut magna causa reddant opinionem probabiliorem. Ergo Angelus tenet probabiliter, quòd illa jura possint alienari, & non possint alienari. Ut ergo ad unguem Confessarius sequatur opinionem Angeli in illa opinione, an circumstantiæ aggravantes sint confitendæ, si ipsi videntur istæ opiniones æqualiter probabiles quoad praxim, ita debet se gerere: Si cognovit post confessionem factam à pœnitente alteri Confessario, quòd tacuerit hasce circunstantias, non ponat ipsi scrupulum, nec cogat illum ad illas confitendas cum magno onere ejusdem. Item dicere circunstantias aggravantes in materia furti causat magnam difficultatem Viro Nobili; maximam verò ingerit Virgini Confessio harum circunstantiarum in materia libidinis; ergo ex hac magna causa sequatur opinionem benignam æqualiter probabilem; quia sic imitabitur Angelum. Si Adversarii cum hac cautela mecum sentire volunt, libentissimè manus dabo; licèt enim sequar prædictam opinionem absolutè, tamen mihi maximè placet hæc cautela, & ego in meis actionibus maximè utor, & vellem, quòd omnes uterentur; sic enim ex una parte salvaremus, ut cupiebat Divus Antoninus, quòd onus Christi esset leve, & aliàs tutiùs in via graderemur salutis. Illam distinctionem de post factum, & ante factum adhibet Angelus etiam V. *Excommunicatio.* 7. casu 21. num.4. & casu 27. num.1. & in aliis locis, quos nunc non recordor.

36. Ver. Clericus 10. num 2. quærit, utrùm Clericus miles effectus perdit privilegium Clericorum, & refert opinionem, quæ asserit, quòd, si non exerceat ullum actum contrarium Clericatui, etiamsi duxit Uxorem Virginem, non perdit. Dicit deinde, quòd Panormitanus dubitat de hoc, si clericus assumendo militiam juravit illa, de quibus in Glos. l. pe. ff. *ex quibus caus. ma.* quia iste actus videtur omnino contrarius Clericatui. Subdit Angelus: *Sed primum æquius.* Hìc vide, quòd Angelus sequitur opinionem faventem Clerico solùm, quia est æquior. Jam scimus, quòd æquitas est justitia pensatis omnibus circunstantiis particularibus dulcore misericordiæ temperata. Sic Antonin. par.1. tit.3. cap.10. §.10. regul.7. & Gerson par.2. tit.1. post princ. Igitur in opinionibus in materia justitiæ, si habeas fundamenta, sequere illam, quæ est æquior, & sic minùs rigida, *& misericordia dulcore temperata.* Sic obedies Angelo, & adhærebis Probabilistis.

37. Ver. *Legitima portio* num.17. scribis:

bit: *Licèt de rigore, & subtilitate juris* istud sit verius, *tamen mihi magis placet opinio* Car. *tanquam* magis benigna, *& eam teneo.* Opinio rigida erat, quòd propter delictum Patris Filius amittat portionem legitimam; Benigna verò hoc negabat. Posthac imitemur Angelum, & inter plures opiniones illa nobis magis placeat, quæ est benigna, & ita placeat *tanquam magis benigna.* Ver. Matrimonium 3. impedim. 5. num. 3. refert duas opiniones. Prima tenet, quòd habens votum castitatis, si contrahit Matrimonium, peccet mortaliter petens debitum. Secunda affirmat peccare solùm mortaliter in prima petitione debiti. Ipse Author distinguit, & postea subdit: *si quis tamen* vellet simpliciter tenere, *quòd post consumatum matrimonium non peccet exigendo, etiam ad satisfaciendum sibi, noli eum condemnare de mortali, quia de jure non videtur minùs vera, quàm secunda.* Ecce clarè approbat duas opiniones, & utranque dicit esse æqualiter veram, quia una non est minùs vera, quàm altera. Adversarii ponderent, an Angelus clarè teneat, in hoc casu posse petere debitum, & non posse petere debitum illum voto obnoxium; mihi enim est adeo clarum, ut sine studio hoc mihi evidenter appareat.

38. Gabriel Biel puto, quòd sit pro mea sententia. In 4. distinct. 15. quæst. 13. art. 1. fin. dicit: *Ecce quanta diversitas Doctorum tam legis Divinæ, quàm humanæ;* (in materia, an lucrum acquisitum per aleas justè retineatur) *ideò Conclusiones ponentur probabiliter sub benigna Majorum correctione.* Deinde art. sequenti conclus. 3. dicit, non esse evidens, quòd tale lucrum sit restituendum; & probans hanc partem ante litter. K. ait: Secunda pars conclusionis patet, *quia sunt pro utraque parte probabiles opiniones*, ut habitum est in primo articulo. Cum Gabriel non explicet, quòd una sit magis, altera minùs probabilis, videtur, quòd illas credat ut æquè probabiles.

39. Major, qui per Vendrochium est Doctor Antiquus, prima facie videtur sentire nobiscum, in rei tamen veritate in conclusione parùm favet, & multùm opponitur, Argumenta tamen, quæ affert, & Doctrinam, pro nobis sunt. Agitat difficultatem in. 4. prolog. quæst. 2. concl. 4. & sic inquit: quando opiniones oppositæ circa materiam morum sunt æquè certæ, *potest homo sine peccato hanc viam, vel oppositam imitari;* Patet in casu de damnando innocente, ubi est æqualis apparentia de ipso liberando, & damnando. Præterea Episcopus datis duobus, vel tribus æqualiter idoneis dat cuilibet Beneficium sine peccato; & Magistri nostri in suis rotulis, & Dominus Cancellarius inter duos putatos æquales sine injuria unum alteri ad nutum præfert. Amplius patet hæc Conclusio, quia dato opposito sequitur, quòd homo esset coactus peccare, quod est falsum. Quòd sequatur, patet de Judice cognoscente innocentem probatum efficaciter in foro exteriori nocentem. Alexander, & Beatus Thomas dicunt, si eum non damnet, malè agit. Viri tot cum æquali apparentia dicunt oppositum, & oportet unum, vel alterum facere. Dicis, nec oportet nolle, nec velle unum, potest enim nullum actum voluntatis habere. Hoc non solvit. Oportet, occidat, aut non occidat. Et una pars dicit, quòd peccat omittendo, dato quòd non eliciat nolle, alia pars oppositum. Nec valet dicere, data æquali apparentia Reus est absolvendus. Hoc solùm exemplariter dictum, & exemplum est ad propositum. Hæc conclusio sequitur ex secunda, & ejus probationibus; In materia enim Fidei ancipiti inter Sapientes exercitatissimos potest homo assentiri huic parti, vel illi sine peccato. Ergo *in materia morum potest homo conformare se illi viæ, vel illi.*

40. Nota, quòd hic Doctor, dum dicit, quando opiniones oppositæ circa materiam morum *sunt æquè certæ.* Hæc verba: *sunt æquè certæ*, non intelliguntur de certitudine, quæ est cognitio de objecto, quod aliter se habere nequit, quia impossibile est, quòd in hoc casu dentur oppositæ opiniones, quia sic verifica-

rificarentur duo contradictoria de objecto; Unde v.gr. ex parte objecti Judex teneretur, & non teneretur condemnare Innocentem probatum Reum. Igitur intelliguntur de certitudine probabili, & sic explicari debent, quandò opiniones oppositæ circa mores sunt *æque certò probabiles*. Potest etiam dici, quòd pro opinionibus æqualiter certis Major intelligat opiniones æqualiter probabiles, & æqualiter habentes periculum peccandi.

41. Secunda Conclusio, quam hìc meminit Major est, quòd non est peccatum circa materiam Fidei hanc partem tenere, vel illam ei contradictoriam, dummodo non constat, utra pars sit de Fide, & vera, sed Sapientes, & exercitati in illa parte tenent opposita. Probatur, quia dato opposito sequitur, alteram partem peccare tenentem oppositum in materia Prædestinationis &c. prosequitur Probationem dicendo, Divum Thomam, Divum Bernardum, Scotum, Divum Bonaventuram, Divum Hieronynum, & Divum Augustinum peccare, dum in hisce materiis opposita opinantur, si non licet in illis contrariè opinari.

42. In §. *contra secundam Conclusionem* refert, & respondet objectis contra conclusionem in materia Fidei, & totum hunc Paragraphum rescribere placet, quia efficaciter solvit argumenta adversæ opinionis; Sic ergo dicit: Alter illorum tenet hæresim, cum teneat dogma falsum Fidei Orthodoxæ contrarium, ergo, &c. Concedo, quòd alter illorum tenet hæresim, sed non sequitur, quòd sit hæreticus; ad hoc enim amplius requiritur, scilicèt pertinacia &c. Contra illud arguitur Ecclesias: 19. qui citò credit, levis est corde. Ergo non est credendum, quoad habeatur veritas secundùm consilium Job cap.xxix. Causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam. Respondetur, ille non citò credit, nec est levitate ductus, cum sint rationes, & authoritates pro utraque parte post magnam indaginem.

43. Contra illud arguitur, in jure Divino, sicut dicit Guilielmus Parisiensis, non cadit ignorantia invincibilis; nam homo tenetur rogare, & tunc unctio docebit eum. 1. Joann.2. & non necesse habetis, ut aliquis doceat vos.... (hoc argumentum magni fit à Vendrochio, & Probabilioristis, ut vidimus.) Primæ ad Corinth.14. Si quis ignorat ignorabitur.

44. Respondetur, in Jure Divino, quod quis scire tenetur, pro tempore, quo scire tenetur, non cadit ignorantia invincibilis; aliàs bene cadit ignorantia invincibilis tam ignorantia pravæ dispositionis, quàm puræ negationis; Unde Glossa marginalis Matth.18. super illo verbo: *si autem manus tua*, sic dicit: Parum distat in vitio fallere, aut falli, Scandalizare, aut Scandalizari, si ex negligentia; si ex ignorantia invincibili, distat. Illud primæ Joannis 2. intelligitur in sua materia, ut quòd Jesus est Christus, & Messias unctus, & in lege promissus, quod quilibet ratione utens tenetur scire explicitè. Glossa Interlinearis exponit illud verbum ad Corinth. 1. cap.14. num 37. fin. de mandatis, quæ quis scire tenetur; *& sic intelligantur similes authoritates*. Sic egregiè Major. Ego tamen non concedam opposita sentientes in his materiis, quæ dicuntur Fidei, tenere hæresim; ut concedit Author; Concedo quidem, errare. Hæresis enim est error contra manifestum textum Scripturæ, aut contra id, quod publicè docetur ab Ecclesia. In nostro autem casu neutrum accidit. Interea nota ultimam particulam, per ipsam enim docemur explanare plures textus, qui videntur nobis oppositi.

45. In §. *Tertiò arguitur*; sic scribit; non potest homo assentire, quòd una pars est facienda, cum est inter æqualia motiva; sed quicumque contra venit conscientiæ suæ, peccat. Igitur &c. Major patet, quia imaginari possumus, cùm volumus; opinari autem non possumus, cum volumus.

46. Respondetur teste experientia, licèt non possimus assentire propositioni inevidenti sine ratione, tamen cum motivis

tivis æqualibus, quantum est de se, possumus *ex passione animi uni parti assentire.* Patet exemplariter. Nunc Parisiis dicitur, quòd exercitus Regis est victor in Italia. Duo æquè sunt præsentes, quorum alter Gallos diligens assentit; alter non assentit, sed dissentit. Sic in proposito potest quis assentiri huic; *hoc mihi est licitum*, & licèt nesciat, quæ illarum viarum sit verior, scit, quòd secundùm unam *facere ei licet.*

47. Ex his posset quis credere, hunc Doctorem tenere nobiscum per omnia; In rei tamen veritate solùm asserit, quòd, quandò utraque pars est æquè probabilis, & utraque pars ex parte objecti habet periculum peccati, tunc possumus eligere illam opinionem, quæ nobis placet. Et hoc probant evidenter exempla de Judice, & de Collatore Beneficii, & de Magistris, & argumenta allata; & in hoc puncto, si quis discordat, puto cum Majore, hunc nos necessitare ad peccatum. Ast in illa difficultate, an possimus sequi utranque opinionem oppositam æquè probabilem, si in una sit periculum peccati ex parte objecti, in altera verò nullum subsit periculum peccati, procul dubio est contra nos, & stat pro Adversariis, ut patet in §. *contra quartam conclusionem*, ubi dicit, quòd, si quatuor Doctores asserunt contractum A. esse licitum, alii quatuor sustinent, esse illicitum, & omnes conveniunt, quòd potest licitè relinqui, dicit, inquam, esse tenendam partem certam, & sic relinquendum contractum, *& facere oppositum est exponere se periculo obviandi.* Sic verbaliter Major. Infra tamen demonstrabo, omnia penè allata ab ipso favere huic secundæ parti.

48. Pro hac nostra opinione stat clarè Franciscus Victoria, qui vivebat anno 1573. unde & per Vendrochium debet dici Doctor Antiquus. Igitur hic in Summa Sacrament. de Matrim. num. 258. dicit, utranque opinionem sibi videri probabilem in illa quæstione, an Sponsa de præsenti vi cognita à Sponso possit eo invito transire ad Religionem; & dicit, utranque partem videri probabilem D... rando, magis tamen pars negativa. Num. 271. sustinet, utrunque esse probabile in illa difficultate, an sit validum jure naturæ Matrimonium contractum ex metu cadente in constantem virum.

49. Nunc transitum faciamus ad Canonistas, quamvis fatear, hanc quoque materiam excedere limites artis Canonicæ. Præcedat Gratianus famosus ille conpilator Decreti. Hic dist. 1. de pænit. diffusè satis fecerat quæstionem, an Confessio sit sub præcepto. Pro utraque plura congerit: Tandem sic concludit. *Cui potiùs adherendum sit, Lectoris judicio reservatur. Utraque enim habet fautores sapientes, & religiosos viros.* Ecce dat nobis libertatem in opinionibus.

50. Glossa in 13. distin. §. 1. Verb. *item adversus scribit*: quòd objicitur de uxore, non credo, quòd talis delectatio sit aliquod peccatum, ut 32. quæst. 2. quicquid. *Si tamen vis tenere, quod sit ibi veniale peccatum dicas cum Hug. &c.* Textus est clarus, ut nequeat offuscari.

51. In 15. quæst. 8. Verb. *De ultima vero fin.* refert duas opiniones oppositas, quarum una dicebat, omne crimen inducere depositionem, nisi specialiter à Canone excipiatur. Altera asserebat, nullum crimen inducere depositionem, nisi à Canone excipiatur. Subdit Gloss. *hac opinio majori æquitati innititur, quare tenenda est.* Certè secundùm hunc textum in interpretatione legis inferentis pœnam Ecclesiasticam debemus sequi, cæteris paribus, opinionem benignam, ut dicit nostra Conclusio universaliter de omnibus legibus. Hic quæro, Ecclesia habet leges pro Judice in ordine ad pœnam inferendam. Habet leges pro quolibet homine, utraque tamen obligat in conscientia. Quare illa de Judice admittit interpretationem benignam simul cum interpretatione severa, illa verò pro quolibet homine talem interpretationem non admittet? Præterea adest lex, quam aliqui interpretantur importare Excommunicationem majorem, alii minorem; alii excommunicationem latam, alii ferendam; Cur ego non potero sequi opinionem benignam, utpotè fu-

fundatam in majori æquitate?

52. In c. *Fidelis* 32. quæst.7. in narrat: casùs hæc habet: Dicitur hìc, quòd, si uxor virum relinquat propter fornicationem, & alium ducat, non debet admitti ad Communionem, donec primus vivit...... vel aliter, donec secundus vivit, quem reliquit...... *Et utrumque probabiliter dici potest.* Explico. Moritur ante legitimum maritum alius vir, quem pro marito, sed malè, duxerat; quæritur, an tunc hæc fœmina possit recipere communionem. Secundùm primam interpretationem nequit recipere, bene verò juxta secundam. Quia autem juxtà Glossam *utrunque dici potest probabiliter*, ideò in potestate Fœminæ est recipere. Applico ad aliam quæstionem. Dubitatur, an, si quis appositè reliquias cibi antecedentis diei remanentes infra dentes deglutiat, possit licitè communionem accipere; sunt Doctores, & rationes pro utraque parte probabiles, cur in hoc casu non erit in potestate illius recipere communionem, ut erat in arbitrio illius Fœminæ?

53. In c. *Sacerdos* de penit. distin. 6. V. *recitet* quærit, an confessarius teneatur revelare peccatum auditum in confessione, cujus revelationem præcipit Episcopus sub excommunicatione, & ita decidit: Dico, quòd in secreto Episcopo dicere potest, utpotè qui prodesse possit, & non obesse. 22 quæst. 5. hoc videtur. *Vel dic, ibi scivit ut homo, hic ut Deus* Ecce clarè sequitur opinionem unam, & postea dat licentiam sequendi oppositam illis verbis: *Vel dic &c.* Hìc nota, quòd prima opinio nunc est error manifestus.

54. In c. *Pastoralis* de offic. ordin. V. *præterquam in mortis periculo* in Glossa, antequam corrigeretur, sic legebatur: Cum sunt in Naufragio in periculo mortis, tunc satis potest dici, quòd liceat; vel si intret bellum campestre contra Saracenos.... *Licet absolvere, etiam laico, ar. d. c. Sanctum est.* Quidam dicunt contrarium, quod nunquam licet laico absolvere à tali excommunicatione.... & sic prima opinio benignior, & securior est, & sicut potest laicus in necessitate injungere pœnitentiam, vel absolvere ab aliis peccatis mortalibus, cum recipit Confessionem illius, quare non eodem modo ab excommunicatione? non videtur ratio, quare potiùs in uno, quàm in alio. *Vel dic, quòd Laico potest quis confiteri in necessitate, sed laicus non potest illum absolvere, vel ligare, quia non habet claves Ecclesiæ de Sum. Trinit. cap. 1. §. una.*

55 Ecce clarè quòd Laicus potest absolvere, & non potest absolvere à peccatis. Potest asseri æqualis probabilitas clarius? Nota tamen quòd prima opinio est hæresis damnata à Tridentino sess. 13. can. 10. & nota ulteriùs, quantum Antiquitus placeret benignitas, dum opinionem benignam, quæ in se erat hæresis, tradebant. Nota tertio, quòd hæc glossa correcta est in posterioribus editionibus. Sed quamvis sit correcta, non tamen prohiberi potest, quod utraque pars in ipso tradita non fuerit, & hoc Antiquis temporibus, &, quod facit ad propositum, non est correcta, quia utranque opinionem docuerit, sed quia hæresim tenuit.

In cap. 1. de treug. & pace. V. *frangere præsumpserit* scribit: potest intelligi de justo bello, & licèt nunquam sit cessandum à tali, minus tamen vacandum est ei in hoc tempore, quàm in alio.... *Vel potest intelligi de injustis bellis.* Glossa loquitur de treuga Canonica præcepta ibi à Canone, & clarè asserit posse intelligi vel *de bello justo*, vel *de bello injusto*. Ergo per Glossam in bello justo tenemur, & non tenemur, servare treugam Canonicam tenemur secundùm primam opinionem, non tenemur secundùm aliam opinionem.

56 In c. *cum teneamur* de præbend. Ver. *Sustentari*, scribit: Ergo videtur, quòd, si non potest commodè sustentari, non oportet fieri mentionem, (de Beneficio in rescripto Pontificis) quod satis videtur æquum; sed tutius est, quòd de ipso faciat mentionem, quantumcunque sit modicum, quia videtur tacuisse dolosè, ut citiùs obtineat litteras,

ras. Ecce primam opinionem benignam vocat æquam; Ergo debet esse probabilis; Secundam strictam vocat securiorem; ergo etiam hæc debet esse probabilis, quia si esset improbabilis, non esset à viro prudente consideranda. Ergo utraque opinio hic est probabilis. Glossæ canonicæ junge civilem, cujus textum, mihi satis clarum, retuli cap.3. num.82.

57. Secundum locum habeat Innocentius, quem Canonistæ Patrem juris appellant. Hic in c. *ne innitaris* de constit. sic scribit: Nota, quòd dictis Sanctorum Patrum, vel aliorum ab Ecclesia receptorum stare licet, & qui dicit, quod ipsi dicunt, non potest de temeritate redargui; nisi ea diceret, quæ retractata sunt; sicut Augustinus multa retractavit de dictis suis. Vel nisi sint per Ecclesiam correcta 26. distinct. cap.1. & 2. & 32. distinct. cap.1. fin. *Si verò Sancti diversas opiniones inter se habeant ut.... de Salomone damnato, licitum est cuique, quod vult, dicere.* Scripta Beati Thomæ, & Beati Bonaventuræ sunt recepta ab Ecclesia, cum numerentur inter sex Ecclesiæ primos Doctores, & hi duo Ecclesiæ Lumina diversas opiniones habent in moralibus; ergo ex Innocentio nobis est licitum dicere, *quod volumus.* Præterea debemus ne credere, quòd Antiqui Ecclesiæ Doctores in moralibus nunquam differant? Præterea Hieronymus, & Augustinus in moralibus differunt. V.gr. de mendacio officioso. Ergo ante decisionem Ecclesiæ poteramus hunc sequi, vel illum, prout placebat.

58. Dices, posse nos sequi in diversitate opinionum Sanctorum, quam volumus; si tamen nobis appareat probabilior, ut cuilibet ex illis Sanctis Doctoribus apparebat propria opinio. Secus verò, si solùm appareat ut æquè probabilis, ac altera, Et hoc non provenit ex defectu opinionis, v.gr. Divi Augustini, sed ex defectu nostri intellectùs, qui non cognoscit illam opinionem cum illo gradu probabilitatis, ut cognoscebat Divus Augustinus. Sicut, si opinionem Divi Augustini cognosceremus solùm ut dubiam, illa in praxi uti nequiremus.

59. Sed contra, quia sic nulla adesset diversitas inter opinionem, v. gr. Divi Augustini, ac cujuslibet Casuistæ; quia, si cognosco opinionem v. gr. Bonacinæ ut probabiliorem, tunc illa possum uti in praxi juxta penè omnes doctores. Tum quia Innocentius asserit, quòd in diversitate opinionum inter Sanctos possum dicere, quod volo. Ergo electio opinionis dependet à voluntate, non à probabilioritate. Tùm quia solùm unam opinionem possem eligere, quæ scilicet est probabilior, & sic non daretur electio inter plura, quæ possem eligere, ut supponit Innocentius.

60. Quia verò opinio Divi Augustini non habet eumdem gradum Probabilitatis, ac habebat in mente Divi Augustini, non sequitur, quod illam non possim eligere, sed ad summum sequitur, quòd unicè illam nequeam eligere, ut faciebat Sanctus Doctor. Igitur, cum per Innocentium sit in mea voluntate electio opinionis inter diversas, quas Sancti amplectuntur, sequitur, quòd non unam, sed hanc, vel illam possim eligere. Non est autem mirum, si cognoscam ut dubiam Sententiam Divi Augustini, quòd illam nequeam sequi in praxi, quia per omnes Conscientia dubia non est regula voluntatis rectæ. Tum quia in hoc casu intellectus decipitur, dum opinionem Doctorum Ecclesiæ, quæ est certò probabilis, ut dubiam attingit. Si autem intellectus decipitur, & errat, quid mirum, si voluntas non sit recta?

61. Joannes Andreas, dictus *Juris Lucerna*, in c. *Ne innitaris* de constit. docet: *Si inter Sanctos esset diversa opinio, ut de Salomone damnato......* licet unicuique dicere, quod vult, *aliàs usque ad unum jota servetur* 15. *dist. cap. ult.* Textus clarus, & evidens, & idem cum textu Innocentii. Vide num.65. & 66.

62. Idem Doctor in c. *dolentes* de celeb. Missar. n.9. Henricus Boic ibidem nu.2. & Butrio num.9. ita scribunt: Omittens Missam Celebrare, vel audire, vel si interest,

tereſt, non habet cor ad Deum, ſed ad exteriora, peccat mortaliter, ut hic, & 14. quæſt. 1. *quod præcipitur*, & ſi verbum ſit durum, tamen ſcriptum 6. qu. 3 ſcriptum. *Vel dic, quòd dicere eſt in præcepto*, ſed alia, quæ in devotione conſiſtunt, ſuadendo dicuntur; *unde* dicit infra, *quantum Deus dederit*; *quaſi dicat*, quòd durum eſſet hoc ponere in uſu præcepti, *relinquimus ea gratiæ Dei*, & hoc, quia benignum, *placet Hoſtien*, quia nec debet Eccleſia alicui laqueum injicere 27. quæſt. 1. de viduis 2. nec aliquos oneribus importabilibus alligare 26. quæſt. fin. alligant. *Vel dic, quòd hæc non obligant ad culpam de novo incurrendam, ſed ad pœnam ſuſpenſionis, quæ poteſt infligi.* Textus clarus, & aperſtus meo judicio, & eſt textus trium celeberrimorum Canoniſtarum. Nota illam cauſalem: *Et hoc, quia benignum, placet Hoſtien.* Hinc, ſi dantur plures opiniones, amplectere benignam ex capite, *quia benigna eſt*, quia ſic ſequeris exemplum, & Doctrinam Antiquorum. Poſt hæc ſcripta lego Hoſtien. in c. *d. dolentes*, qui num. 2. habet prædictam Doctrinam verbatim; hinc poſteriores Canoniſtæ merè referunt, quod ſcripſit Hoſtien.

63. Baldus in d. c. *ne innitaris* num. 9. & ſeq: hæc ſcribit: Caveant Judices, ne in diſſenſione opinionis eligant eam; quæ minimum habet rationis; quia ratio naturalis ſeipſam oſtendit, & veritatem occultam non ſinit; tamen non debet dici ratio, niſi ſit bona, ut no: ff. de leg. *non omnium*. Item Joannes Andreas dat unum prudens conſilium, quòd, quandò opiniones ſunt ita diverſæ, *quod in utranque partem poteſt probabiliter inclinari*, debet quis conari, ut habeat Judicem propitium, non dico claudicantem, quia Judex, & Judicium non debent claudicare, ut C. *de fal.* l. ubi....., Item quandò proceſſus eſt multùm dubius, *Judex eligendo unam opinionem non facit litem ſuam, quia non eſt peccatum.* Nota in hoc textu eſſe incluſam authoritatem Joannis Andreæ. Per hos ergo Doctores dantur opiniones ita diverſæ, ut intellectus in utramque partem inclinari poſſit probabiliter, & in hoc caſu prudentis eſt habere Judicem *propitium*.

64. Quid dicerent Adverſarii reſpuentes æqualitatem probabilitatis? Nec valet dicere, eſſe bonum Conſilium habere Judicem propitium, quia ſic multum ſtudebit ad inveniendam veritatem pro Amico; Non valet, inquam, quia hi Doctores ſupponere debent Judicem eſſe idoneum, & aliàs omnia exequuturum, quæ pro deciſione litis ſunt neceſſaria. Volunt ergo dicere, quòd bonum ſit habere Judicem propitium, ſeu Amicum, quia ratione Amicitiæ in caſu, in quo ita ſunt diverſæ opiniones, ut poſſimus inclinari in utranque partem probabiliter, debeat aliquid operari pro nobis; Hoc autem, quod ratione amicitiæ debet facere pro nobis, non poteſt eſſe ſtudere pro lite; quia hoc debet facere ratione officii. Erit ergo, quòd, poſtquam bonus Judex exercito officio boni Judicis quoad ſtudium, & viſo, quòd utraque pars eſt probabilis, quod non raro poteſt accidere in materia difficillima juſtitiæ, tunc favebit in deciſione illi, cui aliàs erat amicus, & propitius. Nec in hoc caſu juxta hos Doctores *eligendo unam opinionem faciet litem ſuam, quia non eſt peccatum.* Et hæc Doctrina eſt juxtà Majorem, qui, ut ſuprà retuli, dicit, quòd Epiſcopus dat Beneficium, cui vult ex duobus æqualiter idoneis. Et Cancellarius Pariſienſis præfert ad nutum ſine injuria unum ex duobus æqualibus in meritis.

65. Joannes de Imola in d. c. *ait*, quòd, quandò inter Sanctos Patres ſunt opiniones, ut eſt de Salomone, an ſit damnatus, *tunc ſecundùm Innocentium, & Compoſtellanum licitum eſt dicere unicuique, & tenere, quod vult ratio probabilis dubitationis.* Facit, quod notatur in ſimili per Gloſſ. in §. quibus C. *de novo Codice componendo*, & in l. *dos à patre*. C *ſolu. matrim.* Nota primò, quòd hic textus eſt & Joannis de Imola, & Compoſtellani. Nota ſecundò, quòd ſecundùm *rationem probabilem* dubitationis poſſumus tenere noſtram concluſionem. Cum

verò

verò ratio dubitationis probabilis sæpe fit pro utraque parte; ergo secundùm hos duos Canonistas licet tenere utramque opinionem. Nota tertiò, quòd pro hac Doctrina allegatur Glossa civilis duobus locis; & quidem in l. *dos à patre*. Ver. *Filia familias* refert duas opiniones cum suis fundamentis, postea dicit, quòd secunda opinio usu prævalet; ergo ablato usu secundùm jura videretur utraque probabilis.

65. Ægidius Bellamera in c. *noli* 9. dist. & in c. *ne innitaris* de constit. scribit: quòd si Patres inter se contrarias opinione haberent, liceret cuilibet stare, *cui vellet*, ut de Salomone damnato. Eadem de verbo ad verbum dicunt Petrus Ancharanus in dicto capite ne Innitaris, Abbas Antiquus, Compostellanus, Butrio, & Panormitanus in dicto C. *ne innitaris*, & credo, quòd omnes Canonistæ aliter dicere nequeant, cùm relati sint Proceres eorum, & Antiqui, quod est valdè notandum. Vide n. 61.

66. Dominicus à Sancto Geminiano in c. *cujus* 3. quæst. 8. num 5. in illa quæstione, An Clericus possit reconveniri à Laico, hæc habet: Ego audivi Dominum Antonium quandoque tenentem, quòd possit, & dicebat, quòd utraque opinio habet *probabiles rationes*. Nota hunc Canonistam Antonium tenentem opinionem suam, quamvis opposita habeat probabiles rationes; ergo per hunc Doctorem intellectus constitutus inter probabiles rationes oppositas non semper remanet suspensus, & dubius, ut volunt Adversarii, *sed quandoque* potest tenere opinionem, & sic se determinare ad unam partem, etiam ad partem periculosam, ut facit Dominus Antonius, qui tenet Laicum posse reconvenire Clericum, quæ opinio potest esse falsa, & contra Legem Ecclesiasticam de immunitate Clericorum. E contrario opinio opposita nullum periculum peccati continet. Vide etiam ipsum in c. *nulli fas* 19. dist. num. 4. in c. *quantum* 50. dist. num. 2. & in c. *Si qui Episcopus* 3. quæst. 4.

67. Prædictus Abbas Panormitanus dixerat in cap. 1. de constit. num. 15. & 16. quòd Judex debet sequi Communem opinionem, *nisi sit evidenter falsa*, *vel posset convinci probabilibus rationibus*. Si opinio communis est evidenter falsa, certè tunc non est probabilis. Quando autem convincitur solùm probabilibus rationibus certè non extrahitur à statu probabilitatis, quam habet opinio communis juxtà Doctores; & hoc debent fateri Adversarii, qui tam parvi faciunt Probabilitatem. Ergo per Abbatem opinio communis restat in statu Probabilitatis, & aliàs opinio opposita erit Probabilis, cum probabiliter convincat opinionem communem.

68. Sequitur Panormitanus: Si verò non est dare communem opinionem propter rationes hinc inde, *tunc bonum est habere Judicem propitium*, *quia potest sequi; quam vult*; (In additione huic textui notatur hanc Doctrinam esse Angeli consil. 65.) dicit tamen Joannes Andreas: Caveat à pœna. c. *cum aeterni* de re judic. l. 6. scilicet quòd non judicet contra conscientiam: Ecce quòd Abbas concedit, in diversitate opinionum esse bonum habere Judicem propitium, & assignans causam quare hoc sit bonum ait: *quia potest sequi, quam vult*. Ecce clarè, quod ratio determinativa litis in casu diversitatis opinionum est sola voluntas. Ergo tunc Judex potest sequi utramque opinionem. Ego subdo, si in illo casu Judex sequi potest opinionem, quam vult, quare homo privatus constitutus in eodem statu, v. gr. an debeat restituere, nec ne centum aurea, non poterit sequi utramque opinionem?

69. In c. *Capellanus* de fer. num. 6. scribit: *Ex hac glossa sic intellecta* non peccat non servans jus præcepti, *ubi sunt variæ opiniones, licèt postea appareat, contrariam opinionem fuisse veram, & aliam, quæ tenebatur, non subtiliter investigatam*. Vides, hunc textum esse apertè contra illos Adversarios, qui tenent non dari errorem inculpabilem. Puto legi etiam, hunc textum esse intelligendum, quando illæ variæ opiniones sunt æqualiter probabiles.

70. Si

70. Si Judex potest sequi in casu opinionem utranque juxta Abbatem, potest juxtà Guilielmum Durandi, dictus *Speculator*, in specul. jur. tom.1. lib.1. partic.4. de Advocat. §. 1. num.14 Advocatus utranque partem defendere. Audiamus ejus formalia verba: Argum. tamen, quòd idem possit esse Advocatus utriusque partis, & tunc allegabit pro ista, nunc pro illa. 45. distinct. *disciplina in fin.* Sed meo judicio hic canon nihil habet ad propositum, maximè equidem favet. c. *infames*. 3. quæst.7. ubi hæc habentur: *Item si contra patrem pupilli causam egisti, Tutor, vel Curator datus eandem causam defendere non prohiberis.*

71. Hæc opinio, quòd Advocatus possit advocare pro utraque parte, adeo est infensa Probabilioristis, ut Fagnanus c. *ne innitaris* de constit. num.315. illam reponat in numero Scandalosarum propositionum, & dicit esse contra l. 1. C. *de Advoc.* divers. judicior. & l. *Athletas*. §. penul. ff. de his, qui notantur infamia, & c. *fin*. 2. quæst. 3. & c. *disciplina* 45. dist. Ego sæpe expertus sum, Canonistas parùm ad propositum allegare Canones, & textus; nec mirum, dum enim plurimos, & plurimos afferre textus toto conatu insudant, nequeunt perpendere, an rectè allegentur; si enim vellent unumquemque examinare, tantum temporis expenderent pro una quæstione tàm multiplici numero textuum roborata, ut paucas per totam vitam finire possent. Sic accidit Fagnano. In præsenti allegat duos Canones, & meo judicio nihil prorsus favent ipsi; quin vidimus Speculatorem allegare pro se canonem *disciplina*, & in rei veritate, si alicui favet, favet Speculatori; dicitur enim in illo, quòd Moyses volebat mori pro populo, & adhuc tamen jussit, ut viginti tria millia hominum occiderentur. *Ecce*, inquit Canon, *qui vitam omnium etiam cum sua morte petiit, paucorum vitam gladio extinxit.* Ecce ego dico, Moyses volebat, & non volebat mortem Populi. Certè Moyses assimilatur Advocato patrocinanti Actorem, & Reum. Ut enim defendit Actorem, vult mortem Rei; ut verò tuetur Reum, vult vitam Reo.

72. Circa alium Canonem fin. 2. qu. 3. fateor me nescire invenire, nec per umbram, favere Fagnano. Hoc unum scio, me diebus elapsis consultum dedisse utrique parti circa litem quandam, secretò tamen. Nunquid male egi, aut dignus ero infamia juxta l. *Athletas*? hæc lex loquitur de illo Advocato, *qui adjuvat diversam partem prodita causa sua*, quæ verba puto intelligenda de eo, qui visis instrumentis, & aliis documentis secretis sui clientis se convertit ad Adversarium, *prodita causa sua*, hoc est, Adversario dicit rationes illas, & documenta secreta, quod nefas est, & proprium *Proditoris*. Tum intelligi possunt de Advocato, qui salario ductus officium Advocati exercet; si enim posset quis ob salarium patrocinari pro utraque parte, aperiretur via latissima ad defendendas lites injustas, &c. Decisio litis mei clientis pendebat ab intellectu cujusdam legis, de qua duplex dabatur interpretatio apud Doctores. Dicant Adversarii, quæ ratio obstabat, qua non deberem dicere Litigatoribus, pro utroque adesse validas rationes, & plures Doctores, & utranque opinionem existimari probabilem à suis Doctoribus? Cur postea non poteram, utrique dicere illam propositionem celebrium Canonistarum, *bonum est in hac lite habere Judicem propitium?* Si me damnarent Adversarii, me malè fecisse, debent rationem evidentem damnationis ostendere. Si talem dabunt, mutabo quidem opinionem, hoc tamen contentus, quòd nihil restituere cogar, dum pro munere functo nullum munus accepi. Interea sciant, me exemplo Divi Thomæ, Divi Bonaventuræ, Richardi, &c. afferentium rationes pro utraque parte, & solventium ductum ita fecisse. In hoc facto non inveni legem decidentem, nec alias regulas, ad quas recurrere deberem juxta c. *de quibus*. 20. distinct. *ideò*, ut ibi dicitur, *Sanctorum exempla recordatus* Consultum dedi in lite de jure pro utraque parte. Vide Glossam ibidem. V.

Exempla. Vide cap.4.5. & etiam.6. nu. 37. & 58. & aliis locis.

CAPUT XXIX.

Opinio benignior, cæteris paribus, est sequenda.

1 PEr multum temporis legendo Antiquos collegeram plurimos ex ipsis, qui expresse dicebant, inter plures opiniones esse amplectendam, cæteris paribus, benigniorem. Sed nescio, quomodo amiserim hosce textus; facta tamen iterum perquisitione, potui colligere iterum hosce paucos.

2. Si dictum in titulo Capitis est verum, sequitur evidenter, inter æquales opiniones nos posse eligere, quam volumus; nam rigida, certum est, quòd potest eligi; ergo, si possumus eligere, etiam benignam, possumus eligere in dato casu, quam volumus. Et nota illos duos terminos, *cæteris paribus*, nam significant, quòd illæ opiniones sint æquales in omnibus, exceptis *benignitate*, & *austeritate*; & sic illæ opiniones erunt *æquales in probabilitate*. Nunc probandum est illud dictum, quod facili negotio præstabo afferendo textus Antiquorum. Si debeo dicere veritatem, ego legendo illos semper inveni in concessione ejusdem; unde apud ipsos est veluti commune proloquium; & si Adversarii vellent hunc laborem subire, ut legerent eosdem, viderent, si verum dicam.

3. Igitur D. Thomas 1.2. quæst.96. art.6. refert, & approbat. l.*nulla*. ff. de leg. in qua dicitur: *nulla ratio juris, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro salute hominum introducuntur, ea nos* duriori interpretatione *contra ipsorum commodum perducamus ad severitatem*. In 4. dist.17. quæst 3. art.1. quæstiun. 4. ut alibi retuli, dicit, *videri probabilem eorum opinionem, qui dicunt, quòd non tenetur homo ad statim confitendum*; vocat deinde opinionem oppositam *nimis duram*. In quodl 4. art.14. in illa quæstione, an sint vitandi illi excommunicati, de quorum excommunicatione est apud peritos diversa sententia, dicit, ante sententiam Judicum esse sequendam *interpretationem mitiorem*. Certè in hoc textu inter æquè probabiles opiniones, an isti excommunicati sint vitandi, necne, D. Thomas sequitur *mitiorem opinionem*, & relinquit rigidiorem. Nec potest dici, quòd D. Thomas supponat opinionem mitiorem esse quoque probabiliorem; nam in textu nullum vestigium apparet hujus Doctrinæ. Tum quia Sanctus Doct. debuisset potiùs reminisci Probabilioritatis, non *mitioritatis*; quia opinio est sequenda principaliter propter veritatem, non propter aliam rationem. Tum quia dicit, hosce excommunicatos non esse vitandos, *quousque certo judicio terminetur*. Ergo clarè D. Thomas vult, nos sequi inter opiniones benigniorem, quia, quando adsunt inter peritos diversitas opinionum, tunc quæstio *non est certo judicio terminata*.

4. Primus quoque textus significat, nos debere rejicere interpretationem *duriorem* Legis. Ergo D. Thomæ magis placet benignitas, quàm austeritas. Ergo inter plures opiniones amplectitur benigniorem ratione ipsius *benignitatis*; si enim illam amplecteretur, quia sit probabilior, tunc benignitas nihil operaretur, sed Probabilioritas; maximè, cum opinio probabilior est rigida, per Adversarios sit necessariò sequenda; unde per Adversarios D. Thomæ tam placeret rigiditas, quàm austeritas. In secundo textu debemus dicere, quòd Doctor Angelicus crediderit opinionem duram esse probabilem, si enim aliter existimasset, illam deserviset maximè propter improbabilitatem; opinio enim maximè est deserenda propter falsitatem. Interim accipe regulam certò fundatam in D. Thoma: si tibi aliqua opinio videtur *probabilis*, & opposita *nimis dura*, sequere benignam.

5. D. Bonaventura, quamvis Doctor rigidus, tamen etiam rigiditatem rejecit. Sic in 4. dist.17. par.2. art.2. quæst.2. opinionem

nionem quandam vocat *valde duram*, quæ obligabat indistinctè omnes peccatores ad statim confitendum, & illam deserit ob hanc suam duritiem.

6. Alibi retuli Humbertum ex primis Generalibus Patrum Dominicanorum, qui in expositione constitutionum Religionis jubet, ut sui Religiosi deserant *nimiam austeritatem* in consiliis, & opinionibus; quia austeritas hujusmodi terret homines, ut negligant propriam salutem; *benignitas verò trahit homines meliùs ad salutem.* Ergo evidenter, cæteris paribus, per hunc Antiquum opinio benignior est sequenda, utpotè trahens meliùs homines ad salutem.

7. Beatus Raymundus est Doctor satis rigidus; attamen credo, multum nobis favere. Igitur lib.2. de usur. §. 17. asserit, Usurarium posse deducere expensas, & fortè operas moderatas quoad restitutionem usuræ, *ut in his etiam agatur cum eo mitius*, quàm cum fure. Lib. 3. de lapsis. §. 1. refert tres opiniones solemnes, quæ Antiquitus vigebant circa ordinandos, & prima asserebat, illum, qui post Baptismum peccasset mortaliter, non posse ordines accipere sine dispensatione. De hac opinione ita scribit: *Hæc opinio est nimis rigida*, cum secundùm eam nullus posset promoveri; nam res penè contra naturam est, ut sine peccato aliquis sit dist.25. unum orarium. §. nunc autem; *& ideo non est tenenda.* In tit. de pænit. §. 21. scribit: *Unum tamen consulo, quòd non sis nimis pronus judicare mortalia peccata*, ubi tibi non constat per certam scripturam esse mortalia; *sed potes dicere esse peccata, & inducere homines ad pænitentiam de talibus: aliàs enim possent induci homines cito in desperationem.* Nunc facio argumentum. Quando utraque opinio est probabilis sive minùs, sive æquè, *tunc non constat per certam scripturam illud esse peccatum mortale*, ut est evidens; ergo tunc tibi consulo, *ne sis pronus ad opinionem rigidam*; & sic sequere juxta Raymundum opinionem benignam.

8. Credo ego, quòd Author hujus axiomatis Antiquorum, quòd scilicet opinio benignior cæteris paribus, sit sequenda, fuerit Glossator Raym, quia video semper pro ipso allegari ab Antiquis, & frequentiùs ipse illo utitur, ut nunc patefacio.

Igitur lib.1. tit. de Simon. §. 15. V. *alias esset daturus* dicit, opinionem asserentem esse Simoniam, si quis daret aliquod temporale pro Spirituali, ita ut si non daretur spirituale, nec daretur temporale, dicit, inquam, hanc opinionem *videri duram*, propter quod alteri opinioni standum esse. In tit. de juramen. §. fin. V. *non teneor* bis dicit, in quodam casu *benignè esse interpretandum &c.* Tit. de mendacio. §. 3. V. *alii dicunt* vocat *duram illorum sententiam*, qui dicebant mendacium officiosum esse semper peccatum mortale viris perfectis. Tit. de decimis. V. *cadere possunt* refert duas opiniones, quarum prima dicebat, Laicos posse transferre in alios jus recipiendi decimas, quas habent in feudum. Secunda negabat, mox subdit: *prima opinio benignior est.* Ego subdo, ad quid notare expresè, quòd *prima opinio sit benignior?* Ego non video aliam rationem, nisi ut significet, propter hoc esse sequendam, & de facto ibidem. V. *vel dic* scribit: *prima opinio benignior est*, & ideo *magis amplectenda.* Pondera illam particulam causalem, *ideo*, & videbis apertè, clarè, & expresè importare nostram Doctrinam, & importare Doctrinam immediatè oppositam Adversariis. Nunquam invenies apud ipsos, Benignitatem opinionum esse considerandam. Dicunt, inter æquales opiniones esse de necessitate sequendam rigidam; inter inæquales verò vel rigidam, vel probabiliorem. Glossator noster inter plures opiniones, quas utique credit vel æqualiter, vel inæqualiter probabiles considerat specialiter *Benignitatem*, & ab hac movetur ad sequendam opinionem: *Prima opinio benignior est*, & ideo, *magis amplectenda.* Expresè ergo hìc Doctor sequitur opinionem benignam inter plures vel æqualiter, vel minùs probabilem. Huic textui nulla potest affingi responsio.

9. Si in hoc loco Author ratione benignitatis sequutus est opinionem. *Prima opinio benignior est*, & ideo *magis amplectenda*; in lib. 2. tit. 1. §. 3. V. *se*, *& sua liberando* deserit opinionem ob causam suæ rigiditatis. Audiamus verba. *Sed hæc opinio nimis dura est*, & ideo, *non tenenda*. Potest loqui clarius? Tit. de duello. V. *non peccare* scribit: *Propter hoc credo, quòd hæc opinio potiùs tenenda est*, cum ratione non careat, & sit benignior, *ne videamus damnare omnes illos, qui se defendunt in duellis, vel res suos*. Hunc textum ponderabo, quando infra agam de acceptatione duelli, an sit licita aliquando, ut hìc Author clarè docet. Pro nunc pondera rationem formalem, cur amplectatur hanc opinionem, & est, quia *ratione non caret, & est benignior*. Ego subdo, sed inter æquales opiniones opinio benignior *ratione non caret, & est benignior*; ergo inter opiniones æqualiter probabiles opinio benignior est sequenda. In tit. de sagittar. & balist. V. *non habent* vult dum dubitatur de intentione ferentis censuram, quòd integretur in minorem partem, vel *mitiorem*. De transact. c. *ult.* In tit. de usur. §. 9. V. *emunt* scribit: *sed nimis dura est ejus sententia, si indistinctè intelligatur*. Ecce sola nimia durities opinionis movet Doctorem ad deserendam opinionem. In §. 17. V. *fure* docet: Fur, & raptor non deducunt expensas, nec operas suas, quod tamen intelligo, si agatur in forma judicii; *in foro autem pænitentiali non credo, hunc rigorem esse servandum; iniquum enim esset, aliquem locupletari cum damno alterius*. Adversarii amant benignitatem in foro externo, & rigiditatem in interno; & sic opponuntur nostro Glossatori.

10. Lib. 3. tit de Bigamiis §. 3. V. *vel vi* docet: *Prima tamen opinio benignior est*, & fragilitati nostri temporis magis accomoda, *& similiter sententiæ Hug. Consona*, & ideo *fortè potius tenenda est*. Loquitur Doctor de Virgine, quæ per seipsam Virginitatis Sigillum fregerat; & facit quæstionem, an possit consecrari inter Virgines. Ego formo casum. A sunt duæ opiniones, an Petrus possit ordines accipere. Prima dicit, quòd sic, & hanc tenet magnus Suarius. Secunda dicit, quam non, quam alii sequuntur. Ad normam nostri Glossatoris resolvo quæstionem. *Prima opinio benignior*, & fragilitati nostri temporis magis accomoda, *& similiter sententia magni Suarii Consona, & ideo fortè potius tenenda est*. Credo neminem huic Doctrinæ refragaturum; & sic quisque fatebitur, inter plures opiniones benigniorem esse sequendam. Adverte insuper, quòd Glossator pro opinione benigna affert solùm Hug. E contra pro opinione rigida ait, *alios illam docere*; unde quoad numerum Doctorum opinio rigida superabat benignam; unde forsan quoad probabilitatem extrinsecam rigida erat probabilior.

11. In tit. de lapsis. §. 4. V. *celebrat officiàndo* docet, quòd Episcopus potest dispensare irregularitatem contractam à Clerico, qui celebravit suspensus à jure ob notoriam fornicationem; subdit postea: si qua jura videntur esse contraria, loquuntur de suspenso à Judice, non à jure, *& jura benigniùs solent agere, quam homines*. Ego infero: ergo interpretatio benigna est secundùm jura. Ergo inter æquales opiniones possumus eligere benignam, quia jura potiùs volunt benignitatem, quàm rigiditatem. In tit. de scandalo §. 9. V. *Suspendatur* scribit: *Prima opinio benignior est, & communior*.. ... De illis autem, qui tenent mulieres in suspectis locis, & cum scandalo, sed tamen non peccant cum eis, nec peccare proponunt, *potest dici benigna interpretatione, quòd non incidunt in illam sententiam*, excommunicationis scilicet.

12. In tit. de senten. defin. præcep. & excomm. §. 32. V. *ad illam* tenet, quòd confessor potest absolvere pænitentem priùs à peccatis, quàm absolvatur ab excommunicatione reservata; & hanc opinionem vocat *benigniorem*. Audiamus textum: melius fieret, si priùs absolveretur ab excommunicatione hujusmodi, & postea de cæteris peccatis; cum excom-

excommunicatio sit fortius vinculum, & hoc servant quidam Confessores, *licèt benignior sit primò dicta sententia*; secunda tamen tenenda est, *si timeatur &c.* Pro rei veritate videtur, quòd Doctor hanc opinionem benigniorem credat esse etiam veriorem. In § 43. V. *primò* scribit: potest benignius dici, quòd si possum facilè probare excommunicationem..... teneor eum vitare; *si autem probare non possum, non teneor eum vitare publicè, nisi &c.* In §. 52. V. *intelligunt* docet: *si dictum sit simpliciter, interdicimus terram Regis, vel Principis talis, cum pœnæ sint restringendæ, credo interdictum hujusmodi non esse extendendum ad Feuda.* Juxta hanc Doctrinam credo, in legibus excommunicationis, suspensionis, interdicti, & aliarum pænarum Ecclesiæ inter opiniones æqualiter probabiles esse sequendam benigniorem, *quia pœnæ sunt restringendæ.* Ergo solùm debemus credere has leges habere locum, quando sumus in claris.

13. Denique lib. 4. tit. de Matrimonio §. 11. V. *si vir* scribit: Alii dicunt, quòd impotentia continendi à copula carnali excusat exigentem in hoc casu, *quorum sententia benignior est, licèt fortè non verior.* Penes lectorem erit judicare, an Author sequatur hanc opinionem benigniorem, licèt non veriorem.

14. Joannes de Friburgo lib. 1. tit. *de Simon.* quæst. 21. fin. cum Gloss. Raym. eod. tit. §. 21. V. *non recipit executionem* tenet, penas non esse extendendas, & hinc Ordinatorem Simoniacum non esse suspensum quoad ea, quæ sunt jurisdictionis, sed solùm quoad ea, quæ sunt Ordinis. Hic applica Doctrinam, quam dico paulo ante in simili de illo Glossatore. Tit. 15. *de decimis* quæst. 25 refert textum illum Gloss. Raym. quem supra retuli num. 8. ex tit. de decimis V. *vel dic*, in quo dicit, primam opinionem esse benigniorem, *& ideo esse tenendam*; & videtur hanc Doctrinam approbare. Qu. 28. refert pariter Glossam Raym. Et sequitur, quæ dicebat in quodam casu, esse *benigna interpretatione præsumendum, Laicum posse retinere decimas.*

15. Durandus habet textum adeo clarum, ut nulla possit tergiversatione elidi, & retuli supra cap. antecedenti num. 3... Audi alium valde clarum in 4. dist. 5. q. 2. num. 6. fin. *sine dubio*, inquit, *securum esset, sic facere*, (scilicet se conterere,) sed durum est, *sic ducere, quòd ad hoc teneatur.*

16. Richardus in 4. dist. 15. art. 5. qu. 5. ut retuli cap. 22. num. 22. sequitur opinionem probabilem, aliquorum, rejicit oppositam tanquam *nimis duram.* Si hanc vel improbabilem, vel non probabilem judicasset, propter hæc capita illam improbasset, quia opinio principaliter, ut dicebam, ratione falsitatis est explodenda. Si ergo illam refutat, quia est *nimis dura*, cæteris paribus, benignitas est amplectenda per Richardum.

17. Scotus in 4. distin. 13. quæst. 4. art. 1. fin. ait, esse *durum dicere*, quòd in quodā casu de detratione peccetur plus quam venialiter. Et dist. 15. quæst. 1. art. 5. *§. de quarto dicitur* tenet peccatorem in mortali existentem posse implere satisfactionem impositam à Confessario, & opinionem oppositam dicit, esse *nimis duram contra peccatores.* Vide, quantum benignitas Scoto placeat, dum illam, etiam cum peccatoribus, personis indignis, exercet. Dist. 17. quæst. 1. art. 3. §. *secundum videtur* scribit: *secundum videtur mitius, quia præcepta pænalia non sunt amplianda, sed restringenda.* Scotus hic docet, peccatorem non teneri statim ad Confessionem peccato perpetrato. Nota per Scotum præceptum de Confessione esse pænale. Certè non est pænale, quia ejus transgressio importat aliquam pænam, sed quia est præceptum aliquo modo difficile. Accipe ergo regulam fundatam clarè in Doctrina Scoti. Quando in materia præcepti de Confessione *aliqui dicunt* dari præceptum, *aliqui verò dicunt*, non dari, Tu sequere id, quod tibi *mitius videtur.* Sic fecit Scotus propter illam auream maximam, *præcepta pænalia non sunt extendenda.* Quia verò dantur præcepta, difficilia etiam, præter confessionem; ideo quia militat eadem ratio, eandem conclusionem de il-

lis præceptis teneas, nam argumentum à simili est evidens in jure. l. *non possunt* ff. de leg. c. *cum secundùm* de præben. &c. c. *per venerabilem qui filii sint.*

Petrus Paludanus in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 3. concl. 2. scribit: *dicunt aliqui, quòd quoties recolit de mortali, tenetur dolere, & conteri*, quod est durum, *& videtur falsum, quia præcepta affirmativa &c.* unde potest dici, quòd est verum de debito congruitatis, non necessitatis; vel si intelligatur de debito necessitatis, ponderandum est &c. *Vel potest dici tertiò*, quòd quandocunque recolit homo se offendisse amicum valde dilectum, dolet; & sic Charitas ad hoc inclinat; *& sic facere contra inclinationem Charitatis est mortale peccatum.* Ecce deserit opinionem *duram.*

18. Astesanus lib. 5. tit. 11. med. scribit: similiter, quòd peccator teneatur semper confiteri, quando se offert oportunitas, *videtur valde durum; ideo videtur rationabiliter sentiendum medium, &c.* Lib. 6. tit. 35. art. 7. quæst. 9. docet cum Rod. quòd si ex tempore, ex quo non extat memoria, Laicus hujusmodi, & antecessores ejus quietè, & pacificè tenuerunt eam, (Decimam) recognoscentes eam habere ab Ecclesia, & reddentes debitum obsequium eidem Ecclesiæ..... *præsumendum est benigna interpretatione*, quòd sit de Antiquis. Tit. 43. art. 1. quæst. 6. scribit: Si verò dubitetur, quomodo intendebat, (jurare,) debet intelligi, quòd ultimo hoc modo intenderit, quia *benigna interpretatio* fieri debet, de reg. jur. *Estote*, & jurejur. *ad nostram*. 3. secundùm Hug. Lib. 7. tit. 2. quæst. 1. casu 8. asserit, quòd generaliter dicere, incurri in excommunicationem, si quis non prohibeat, ne Clericus percutiatur, *sit grave*. Tit. 11. art. 1. quæst 38. cum Rodon *benigniùs* dicit, nos teneri ad vitandum excommunicatum in loco, in quo non est denuntiatus tunc solùm, cum possum probare facilè ejus excommunicationem. Lib. 8. tit. 10. art. 4. quæst. 5. relinquit opinionem probabiliorem, *valde duram*, & sequitur aliam securiorem, & saniorem. Opinio est in materia de redditione debiti tempore menstruorum. Vide cap. 12. n. 20.

19. Lyranus lib. 1. Reg. cap. 17. facit quæstionem, an duellum sit licitum. Ponit primam opinionem sustinentium acceptationem duelli, etiam ad defensionem vitæ, & rerum suarum, esse illicitam. De hac opinione sic dicit: *sed ista sententia videtur aliis nimis dura*, propter quod dicunt..... *potest licitè se defendere duellando, non solùm in causa criminali pro vita sua defendenda, sed etiam in causa civili.* Ibidem refert, quòd aderat opinio condemnans indistinctè Reges, & Judices permittentes duellum, & de hac opinione pariter dicit. *Videtur* durum *duella condemnare in omni casu ex parte Judicum.* Ecce respuit expressè duritiem opinionis; & nota illa verba, *propter quod*, quæ significant causam, propter quam Author relinquit illam opinionem, & hæc causa est *durities*. Ergo nos quoque relinquamus *duras* opiniones, & amplectamur benignas.

20. Joannes Nider est expressè pro nobis, & primò par. 3. timor. conscien cap. 11. refert textum illum clarum Glossatoris Raym. quem habet de decimis, & retuli num. 8. in quo dicit, quandam opinionem esse benignam, *& ideò magis amplectendam.* Huic textui nulla responsio imaginari potest. Secundò cap. 20. scribit: Secundùm Epichejam præcepta Dei, & Ecclesiæ, ac Prælatorum *benigniter* interpretari possumus. Nec valet, si dicatur, quòd ejus est interpretari, cujus est condere, esto enim, ut dicit Joannes de Gambaco lib. 14. de consolat. Theol. quòd in foro causarum interpretatio non sufficiat, nisi quæ fieret à Principe; bene tamen sufficit virtus Epichejæ in foro conscientiæ, non solùm circa præcepta humana, sed etiam circa præcepta divina, & tantò magis circa divina, quantò Deus rationabilior est, magisque benignus, quàm quicunque alius Legislator. Unde &c. prima Doctrina est, quòd *inter duram, & benignam* circa præcepta sententiam, *pro benigna* est potiùs, cæteris paribus, interpretatio facienda. Ratio est, quia præcepta

cepta Dei non sunt ad tollendam omnem spiritualem dulcedinem , qualis certè tollitur , quando quis *nimis scrupulosè* præcepta interpretatur , & timidè nimis.. .. Quo circa Christus Matt. 11. dicit *consolando*: Venite ad me omnes, qui onerati estis , & ego reficiam vos. Ubi dici: Beatus Hilarius : legis difficultatibus laborantes , & peccatis sæculi involutos ad se advocat , & postmodum de Jugo Evangelii subdit : *Jugum enim meum suave est , & onus meum leve.*

21. Secunda Doctrina secundùm virtutem Epichejæ est , quòd nec Deus , nec Ecclesia intendit per sua præcepta obligare ad vix possibile alicui ; Unde Sanctus Thomas in 4. dist.17. dicit , præcæpta iuris positivi non se extendunt ultra intentionem præcipientis , quæ est finis præcepti ; hæc autem est Charitas. Et 1.2. quæst.15. dicit , nullus obligatur ad impossibile ; illud autem impossibile , ad quod nullus obligatur , videtur secundùm virtutem Epichejæ *in lege nova*, quæ est perfectæ libertatis , interpretandum non solùm de absolutè impossibili , *nec* (corrige) *sed* de eo etiam , prout dicti Doctoris sonant verba , quod vix est possibile , *utpote nimiam habens difficultatem*, aliàs non apparet , quomodo intelligi possit illud Christi consolatorium , *onus meum leve* : quomodo enim leve dicitur , quòd multùm , aut nimis difficile dicitur ? Hæc omnia refert , & approbat Antoninus par.1. tit.3. cap.10. §. 10. reg.7. qui dicit esse Doctrinam Joannis de Ambr.

22. Vendrochius not.1. in epist.5. sec. 4. §. 11. ait: D. Antoninum , & sic reliquos Doctores , non comparare sententiam minùs probabilem cum probabiliori , sed asperiorem cum mitiori , quæ longè diversa sunt ; benigna enim sententia eadem potest esse probabilior , ac verior.

Sed contra , quia D. Antoninus expressè ait , inter plures opiniones esse complectendam, *cæteris paribus*, benigniorem. Illa verba , *cæteris paribus* , certè significant,quòd illæ opiniones sint æquales in omnibus rationibus , exceptis , *benignitate , & rigiditate* Ergo in probabilitate debent esse æquales. Ergo per Nider , & D. Antoninum potest eligi opinio benignior , quæ sit æqualis cum rigida in probabilitate. Præterea , si opinio rigidior sit probabilior , per Adversarios est de necessitate eligenda. Quando ergo erit præferenda benignitas ? Certè in aliquo casu benignitas est præferenda per hos Doctores ; ergo quando utraque opinio est æqualiter probabilis ; si enim eligeretur solùm , quando opinio est probabilior , tunc non præeligeretur , nec haberet aliquam prærogativam præ rigiditate , quia rigiditas , quando est cum Probabilioritate , est eligenda de necessitate per Adversarios. Hinc hæc responsio mihi videtur esse manifestè contra Nider , & Antoninum.

23. Potest responderi apparentiùs , quòd hi Doctores loquantur de scrupuloso , pro quo permittuntur quædam regulæ benignæ , quæ pro aliis certè non valent.

Sed contra est , quia , si darent regulas solùm pro scrupuloso , tunc ipsi essent valdè scrupulosi ; nam scrupulosi possunt etiam in dubiis sequi quamlibet partem , & possunt uti opinione minùs probabili ; quia eorum mens adeo à scrupulis obtenebratur , ut penè evidentia falsa non videant ; unde regula certa est pro scrupulosis , quòd faciant ea , quæ non sunt evidenter mala. Tum quia arguunt hanc regulam ex illis verbis Christi : *jugum meum suave est &c.* Hæc certè verba non sunt dicta pro solis scrupulosis. Tum quia faciunt hoc argumentum : inter benignam , & duram opinionem benignior est præferenda cæteris paribus ; ergo scrupulosi debent temnere scrupulos ; & sic opinionem benignam eligere. Ecce antecedens est universale, nec coarctatur ad solos scrupulosos ; & , si coarctaretur , argumentum esset ridiculum , & poneretur in antecedenti minus extremum , quod est contra regulas bonæ argumentationis. Dicas , quæso , *inter opinionem rigidam , & benignam , cæteris paribus , scrupulosi debent eligere benignam.* Nonne hoc est illud , quod est

probandum? Ergo debes uti alio medio, ut illud probes. Porro hoc medium est illud antecedens universale, quod medium postea probatur à textu Evangelii, *jugum meum &c.*

24. Lector benignus legat iterum textum ab illis verbis: *prima Doctrina est* &c. & clarè videbit, imbecillitatem Doctrinæ Adversariorum. Perpendat etiam illa verba: *In lege nova, qua est perfecta libertatis*, & videbit, in lege Christiana adesse speciale motivum sequendi opiniones benignas. Præcipuè verò debemus interpretari benignè præcepta Dei, *quantò Deus*, inquiunt allati Doctores, *est rationabilior, & benignior, quam quicunque alius Legislator.* Vides. Adversarii sunt minùs severi in interpretatione legis humanæ, & magis rigidi quoad legem divinam. Nider, Joannes Amb. & Beatus Antoninus oppositum docent. Tu sequere hosce Antiquos.

25 Nicolaus de Orbelliis in 4. dist. 17. quæst. 1. §. 8 cum Scoto tenet, peccatorem non statim teneri ad confessionem, & assignans rationem ait, *quia præcepta pœnalia non sunt amplianda.* Vide, quæ dixi de hoc textu Scotistico. Dist. 25. q 2. §. 19. cum Rodon deserit opinionem D. Thomæ dicentis esse præsumptuosum, si quis petat Beneficium Ecclesiasticum habens curam Animarum; deserit autem illam, *quia videtur dura.* Sic etiam quæst. 9. deserit cum Lyrano duas opiniones de duello, quas retuli, cum de Lyrano egi, & illas deserit, *quia videntur nimis dura.* Sic pariter distin. 32. quæst. 1. §. 5. cum D. Bonav. rejicit opinionem dicentem, mulierem mestrnatam teneri ad reddendum debitum viro instanter petenti; rejicit autem, *quia est valde dura.* Tu ergo ad exemplum Orbellis inter plures opiniones Doctorum famosorum desere opiniones rigidas ob ipsarum nimiam *duritiem*; & quamvis sic faciendo incurras in censuras Probabilioristarum, tamen illas contemne, & credas magno Scotistæ antiquo de Orbellis. Supplementum Pisanellæ. V. *Confessor.* 1. vers. *quòd si confitens fin.* habet illum textum Gloss. Raym. de f n ten. defin. &c. §. 32. V. *ad illam*: quem retuli num. 12. & quem expendet Lector, an nobis faveat.

26. Beatus Antoninus ultra textus allatos supra cum Nider habet alios, qui multùm favent, & scio alios inveniri, sed illorum oblitus sum. Igitur par. 2. tit. 4. cap. 3. *de decimis.* §. 6. refert duas opiniones in illa quæstione, *An milites ex consuetudine exigentes decimas peccent.* Prima erat negativa, & secunda affirmativa, postea scribit. *Hæc opinio*, (rigida nempe,) *videtur secundùm rigorem juris præferenda*; prima tamen benignior, *& efficacior est*; & ideo *ad vitandum animarum periculum expressè est amplectenda ar. de appell.* c. *fin.* Si ille terminus, *efficacior*, non significat Probabilioritatem, tunc clarè Antoninus est pro nobis. Nota tamen diligenter illa verba: *& ideo ad vitandum, &c.* Et videbis evidenter, quòd ad salutem Animarum proficit electio opinionis *benignioris, & efficacioris.* Adversarii conclamant *Rigiditatem* esse maximè utilem ad salutem. Sed illis ne crede. Crede Antonino.

27 In par. 3. tit. 1. c. 20. §. 3. admonet, Confessarium non debere esse facilem ad præcipitandam sententiam, dicendo esse peccatum mortale variationem modi habendi copulam cum uxore. In §. 5. narrat in materia habendi copulam conjugalem tempore mestruorum adesse diversas, & contrarias opiniones Doctorum, addit postea, *propter quod dicit Guil, quòd Confessor in hujusmodi non debet præcipitare sententiam, nec propter hoc debet negare absolutionem nolenti abstinere ab exactione, & redditione debiti in tali tempore.* Quòd in varietate opinionum per Antoninum non sit præcitanda sententia, habetur etiam in sua Summa, quæ *Confessionalis* dicitur de septimo præcepto c. 2. & alibi sæpe. Nota illam causalem, *propter quod*, & videbis nos non debere in varietate opinionum adherere nostræ opinioni rigidæ, ut faciunt Probabilioristæ, & negare absolutionem, aut judicare illos malè facere, sed debere nos conformare opinioni benignæ aliorum; & sic in hoc

casu

casu inter plures opiniones benignior erit eligenda. Eandem hanc Doctrinam de Confessore habet in aliis locis Beatus Archiepiscopus, sed commodiùs suo loco referam. In §. 9. refert opinionem rigidam in materia de conjuge adultero, postea subdit: *circa hanc materiam humanius loquitur Petrus de Palude in 4. sic dicens &c.* Illud verbum, *Humanius*, debet explicari pro, *Benignius*; & sic per Antoninum *benignitas* erit eligenda, & *rigiditas fugienda.*

28. Sed clarè omnino est pro nobis in tit. 13. cap. 4. § 7. Facit ibi quæstionem, *an attentio in horis dicendis sit necessaria.* Sic resolvit: *Quamvis aliqui dixerint, quod sic, ita quod in eis non habens cor ad Deum, sed ad exteriora, peccet mortaliter, propter hoc in fine illius cap. dolentes de celebr. missar. quod præcipitur, dici totum officium studiosè pariter, & devote, & si verbum sit durum, tamen scriptum. Benignior tamen est sententia secundùm Hostien, qui dicit, quod in præcepto est, horas dicere, sed alia, quæ in devotione consistunt, suadendo dicuntur; & hoc est, quod dicit littera ibi, quantum Deus dederit, &c.* Quam, quæso, opinionem credimus complecti Sanctissimum Episcopum? audiamus. *Hunc intellectum teneas, qui benignior est, & quia Ecclesia non debet alicui laqueum injicere 27. quæst. 1. de viduis, nec homines debet Ecclesia oneribus importabilibus alligare 26. quæst. 7. c. alligant.* Meo judicio nequit hic textus aliqua responsione eludi, est enim clarus, & apertus. Igitur, Lector, inter plures interpretationes legis, saltem Ecclesiasticæ, illam sequere, *quæ benignior est*; quia sic obedies Sancto Archiepiscopo Antonino, nec audias clamores Probabilioristarum in contrarium exclamantium.

29. Nescio, an Divus Bernardinus faveat. Illum audiamus tom. 1 feriæ secundæ post Quinquagesimam serm. 3. art. 3. cap. 1. fin. dicentem: Tertio sunt aliæ scripturæ ab Ecclesia dubitatæ, vel non approbatæ, *videlicet aliquæ opiniones diversorum Doctorum, etiam approbatorum, inter se contradicentium in quibusdam, quæ sunt necessaria ad salutem*, sicut patet de Salomone, quem Augustinus opinatur esse damnatum, & Ambrosius illum esse salvum; & sic de multis aliis similibus, de quibus permittit Ecclesia variè sentiendum *tam de Antiquis, quam de doctoribus novis.* Secundùm enim Scotum, & Hostien. quandò sunt diversa jura, & opiniones, quæ tamen non sunt contra Deum, & bonos mores, *cæteris paribus*, humanior est præferenda de transact. c. *fin.* aliàs enim standum est, quæ melioribus nititur rationibus. c. *Capellanus de fer.* Hucusque Sanctus Doctor. Hìc vult definire, quænam opinio sit amplectenda inter varios Doctores, *& quæ sunt necessaria ad salutem.* Et duas conclusiones ponit, quarum Prima est, quòd *cæteris paribus eligenda est humanior.* Hunc terminum, *Humanior*, Ego illum accipio, ac benignior. Et sic apparet, quòd iisdem verbis habet propositionem nostram.

30. Quòdsi dicas, Divum Bernardinum loqui de variis opinionibus, *quæ non sunt contra Deum, & bonos mores*, de quibus nostra quæstio procedit. Contra est, quia cum expresse velit definire de opinionibus, *quæ sunt necessaria ad salutem*, & in quibus variant Doctores, debemus dicere, quòd illa verba: *quæ non sunt contra Deum, &c.* implicitè importent, & sint supplenda per particulam, *Expresse*, sicut Joannes Nider, ubi suprà cap. 11. referens textum Divi Thomæ dicentis quodlib. 3. art. 10. quòd scilicet, *quandò diversæ opiniones Doctorum non pertinent ad Fidem, & bonos mores absque periculo unam sequi possumus*, referens, inquam, hunc textum, illum supplet per particulam, *Expresse.*

31. Ita etiam Holcot in 3. quæst. 1. art. 5. litter. OO. dicit, adorantem Dæmonem ex ignorantia invincibili, quòd sit Christus, non habere errorem periculosum, quia non est *contra Articulos Fidei, nec contra bonos mores.* Certè implicitè hic error est contra bonos mores; ergo Holcot, & sic alii Doctores, quando asserunt, opinionem non debere

bere esse contra bonos mores, supplendi sunt cum ly, *Expressè.*

Sic ergo supplendo Divum Bernardinum, solvit adæquatè difficultatem propositam. Difficultas erat, quænam opinio sit amplectenda, quando Doctores variant *in rebus necessariis ad salutem.* Adæquatè respondetur difficultati propositæ, vel enim illæ opiniones sunt æquè probabiles; & sic *humanior est præferenda*, & hæc est prima Conclusio Sancti Doctoris. Vel sunt inæqualiter probabiles; & sic est sequenda, quæ *meliori nititur rationi*, & hæc est secunda conclusio Divi Bernardini. Quocunque alio modo explicetur, nunquam satisfit adæquatè propositæ quæstioni. Si enim dicatur, in prima Conclusione Sermonem esse v. gr. in materia pænali, ut videtur colligi ex textu c. *final. de transact.* quem refert: Contra est, quia sic non solvit difficultatem de opinionibus tum speculativis Fidei, tum moralibus æquè probabilibus; In secunda enim Conclusione fit mentio solùm de opinionibus habentibus meliores rationes; & sic de opinionibus inæqualiter probabilibus.

32. Dices, nec etiam Divus Bernardinus decidit, quid sit faciendum, quandò quis est dubius inter diversas opiniones; ergo in hoc loco adæquatè non solvit difficultatem.

Sed contra primò, quia admissa hac Doctrina Adversarii sua explicatione faciunt magis mancum Sanctum Doctorem, quàm nos; per ipsos enim duos casus non decidisset, & per nos unum solum. Contra secundò, quia loquitur de ipsis opinionibus, quæ scilicet sit eligenda; unde solùm debet decidere de ipsis opinionibus, & nihil habet de *dubiis.* Opiniones autem aut sunt æqualiter, aut inæqualiter probabiles; & sic plenè satisfit respondendo per duas allatas conclusiones.

33. Dionisium Carthusianum inveni bis amplecti opinionem probabilem, & oppositam deserere tanquam *nimis duram.* Illum retuli cap. 22. num 55. & 56. Recole citationem, & satis erit pro meo intento. Deserit quoque opinionem in 4. dist. 17. quæst. 5. §. *Porro de tempore*, cum Bonav. quòd peccator non statim *semper* teneatur ad Confessionem, ac offertur oportunitas; deserit autem, quia *nimis durum videtur.* Relege etiam nu. 53. & invenies Stephanum Brulifer rejicientem opinionem, *quæ probabilis videtur*, rejicientem, inquam, tanquam, *nimis duram.* Credo hunc textum esse clarissimum. Vide pariter num. 65. ubi invenies Angelum. V. *Confessio.* 5. num. 10. amplectentem opinionem, *quæ benignior*, & forsan illam amplectitur, quia *benignior est*; est tamen verum, quòd illam vocat etiam veriorem; unde videtur hic textus parum favere. In V. *Confessio Sacramentalis.* 1. num. 31. vocat opinionem Scoti asserentis peccatorem non teneri statim ad Confessionem, vocat, inquam, *mitiorem*; Subdit tamen, esse magis tutam opinionem oppositam Divi Bonaventuræ.

34. V. *Clericus* 10. num. 2. ex duabus opinionibus sequitur unam, quia est, *æquior*, ita & V. *Feudum* num. 25. & sic quia est mitior. Vide supra numer. . . V. *debitum conjugale* nu. 1 vocat opinionem Rodonensis *nimis duram*, qua tenet indistinctè esse peccatum mortale petere debitum conjugale ante benedictionem Sacerdotis. Sic etiam num. 25. jubet, *ne præcipitemus sententiam* in condemnando conjugatos, qui variant mòdum naturalem in copula matrimoniali; ergo vult, quod non sequamur sententiam rigidam. V. *detractio* num. 3. ait, *Scotus verò dicit*, quod videtur durum *dicere, quod exeat genus peccati venialis, quando ex inconsideratione talia refert.* V. *Ignorantia* nu. 4. credit, excusari à culpa, & à pæna illos, qui non sunt ignorantes ignorantia crassa, & supina; etenim *durum esset* dicere, quòd peccet mortaliter, qui facit secundùm subtilitatem juris contractum illicitum, credens licitum. V. *Filius* num. 18. ait, quòd nomine, *Filii*, si non apparet mens testatoris, quando agitur de commodo, veniunt etiam naturales, *& hoc ex benigna interpretatione potiùs, quàm ex propria significatione*

gnificatione, &c. Lector, sequere Angelum relinquentem opiniones, quia sunt *dura*, & amplectentem interpretationem, etiam impropriam, & hoc *ex benigna interpretatione.*

35. Gabriel Biel in 4. dist.15. quæst.13. litt. R. dub.6. refert duas opiniones in materia de restitutione lucri habiti per ludum prohibitum. Prima erat affirmans rigida. De secunda sic dicit. Verùm alii, quibus consentit Baptis. & Angel. in Sum. *mitiùs dicunt, &c.* Ergo, Lector, inter plures opiniones amplectere mitiorem sequendo exemplum *profundissimi* Biel. Vide ipsum litt. K.

36. Nicolaus Barriani in suis discuribus prædicabilibus in domin.2. quadrag. quæst.27. rejicit opinionem asserentem, peccatorem teneri statim ad Confessionem, *ut nimis duram.* In 3. argumento sic scribit: De senten. & re judic. in 6. scribitur: Odia restringi, favores convenit ampliari, & quòd in pœnis benignior interpretatio est facienda. Illud autem præceptum de Confessione est maximè odiosum, & pænale; non enim modica pœna est verecundia confitendi omnia propria peccata alicui homini; Ergo potiùs restringendum est ipsum præceptum, quantùm patitur virtus, & proprietas sermonis ipsius, quàm ex ejus proprietate ampliandum; *ac per hoc benignior interpretatio ejus est facienda*, quæ non est ipsa opinio, *cum sit nimis dura;* imo videtur importabilis, ut statim patebit; sed ipsius opinionis contradictorium est benignior interpretatio ipsius præcepti; *Ergo juxta benignitatem juris canonici tenendum est contradictorium ipsius opinionis*; ac per hoc *ipsa est contra juris Canonici benignitatem.* Subdit textum Evangelii: Jugum meum suave est, &c. inde infert, præceptum Confessionis esse suavissimè, & levissimè interpretandũ. Hæc eadẽ dico in nostro casu. Nota secundum hunc Doctorẽ, illud dici præceptum pænale, quod importat magnam difficultatem illud exequendi. Adversarii volunt illud esse præceptum pænale, quod imponit transgredienti aliquam pœnam; unde per interpretationem Adversariorum axioma illud Canonicum: *Odia restingi &c.* nimis restringitur, & in paucis materiis verificatur, sed sequamur dictum Barriani tanquam magis benignum, & ampliativum regulæ Canonicæ.

37. Panormitanus in cap 1. de celebr. Missar. num 8. refert opinionem asserentium, quòd omittens dicere officium teneatur restituere fructus Beneficii, postea subdit: *sed hæc opinio* est nimis rigida, *nec eam sequitur Do. Cardi. dicens, quòd jure non probatur &c.* quod dicit Panormitanus in hoc casu, nos dicemus de aliis opinionibus severis; & quia ibi Doctor solvit rationes opinionis rigidæ, nos ad ejus imitationem solvemus rationes opinionis rigidæ, quas quidem poterimus solvere, nam, si essent insolubiles, tunc opinio benigna non esset probabilis, sed certò falsa; quia ratio insolubilis est necessariò vera. Vide caput antecedens num.60. ubi invenies Hostiensem, Joannem Andream, Henricum Boic, & Butrium amplectentes illam opinionem benignam, quòd non obligemur ad attentionem in horis Canonicis, quia est opinio *benigna*; deserunt autem oppositam, quia *durum esset hoc ponere in usu præcepti.* Alibi etiam retuli, & referam textus, in quibus Antiqui amplectuntur suas opiniones, *quia sunt benignæ.*

38. Hoc Antiquorum axioma de benignitate sequenda, & rigiditate abjicienda puto fundari in Doctrina Beati Augustini Epist.119. cap.19 relata in c. *omnia* 12. dist. ubi Sanctus Doctor conqueritur, quòd, *cum Christus fundaverit Religionem* in paucissimis, & manifestissimis *celebrationum Sacramentis, alii velint illam humanis præsumptionibus subjicere.* Ergo multiplicatio præceptorum est contra institutionem Christi *in lege nova* secundùm Augustinum; præcipuè si hæc multiplicatio non est *manifestissima.* Si benignitas Christi, si *Misericordia Dei* voluit nos subjicere *manifestissimis celebrationum Sacramentis;* Cur nos in casu obscuro, in quo æqualiter possumus negare præceptum, obscuris interpretationibus subjiciemus Christi fideles? *Nulla ratio*

ratio juris, aut æquitatis benignitas patitur, inquit Jurisconsultus l. *nulla* ff. de leg. laudatus à D. Thoma 1.2. quæst.96. ar.6. & dixi n.3. *ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum perducamus ad severitatem.* Item eod. l. *benigniùs* dicitur: *Benigniùs leges interpretandæ sunt, quò voluntas earum conservetur.* Glossa exponens illud verbum, *Benigniùs*, ita scribit: Duobus modis expone: primò benigniùs, *quàm verba patiantur.* Secundò impropriè, idest *benignè.* Ecce leges ita debemus interpretari *benignè*, ut etiam hanc benignitatem verba legis non patiantur. Ego subsumo, sed quando utraque opinio est æqualiter probabilis, tunc verba legis illam benignitatem patiuntur, ut est evidens; ergo tunc debemus sequi illam interpretationem benignam.

39. Nec dicas, hanc legum benignitatem valere in legibus pœnalibus, non verò in legibus non pœnalibus; nam contra est primò, quia sic saltem in legibus de excommunicatione, suspensione &c. deberemus sequi opinionem benignam. Secundò, hæc interpretatio est contra ipsas leges; nam Legislator in illo titulo non agit de legibus pœnalibus, sed de legibus in communi, & vult tradere regulam, quomodo suæ leges, quas conditurus erat, essent interpretandæ. Tum quia leges in dubio sunt interpretandæ juxta tenorem tituli l. *imperator ff. de in diem adject.* Cum ergo titulus sit de legibus in communi; Ergo interpretatio debet esse de lege in communi.

40. Nec valet iterum dicere; hanc benignitatem valere pro foro fori, non vero pro foro conscientiæ. Sed contra, quia, si Legislator interpretaretur suam legem, tunc certè *benigniùs* interpretaretur, & hæc interpretatio benignior valeret pro utroque foro, cum esset ipsa lex, *quod* siquidem *Principi placuit, legis habet vigorem.* l. 1. ff. de *constit. Principum.* ergo etiam interpretatio benigna facta à Prudentibus debet valere pro utroque foro, quia hæc interpretatio est juxta mentem Legislatoris. Tum quia interpretatio benigna est *juxta* Canonem, per quos jubetur c. *erit autem.* 4. dist. ut lex sit manifesta, *ne aliquid incautum per obscuritatem captione contineat.* Ecce expressè lex Ecclesiæ, & sic lex tangens Animam, debet esse *manifesta.* Nunquid lex, quæ per æqualem probabilitatem astruitur, erit *manifesta?* Nonne lex per æqualem probabilitatem asserta per obscuritatem continere potest aliquid incautum? Tum quia Ecclesia vult suas leges esse manifestas; Item potest manifestè explicare suam voluntatem. Item leges non omnes casus continere debent. l. *neque leges.* l. *non possunt.* ff. de leg. & observat D. Thomas ubi supra ad 3. Ego ex his eruo duas consequentias; ergo saltem casus obscuri non continentur sub lege. Ergo in casu obscuro interpretatio debet fieri contra Legislatorem, juxta illam regulam jur. in 6. cap.67. interpretatio est facienda contra eum, qui poterat apertiùs loqui.

41. Claudo hoc caput textu Guilelmi Paraldi, Ordinis Patrum Prædicatorum, Episcopi Lugdunensis. Hic ergo celeberrimus Theologus in sua summa *Virtutum, ac Vitiorum* tom. 1. tract. de prudentia cap.5. §. *De duodecim, quæ juvant ad hoc, ut aliquis debitè doceat* num. 12. tradit cum August. lib.4. de Doctr. Christiana, Doctorem tria debere observare in suis scriptis, scilicet, *ut doceat, ut delectet, ut flectat.* Ita etiam docet D. Thomas. 2.2. qu.177. art.1. Si Doctor debet delectare, nunquid rigida debet docere? Delectatio per D. Thomam 1.2. quæst.31. art 1.3. quæst.35. art.1. est in appetitu sensitivo, & intellectivo; Fit verò delectatio per conjunctionem ad bonum conveniens ex qu.32. Nunquid rigida sunt bona, & convenientia? ex ipsa apprehensione Rigidi, statim natura se retrahit, & refugit.

42. In tom.2. tract. de superbia c.38. §. *de peccato indiscretè præcipientium* ait: Item indiscretè præcipit, *qui nimia, vel nimis gravia præcipit Matth.23. alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum &c. Act.15. quid tentatis Deum, jugum imponere super*

per cervices discipulorum, quod nec nos, neque patres nostri portare potuimus? In §. seqq. pluribus argumentis hic benignissimus Episcopus conatur demonstrare Prælatis, ne sint proni ad danda nova præcepta. Si superiores ergo non debent *nimia, & nimis gravia præcepta dare*, cur Probabilioristæ, quando æqualiter possunt nos liberare à præcepto, nos præcepto rigidissimè subjicient? Si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus vult apparere. 26. quæst. 7. c *alligant?*

43. Probabilioristæ, & Sicuristæ totis viribus nituntur arctare viam salutis, & reddere difficilia mandata Naturæ, Dei, & Ecclesiæ; Hinc afferunt illud Matth. 7. quam arcta via & angusta est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. Idem dicit Lucas. c. 13. Quod si nos afferimus contra cum Nider, & aliis Antiquis illud *Consolatorium* Matth. 11. *Jugum meum suave est, &c.* statim Glossant illud cum August. de Nat. & Grat. cap 69. Legem novam esse quidem levem *amanti*; sed *gravem* non amanti. Hanc explicationem approbat Angelicus 1. 2. quæst. 107. art. 4. & pro ipsa alios Patres affert Fogarinus par. 4. disp. 3. sec. 7. num. 79. & seqq.

44. Sed contra, quia, quamvis *Lex nova* sit gravis *non amanti*, est tamen levior lege Veteri, quia habet pauciora præcepta, quam vetus; hinc dicebat Augustinus relatus num. 38. Christum in paucissimis, & manifestissimis celebrationum Sacramentis suam legem constituisse; Ipsa quoque præcepta, quæ dedit sunt faciliora; nam certè Baptismus est Sacramentum faciliùs, quàm circumcisio. Quòd Lex nova sit levior veteri patebit expendenti allatum textum Matth. 11. & interpretationem Hilarii allatam à Nider, & D. Thoma locis citatis. Relege Nider num. 20. & 21. & pondera bene illa *verba: Videtur secundùm virtutem Epicheiæ* in Lege Nova, quæ est perfectæ libertatis, *interpretandum non solùm de absolutè impossibili, sed de eo etiam prout dicti Doctoris* (D. Thomæ) *sonant verba, quod vix est possibile, utpotè nimiam habens difficultatem.* Vide cap. 16. à nu. 4. & cap. 11. num. 39.

45. Dices cum eodem Fogarino par. 3. disp. 3. num. 208. Alexander in suo decreto condemnatorio asserit, qui incedebat per illas propositiones damnatas, incessisse *per latam & spatiosam viam*; & tamen multæ ex illis propositionibus judicabantur probabiles. Ergo, qui procedit per viam benignam, quando rigida est æqualiter probabilis, procedit per viam latam, & spatiosam.

Quæro à Fogarino, an Antiqui iverint per viam latam, & spatiosam damnatarum propositionum? Si negat, loquitur contra illud Decretum, in quo dicitur, partem illarum propositionum esse *Antiquatam*. Ergo pars illarum opinionum tradebatur ab Antiquis. Igitur & Antiqui, & Moderni iverunt per latam, & spatiosam viam. Et sic nego, quòd Probabilitas fuerit causa illius itineris, & hoc Adversarii coguntur dicere, cum Antiquitus non daretur Probabilitas. Igitur causa mali itineris est imbecillitas ingenii humani, quod non bene applicat prima principia materiis particularibus.

CAPUT XXX.

Æqualis Probabilitas stabilitur Rationibus.

1 Divus Thomas quodlib. 4. art. 18. facit quæstionem, an Theologia sit determinanda in suis quæstionibus per Authoritates, an per rationes. In fine sic concludit: *Si nudis authoritatibus Magister quæstionem determinet, certificabitur quidem Auditor, quia ita est, sed nihil scientiæ, vel intellectûs acquiret, sed vacuus abscedet.* Usque modo meam Conclusionem authoritatibus probavi, & meo judicio ita efficacibus, ut sperare possim, Lectores meos edoctos fore, *quia ita est*, Si Antiquis fides est adhibenda. Quia tamen non sum ego ingenii, & genii Adversariorum, qui præcipuam

cipuam curam navant in afferendis Authoritatibus pro suis dictis; & propter hoc forsan dicebant, nostram opinionem non fundari in scriptura, Traditione, Sacris Canonibus, & Patribus; & ideò reiciendam. Ideo pro mea sententia nunc afferam rationes, ut mei Lectores, si possibile est, *aliquid scientiæ, vel intellectùs acquirant, nec vacui abscedant*, ut dicebat rationabiliter Angelicus Præceptor in suis decisionibus, & ut; meo judicio, dicent omnes amantes veritatis.

2. Hic notabis, D. Thomam præferre modum solvendi quæstiones Theologicas per rationes modo illas decidendi per Authoritates; hinc Modernos malè damnari dices à Probabilioristis ex eo, quia in solutione casuum moralium per rationes ut plurimùm procedunt. Moderni volunt, acquirere aliquid scientiæ in his materiis, qui finis habetur ex D. Thoma per rationes; cur damnantur ab Adversariis? si hic modus non placet ipsis, parùm refert, sufficit laudari ab Angelico, & ab eodem præferri.

3. Igitur probo, quòd licitè possimus inter plures opiniones æqualiter probabiles in moralibus eligere, *quam volumus*. Primò, quia nulla datur lex, quæ nos obliget ad sequendam opinionem rigidam; ergò licitè possumus sequi, *quam volumus*. Consequentia tenet, quia, ut actio sit peccaminosa, debet esse contra aliquam legem; hinc dicebat Apostolus ad Rom. 3. per legem cognitio peccati, cap.4. ubi non est lex, nec prævaricatio; cap.7. peccatum non cognovi, nisi per legem, 1. Cor. cap.15. virtus verò peccati lex, & D. August. definiebat peccatum, est dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei æternam, & lib.2. cap.16. *de peccatorum meritis, & remissione* dicebat: neque peccatum erit, si quid erit, si non divinitus jubeatur, ut non sit, & D. Ambrosius *de Paradiso*. cap.8. scribit: quid est aliud peccatum, nisi legis Divinæ prævaricatio, & cælestium præceptorum inobedientia? Hac Doctrina est adeo vera, ut à nullo negari possit. Est quidem in quæstione, an hæc contrarietas ad legem sit de ratione formali constitutiva peccati, ut volunt Scotistæ cum Doctore Subtili in 2. dist.37. & D. Bonav. dist.35. dub.4. de quo vide Mastrium in 2. disp.6. quæst.3. art.1. Difficultas ergo restat in probatione antecedentis, quod tamen facile est. De lege humana est plusquam certum, cum in corpore juris Canonici hujusmodi lex non inveniatur; maximè cum lex humana debeat esse manifesta, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat 4. dist. c. *erit autem*, c. *fin.* de const. Item nec datur in Scriptura præceptum Divinum, nec natura hoc nobis dictat, ergo in hoc casu nulla datur lex, quę nos obliget ad sequendam opinionem rigidam.

4. Hic modus argumentandi est Antiquorum, quos nunc non recordor, nisi Nicolai Bariani *discur. prædicab.* Domin. 2. concl.1. ubi subdit hæc, quæ vellem, Adversarios semper habere in mente: *Sancti Doctores hanc diligenter observant regulam, quòd nunquam audeant asserere aliquid esse de necessitate salutis, nisi probent illud cadere sub præcepto Dei, aut Ecclesiæ.* Imo talem regulam observat Conditor juris Canonici, qui in talibus semper se refert ad legem Divinam utriusque testamenti, ut in c. *super eo de usur.* & in plerisque aliis. Quòd si de Conditore juris Canonici dubium sit &c. Certum, quòd Sancti præfatam regulam diligentissimè servant. Unde Hieronymus super Matth *quod de Sacris*, inquit, *litteris non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur, quà probatur, quod maximè, & solùm in pertinentibus ad æternam salutem veritatem habet.* Ecce nostrum *argumentum* est Sanctorum.... Vide cap 11. num.39. & Cap.16. num 40.

5. Dicunt Adversarii, adesse legem Canonicam in pluribus locis, *in dubiis tutiorem partem esse eligendam.* Adesse pariter legem divinam, *Veritatem solum nos liberare.* Adesse etiam legem naturalem, quòd *sit fugiendum periculum peccati.*

Sed contra ad primum, quia debent monstrare, in Sacris Canonibus adesse

hanc

hanc veritatem, quòd nempe intellectus *positus inter duas opiniones æqualiter probabiles sit dubius*, ut malè ipsi judicant. Si afferent Canonem sic decidentem, tunc actum erit de nostra opinione, & meum argumentum evidenter erit falsum. Vide cap. 6. num. 33. & 63. Tum quia hæc responsio tolleret argumentum Barriani, & Sanctorum; diceremus enim, quamvis in illa materia determinata, v. gr. de statim confitendo post factum peccatum, non adsit præceptum directè hoc præcipiens, adsit tamen reflexè mandans; quatenus nempe, cum non detur Decisio quæstionis clarè, hinc materia est obscura; & sic dubia; & sic in dubiis tutior pars est eligenda. Ad secundum alibi sæpe ad satietatem respondi, & clarissimis exemplis Sanctorum, & aliorum Antiquorum demonstravi, ipsos variare in opinionibus, etiam juris naturalis, quæ varietas necessariò importat falsitatem; atque adeo etiam falsitas (in materia tamen obscura) nos salvat. Ad tertium, periculum peccandi in opinionibus repertum esse materiale, & non formale; & sic non esse ponderandum. Vide cap. 3. num. 63. Adversarii possunt dare alias responsiones nostro argumento, sed solutæ sunt cap. 5. à num. 3. & seqq.

6. Probatur secundò. In materia morali possumus licitè quoad speculationem defendere quamlibet opinionem ex pluribus æquè probabilibus; ergo & in praxi licitè possumus qualibet uti. Consequentia tenet, nam solùm Verum possumus defendere, & solùm Vero potest intellectus assentiri. Ergo, si possumus in hoc casu verè tueri, quòd nullum detur præceptum, voluntas poterit adhærere bono repræsentato per intellectum. Tum quia, si intellectus verè judicat, non dari præceptum, si voluntas faciat illum actum, jam non facit actum contrarium legi; & sic actus ille non erit malus. Antecedens probatur, quia possum tueri partem rigidam, quòd detur præceptum; Ergo etiam partem benignam, quia habet motiva æqualia in virtute movendi. Quòd verò pars rigida non habeat periculum peccati, non facit, quòd sit verior, & efficacior ad movendum, quòd detur præceptum, nam potest dari immunitas, & impossibilitas ad peccatum in materia, in qua sit certum non dari præceptum. Ergo non habere periculum peccati non est motivum trahendi intellectum ad judicandum in aliqua materia adesse præceptum. Præterea vel rigiditas opinionis reddit illam probabiliorem, vel relinquit illam in æquali probabilitate. Si primum, ergo in materia morali non dantur opiniones æqualiter probabiles contra suppositum. Si secundum; ergo non datur major ratio, cur intellectus assentiatur uni, & illam defendat, non verò alteram, nam sola veritas movet intellectum. Hinc Adversarii in materia morali æqualiter probabili ita se gerere deberent, & dicere: ***In hac materia nullam partem intellectus potest tenere, & defendere; & hinc voluntas debet se gerere, sicut dum intellectus est dubius, & neutri assentitur.*** Si ergo ipsi nedum in praxi in hoc casu sequuntur partem rigidam, sed in speculatione defendunt, defendant quoque in speculatione partem benignam; & quia veritatem in moralibus sequitur bonitas moralis; ideo utantur etiam in praxi opinione benigna.

7. Probatur tertiò. Quando utraque pars est periculosa, licitè possumus sequi quamlibet ex pluribus æquè probabilibus, ut est evidens, & colligitur ex *C. nervi.* 13. dist. & dicebat Major. quæst. 2. prolog. in 4. concl. 4. Ergo etiam, quando una est periculosa, alia verò non. Consequentia probatur, quia, quòd utraque sit periculosa non reddit unam probabiliorem altera, ut est evidens: Ergo quòd utraque sit periculosa, non facit, quòd intellectus possit potiùs se determinare in hac materia, non verò in materia, in qua utraque non est periculosa; nam sola veritas est objectum intellectûs, & hoc præcipuè valet apud Adversarios dicentes, *solam veritatem nos salvare.* Præterea per Adversarios quando utraque est æqualiter probabilis, intellectus est dubius,

bius, & indeterminatus. Ergo in hoc casu intellectus ad neutram determinabitur, quià nihil datur in una parte, quod non detur in alia. Ergo, si in hoc casu licitè se determinat, se determinabit etiam licitè in alia materia, in qua utraque pars non est periculosa. Hoc exemplum de utraque parte periculosa duo probat evidenter, primum, quòd intellectus existens inter duas opiniones æquè probabiles non sit dubius. Secundum, quòd *ex passione Animi*, ut dicebat Major. §. *tertio arguitur: non potest*, intellectus existentes inter motiva æqualia possit determinari ad unum.

8. Dices, quando utraque pars est periculosa, tunc cogimur unam sequi; nemo autem potest cogi ad peccatum; in casu autem, in quo una pars non est periculosa, tunc liberè adhereremus parti benignæ; & sic, si hæc pars esset contra præceptum, liberè faceremus contra præceptum; atque ita peccaremus.

Sed contra est, quia saltem in scholis tunc non cogimur tradere vel unam, vel alteram partem; unde possumus nullam docere; ergo, si unam docemus, liberè docemus; ergo, si illa pars est contra præceptum, liberè docemus contra veritatem; atque adeo peccamus. Quòd si dicant non committi peccatum, quia Doctor credit, illam partem esse veram; contra est, quia ratio periculi non reddit illam partem esse probabiliorem, ut dicebam, sed relinquit illam in æquali probabilitate; ergo etiam amplectendo partem benignam æqualiter probabilem Doctor poterit credere, illam esse veram. Præterea si cogimur ad sequendam unam in praxi; ergo nos ponere in periculo peccati in materia probabili non est periculum formale peccati; sed tantùm materiale; atque adeo non est æstimandum. Consequentia probatur, quia, quod cogamur à malitia hominum ad aliquod malum, nullum est absurdum, quia malitia hominum dependet à libertate; hinc nullum est absurdum, quòd Petrus vi me cogat ad occidendum Paulum. Ast grande absurdum est, quòd natura me cogat ad aliquod, quod aliàs in se sit malum, & si illud liberè ponerem, esset peccatum mortale. Nam natura non deficit in necessariis, ut est commune axioma philosophicum; ergo, cum sit necesse fugere peccatum, in casu de utraque parte periculosa natura debuisset, me docere modum fugiendi partem, in qua esset peccatum. Ergo, si Natura talem modum non me docuit, est signum evidens, quòd ponere nos in periculo peccati in materia probabili sit periculum materiale solùm, non formale, nec à prudenti viro considerandum; atque adeo nec erit ponderandum in materia ex una sola parte periculosa. Præterea, si per plures Adversarios, præcipuè Vendrochium, per orationem possumus devenire in cognitionem conclusionum obscurarum, & remotarum à primis principiis; Ergo in materia in utraque parte periculosa non cogimur ad partem, in qua est verè periculum peccati, sed liberè illam eligimus. Ergo cum D Thomas oraverit ferventissimè pro invenienda veritate, & docuerit plures opiniones in materia ex utraque parte periculosa, si falsum docuit, peccavit mortaliter. Vel si D. Thomas non peccavit mortaliter, peccavit mortaliter Scotus, qui oppositum tradidit. Vide cap. 5. num. 26, ubi tradidi hoc argumentum, & invenies solutam aliam responsionem Adversariorum.

9. Probatur quartò. In quæstionibus speculativis, theologicis æqualiter probabilibus possumus licèt quamlibet ex illis eligere; Ergo etiam in moralibus. Antecedens jam alibi probatum est authoritate D. Thomæ, Bonaventuræ, Alberti, Alensis, Ægidii, & aliorum Antiquorum dicentium, etiam in materia de Notionibus divinis, posse nos variè opinari *ante decisionem Ecclesiæ, & ante investigationem, per quam scimus, & videmus veritatem rei*; quando autem utraque pars est æquè probabilis, nec scimus, nec videmus veritatem. Probatur adhuc antecedens, quia non datur præceptum de scienda veritate in illis materiis, *aliter*, dicebat Major, concl. 2. *Augustinus, & Hieronymus peccassent tenentes* con-

contraria in materia fidei; v. gr. an vivi in Judicio morientur, & postea resuscitabuntur; Hieronymus enim *partem negativam tenuit, & Augustinus affirmativam. Item Hieronymus ad Oceanum dicit, quòd uxorem habens ante baptismum, si ipsa post baptismum moriatur, aliam ducens non est bigamus. Oppositum dicit Augustinus super epistolam ad Titum, & recitat Gratianus.* 26. dist. c. *unius*, & c. *acutius. Sic etiam Augustinus tenuit psalmos fuisse à variis compositos. Oppositum docuit Hieronymus.* Hactenus Major. Consequentia probatur, quia nec etiam in moralibus æquè probabilibus tenemur scire veritatem; impossibile est enim in obscuris nos posse scire veritatem; si non tenemur autem scire veritatem, falsum dicendo non peccamus, quia ubi nulla obligatio, ibi nullum est peccatum. Hoc argumento, & paritate de cognitione speculativa Sacra ad moralia utitur D. Antoninus cum Gersone, ut alibi dixi.

10. Dices primò: quando in re Sacra speculativa adest dubium, tunc nullum datur præceptum; atque adeo possumus sequi, quam volumus; at in dubiis moralibus adest præceptum de tutiore sequenda.

Sed contra. Quando in materia Sacra speculativa datur dubium negativum, ita ut nullum detur fundamentum pro aliqua parte, tunc certè non possumus aliquid determinare, & essemus temerarii; unde eadem facilitate negaretur, qua diceretur. De hoc vide D. Thom. Opusc. 12. quæst. 1. & 5. Si verò in hac materia datur dubium positivum, idest argumentum probabile pro utraque parte, tunc possumus opinari, quod volumus, & in hoc casu datur licitè varietas in opinionibus. A pari ergo nos dicimus. In re Sacra dubia morali, si dantur argumenta efficacia pro utraque parte, possumus eligere, quod volumus, nec adest præceptum; quia, ut alibi dicebam, Veracitas Divina non minus obligat, ne dicamus aliquid ipsi contrarium, ac obliget Lex Divina, ne aliquid contrarium faciamus.

11. Dices secundò, nos non peccare contra veritatem, sed contra prudentiam, quia non debemus nos ponere in periculo peccandi, quando possumus illud cavere juxta illud: *qui amat periculum, peribit in illo;* cum ergo possimus in moralibus sequi partem, in qua nullum est periculum peccati, debemus illud periculum cavere; & aliter faciendo contra prudentiam operamur; Hinc dicit Major, non ob aliud Francorum Reges pontem Sancti Clodovaldi super Sequanam non pertranseunt, & Anglorum Reges non ingrediuntur Oxoniam.

Sed contra est, quia periculum peccandi in materia probabili est tantùm materiale, non formale, ut dicebam; & sic nec à prudenti ponderandum; sicut in speculativis Sacris periculum dicendi aliquid contra revelationem Divinam non consideratur, quando sumus in materia probabili, & aliàs possumus illud periculum cavere nihil determinando in illa materia. Ratio est, quia objectum intellectùs est veritas; cum ergo in nostro casu æquè reperiatur in parte periculosa, & non periculosa, æquè intellectus vel poterit sequi quamlibet ex illis, vel neutram. Ad illa exempla illorum Regum dico, nimis probare; probant enim, quòd nec in speculativis Sacris possemus adhærere uni opinioni, quia adest periculum dicendi contra revelationem Divinam. Igitur non quodlibet periculum vel faciendi contra legem, vel dicendi contra revelationem Divinam obligat nos, ut illud caveamus; nam etiam Major fatetur, quòd D. Hieronymus tenuit illum uxoratum non esse bigamum; & tamen revera erat bigamus, & hæc opinio erat moralis, & est falsa. Sic etiam fatetur, Hieronymum, & Augustinum in materia fidei obscuræ tenere contrarias opiniones; & sic aliquas esse falsas; quin concedit ipse, illas falsas esse hæreses, ut patet §. *contra secundam conclusionem.*

12. Ibidem hic Doctor dat responsionem suo argumento. *In jure Divino,* inquit ipse, *quod quis scire tenetur, pro*

tempore, quo scire tenetur, non cadit ignorantia invincibilis, aliàs bene cadit ignorantia invincibilis *habendo tam ignorantiam pravæ dispositionis, quàm puræ negationis.... Illud verbum Apostoli* (ignorans ignorabitur) 1. *Cor. cap.* 14. *Glossa Interlinearis exponit de mandatis Dei*, quæ quis scire tenetur, *& sic intelligantur similes authoritates.* Ergo per Majorem aliquando non tenemur scire jus divinum; & sic tunc faciendo contra illud jus, non peccamus; & sic multò minùs peccamus, si nos tunc ponemus in periculo transgrediendi illud. Hinc patet evidenter, Adversarios non bene arguere, dum dicunt: facere hoc est periculum transgrediendi legem; ergo debemus illud periculum cavere; non, inquam, bene arguunt, nam debent probare adesse obligationem vitandi illud periculum, non enim omne periculum est vitandum, nec quæcunque transgressio legis Divinæ est peccatum, sed solùm periculum formale, & proximum, non materiale, & remotum est vitandum, & sola transgressio legis claræ est peccatum, non verò legis obscuræ, hanc enim adesse, scire non tenemur; nam dantur mandata Dei juxta Majorem, *quæ scire non tenemur*, & hæc dicimus esse, quæ obscurè proponuntur. Hinc alibi dicebamus ex Doctore Angelico, illorum ignorantiam esse invincibilem, & sic inculpabilem, quæ scire vel non possumus, *vel non tenemur*, ut est lex obscurè proposita, & de qua datur opinio probabilis, quòd non detur. Exempla illorum Regum nimis probant; nam, si judicarent certò in illis itineribus nullum adesse periculum, si tamen ex parte objecti adesset, illi Reges perirent; E contra in moralibus, si certò crederent, nullum fore periculum in illa materia, si tamen ex parte objecti adesset, nullum Animæ periculum subirent; hinc Sancti, & Antiqui, qui falsa in moralibus docuerunt, non per hoc peccarunt, & salvati sunt, ut centies repetebam. Igitur disparitas evidens est, quia salvatio itineris materialis non pendet à cognitione, sed à causis naturalibus, quæ aliquando diverso modo se habent, ac à cognitione judicantur: salvatio verò itineris spiritualis dependet à cognitione, & conscientia, quæ est proxima regula humanorum actuum, ut cum Angelico præceptore, & Theologis alibi notabam. Ergo, ut iter sit bonum, sufficit, ut conformetur cum cognitione; hinc D. Thomas 1.2. quæst. 19. art. 6. & quodl. 8. art. 15. admittit, errorem conscientiæ aliquando excusare, cum scilicet est eorum, quæ scire vel non possumus, vel non tenemur.

13. Probatur quintò. Cap. 5. & alibi pluries probavimus evidenter, voluntatem posse flectere intellectum ad unam partem ex æquè probabilibus, sive speculativis, sive moralibus; quando autem intellectus amplectitur unam partem, est determinatus ad illam; & sic ampliùs non est dubius, ut patet ex cap. 6. per Antiquos, & per modernos, & est per se notum; ergo tunc non valet illa regula, quam adeo exagerant Adversarii: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Relege caput quintum, & sextum, & videbis, Adversarios huic argumento nihil posse respondere.

14. Dices, modus, per quem intellectus flectitur ad unam partem in casu, est, quatenus priùs solvit rationes unius partis, quibus solutis intellectus adhæret oppositæ; sic procedit D. Thomas, quando in materia de creatione Mundi, & aliis speculativis amplectitur utramque partem. Eodem modo procedit Richardus, dum tam sæpe dat libertatem sequendi inter plures, *quam volumus.* Porro hic modus reddit unicè probabilem illam partem, quam sequitur; nam, quando una pars habet rationes solutas, illæ rationes sunt nullæ; atque adeo amplius illa pars non est probabilis.

15. Vellem scire ab Adversariis, an hic modus amplectendi unam partem ex pluribus æquè probabilibus per solutionem argumentorum partis oppositæ ipsis placeat. Si dicunt, quòd sic; Lis est finita, & pax erit æterna. In hoc convenimus, quòd in speculando, & in scholis, *etiam in moralibus*, possumus sequi,

qui; *quàm volumus.* Difficultas est quoad usum. Sed ecce pax. Probabilistæ volunt eligere benignam. Jam per hunc modum talis electio conceditur, & semper conceditur, quia rationes probabiles semper possunt solvi, & ratio insolubilis est evidens, ut pluries dicebam; hinc Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 5. de secunda opinione, quæ probabilior erat, quàm prima, dicebat, habere *rationes solubiles.* Ergo Probabilistæ habent, quod volunt. Probabilioristæ etiam habent, quod volunt; nam ipsi nequeunt concedere, & nolunt, quòd stantibus motivis æquè probabilibus intellectus possit licitè sequi partem benignam. Jam Probabilista ipsis satisfaciunt; unde priùs solvunt rationes partis rigidæ; & sic una sola pars habet rationes probabiles. Ergo Probabilioristæ habent, quod volunt. Ergo jam facta est pax inter Probabilioristas, & Probabilistas quoad æqualitatem Probabilitatis. Sed pax quoque fiet quoad inæqualitatem Probabilitatis; siquidem ratio quoque probabilior potest solvi, ut alibi pluries probabam. Meis Comprobabilistis durus non debet videre hic modus pacem componendi; si enim omnia pacem appetunt, ut dicunt D. Dionysius de Divin. nomin. cap. 9. & D. August. lib. 39. de Civit. Dei cap. 13. & probat evidenter D. Thomas 2. 2 quæst. 29. art 2. Homines, maximè Theologos, pacem appetere, necesse est. Ergo, si in nostro casu possumus ad invicem pacem inire, cur refugiemus? Jam transierunt centum triginta, & plus anni, quibus inter Theologos hæc contentio acerrimè viget, & utrimque totis viribus decertatur; si hæc pugna finiri potest, cur non finietur? maximè cum pax sit finis bellantium, ut dicit Doctor Angelicus ibidem ad 2. & observat cum Canonistis in rubr. de treg. & pace Bellamera. cap. 1. num. 4. & dicebat Augustinus relatus in cap. *noli existimare* 23. quæst. 1.

16. Scio, diversitatem opinionum stare cum pace, ut ibi asserit D. Thomas art. 3. ad 2. & ego alibi firmavi; hinc videcur impertinenter hic me hortari ad concordiam in hac opinione. Sed non omnino impertinenter suadeo ad hujusmodi unitatem; nam unitas in opinione arguit pacem perfectiorem, ut dicit Angelicus præceptor ibidem; hinc in Cœlo, ubi pax perfecta erit, nulla diversitas in opinando aderit. Tum quia ex diversitate opinionum aliquando oritur, quòd Doctores in oppositas conjiciunt censuras; & sic frangitur pax, & Charitas, ut dicebat Innoc. undec. in Bulla propos. damn.

17. Nunc respondeo directè objecto, & dico, illas rationes solutas non ita esse nullas, ut evidenter fiat falsæ, quia sumus in materia obscura, non clara. Sunt ergo nullæ probabiliter, quia judicamus actu non esse veras, ita tamen, ut videamus posse esse veras; sicut enim illud est probabiliter verum, quod ita est, ut possit esse falsum; ita ab opposito illud erit nullum probabiliter, & sic falsum, quod ita non est, ut tamen possit esse tale. Hinc Baccon in 3. dist. 24. qu. 2. art. 2. §. 3. dicebat, objectum opinionis non esse verum possibile, sed possibile, & possibile non esse.

18. Probatur sextò. In materia peculiari Justitiæ. Hoc argumentum attuli etiam cap 5. num. 17. Si lis sit de aliqua re indivisibili, v. gr. de Majoratu, de Beneficio, de Regno, & nullus sit in possessione, & Judex utranque partem judicet æquè probabilem; tunc Judex potest, & debet litem dirimere juxta præceptum Legis, & Canonis, quos allegavi ibidem. Potest autem decidere prò qualibet parte tuta conscientia. Ergo judex in judicando potest, ex pluribus æqualiter probabilibus quamlibet sequi; hinc dicebam cum Antiquis in hoc casu *bonum esse habere Judicem propitium.* Ego puto hoc argumentum esse demonstrativum, & in materia justitiæ de re indivisibili convincere omnino intentum. Nec possunt Adversarii, recurrere ad sortes; nam Fortuna non est minus cæca, quàm sit voluntas; imo est magis cæca, quia à nulla cognitione ducitur. Tum quia si

una vice judex favorem fecit uni, altera vice alteri faciet, & illum compensabit; non sic autem Fortuna faciet. Ergo melius est, quòd in æqualitate opinionum voluntas determinet, quàm Fortuna.

19. Dices: judex ex officio suo reducat illos ad concordiam, ut facere debet ex c. *placuit* 90. dist. & notat Abbas in c. *fin.* de major. & obed. notab. 4. & concordat. c. *discordantes* ead.

Sed contra, quia hoc opus, hic labor est. Dic modum hujus concordiæ. Vel vi illos reducet, vel suasione. Si secundum, hoc non inservit in casu contumaciæ. Si primum, dico in re indivisibili, & à nullo possessa, idem est reducere vi ad concordiam, ac uni judicare rem litigiosam ex suo beneplacito.

Dices secundò. Faciat judex, ut una pars habeat rem litigiosam, & compenset aliam in alio. Sed contra, quia quam compensationem daret, si res litigiosa esset Monarchia Hispana? Præterea sic fieret divisio rei indivisibilis. Tum quia hæc compensatio semper importaret certam injustitiam, quia sic semper daretur aliquid illi parti, Cui nihil competit; certum enim est, solùm uni parti rem litigiosam esse tribuendam.

20. Dices tertiò, neminem negare posse, utramque opinionem esse æqualiter probabilem, cum sit evidens, opiniones oppositas D. Thomę, Scoti, quin & Sanctorum Patrum esse probabiles, & hoc probare textus Antiquorum; & de hoc nulla est difficultas. Difficultas stat, an intellectus possit uni ex illis assentiri & præcipuè difficultas stat, an licitè parti benignæ possimus assentiri.

Sed contra, quia D. Bonaventura dicit, illas tres opiniones esse sustinibiles. Nunquid intellectus potest sustinere aliquam opinionem, & illi assensum non præbere? Præterea de facto D. Thomas sustinet utramque in materia de creatione Mundi, & tactu in receptione Ordinum. Nunquid sustinebat illas opiniones sine assensu intellectivo? Tum quia illi plurimi Antiqui, qui dicebant; *Qui vult tenere primam opinionem, qui vult tenere secundam opinionem &c.* Nonne expressè dant nobis licentiam sequendi opinionem, quam volumus? Ergo per hos Antiquos ego possum tenere opinionem ex pluribus, quam volo. Forsan possum tenere opinionem, & illi non assentiri? Præterea illi, qui dicunt ex pluribus opinionibus benignam esse sequendam, nonne assensum præbent opinioni benignæ? Sic etiam faciunt illi Doctores, qui in suis decisionibus ita procedunt, ut teneant unam opinionem, & postea subdunt: *Vel potest dici aliter &c.* Hæ rationes probant etiam, quòd licitè, &c.

21. Probatur septimò De lege Ecclesiastica, nam Scotus exigit, ut Decretum Gratiani habeat vim legis Ecclesiasticæ, quòd ita *sit manifestum* esse confirmatum à Papa, *ut sunt epistolæ Decretales*; Hæ autem sunt expressè, clarè, & evidenter confirmatæ à Pontifice. Ergo, cum opinio probabilis Doctorum non faciat confirmationem claram, & expressam, ipsa non obligabit subditos; & sic poterit adhærere alteri opinioni benignæ æqualiter probabili. Hanc consequentiam verbis expressit Scotus in 4. dist. 7 quæst 5. quam retuli cap. 16. num. 12. Lege ibi à num. 10. & specialiter observa num. 19. ubi invenies præceptum de confessione esse pænale; & ideo non esse ampliandum, *nec invenitur*, quando liget, vel obliget, *nisi ad aliquando*. Hæc verba significant, Scotum solùm agnoscere obligationem confitendi *ad aliquando*; & sic solùm in casu, quem Legislator verbis expressit. Hinc patet manifestè opinionem probabilem de precepto non ponere obligationem in hoc casu. Vide ibidem num. 4. & 40.

22. In cap. 26. num. 1. dixi, esse omnino legendum caput præsens. Nunc aperio causam hujus allegationis. Dixi ibidem, nos posse eligere licitè quamlibet ex pluribus opinionibus æquè probabilibus, sed addidi *juxta Antiquos*. Hanc particulam ex proposito apposui, quia præsens tractatus est solùm compositus, ut veniat in lucem mens Antiquorum in materia de Probabilitate, & hanc fuisse

illam

illorum mentem; ut ipse explicui, & probavi, existimo. Nunc Lector prudens, & Amans veri absque passione judicabit, an veritas ita se habeat. Ego pro nunc nequeo, aut nolo damnare tot Probabilioristas, quorum aliqui fuerunt valde docti, & absque passione scripserunt, & propter hos (parùm pro nunc curando de iis, qui ex maxima ira potiùs invectivam fecerunt, quàm disputationem,) supersedeo à meo judicio, sed præcipuè ob reverentiam, quam summam exhibere debemus omnes Illustrissimo, & Sapientissimo Clero Gallicano; Hic enim, ut alibi insinuavi, in libello propositionum à se damnatarum. §. de *Opinionum probabilium usu* clarè decidit: *ut in dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrimque animo se se offerunt rationum momenta, sequamur id, quod tutius, sive, quod est in eo casu unicè tutum, neque id consilii, sed præcepti loco habeamus dicente scriptura, qui amat periculum, in illo peribit.* Infra etiam hæc docet: *Neque quisquam in dubio salutis ad actum prosiliat, nisi ipso dubio, non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu, sed ex recta ratione deposito, dicente scriptura: rationabile obsequium vestrum; & iterum: Sapiens timet, & declinat à malo, stultus transilit, & confidit.*

23. Si ad operandum licitè requiritur, quòd ultimum judicium sit certum, quomodo potero judicare, certum esse, me rectè operari sequendo opinionem, quam ultra plures Theologos, Concilium Nationale compositum à tot Episcopis, & quidem doctissimis, & piissimis condemnat? Fateor tamen illas Scripturas (salva reverentia) nòn convincere intentum, & alibi respondi ex Majore Doctore Sorbonico. Vide cap 5 num.30. & 46. In casu tamen illo de justitia, de quo num.17. & quando utraque pars est periculosa, certum puto, posse sequi utramque partem, & aliter dicendo in primo casu lites essent immortales, & in secundo cogeremur ad peccatum, quæ sunt manifestè absurda. Pro primo casu adverte, quòd, quamvis Antiqui dixerint, *bonum esse habere judicem propitium*, unde videatur per ipsos judicem judicare posse ob titulum amicitiæ in casu de æqualitate juris pro Amico, tamen apud Modernos est controversum, an Judex ob tale motivum possit judicium exercere, ut videre licet apud Layman lib.1. tract.1. cap 5. num.16. Addo Confessarium, præcipuè si sit Ordinarius, debere se accomodare opinioni oppositæ pænitentis æquè probabili de quo infra suo loco ex professo.

CAPUT XXXI.

Solvuntur objecta contra æqualem Probabilitatem.

1 NOnnulla solvimus cap 4. num. 37 & seqq. cap.5. num 27. & seqq. cap.6. quæst.2. & 3. & alibi. Alia in præsenti solvemus, quæ habet Vendrochius. Igitur

2. Objicit PRIMO nota prima Epist.5. sect.4. §.2. *In dubiis tutior pars est eligenda*, quod axioma Canonicum ipso lumine naturali clarissimè elucet; sed, quando adsunt plures opiniones, nec de alicujus veritate constet, tunc necesse est, animum dubitare; ergo, quando adsunt duæ opiniones æquè probabiles, cum de nullius veritate constet, tunc animus dubitat, & sic non quamlibet, sed solùm tutiorem opinionem eligere poterit. Subdit ibidem: *Huic argumento, qui per mille, & quingentos annos respondere vel conaretur, nullus inventus est.* Quod autem nullus ex Antiquis attentavit, Casuistæ Moderni, inquit Vendrochius, per quasdam distinctiones conati sunt. Harum prima, & ea quidem usitatissima est, quam habet Vasquez 1.2. disput.62. cap.9. & concedit illud axioma, *Valere in dubiis, non in opinionibus.*

3. Hæc eadem verba habentur penes Angelum Verb. *Opinio* num.2. ubi dicit, quòd in dubiis tutior pars est eligenda, *quando propriè dubium est; sed quando est opinio, secus est, quia nec tunc sumus in dubio; nec exponit consequenter se quis pe-*

riculo, quod bene nota. Eadem habet Divus Antoninus part.1. tit.3. cap.10. §. 10. regul. 6 fin. & ante omnes Nider in consol. timor. consc. par 3. cap.11. Sed si eadem sunt verba, sensus tamen non est idem, quia Angelus V. *Dubium* dicit, dubium esse æqualitatem rationum contrariarum secundùm Philosophum. Ecce per Angelum intellectus dubitat, dum reperitur *inter æquales rationes.* Et Divus Antoninus dicit, quòd dubitatio propriè sumpta tunc accidit, videlicet *prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis quis declinat ad unam, quàm ad aliam.* Demonstravi cap.6. num.5. Aristotelem non habere illam definitionem de dubio, quin expressè ut malam excludere. Hoc argumento utuntur omnes Probabilioristæ, & ipsi maximoperè fidunt.

4. Respondetur ad Argumentum, quicquid sit, an ad illud nunquam Antiqui conati sint parare responsionem, (non enim de omnibus casibus Conscientiæ expressam quæstionem nobis constat fecisse. Nota ly *Constat.*) quòd non eo ipso Animus dubitat, quando de veritate sibi non constat; nam in opinione probabiliori veritas rei non constat; & tamen tunc intellectus non dubitat. Igitur tunc dubitat, quando nullam secundam operationem habet, sed solam primam de utraque parte contradictionis. De hoc puncto dictum est cap.6 præcipuè num.54. Quòd si Adversarius per illam propositionem, *quando de veritate non constat*, intelligat non quidem de certitudine rei, sed de probabilioritate veritatis; tunc petit principium, & supponit, quòd est in quæstione. Tum quia opinio non est aliquod indivisibile intensivè, sed divisibile, ut vidimus supra. Ergo, si in gradu intensiori opinio non importat dubitationem, nec importabit in gradu inferiori, quia, quæ differunt gradualiter, habent eadem prædicata, & differunt solùm penes magis, & minùs. Ergo opinio vel semper erit cum dubitatione, vel nunquam. Et Confirmatur; nam opinio semper est cum formidine, sive sit opinio probabilissima, sive probabilior, sive minùs probabilis. (Hìc præscindo à formidine habituali, vel actuali, de quo Philosophi.) Ergo opinio vel semper erit cum dubitatione, vel nunquam.

5. Instat Vendrochius §. 3. Assensus opinativus, si rationem, si sensum communem, imo si Vasquesium consulamus non est, nisi judicium mentis, quo uni potiùs, quàm alteri parti propterea nos addicimus, quòd in ea majorem verisimilitudinem videmus, sive ut Vasquesii verbis utar, *quòd in ea cognoscamus majorem convenientiam prædicati cum subjecto;* manifestè autem pugnat, ut è duabus opinionibus æquè probabilibus major in alterutra verisimilitudo appareat, quia ob idipsum dicuntur æquè probabiles, quòd neutra videatur probabilior, ac verisimilior. Neutri igitur assentimur propriè, sed dubius inter utramque pendet Animus, & Libræ lances equalibus hinc pressæ ponderibus neutram in partem deprimuntur. Itaque, si quis ab homine in tali statu constituto quæsierit, quænam illarum sententiarum sit vera, Si verè respondere voluerit, fatebitur, *nescire se, incertum esse, dubitare.* Hæc soluta sunt cap 6. quæst.3. num 40. Sed iterùm solvere placet

6. Respondetur Primò, illum hominem in tali statu constitutum nescire se, *idest scientiam non habere;* incertum esse, *idest non habere cognitionem certam.* Hoc totum concedo; at omnes fateri debent, hæc verificari de ipsa opinione, quæ propter hæc essentialiter distinguitur à scientia, ut dixi pluries cum Arist. Nec ex his sequitur, tunc dari dubitationem, quia cognitio non scientifica, & incerta non est idem formaliter, ac dubitatio; aliter opinio, quæ essentialiter est incerta, esset dubitatio, quod à nullo asseritur Vide dictum locum, in quo etiam reperies disparitatem evidentem intellectùs existentis inter duas opiniones æquè probabiles, & Libram habentem æquale pondus in lancibus.

7. Respondetur secundò, non posse negari ex dictis, Divum Bonaventuram, & Carthusianum vocare aliquandò

do *utramque opinionem esse satis probabilem*, & sustinibilem, Divum Thomam sequi utramque opinionem in materia de creatione Mundi, & de Repudio, & clarissimè approbare dictum Alberti, quòd ad Sacram Ordinationem non requiratur tactus physicus; adhuc tamen sequitur oppositum; & hoc est adeo evidens, ut Gonetus, ut sæpè notavi, quamvis Probabiliorista, dixerit Angelicum esse Problematicum in hac materia, ita ut unam partem amplectatur ut minùs probabilem, aliam verò ut probabiliorem. Sic etiam Durandus sequitur opinionem benignam contra oppositam *probabilem*, *sed duram*. Scotus pariter ait, utramque opinionem oppositam sustineri posse. Item Stephanus Brulifer amplectitur opinionem, cujus contraria erat *probabilis*, *sed nimis dura*. Item Divus Antoninus, & alii Antiqui Summistæ dicunt, *in præceptis Dei*, *& Ecclesiæ* posse sequi sententiam benignam relicta austera, *si cætera sint paria*. Denique Richardus sæpissime tum in materia speculativa, tum morali dat licentiam, ut doceamus opinionem ex duabus oppositis, quam volumus. Idem præstant alii Antiqui allati præcipuè cap. 27. & 28.

8. Hæc, si sunt vera, ut procul dubio sunt, sequitur evidenter, intellectum in hoc casu vel posse sustinere utranque opinionem, vel posse eligere benignam; Qui autem sustinet unam opinionem non est dubius, ut patet ex cap.6. sicut & qui utranque propugnat, ut patet pariter ibidem quæst.2. numer. 26.

9 Quòd si negetur Durandum, & Brulifer, supponere opinionem *duram* esse æquè probabilem. Contra, quia hoc negatur absque fundamento, imo & contra verisimilitudinem; Si enim credidissent, esse minùs probabilem, mentionem fecissent hujus defectùs, sicut meminerunt de nimia austeritate; maximè cum per Adversarios *Benignitas* possit inducere ad offensam Dei, non sic *Durities*; Unde Durities, & Austeritas per ipsos non est motivum retrahens ab electione opinionis. Minor quidem probabilitas est motivum retrahens juxta ipsos; Ergo, si illi Doctores credidissent minùs probabiles illas opiniones *duras*, debebant meminisse hujus minoris probabilitatis, non verò Austeritatis. Sed si negetur, de his Doctoribus, nequit proculdubio negari de Antonino, & de aliis. Nam illa verba, *si cætera sint paria*, ut dicebam, faciunt hunc sensum, quòd opiniones illæ differunt solùm in *Austeritate*, & *benignitate*, & in aliis conveniant, & æquentur; & sic in probabilitate erunt æquales. Ergo in æqualitate opinionum quoad probabilitatem *Benignitas* erit ratio, qua intellectus determinabitur, nec remanebit suspensus.

10. Igitur datis æqualibus motivis ad objecta opposita intellectus vel promet judicium circa utramque partem contradictionis, vel etiam ad illam partem, quam volumus, nec actus iste judicii erit suspicio, nam non fundatur in *levi signo*, ut ad suspicionem requiritur ex Divo Thoma 2.2. quæst.2. art.1. & Nider in consolat. timor. conscient 3. par. cap.1. cum Alberto. Ita etiam Angelus ver. Præsumptio num 1. de quo puncto vide cap.6. à num.70. Sed est opinio probabilis, & habet pro objecto grave motivum, quod movebat Magnum virum Richardum, & alios famosos Antiquos, ex quo etiam motivo Argumenta opposita solvebant.

11. Quòd verò Vendrochius dicat in instantia allata num.5. ad opinionem requiri majorem convenientiam prædicati cum subjecto, hoc prorsus nego, & patet ex cap.2. & 3. in quibus tradidi definitionem opinionis, & Probabilitatis. Hic placet aliqua ex ibi dictis repetere. Certum est in speculativis nos posse sustinere utranque opinionem æqualiter probabilem; & Divus Thomas evidentissimè illas propugnavit in quæstione, an Mundus sit factus à Deo successivè, ut supra retuli, & etiam in aliis materiis; Hoc idem alii Antiqui clarè præstiterunt. Ergo, ut è duabus æquè probabilibus opinionibus uni assentiamus, non est necesse per Antiquos, quòd cogno-

gnoscamus prædicatum magis convenire subjecto, quàm non convenire. Ergo falsum est, quod dicit Vendrochius, nempe, *si sensum communem consulamus, & rationem*, ideo in opinione assentimus *uni parti potiùs, quam alteri, quia in ea majorem convenientiam videamus prædicati cum subjecto.* Hæc consequentia liquet, nam opinio est ejusdem essentiæ, sive sit in re speculativa, sive morali.

12. Ego legens Aristotelem non invenio ad assensum opinativum requiri hanc majorem convenientiam prædicati cum subjecto. Igitur primo Poster. cap.24. investigans discrimen inter scientiam, & opinionem ait, quòd scientia est existimatio de re, quæ impossibile est aliter se habere. Opinio verò est existimatio, idest assensus de re, quæ potest aliter se habere. Et in 1. magnor. moral. cap 33. num. 6. ait, quòd opinio est existimatio, *qua in omnibus ferimur ancipites, ea ne ita, an secus.* Ergo per Aristotelem tunc opinamur, quando existimamus objectum ita esse, ut tamen formidemus de opposito. Huic Doctrinæ se conformat Divus Thomas in explicatione illius textùs ex libr. Poster. Concordat etiam Maurus ibidem. Hinc Mastrius in Logic. disput.14. quæst.1. & in 2. disput. 5. num.40. dicit, passim solere definiri opinionem, quòd sit cognitio, *seu assensus determinatus unius partis contradictionis cum formidine alterius.* Ex hoc sequitur, ad opinionem non requiri *illam majorem convenientiam prædicati cum subjecto*, cujus meminit Vědrochius. Vide c.2.& 3.

Tum quia ex Divo Bernardo 5. de Consid. ad Eugenium cap.3. Opinio est quasi habere pro vero aliquid, quod falsum esse nescias. Et ex Divo Thoma par.1. quæst.79. art.9. ad 4. & 2.2. quæst 2. art 1. Opinio est actus intellectus declinantis in unam partem contradictionis cum formidine alterius. Neque in his textibus invenio illam *majorem convenientiam prædicati cum subjecto.* Ergo sensus Communis, loquendo de Sapientibus, non dicit ad opinionem requiri talem majorem convenientiam. Eamdem definitionem opinionis habet Richardus in 3. distinct.24. quæst. ult ex Divo Bonaventura. Quòd si dicas ex D. Thoma quæst.14. de verit. art.1. illam esse dispositionem opinantis, quando *intellectus inclinatur magis in unum, quam ad alterum.* Ergo per D. Thomam assensus opinativus dicit majorem convenientiam prædicati cum subjecto. Respondetur cum eodem Doctore Angelico 2.2. qu 1. art.4. *alio modo assentit intellectus alicui, non quia moveatur sufficienter ab objecto proprio*, sed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam; *& si quidem hoc fit cum formidine alterius partis erit opinio.* Nota illa verba: per quandam electionem voluntarie declinans in unam partem màgis, quàm in alteram. Igitur hæc major declinatio in unam partem debet esse voluntaria juxta Angelicum in opinionem. Non ergo est necesse, quòd sit major declinatio ratione majoris convenientiæ prædicati cum subjecto.

13. Seu neque ratio exigit talem majorem convenientiam; quia opinio, quæ habet prædicatum dicens majorem convenientiam, non est simpliciter opinio, sed est opinio probabilior. Vidimus autem cap.3. num.71. dari opiniones probabiles, minùs probabiles, probabiliores, & probabilissimas; Est enim vera hæc propositio: *Licet sequi inter opiniones probabiles probabilissimam*, ejus siquidem contradictoria est damnata ab Alexandro Octavo num.3. Ergo ex hoc Decreto habetur, opinionem probabilissimam versari inter probabiles. Ergo opinio probabilissima non tollit esse opinionis, & probabilitatis à propositione opposita; Ergo propositio opposita probabilissimæ adhuc est opinio probabilis. Opinio autem opposita *probabilissimæ* certè non dicit prædicatum, quod magis conveniat subjecto; quia sic esset probabilior, quàm probabilissima, quod implicat in terminis.

14. Cum Vendrochius exigat à nobis, ut nostra effata vel Scriptura, vel traditione probemus, hoc idem exigo pro tanto effato, quòd scilicet opinio in judicium

dicium mentis, quo uni potiùs nos addicimus, *quòd in ea majorem verisimilitudinem videamus.* Quamvis autem Vasquez ità definierit opinionem, nihil nos morari debet, cum nos in verba illius non juraverimus,&nihil afferat pro suo dicto.

Quæ subdit Vendrochius in illo. § 3. ex textu Virgilii, & ex Terentio ad probandum intellectum dubitare, dum amplectitur duas opiniones æquè probabiles, alibi solvimus, nec repetimus, dum Authoritas Poetarum parùm valere debeat in Theologicis; & mirum est, quòd illa utatur Adversarius, cum apud ipsum Probabilitas nihil valeat, & solùm sint solida Argumenta, quæ à Scriptura, & Traditione petuntur.

15. Objicit Secundo Vendrochius §. 4. an minùs æquilibrio remanent Lances in libra, vel si nullum neutri, vel si æquale utrique onus imponas? an magis movebitur, qui æqualiter in omnes partes, quàm qui in nullam impellitur?

Jam dixi, me cap.6 num.44. attulisse disparitatem de libra æquilibri, & de intellectu existente inter motiva æqualiter probabilia; dixi enim, quòd objectum probabile, ut moveat, requirat ex Divo Thoma electionem quandam, per quam *voluntariè declinet in unam partem magis, quam in aliam;* Unde in tali casu subjacet imperio Voluntatis. Habet ergo intellectus duplicem modum procedendi, per viam evidentiæ, seu naturæ, & in hoc assimilatur Libræ, quæ à natura rei gravis movetur; & per viam obscuram, in qua movetur ab objecto proprio equidem; quia tamen non movetur sufficienter, ait Divus Thomas, ut toties dicebam, requirit electionem quandam, per quam *voluntariè* declinat in objectum. In hac autem via non assimilatur Libræ, cum ipse intellectus tunc *voluntariè declinet*, non verò naturaliter, ut solùm facere potest Libra.

16. Ad exemplum de illo, qui æqualiter impellitur in omnes partes, fateor quidem illum ad nullum locum esse movendum; sicut neque ille moveretur, qui à nullo impelleretur. Attamen non currit paritas de intellectu inter motiva obscura æqualiter impellentia. Disparitas est eadem, ac de Libra, cùm hæc duo exempla differant solùm materialiter, non formaliter. Igitur intellectus in obscuris, cum sufficienter non moveatur ab objecto proprio, requirit electionem quandam; Electio autem, cum sit libera, potest vel in alterutram, vel in utranque partem declinare. Corpus autem movetur per impulsum, qui agit naturaliter non liberè; Unde, si habet impulsum oppositum æquè potentem, non movebitur, quia causæ naturales æquales se invicem impediunt. Quòd si una causa naturalis subjaceret imperio voluntatis, tunc quæ haberet imperium voluntatis, illa produceret, quamvis opposita haberet virtutem æqualem naturalem; nam illa causa naturalis conjuncta cum voluntate plus posset. Vide cap.5. num.2.

17. Interea retorqueo argumentum. Divus Thomas, & alii Antiqui sustinent duas speculativas opiniones oppositas, & cum nullam alteri præferant, illas judicant æqualiter probabiles; & tamen, si exempla Vendrochii aliquid probant, etiam non possent sustineri plures opiniones speculativæ æqualiter probabiles, cum in utraque materia motiva æqualiter moveant.

18 Urget ibidem: Si nulla probatio afferatur, cujus sit crumena, Judex est dubius; Si autem pro utraque parte afferantur duo testes æqualis authoritatis, adhuc Judex est æqualiter dubius, & incertus, & adhuc illi magis non constat, an utrius sit. Ergo intellectus tam dubius est, dum habet æqualia motiva pro utraque parte, ac dum nullum motivum habet; sed dum nullum motivum habet, est dubius; ergo &c.

Confirmatur: Si Judex determinaret quæstionem de illa Crumena, sive ante testes, sive post testes æquales, semper esset æqualiter imprudens. Unde Salomon ante illam nobilem solertiam, & omnis turba animi pendebat, cujus mulieris esset ille filius; & tamen ante illam solertiam quælibet ex illis duabus mulieribus asserebat filium esse suum; quia tamen

men utraque erat æqualis conditionis, ideo non dabatur ullum motivum, quo Salomon posset determinare causam; & sic dubius erat.

19. Respondetur primò, retorquendo argumentum ex authoritate, & narratione Majoris, qui Author reponitur à Vendrochio in Antiquorum Theologorum Choro. Ipse ergo dicit, ut retuli pluries, in 4. quæst. 2. prolog. concl. 4. quòd Episcopus Parisiensis è duobus æqualiter dignis dat uni Beneficium Ecclesiasticum; & Doctores Sorbonæ è duobus æqualibus eligunt, quem volunt. Et quando opiniones sunt æqualiter probabiles, & utraque habet æquale periculum, Judex eligit, *quam vult*. Et hæc Doctrina fundatur in illo Antiquorum Canonistarum dicto: *Bonum est habere Judicem amicum*. Præterea si lis sit de aliquo indivisibili, v. gr. de Primogenitura, de Regno, & similibus, & rationes sint pares, Judex certe potest, & debet dare sententiam, ut dixi cap. antecedenti num. 17. Ergo potest, & debet de duabus opinionibus æqualiter probabilibus unam eligere; & sic non erit dubius. Nec in hoc casu est recurrendum ad Sortem, quia Sors magis non videt, quàm voluntas; & in praxi apud Judices uti sortibus non videmus, sed quælibet Lis deciditur ab ipsis Judicibus. Nec ad divisionem est confugiendum, quia ultra alia, nos hìc loquimur de re indivisibili. Hinc, si Salomon per illam insignem solertiam veritatem non attingebat, utique debebat decidere litem, & judicare, cujus esset Filius.

20. Hinc Roboratur instantia: dum Lis est de Filio, cujus sit, si probationes sint æqualis ponderis, ita ut datis quibuslibet diligentiis nequeat major veritas haberi, tunc Judex potest, & debet unam opinionem eligere. Ergo tunc non est dubius. Consequentia liquet, quia intellectus tunc est dubius, quandò in neutram partem inclinat, nec uni adhæret. Antecedens probatur, ex iis, que dixi cap. 5. num. 17. & cap. antec. num. 17.

21. Hinc colliges, malè Vendrochium dicere illum Judicem imprudentem esse, dum post omnibus perpensis, & testibus examinatis ipse videns omnia esse æqualia determinaret quæstionem; quin prudenter faceret, dùm obediret legi, quæ jubet, Lites esse intra triennium finiendas.

22. Respondetur secundò. In casu de æqualitate jurium, & probationum in causa Criminali scimus, debere Judicem ad opinionem benignam se determinare; quia *odia sunt restringenda ex* regul. Jur. in 6. c. *odia; & in his, in quibus jus non invenitur expressum, proceditur æquitate servata, semper in humaniorem partem declinando*, ut expressè statuitur in c. *fin.* de transact. de quo puncto vide Gloss. V. *in humaniorem*, quæ multa affert; In causa verò Civili, cum Lites non debeant esse immortales, tunc potest, & debet, se determinare, & litem finire; & sic non erit suspensus, & dubius, sed determinatus, & opinans.

23. Addo tamen in quæstione Facti, ut Facti, posse sustineri intellectum esse dubium, quandò motiva sunt æquè probabilia, & cap. 6. n. 51. assignavi disparitatem inter quæstionem Juris, & Facti. Quòd Crumena, Filius, aut alia res sit hujus, vel illius, est quæstio facti; hinc possumus concedere, quæ dicebat Vendrochius de illa crumena, & de Filio.

24. Objicit Tertio in §. 6. ubi, ait, quòd opinio, etiam per nos, assensum involvit; sed inter æquales rationes non datur talis assensus. Ergo tunc non datur opinio. Nec refert, quòd tum utriusque partis opiniones judicat probabiles; propter idipsum enim neutri assentitur, quòd utrasque probabiles existimet; sicut propter idipsum libratæ remanent Lances in Libra, quia æquali pondere premerentur. Judicat ergo mens in isto statu utranque opinionem probabilem, neutri tamen assentitur, quia neutri neutram præponit.

25. Cum hoc argumentum fundetur in paritate de Libra, & hæc paritas nullius roboris sit, ideo & hæc objectio est nulla. Tum quia concedo, assensum opinativum esse prælationem unius partis

tis præ alia; at subdo hanc prælationem inter æqualia motiva dari voluntati, quæ sequendo exemplum Raymundi, Richardi, Durandi, Scoti, Brulifer, Antonini, Nider, Gersonis, Joannis de Ambr. Joannis de Gambaco, & aliorum, qui vel simpliciter asserunt, nos posse eligere opinionem, *quam volumus*. Vel dicunt, inter duram, & benignam sententiam esse eligendam, cæteris paribus, benigniorem, eligit, quæ sibi placet. Igitur voluntas jubet, esse sequendam opinionem A. æqualiter probabilem cum opinione B. & assignans rationem hujus prælationis dicit, quia opinio A. *est Benigna*, & opinio B. *est nimis dura*. In obscuris autem minimum sequimur, & Benignitas est magnum bonum voluntatis, & Austeritas est malum. Ipsi Adversarii in hoc casu se determinant ad Austeritatem, nos ad Benignitatem. Ipsis placet Austeritas, nobis Benignitas. Illi præferunt Austeritatem, cæteris paribus, nos Benignitatem. Nos habemus clarum exemplum, & expressum Doctorum allatorum, & Regulam expressam Canonicam, & Legalem: *In obscuris minimum sequimur*; Unde ex hac Canones, & Leges decidunt, quando nescimus, quodnam starium vovimus, vel legavimus, esse dandum starium minoris valoris. Judicet ergo Lector, an hæc nostra motiva sint validiora motivorum Adversantium.

26. Quodsi dicerent Adversarii: Intantùm in votis, & Legatis damus starium minus, quia verisimilius est, Voventem, & Legantem voluisse se minùs gravare. Hæc autem major verisimilitudo haberi nequit in Legislatoribus humanis.

Contra est, quia si daretur Casus, in quo non esset major verisimilitudo, tunc adhuc res esset obscura; ergo adhuc debet verificari Regula: *In obscuris minimum sequimur*. Præterea falsum est, non dari hanc verisimilitudinem in Legislatoribus, quia Ecclesia in c. *erit autem* 4. distinct. vult suam legem esse *manifestam*, *ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat*. Idest *ne alicui*, explicat Glossa, *laqueus paretur per eam*. 27. *quæst*. 1. c. *de Viduis*. Ergo Ecclesia non cognoscit existere suam legem, nisi sit manifesta. Ergo est evidens in obscuris Ecclesiam non habere Legem. Idem dicitur c. *fin* de constit. Vide cap 29 numer. 36. Est etiam falsum, non dari hanc majorem verisimilitudinem in Legislatore Divino, quia Legislator Divinus est magis benignus, ut dicebam ex Nider, quàm Legislator creatus, & propter hoc cum eodem Nider inferebam, *quod inter duram, & benignam circa præcepta sententiam, cæteris paribus, benigna est interpretatio facienda in præceptis Ecclesiæ, & Dei*.

27. Vendrochius in illo eodem §. 6. alia dicit, quæ ad nihil inserviunt. Dicit, quòd ii falluntur, qui putant esse opinionem illud judicium reflexum, quo duas propositiones contradictorias æquè probabiles esse decernit. Falluntur equidem, si qui sunt, qui hanc ineptiam dicunt, & cæcutiunt in meridie, dum nesciunt discernere propositionem directam à propositione reflexa. Ast non puto, aliquem ex nostris Probabilistis ita cæcutire. Dicunt ipsi, & ego cum ipsis affirmo, quòd judicium illud reflexum, quo judicat æqualiter probabiles duas propositiones esse certum, & invariabile, & esse ita certum, sicut judicium illud, quo judicamus duos homines esse idem in humanitate. Addimus, ut liquet ex dictis, positis motivis æquè probabilibus posse intellectum determinari à voluntate ad quamlibet partem.

Hæc dicimus ad sustinendam communem sententiam Probabilistarum asserentium utramque partem contradictionis inter æqualia motiva; Cæterùm in nostra opinione, quæ sustinet solùm unam partem, quam vult voluntas, dicimus, quod intellectus habet judicium, & assensum unius partis, quæ placet, ut ex dictis patet. Ad illud de judicio illo reflexo quæro, an hoc judicium sit de duabus propositionibus cognoscentibus utranque partem contradictionis; & sic Vendrochius admittit jam intellectum esse determinatum probabiliter ad utranque partem, ut dicebam. An verò hoc judi-

judicium reflexum sit de motivis, ita ut judicet in hac materia dari motiva, quæ possunt æqualiter movere intellectum ad utranque partem, & tunc illud quidem judicium non est opinio probabilis, sed est assensus evidens; & insuper non supponit intellectum determinatum ad aliquam partem contradictionis, sed esse determinabilem æqualiter ad utranque partem. Hæc quidem Doctrina est omninò vera, nec nobis contraria. Ast addo, quòd inter hæc æqualia motiva ex passione animi, ut utar phrasi Majoris, intellectus se determinat ad partem quamlibet. Si se determinat ad Austeram, hoc facit, ut fugiat periculum materialis peccati; si ad benignam; hoc facit, quia Benignitas cæteris paribus in Lege nova est amplectenda ex Nider, Antonino, & aliis.

28. Objicit QUARTO in §.7. Qui judicat aliquas rationes esse æquè probabiles, is judicat nihil se videre, quo magis ad assentiendum uni, quàm alteri parti ducatur, idest, ut hoc aliis efferam verbis, judicat se dubitare, seu sibi incertum esse, utra pars sit verior, ac probabilior; unde illud judicium non est nisi cognitio reflexa *dubitationis ortæ ex æqualibus rationibus.* Vides quantum Vendrochius se complaceat de hoc Doctrina, dum toties illam repetit.

Respondetur illa verba: *judicat se dubitare, seu sibi incertum esse, utra pars sit verior, ac probabilior*, esse evidenter falsa, nam in hoc casu non dubitat, nec incertus est, sed certissimus est, neutram esse probabiliorem, & veriorem. Nonne videt, illa motiva esse æqualia? ergo videt neutram esse majorem, aut minorem, quia per Divum Thomam in 1. dist 31. quæst.1. art.1. & Arist 5. metaph. tex 6. negatio majoritatis, & minoritatis causant æqualitatem. Si videt; Ergo est certissimus, neutram esse majorem, & minorem; & sic neutram esse probabiliorem. Igitur concedo, nedum, quod intellectus dubitet, seu sit incertus, utra pars sit probabilior in nostro casu; sed assero, de hoc esse certissimum. Insuper concedo nihil reperiri, quod magis in in linea veritatis, seu, ut propriè loquamur, in linea Probabilitatis moveat intellectum. Et in hoc convenimus cum Adversariis, cum sit evidenter verum. Subdo tamen, ut intellectus se determinet in hoc casu, non requiri majoritatem Probabilitatis, & veritatis, nam Divus Thomas 1.2. quæst. 17. artic.6. dicebat, in rebus apprehensis, quæ plenè non convincunt intellectum, posse ipsum intellectum assentire, vel dissentire, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere *propter aliquam causam.* Nota hæc ultima verba: *Propter aliquam causam*; Ergo eidem motivo, seu objecto potest assentire, vel dissentire *propter aliquam causam*, vel saltem suspendere assensum. Hæc autem causa non erit vel probabilioritas, vel minor probabilitas, vel æqualitas probabilitatis; nam, si opinio probabilior sit tutior, tunc ex nulla causa per Adversarios intellectus potest dissentire, vel suspendere assensum. Si Probabilior sit benigna, per eosdem potest assentire, & dissentire, At non dissentiet *ob causam majoris probabilitatis*, cum Probabilioritas non moveat ad dissensum, sed ad assensum. Igitur dissentiet Probabiliori benignæ, & adhærebit austeræ minùs probabili *ob causam Austeritatis.* Si autem hæc apprehensa sint æqualis virtutis ad trahendum intellectum, tunc per ipsos intellectus vel remanebit suspensus, vel austeram sequetur. Et sic ob austeritatem amplectetur opinionem; Austeritas autem non reddit opinionem probabiliorem Ergo causa assentiendi opinioni non est Probabilioritas. Ex his patet ex Divo Thoma, ut habeatur assensus, requiri quidem *causam*, sed hæc causa necessario non est Probabilioritas. Ergo in casu nostro, quamvis intellectus nihil videat in linea veritatis, quo magis moveatur ad assentiendum uni, quàm alteri, poterit tamen, *ob aliquam causam* se determinare; & sic non erit dubius. Nec hac causa erit sola austeritas, aliter quomodò salvaretur illud Christi: *Jugum meum suave est, & onus meum leve*, inquiebant devotissimus Nider, & alii

& alii Antiqui? Ex dictis patet, in nostro casu voluntatem determinare intellectum.

30. In allato §. 7. alia subdit, quæ nihil probant, cum omnia fundentur in hoc, quòd intellectus inter duo motiva æqualia sit dubius, quod esse falsum jam liquet. In §. 8. affert aliam responsionem Modernorum, quam dant illi axiomati: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Responsio sistit in hoc, quòd valeat in dubiis practicis, non verò in dubiis speculativis. At verò inter æquales probabilitates animum tantùm speculativè dubium, eumdemque esse practicè certum, quia practicè scit, sibi licere, quamvis opinionem probabilem sequi.

31. Subdit Vendrochius: nihil necesse est in hac responsione disjicienda diutius immorari; superiùs enim jam disjecta est eo loco, ubi certitudinem illam, securitatemque practicam merum somnium esse latè probavimus, utpotè incertissimæ, immo falsissimæ sententiæ innixam, *qua licere asseritur quamvis opinionem probabilem, tametsi falsam, tuta conscientia sequi.*

32. Hanc responsionem puto evidentem, & supra latè probavimus Probabilitem ex natura sua esse bonam Regulam moralem, exceptis quibusdam casibus; quòd si illa opinio in se sit falsa, hoc per accidens erit, cùm nesciat esse falsam. Recolantur ibi. Hic breviter confirmo illam responsionem. Nemo potest negare opiniones omnes Divi Thomæ esse securas in praxi, & salvandum fore, qui operatur juxta illas. Si aliquis Probabiliorista hoc negaret, vapulabit à Thomistis acriter, sed jure; & si ad salvandam suam Austeritatem necesse haberet hac negatione, solùm propter hoc falsissimam, & absurdissimam reputarem. Igitur quisque debet, credere omnes opiniones Divi Thomæ esse securas in praxi. Inquiro, an quisquis debeat, credere opiniones Divi Thomæ esse certas, ut nequeat aliter se habere. Si quisquis non debet hoc credere, ecce clare quisquis securus in praxi de opinionibus Divi Thomæ, sed non quisquis certus de ipsis. Si dicatur, quemlibet debere credere esse certas. Contra evidenter, quia si spectetur Authoritas mera extrinseca Divi Thomæ, est quidem magna, at nemo dicet, esse infallibilem; Unde Augustinus in c. *noli meis.* c. *negare.* c. *Ego solus.* c. *noli frater* 9. distinct. Soli divinæ Scripturæ asserit non posse errorem obrepere, posse tamen opusculis aliorum quantalibet Sanctitate, & Doctrina pollentium. Si spectentur verò rationes Doctoris Angelici, sunt quidem omnes optimæ, sed omnes non ascendunt ad lineam certitudinis, cum Viri Sanctitate, & Doctrina celeberrimi olim refragati fuerint, & refragentur. Ergo quisquis non tenetur, credere, omnes opiniones Divi Thomæ esse certas. Igitur assero, omnes mortuos sequutos Divum Thomam, si in aliis casibus legem servaverunt, esse salvatos, quamvis fatear pro certo, posse Ecclesiam aliquam opinionem Divi Thomæ declarare esse falsam.

33. Dices, illos credidisse, opiniones Divi Thomæ esse certas. Sed contra, quia stultè crediderunt, cùm tenerent pro certo id, quod aliter poterat se habere, quod solum per ipsum Divum Thomam est objectum opinionis, non certitudinis. Tum quia quo fundamento illis attribuis hunc errorem? Tum quia ergo illi salvati sunt, non quia sequuti sunt opinionem Divi Thomæ ex meritis, & ex motivis ejusdem opinionis, quia motiva, rationes, & Authoritas Divi Thomæ non possunt causare certitudinem, sed quia propriam ignorantiam, & audaciam sequentes adhæserunt firmiter objecto, quod poterat aliter se habere; & sic sequitur, opiniones Divi Thomæ secundùm se non esse securas; Et sequitur insuper, propriam ignorantiam cum protervia conjunctam nos posse salvare.

34. Quodsi Thomistæ piaculum reputarent, si quis dicat, opiniones Divi Thomæ posse aliter se habere, & posse esse falsas; ponamus casum in aliis magnis viris.

35. Ex responsis, quæ videntur data

ab Alberto, inquiunt Nider in consolat. timorat. conscient. par. 3. cap. 11. Divus Antoninus par 1. tit. 3. cap 10. § 10. vers. *nunc revertendo.* Ex his, inquam, responsis habetur, quòd Frater simplex, & *quilibet homo* potest cum salute sequi in Consiliis, *quamcumque opinionem voluerit, dummodò sit alicujus Doctoris Magni.* Ecce quilibet est securus de sua salute sequendo quamlibet opinionem, *quam voluerit*, dummodò *sit alicujus Doctoris Magni.* Nunc vellem scire, an Albertus, Nider, & Antoninus voluerint, ut homo ille esset securus, quòd crederet, illam opinionem esse certam. Hoc certè non potest dici, quia sic homo salvaretur ex errore, nam est error, tenere pro certo *opinionem quamlibet*, licèt habeat illam conditionem, *Doctoris Magni.* Quia excellentia Doctrinæ, etiam magna, non facit authoritatem infallibilem. Ergo juxta illos Doctores debemus quidem credere, nos bene operari, dum sequimur quamlibet opinionem, quam volumus, *Doctoris Magni*, non tamen debemus, nec possumus credere, esse certam *quamlibet opinionem Doctoris Magni.* Ergo practicè sumus certi, licèt incerti simus speculativè. Et sic optimè dicunt Moderni, illud axioma valere in dubio practico, non speculativo.

36. Vendrochius in appendice 1. §. 6. multa detrahit huic responso Alberti Magni. Dicit primò, quòd non constat, hoc responsum esse ipsius Alberti; nec quòd sit excerptum ex ejus scriptis, cum possit esse datum voce tenus, & insuper sit suis cautionibus destitutum. Secundò, quid enim tandem dicit? *Posse Fratrem simplicem cum salute in praxi sequi, quamcunque opinionem voluerit, modò sit Magni Doctoris.* Fortè hoc secluso jure naturali; Fortè de rebus merè speculativis, & ad fidem potiùs, quàm mores pertinentibus.

37. Sed contra est, quia dato etiam non constare esse Alberti, constat tamen ex ipso Antonino, jam illud Responsum fuisse datum præteritis temporibus; & sic fuisse Doctrinam Antiquam. Præterea Nider narrat, illud Responsum reperisse in libris *veteribus* sui Ordinis, idest Prædicatorum, in quibus continebantur Responsa plura, quæ data videbantur à Domino Alberto. Hinc patet, illud responsum fuisse Doctoris, qui erat Antiquus respectu Nider, qui scribebat anno 1430. Unde est certò Responsum Doctoris Antiquissimi; unde semper est venerabile, & valde probabile, & in praxi tutum. Non est quidem certum, esse responsum Magni Alberti, sed solùm hoc est probabile, quod non efficit, immo clarè nobis favet, cum, nedum Doctrina, quæ est certò Alberti, sed etiam quæ solùm est probabile, esse ipsius, recipitur pro tuta Doctrina à Citatis Doctoribus. Hinc sequitur, securitatem conscientiæ fundari in Authoritate, quæ non est certò Alberti, & sic quæ non sit certò Divi Thomæ, &c. Sed solùm probabiliter; & sic fundatur in authoritate, quæ inter authoritates est solùm probabilis; & sic securitas praxis fundatur in probabilitate; atque adeò clarè datur certitudo practica cum dubio, seu incertitudine speculativa.

38. Quòd autem possit esse datum voce, non Scriptura, hoc magis facit pro nobis, quia sic per illos Doctores consurgit securitas practica nedum à propositione data in scriptis, quæ est majoris ponderis, sed à propositione voce prolata, quæ est minoris authoritatis, & probabilitatis. Ergo stat securitas practica sine certitudine speculativa. Idem probat alia responsio, quod *illud dictum sit suis cautionibus destitutum.* Sit verum hoc, tamen adhuc approbatur ab illis Doctoribus, & est Doctrina asservata in libris *veteribus Patrum Dominicanorum.* Ergo ad securitatem conscientiæ non requiruntur per hos Doctores cautiones requisitæ à Vendrochio. Ergo Vendrochius opponitur his Antiquis Doctoribus, quibus fas est magis credere, quàm ipsi.

39. Ipse verò Vendrochius relinquit verbum valde notabile textùs allati. Dicitur in ipso, quòd Frater simplex, *vel quilibet homo*, potest cum salute quamlibet

bet opinionem sequi Magni Doctoris; Relinquit illa verba, *vel quilibet homo*, quæ sunt generalia, & includunt etiam viros doctos, qui non videbantur significari ab illis, *Frater simplex.* Cum ergo Responsum illud ex parte subjecti sit Universale, & omnes comprehendat, dicit enim *quilibet homo;* Ita etiam ex parte prædicati est Universale, & dicit *quamlibet opinionem.* Est etiam Universale ex parte modi, ait siquidem, *in Consiliis.* Si possumus sequi quamlibet opinionem in Consiliis; Ergo & in materia speculativa, & practica, quia Consilia amplectuntur & speculationem, & praxim, sed maximè praxim; Video enim præcipuè Consilia peti, & dari in rebus practicis; Unde plures videmus Libros Consiliorum, qui tractant de rebus moralibus, non speculativis. Ulteriùs ille terminus, *quamlibet*, est universalis; & sic omnes opiniones tum speculativas, tum practicas amplectitur, tum in materia positiva, tum naturali. Præterea Responsum est de qualibet opinione, *quam volumus*; Voluntas autem vult tum in speculativis, tum practicis, tum positivis, tum naturalibus opinionem acquirere; quin maximè hoc petit in practicis, & in jure naturali, utpotè majoris momenti, & quia dubia in hoc jure occurrunt crebriùs.

40. Hinc patet, voluntariè Vendrochiũ dicere, illud responsum *fortè* intelligi *secluso jure naturali*, & fortè de rebus *speculativis Fidei.* Nullum datur fundamentum harum restrictionum; imo ipsum responsum destruit ipsas, cum responsum expressè loquatur de qualibet opinione, *quam volumus.* Alia ergo restrictio non est adhibenda, nisi quæ habetur in ipsomet responso illis verbis, *dummodo sit alicujus Magni Doctoris.* Igitur ad salutem juxta hoc responsum requiritur, quòd Doctrina sit opinio; Hinc non debet esse manifestè falsa, quia propositio manifestè falsa, non venit nomine, *Opinio*; Cum opinio per Aristotelem, & Divum Thomam ita tendat in verum, ut possit aliter se habere; Et sic opinio habet pro objecto rem contingentem; propositio autem clarè falsa non tendit in verum, nec potest aliter se habere; & sic non habet objectum contingens, & proprium opinionis; & sic non est opinio; Unde error dici debet. Non sufficit autem, quòd sit opinio juxta hoc responsum, sed requiritur, quòd sit *alicujus Magni Doctoris.* Igitur propositio, quæ sit opinio; & sic habeat intrinsecam probabilitatem; & defendatur ab aliquo Magno Dottore; & sic habeat probabilitatem extrinsecam, juxta hoc responsum est regula pro salute nostra.

41. Quodsi velimus aliquid concedere Vendrochio, & admittere illas limitationes, dicamus, quòd fortè possunt cohærere cum responso, prout fuit datum à suo Authore, non autem prout est scriptum ab Authore illorum Librorum Veterum, quos legerunt Nider, & Antoninus; Cum hi Doctores approbent illud responsum compositum à terminis ita universalibus, ut clarè illas restrictiones rejiciat.

42. Hìc venit breviter rejiciendus Fogarinus disp.3. par.2. n.228. qui integrè relato textu Alberti, inter alias responsiones, quas illi dat, est una, quòd Albertus Magnus loquitur de Fratre simplici, & idiota, qui non habet cognitionem opinionum probabilium oppositarum, nec est aptus illas examinare. Sed contra, quia textus, prout etiam refertur ab ipso Fogarino, dicit: *Quòd Frater simplex, vel quilibet homo.* Nota, clarè, & expressè loquitur de *Fratre simplici, vel de quolibet homine.* Nunquid *quilibet homo* significat solùm *Fratrem simplicem?* Si juraveris non credam. Nonne ille terminus, *quilibet*, est universalis? Vide num 39.

43. Nunc ponderemus alia, quę Vẽdrochius habet in illo §.8. in quo rejicit responsionem Modernorum, qua fatentur in dubiis quidem practicis esse præceptum sequendi tutiorem, non verò in speculativis. Ait ergo, quòd, si est vera talis distinctio, nunquam dandus sit casus, in quo teneamur tutiorem sequi; nam qui practicè dubitat de veritate opinionis, tunc est certus, quòd nulla pars Contradictionis est evidenter falsa;

falsa; & sic erit certus, quòd utraque pars erit *probabilis*; Opinio enim probabilis ex definitione Caramuelis, & Probabilistarum ea est, quæ non est evidenter falsa. Si autem opinio est Probabilis, est etiam secura, quia per nos Probabilitas est sufficiens Regula morum. Ergo, qui est dubius practicè, est securus practicè, quia tunc habet probabilitatem, quæ est regula secura. Hæc ad summum valent contra Caramuelem, non verò contra nos. Tamen ad uberiorem Doctrinam dico, si ad Probabilitatem sufficit, quòd propositio non sit evidenter falsa, Vendrochius habet intentum, quia est evidens, quòd dubius, ut dubius, non est certus de aliqua parte Contradictionis. Ergo, si ad Probabilitatem sufficit, quòd propositio non sit evidenter falsa, dubius est probabilis.

44. Moderni omni Conatu contendunt probare, *Probabilitatem* distingui à *Dubio*, nec cum ipso posse compati. Hinc, nisi meis oculis videam ex Doctrina Modernorum sequi allatum absurdum, non credam. Videamus ergo, quomodo Caramuel ipse, & aliqui alii Moderni definiant Probabilitatem, sic enim colligemus, an per ipsos ad Probabilitatem sufficiat, quòd Propositio non sit evidenter falsa.

45. Caramuel ergo in Theolog. fundamentali Romæ excussa anno 1656. & sic antequam scriberet Vendrochius, fund. 11. num.438. ait, quòd *ad Probabilitatem rationalem*, idest intrinsecam, *requiritur*, ut non sit evidenter falsa, *& nihilominus sit gravi fundamento suffulta, quam possit vir doctus defendere, cui oppositum idem possit acriter impugnare. Illam enim, quam video non posse defendi, tametsi centum Authorum sit, libere vocabo improbabilem..... cum alterius partis certitudo, aut evidentia accedit*, omnes *cessant probabilitates*, idest probabilitas extrinseca, & intrinseca.

46. Escobarius tract.1.Exam.3.de Conscient. cap.3. scribit: Opinio Probabilis dicitur, *quæ rationibus innititur alicujus momenti*. Unde aliquando unus tantùm Doctor, gravis admodum, opinionem probabilem potest efficere; quia Vir Doctrinæ specialiter addictus haud adhærebit sententiæ cuilibet, nisi præstantis, seu sufficientis rationis vi allectus.

47. Tamburinus in Decalog. Lib.1.c.3. §.3. ait: Opinio Probabilis est assensus intellectûs de aliqua re, *qui nititur ratione, vel authoritate alicujus momenti, modò pro opposita nihil appareat convincens.* Ita Thomas Sanchez, Portell. Castropal. & passim. Vasquez 1.2. disput.62. cap.4. dicit, Quòd opinio levi fundamento innixa sit temeraria. Et ad opinionem etiam minùs probabilem requirit, quòd *ratione non sit destituta*. Hos quatuor retulisse sufficiat, quia hos quatuor Vendrochius quoque nominat in suo Opere. Alios non refero, cum apud me certum sit, ita alios sentire; Unde Vendrochius illos adeat, si de hoc dubitat.

48. Porro ex his definitionibus clarè, & expressè colligitur ad Probabilitatem requiri, quòd habeat *rationem alicujus momenti*; & sic per Modernos ad Probabilitatem non sufficit, quòd Propositio non sit evidenter falsa; Atque adeo ipsi admittunt, & possunt admittere dubium practicum, & illud distinguere, ut rectè distinguunt, à dubio speculativo.

49. Vendrochius sect.1.§.4.ex Caramuele num.132. & Tamb. ubi supra §.5. nititur probare eo ipso, quòd res sit incerta, sit etiam probabilis; nam Caramuel dicit, requiri ad Probabilitatem, ut non sit evidenter falsa; & ut aliqua propositio non sit probabilis, oportere, quòd habeat contra se rationes demonstrativas; & quòd rationes ipsam probantes demonstrentur, non esse probabiles. Sic etiam Tamburinus affirmat, Probabilitatem, etiam tenuem, sufficere ad securitatem conscientiæ.

50. Respondetur, ritè illas conditiones Exigere Caramuelem ad Probabilitatem; Nam rationi probabili potest fieri responsio; Ergo si habeo rationem probabilem pro mea opinione, nunquam convincar, non esse probabilem, si non monstretur esse falsa. Ex hoc tamen non sequitur

hanc

hanc ſolam conditionem ſufficere, cum ipſe Caramuel expreſsè in textu à me allato requirat aliam conditionem. Et hìc noto, meum textum eſſe ex Theologia excuſſa Romæ, & hæc eſt ſecunda impreſſio, in cujus prologo apertè fatetur, in priori editione ſe nihil decidiſse, ſed ſolùm propoſuiſſe argumenta dubitandi gratia, nec eſse citandum pro aliqua Doctrina in illa priori editione habita; ſed ſolùm eſse afferendum pro iis, quæ habet in impreſſione Romana.

51. Quòd attinet ad Tãburinum, ita ait ſufficere tenuem probabilitatem ad ſecuritatem Conſcientiæ, ut tamen hæc tenuitas non obſcuretur à majori probabilitate alteriùs partis, ut clarè ſe infra explicat num.11. ad quem locum ſe remittit in textu allato à Vendrochio, quamvis ipſe omittat illam remiſſionem; adhuc tamen Tamburinus in illo textu non admittit ad probabilitatem ſufficere, quòd res ſit incerta, cum expreſsè in meo textu requirat rationem alicujus momenti. Ipſe autem clarè fatetur, dari dubia negativa, in quibus nulla pars habet aliquam rationem; & ſic res eſt incerta; & tamen hæc dubia diſtinguit à Probabilitate, ut videre licet lib.9. cap.1. princ.

52. Sed tempus eſt, ut ſolvamus objectionem, cui innititur maximè tota Doctrina Vendrochii. Exiſtimat ergo ipſe, in dubiis nos debere implorare Deum, à quo lumen habebimus, ut veritatem inter tenebras expiſcari poſſimus. Igitur in §.1. illius ſect.4. not.1. in epiſt.5. *Verum*, inquit, *incidunt ſæpè tempora, ut utrinque periculum peccandi ſit, aliis affirmantibus aliquid ſine peccato omitti non poſſe; aliis contra idem aſſerentibus ſine peccato fieri non poſſe.* Quid quæſo, mi Vendrochi, in talibus circumſtantiis faciendum erit? Audiamus. *Dubitabit vir bonus, donec ex duabus illis ſententiis, utra ſit vera, perſpexerit.* Si dubitabit vir bonus; ergo nullam defendet, & neutri aſſentietur, quia dubium, etiam per ipſum, nullum aſſenſum involuit. Hoc tamen non videtur conſonum Antiquis Doctoribus, qui dabant licentiam variè opinandi; & ſic ſolvendi dubium, in materia de Divinis Notionibus, quæ materia, cum pertineat ad Sanctiſſimam Trinitatem, eſt periculoſiſſima ex Auguſt. & ipſis Antiquis. Si eſt periculoſiſſima; ergò eſt periculoſior, quàm materia moralis. Dabant, inquam, licentiam opinandi nedum, ſed etiam variè ante deciſionem Eccleſiæ, & ante percontationem, per quam veritas *ſciatur, videatur, & oſtendatur.* Ecce Antiqui dant licentiam opinandi in materia magis periculoſa, quàm morali, antequam *ſciamus, & videamus veritatem.* Et Vendrochius vult, quòd *dubitemus, antequàm perſpiciamus veritatem rei in materia morali.* Certè Vendrochius opponitur illis Antiquis. Ergo juxta ejus Doctrinam Antiquos ſequamur, ipſumque deſeramus.

53. Sed ſequitur: *Implorabit Divinum Lumen, & qua poterit diligentia, veritatem ſtudebit detegere.* Quis negat eſſe adhibendam diligentiam poſſibilem, ut veritatem detegamus? *Sed ſi urgeat tempus*, urget Vendrochius, *ſi alterutra neceſſariò ſequenda ſit, utram ſequetur? nimirùm eam, quam ad veritatem magis credet accedere, & quam carere peccato probabiliùs exiſtimabit.* Cum ipſe non memoret, quid ſit faciendum, dum tempus inſtat eligendi unam ex duabus periculoſis æquè, & æquè probabilibus, eſt ſignum, quòd credat, poſt illam orationem, & poſt diligentiam poſſibilem tolli talem æqualitatem, & veritas ſemper probabiliùs appareat. Alibi pluries nos obligat, ut Deum Oremus pro inventione Veritatis. Sic ſect 2. §. 3. fin. ſcribit. Ut quis ſe expediat à dubitatione ad præfinitas à Deo inveniendæ veritatis vias, *ac maximè ad orationes debet confugere*; hoc ſi ea, qua par eſt, diligentia fecerit, *procul dubio, quod quærit, inveniet.* Sin autem facere neglexerit, *vincibiliter jam potiùs, quàm invincibiliter, ignorare dicendus eſt, & nolens potiùs, quàm invitus.*

54. In ſectione verò allata, §.10. ita confidenter decidit: In iis, in quibus ambiget, & hærebit, habet tamen, qua

ratione componere possit a ctus suos; In promptu enim debet esse illud Jacobi: *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Convertat se igitur ad Patrem Luminum, lucem illius precibus eliciet, consulet Viros Doctos, & pios Deinde omnibus circumspectis, si veritas ipsi nondum enitcat, *quod probabilius, & tutius videbitur, id aget.* Hìc quæro à Vendrochio, an illa copulativa, ET, qua conjungit ly *Tutius* cum ly *Probabilius* faciat officium particulæ copulativæ, an disjunctivæ, & significet idem, ac particula VEL? quòd faciat sensum disjunctivum, non potest dicere Vendrochius, quia per ipsum sola veritas salvat. Non implicat autem, quòd Probabilioritas sit falsa, cum ex Aristotel. 1. Ethycor. cap.3. sæpe contingat falsa esse probabiliora veris. Sensum verò copulativum facere nequit, quia, ut salutem consequamur, non est necesse sequi, quod tutius, & simul probabilius sit; Si quis enim tutius etiam apertè falsum in praxi sequatur, bene facit. Et quamvis sit falsum, ad Confessionem prærequiri Contritionem, quæ ante absolutionem justificet, ut multi Antiqui scrupulosè, & falsò decreverunt, tamen bene facit quis confitendo contritione justificante ante absolutionem.

55. Alibi etiam apertè fatetur, per Orationem deveniri posse in cognitionem veritatis, & præcipuè in Appendice 2. sect.1. art.4. vers. *nec verò ad pellendã.* *Nec verò ad pellendam*, scribit, *Nos scimus esse ignorantes Legis naturalis, ex hoc admonemur poscendam à Deo Sapientiam, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; Preces autem illæ pro impetranda veritatis cognitione fusæ, si tales sint, quales esse convenit, non illorum notitiam modo obtinebunt, quorum nobis inesse ignorantiam conscii sumus, sed eorum etiam, quæ nescientes ignoramus.* Et sect.2. art. 1. dicit cum Fagnano c. *ne innitaris* de constit. num.112. non esse extra hominis facultatem positam cognitionis inventionem *in dubiis.* Et probat ex Divo Thoma Opuscul 73. in Proemio. Hìc obiter noto, valde gaudere, quòd Vendrochius ad probandum dictum adeo difficile utatur textu ex illo opusculo 73. Divi Thomæ, quod est controversum, an sit Sancti Doctoris; & valde probabile est, non esse; Et quidem stylus, & modus procedendi non assimilatur operibus, quæ certò sunt Doctoris Angelici. Hinc patet, placere Vendrochio nedum certitudinem Authoritatis, sed etiam Probabilitatem In cap.21.& 26. retuli alia loca, in quibus expressè vult ad agnitionem veritatis esse necessariam orationem in materia obscura.

56. Si solus Vendrochius assereret, nos teneri ad orationem in materia obscura, & in dubiis, dixissem hoc provenisse, eo quòd videtur sibi provinciam assumpsisse probandi, in omni materia controversa intervenire præceptum sciendi veritatem, quod est apertè contra praxim omnium Doctorum, etiam Sanctorum, qui in materiis obscuris sibi invicem opponuntur. Hanc obligationem orandi in dubiis imponunt etiam multi Probabilioristæ, quorum aliqui allegantur à Cardenas in sua Crisi Theolog. disp 15 cap 6. art.4. num 466. De Fagnano etiam patet ex Vendrochio hìc supra relato. Nec videtur dissentire Pater Tyrsus Gonzalez Societatis Jesu in Fundam. Theolog. Moral. dissert.3. §. fin. quatenus ibi dicit, quòd opinio asserens pro securitate conscientiæ sufficere quamlibet Probabilitatem tollat *studium Orandi, & enixè à Deo postulandi notitiam Divinæ Legis, & veritatis cognitionem*, quod adeo inculcatur in Sacra Scriptura.

57. Forsan dux fuit hujus opinionis Guilielmus Parisiensis, qui tract. de leg. cap.21. Litt. C scripsit: Illud igitur potius nobis videtur, quòd etiam Divinæ pietati magis consonum, ut ubi invincibilis est ignorantia, quod est, ubi non habet de humana ratione, quid faciat, *ibi imploret divinum auxilium, & non temerè se præcipitet, Totum pertinet facere ad Deum*, ubi non habet homo, quid debere faciat. Et Litter. D. dicit: nisi flet culpa viri, quòd, si ipsi supponetur

mu-

mulier aliena, *avertet Deus cor ejus, ne cognoscat mulierem sic juxta eum jacentem, & hoc vel infrigidando eum, vel aliquam cogitationem immittendo, vel aliter ipsum occupando, vel ipsam mulierem terrendo, ita ut inde abeat, vel aliqua alia via.* Per hunc ergo Doctorem, quando ignoramus invincibiliter, hoc est, quando humana ratio nescit, quid sibi sit ulteriùs faciendum, est implorandum Divinum auxilium; & tunc totum pertinet facere ad Deum; unde, si non steterit culpa nostra, etiam in ignorantia factorum illuminabimur à Deo taliter, quòd etiam potentiæ naturales, quamvis applicatæ, non exibunt in actum suum, si hic sit contra Legem Dei; Unde ipsa quoque Luxuria faces suas extinguet, dum urget proximum periculum in ipsam ruendi.

58. Jam scio, Vendrochium, & Adversarios non admittere scrupulositatem Parisiensis, quæ prorsus in desperationem inducit. Sed difficulter video, posse assignari disparitatem, Cur Deus teneatur dare nobis cognitionem de veritate in dubio juris, quod humano studio superari non potest, si ipsum oremus, & alia culpa ex parte nostra non obstet; non verò teneatur dare nobis cognitionem facti, quod nunc est præstandum, quodque per vias solitas nequit cognosci.

59. Posset Confirmari ex D. August. & refertur. c. *solet* de consecr. dist.4. §. fin. & dixi etiam cap.17. num.26. ubi in materia difficili, & obscura, in qua Sanctus Doctor nesciebat invenire veritatem, ait, esse implorandum divinum auxilium *concordi oratione*. Posset etiam confirmari hæc Doctrina; nam Divus Thomas fassus est, oratione ad multorum cognitionem pervenisse. Et quidem, si unquam miratus sum Doctrinam Doctoris Angelici, præcipuè fuit, dum legi decisionem de præsentia Christi in Eucharistia; suo enim tempore Doctores variabant, in quæstionibus, An *Christus descenderet in stomachum cum speciebus Eucharisticis, & præcipuè in stomachum peccatoris.* An *dum, mus edit Eucharistiam, Christus in ventriculum muris eat cum Speciebus.* An *projecto Sacramento in Cloacam Christus remaneret sub speciebus.* Ipse tamen Divus Thomas, qui certè sciebat, Doctores Magnos negativam sententiam tenere, sequutus est ita affirmativam opinionem, ut videatur pro certo illam habere; Unde in hac materia credo, fuisse illuminatum supernaturaliter. Ergo per orationem possumus devenire in cognitionem veritatis in materiis dubiis. De hoc puncto, quòd oratio non sit sub præcepto, ut veritatem addiscamus in rebus obscuris, egi cap.21. à nu 9. cap.26. num.43. & 44. num.69. & seqq.

60. Ad illum textum August. assero, ipsum non jubere, ut orationem faciamus, sed ait: *Divinum judicium implorandum esse censemus.* Utique verbum censeo, non importat præceptum. Insuper non dicit, hac oratione nos acquisituros esse veritatem. Si ergo non præcipit orationem, si per ipsam certò non obtinebimus veritatem, quo fundamento deducitur præceptum orationis? Experientiæ ex Divo Thoma solo, & in illa peculiari materia oppono experientiam plurium Patrum, & omnium Theologorum ab initio, quando Theologia incæpit florere. Omnes Theologi, & Patres variant in opinionibus; & tamen omnes supponimus fecisse, quantùm potuerunt, & ad quod tenebantur, ut veritatem assequerentur. Ergo, licèt faciamus, quantum possumus, Deus non tenetur dare cognitionem veritatis in dubiis. Consequentia liquet, quia variantes opinionem aliqui errant certè; & tamen illi supponuntur fecisse, quæ requiruntur ad inveniendam veritatem. In cap.14. vers. *Si hac Doctrina uteretur solus*, & ponitur post secundam probationem solvi evidenter hanc objectionem. In cap. etiam 26. demonstravi, ex Antiquis Doctoribus dari ignorantiam inculpabilem in materia obscura, etiam naturali; atque adeo orationem non esse medium ducens per se in cognitionem veritatis in materiis dubiis, & obscuris; Unde hic possem supersedere à responsione.

61. Adhuc tamen addo juxta Proloquium Juristarum: *Una hirundo non facit*

cit ver; & *Ea*, *quæ à communi jure exorbitant*, *in consequentiam non sunt trahenda.* De Regul. Jur. in 6. Ergo, licèt aliqui Sancti in aliqua materia obscura per Orationem veritatis cognitionem obtinuerint, cum hoc sit peculiare, & in aliis materiis, & in aliis Sanctis, & Doctoribus, hoc non successerit, non debemus statuere Regulam, & legem, ut detur obligatio orandi pro acquirenda veritate; sed potiùs oppositum affirmare, cum lex debeat respicere ea, quæ sæpè, non quæ raro eveniunt. l. *nam ad ea* ff. de leg. Hinc retorqueo argumentum: In illa speciali materia Divus Thomas obtinuit veritatis cognitionem; & hinc posteriores Theologi, etiam ipsi Scotistæ sequuntur Divum Thomam. In aliis pluribus Scotistæ, & alii Theologi, etiam Sancti, ipsi refragantur; Ergo est signum, non obtinuisse veritatis cognitionem; aliter hi alii Theologi fuissent cæci non videntes talem certitudinem.

61. Concilium Toletanum Octavum relatum in c. *duo mala* 13 distinct. Et Divus Gregorius in moral. part. 6. lib. 32 cap. 55. & 56. relatus in c. *Nervi* ead. quærunt, quomodo se gerere debeat ille, qui constituitur inter duo, quorum utrumque operanti videtur malum. Et hic est casus, de quo quærit Vendrochius in primo textu hujus objecti, quod incipit: *Verùm incidunt sæpe tempora*; & Vendrochius jubet, *ut imploremus Divinum Lumen*, & *qua poterit diligentia veritatem studebit detegere.* Audiamus, quid Concilium Toletanum præscribat: Si periculi necessitas unum ex his perpetrare compulerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligari. *Quid autem levius*, *quid gravius ex his sit*, *puræ rationis acumine investigemus.* Ecce Concilium ad acumen puræ rationis nos mittit, ut noscamus, quid agere debeamus. Sed Vendrochius ulteriùs nos gravat ad preces fundendas. Hic omnino quadrat illud legale: *Erubescimus sine lege loqui.* Et illud effatum: *Quod non est Sanctorum Patrum decreto Sancitum*, *non est superstitiosis adinventionibus præsumendum.* c. *inter* de transl. Episcop. c. *consuluisti.* 2. quæst. 4. & illud palmare D. Hieronymi super Matt. *Quod de sacris litteris non habet authoritatem*, *eadem facilitate contemnitur*, *qua probatur.*

62. Gregorius etiam in allato c. *Nervi* non jubet, ut perplexus oret ad evitandum unum ex peccatis, inter quæ constituitur per varietatem opinionum, sed docet, ut minus malum eligat. Certè, si Sancti credidissent dari præceptum orandi Deum pro acquisitione veritatis in dubiis, nullus locus videbatur magis proprius hoc dicere, quàm dum quærunt, quid debeat facere Fidelis, dum debet unum ex duobus eligere, & utrumque opinatur esse peccatum, Et tamen dicunt, solùm minus malum esse eligendum; & ut cognoscatur minus malum, dicunt, *puræ rationis acumine esse investigandum.*

63. In cap. 21. num. 21. Explicavi textus Scripturæ, in quibus videtur dici, orationem esse in præcepto pro veritate obtinenda. Aliqui enim vel non significant hoc præceptum, vel si significant, intelliguntur de materiis, quæ scire tenemur, ait Major in 4. quæst. 2. prolog. vers. *contra Secundam Conclusionem.* Et illum textum Joannis ex 1. epist. cap. 2. in fin. *Unctio docebit eum*, in quo Parisiensis fundatur, ut adstruat obligationem orationis pro veritate in dubiis, Idem Major explicat de subjecta materia, quæ erat, *quòd Christus sit Deus.* Ad hanc equidem veritatem, & alias, quas scire tenemur, & sunt in præcepto, debemus orare Deum; & si orabimus ipsum, dabit talem notitiam, quia si Natura non deficit in necessariis, multò minùs Omnipotens Conditor, dicebat Nider infra citandus. At dicere, quòd Deus dabit nobis veram notitiam illarum rerum, quas nec Sancti, nec Proceres Theologiæ habuerunt, si illum oraverimus, est potiùs divinare, quàm rationabiliter discurrere; & ut dicebam, qui post orationem in his dubiis præsumeret, se assequutum fuisse veritatem, esset irridendus, non audiendus. Si Scotus, & Scotistæ non credunt, Divum Thomam veritatem in hisce materiis

ade-

adeptum fuisse, quamvis credant Angelicum Doctorem preces fudisse pro veritate invenienda, debebimus credere, ad tantam gratiam te pervenisse?

64. Ulteriùs non cohærenter ad sua principia dicit, post orationes fusas debere nos facere, quod probabilius videtur; nam per ipsum sola veritas salvat; unde opinio falsa juxta ipsum non excusat. Cum autem Probabilioritas possit stare simul cum falsitate; ergo, si illa opinio, quæ videtur probabilior, esset falsa, operans ex illa peccaret. Et confirmatur. Perplexitas sit in materia levi, & gravi, & materia gravis probabilius appareat, quod non sit peccatum, & materia levis magis probabile sit esse peccatum; juxta Vendrochium debemus operari in materia illa gravi. Si detegatur falsa, per Vendrochium jam peccavit mortaliter; Ergo potiùs sequenda est Regula Concilii, & operari in materia levi, nam, si vis hunc peccare in casu, quo detegatur materia falsa, solùm peccavisse venialiter dices, quod minus est, quàm peccare mortaliter.

Dices. Certum est, per gratiam plura nos cognoscere, quàm per naturam, etiam in veritatibus naturalibus moralibus; Ergo, ne erremus in his veritatibus, debemus orare Deum, ut det nobis hanc gratiam.

65. Sed contra est; quia nos tenemur scire solùm veritates illas, quæ continentur sub præcepto. Præcepta supernaturalia continentur in Scriptura, & in Traditione; Præcepta Naturalia continentur in primis principiis, & in Conclusionibus necessariis, & proximis, non remotis, & contingentibus, quæ possunt aliter se habere; Cum enim Leges ferantur pro Communitate, debent esse manifestæ, ut sic omnes necessariò obligentur; Materia autem contingens, cum possit aliter se habere, hinc nequit, sciri; atque adeo sub præcepto esse non potest. Probabili enim possumus dissentire, cum solùm evidens cogat intellectum, ut ex ce ties dictis patet, & asserunt Henricus quodlib.10. quæst.11. & Carthus. in 3. distinct.24. quæst.1. vers. *Præterea idem Doctor*, & Nider in consolat. timor. conscient. part.3. cap.19. allegans Parisiens: Igitur ad argumentum nego consequentiam, quia, cum non teneamur scire omnem veritatem, sic nec obligamur orare ad habendam gratiam, per quam omnem veritatem acquiramus.

66. Volui Antiquos legere, ut viderem, quid in hoc puncto dicant. Legi Summam, quæ *Destructorium vitiorum dicitur*, par.6. cap.79. num.7. ibi probat multis authoritatibus ad Doctrinam habendam esse necessariam orationem. Postea sic illud capitulum claudit: *In omni bono studio, & Doctrina omnino est prætermittenda* (lege præmittenda) *Oratio. Unde Augustinus de Doctrina Christi, Si*, inquit, *Regina Hester pro gentis suæ corporali salute loquutura apud Regem oravit Deum, ut in os ejus congruum præstaret Sermonem, quantò magis orare debes, ut tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute in verbo, & Doctrina laborat?* Et part.4. cap.36. dicit cum Lyrano, cap.14. Act. quod, si Paganus diligenter oraret Deum, & à peccatis, inquantùm sufficit, caveat, Deus revelabit ipsi de Fide Catholica, quantum necessarium est ad salutem; vel mittet Prædicatorem Fidelem ad ipsum informandum.

67. Ex alia parte idem Doctor in eadem par.4. cap.4 num 1. dicit, dari ignorantiam invincibilem, & Operantem ex ipsa excusari, quia Deus non exigit ab homine, nisi quod potest bene facere. *Non enim imputatur ad negligentiam, si nesciat ea, quæ scire non potest; Unde horum ignorantia invincibilis dicitur*, quia cum studio superari non potest. *Et propter hoc talis ignorantia, cum non sit voluntaria, non est peccatum.* Ecce, ut ignorantia sit invincibilis, sufficit, quòd *studio* superari non possit. Non dicit, quòd *Oratione* superari non possit. Et jure non dicit *Oratione*, quia sic nulla ignorantia daretur invincibilis, cum oratione omnis veritas sciri possit, si exaudiatur.

68. Præterea num.2. cum Augustino relato in c. *non omnis* 37. dist. ait, *Non omnis*

omnis ignorans immunis est à pœnâ. Ille ignorans potest excusari à pœna, qui, à quo disceret, non invenit. *Illis autem ignosci non potuit hoc, qui habentes à quo discerent, operam non dederunt.* Illud Relativum, *à quo*, quid significat? Utique hominem; si enim significaret etiam Deum, jam semper haberemus, à quo veritatem disceremus. Ergo per Augustinum, quin per Canonem, & per illam Summam, qui non habet Doctorem, si aliquam veritatem ignorat, pœnam non meretur; & sic neque culpam committit.

69. Ad concordantiam horum textuum dico, quòd ubi asseritur, esse necessariam Orationem, intelligitur de materiis, quæ sunt necessaria ad salutem, quæ in citato capite 40. num.1. par.4. ait, esse *Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, & Decalogum cum mediis facilitantibus ad ipsa.* Ad hæc intelligenda est necessaria Oratio. Unde in illo cap.79. par.6. cum Parisiens: de vitiis par.6. tract. de superbia, tit. *de appetitu Magisterii* dicebat, nos, ut Doctrinam acquiramus, duobus egere, Doctore Forinseco materiam ministrante, *& Doctore interiori, ut ad intelligendum sensum cordis aperiat.* Hæc certò possunt dici solùm de necessariis ad salutem, quin & de cognitione supernaturali. Patet enim, quòd cognitio principiorum, & Conclusionum immediatarum non exigit aliquem Doctorem, cum ex nobis ipsis illam faciliter habere possimus.

70. Legi Astesanum lib. 2 tit. 69. in art. 1. dicit ex Alexandr. Anglic. 2. tit.2. c. *de perplexitate* art 1., & triplicem dari Perplexitatem. Prima est intelligentiæ Sacræ Scripturæ. Secunda est cognitionis faciendorum. Tertia est inevitabilitatis peccandi. Prima tollitur *per Considerationem Causarum dicendi* in diversis locis Sacræ Scripturæ, quia intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi per Hilarium. - Secunda tollitur per Unctionem Spiritùs Sancti. In ar.3. dat solutionem in pluribus casibus, in quibus homo reperitur inter duo, quorum utrumque sibi peccatum videtur; nec meminit, quòd fiat oratio. Et quidem in art.3. quæst.4. videbatur necessaria talis ramemoratio. Quærit ibi, an possit quis committere veniale, ut alius vitet mortale. Refert ex Alexand. Anglic. art.2. casu 7. varietatem opinionum. Quidam affirmativè dicebant de hominibus imperfectis; alii etiam volebant de Perfectis. (Vide laxitatem Antiquorum!) Respondet Doctor: Videtur autem, quòd nulla sit tentio ad peccatum veniale, sed potest esse tentio ad salvandum alium à peccato mortali, *& si non potest aliter, quàm per Veniale.* Fateor, quòd bene non percipio, an Astensis dicat posse fieri Veniale, ut salvemus proximum à mortali. Certè scio, quòd ipse non est certus, nullum obligari ad peccandum venialiter pro alio; Vidimus enim alibi, quòd verbum, *Videtur*, extra leges non importet necessitatem. In hoc erat necessaria Oratio, ut Deus illuminaret Antiquos ad certò credendum, neminem teneri, aut posse committere Veniale, ne alter peccet mortaliter. Unde Augustinus dicebat, relatus in c. *faciat.* 22. quæst.2. quòd, si veniret casus, quòd non posset Infidelis converti sine Veniali, tunc debemus orare Deum, ut det modum conversionis, quæ fieri possit sine peccato. Hic vellem audire Vendrochium, & alios Probabilioristas volentes nos obligari ad orationem pro solutione dubiorum in re obscura, quid dicerent de his Doctoribus, qui non recurrerint ad orationem pro obtinenda veritate in re clarissima, quæ apud me est certum principium: *Veniale peccatum nunquam est faciendum*

71. Redeundo ad Astesanum, Non intelligo, quomodò dicat, perplexitatem ortam super intelligentia Sacræ Scripturæ tolli per *considerationem*, hoc est per nostrum studium; perplexitatem verò circa cognitionem faciendorum tolli per Unctionem Spiritùs Sancti. Nunquid Scriptura non tractat de faciendis? Nunquid facienda magis dependent à Spiritu Sancto, quàm intelligentia Scripturæ Sacræ, quæ est verbum, quod Viri Dei Spiritu Sancto inspi-

inspirati loquuti sunt?

72. Legi Albericum de Rosate, & Supplementum Pisanellæ. V.*Perplexitas*, & ambo eadem verba habent, & illa accipiunt à Ray. lib.3. tit. *de scandalo* §. 5. Dividunt ergo Perplexitatem, ut alia sit juris, alia facti. Juris est, cum aliquis circa aliquod, quod sibi occurrit faciendum, vel non, invenit diversas Anthoritates sibi invicem oppugnantes. Facti est, quando juxta Gregorium per Diaboli suggestionem quis, dum vult peccatum vitare, in aliud impingat. Prima tollitur per peritorum Consilium, & concordiam Contrariorum; Secunda eligendo minus malum. Vides hìc remedium Orationis non exigi.

73. Angelus V.*Perplexitas* se remittit ad ea, quæ habet V.*Dubium*, in quo solvit dubia absque remedio Orationis. Eodem modo procedit Sylvester V.*Dubium*. Reliquæ Summæ, quæ prope Antiquitatem accedunt, nempe Pelbarti, Tabiensis, Altenstaig nihil dicunt ad propositum, sicut nec Summa Antiqua Rainerii.

74. Joannes Gerson par.2. de natura, & qualitate Conscientiæ, de Conscientia Indiscreta pag.169. columnn.3. princ. docet, tres modos deponendi conscientiam erroneam, quorum tertius est humilis recursus ad Deum, ejusque Consilium *per humilem*, *& devotam*, *& frequentem Orationem*, ubi, & quandò deest consilium humanum, juxta illud Sacræ Scripturæ, cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Qui autem alio modo conscientiam suam deponit, *magna pericula incurrit.* Igitur per Gersonem, quandò deest humanum consilium, hoc est, quandò nec per studium Librorum, nec per consultum Doctorum possumus deponere errorem, si conscientiam erroneam deponamus, antequam humili, devota, & frequenti Oratione Deum oraverimus, *magna pericula incurrimus*; & sic peccamus juxta qualitatem materiæ.

75. Infra autem pag.170. Columnn.2. princ. dicit, dari triplicem ignorantiam, scilicet Impertinentium ad salutem, Utilium ad salutem, necessariorum ad salutem. Subdit, Ignorantiam Utilium ad salutem de se non esse peccatum; Ignorantiam necessariorum esse peccatum, si sit vincibilis. Assignans autem ea, quorum cognitio est necessaria ad salutem ait: Symbolum Fidei, Decem Præcepta Decalogi, septem peccata mortalia, & hujusmodi. Nota hunc terminum, *hujusmodi*, qui per ea, quæ notant Barbosa in tract. de dict. usufrequent num. 138. Tuscus tom.2. litter. D. num.287. & Bertachinus V. *Hujusmodi* cum Glossa in c. *nemo* de elect. in 6. V. *Hujusmodi*, & aliis pluribus, quos affert Barbosa, est vox Relativa præcedentium cum omnibus suis qualitatibus; unde ostendit ad oculum proximè præcedentia juxta Menochium consil.586. num 2. Hinc sequitur evidenter, cum in textu Gersonis præcedentia sint clara, & evidentia, quòd ille Terminus, *Hujusmodi*, significet alia, quæ habeant etiam hanc qualitatem evidentiæ. Ergo per Gersonem scientia necessariorum ad salutem, est illorum, quæ sunt clara; Ergo obscurarum rerum cognitio non est necessaria ad salutem; & sic hæc ignorare non erit peccatum; Et sic nec tenebimur orare Deum pro illorum cognitione, quia Oratio solùm est sub præcepto quoad ea, quæ sunt necessaria ad salutem.

76. Joannes Nider in consolat. Timor. Conscient. par.2. cap.3. ante dub 2. scribit, quòd Perplexus, si nesciat per se judicare, debet peritiores consulere, vel ubi deest humanum consilium, *debet, se per orationem ad Deum convertere.* In cap.6. dub.3. ait expressè, quòd Perplexitas intellectiva faciendorum tollitur *uno modo*; scilicet, *per Spiritum Sanctum.* Et in cap.8 docens ea, quæ quis debet facere, ut ignorantia de aliquo non imputetur, ponit quarto loco invocationem Dei *per orationem Dei, & Sanctorum.* Ex quibus videtur sequi per hunc Doctorem in dubiis esse orandum.

77. Ex alia parte cap.4. dans exemplum de ignorantia Juris vincibilis ait;

Cum Ul. in 2. distinct.22. & in Summ. lib.6. v. gr. *Si aliquis nesciret, furtum esse peccatum, vel aliquid hujusmodi.* Hinc ignorantia rei obscuræ non erit vincibilis; & sic nec culpabilis; Et sic in rebus obscuris non tenemur orare Deum. Præterea cap.6. dub.3. cum Lyrano 1. Joan. cap.2. in tex. *Unctionem, quam accepistis à Deo, maneat in vobis*, ait, illam Unctionem Spiritûs Sancti, per quam noscimus omnia, esse in nostra potestate. Hic quæro, an Nider velit significare, quòd per orationem sit in nostra potestate cognitio rei obscuræ, in qua variant Sancti, & Doctores; Et hoc non, quia ipsa experientia Sanctorum, & Doctorum in his diversè opinantium evidenter oppositum demonstrat. Tum. 3. par. cap.24. conclus.4. clarè dicit, quòd nemo tenetur scire, an facere talem rem sit peccatum mortale, *ubi Doctores contraria opinantur.* Tum quia illo cap.6. part.2. dub.3. ubi dicit, perplexitatem faciendorum uno modo solvi, scilicet *per Spiritum Sanctum*, qui ex Joann. cap. 2. docebit nos omnia, glossat hunc textum cum Lyrano in eo loco, ut ly *omnia* intelligatur de iis, *quæ sunt ad salutem necessaria; Si enim natura non deficit in necessariis, multò minus Author naturæ.* Et subdit, quòd frequenter reperiuntur aliqui simplices nutriti in campis clariùs videntes in iis, quæ sunt ad salutem necessaria, quàm illi, qui quasi quotidie audiunt Sermones in Civitatibus Magnis. Certè hæc cognitio de necessariis ad salutem, quæ reperitur in his rusticis sapientibus, utique est de Fide, & de Præceptis in iis, in quibus adest clara explicatio; In rebus enim obscuris non cernitur hæc cognitio in ullo rustico, nedum in multis. Hinc patet, per Nider esse orandum pro cognitione rerum, quæ clarè sunt explicatæ, non verò pro cognitione rerum, in quibus Doctores variè opinantur.

78. Divus Antoninus, qui par.1. tit.3. cap.10. §. 10. in compendium redegit, quæ fusiùs scribit Nider in suo Consolatorio Timoratæ Conscientiæ, juxta Vendrochium not.1. in epist.5. sect.4. §. 11. vult, ad vitandos errores esse necessarium, quòd quis se ad gratiam præparet, quantum potest; *ut sapientiam invocet per orationem*, ut Scripturas diligenter investiget. Ego Credo tamen, quòd nobis contrarius non sit Sanctus Doctor; siquidem in eodem loco in princ. Exigit illas conditiones pro depositione conscientiæ *Scrupulosæ*, *seu erroneæ.* Hìc nota, quòd accipit pro eodem *Scrupulosum*, *&* *erroneum*; Vel etiam, si accipiat pro diverso, adhuc non obstat nobis. Unde assero, pro depositione conscientiæ vel *Scrupulosæ*, *vel Erroneæ*, esse Deum orandum, non tamen esse sub præcepto orandum in dubiis, idest in rebus obscuris, in quibus Doctores variè opinantur, ut nostra quæstio procedit. Lege ipsum Divum Antoninum 3. par. tit.5. cap.2. §. 9. ubi cum Divo Thoma asserit, nullum excusari, qui sequitur *erroneam* opinionem in pertinentibus ad Fidem, & bonos mores. Adhuc tamen excusat Augustinum, & Hieronymum opposita opinantes de observatione Legalium ante divulgationem Evangelii, & de simulatione Petri. Pariter excusat Doctores variè opinantes in materia paupertatis Christi ante decisionem Ecclesiæ. Non excusat verò illos post talem decisionem. Sic etiam non excusaret, qui his temporibus variè opinaretur de illa observatione Legalium, & simulatione. Aliam rationem hujus diversitatis assignari nequit, nisi quia illa opinio ante decisionem Ecclesiæ non erat erronea, postea verò est erronea. Igitur per Divum Antoninum, quandò conscientia habet erroneam opinionem, idest opinionem, quæ est contra textum expressum Scripturæ, & Ecclesiæ, si non habet auxilium humanum, quærat Divinum media oratione. Huic propositioni libentissimè accedo, quæ tamen non est contraria nobis, ut patet.

79. Per Scrupulosam etiam conscientiam Divus Antoninus non intelligit conscientiam opinantem; Nemo enim dicet, quòd tenens opinionem rigidam de confitendis circumstantiis aggravantibus habeat conscientiam scrupulosam; Nec enim

enim est scrupulus opinio validis argumentis vallata. Sed scrupulus per Divum Antoninum §. 9. ubi supra par. 1. est, *dum quis movetur ex levibus conjecturis, seu mediis multùm debilibus.* Hinc patet, scrupulum esse motum Animi ex levibus argumentis ortum; & quamvis ex sui natura possit esse tam pro materia rigida, quam pro benigna, hic tamen accipitur pro rigida. Et quia scrupulus est contemnendus, ideò debemus dicere, quòd scrupulus sit contra veritatem claram. Ex his omnibus ergo patet, Divum Antoninum velle esse orandum in dubiis, quæ insurgunt contra certam veritatem, quod concedo, non verò in iis, in quibus Doctores variè opinantur; Tractatores enim Catholici per D. Bonaventuram habent varias opiniones in multis materiis, sed in eodem conveniunt in assertionibus.

Nunc videamus, quid in hac materia dixerint Scholastici Antiqui. Non refero Parisiensem, nec volui legere, qui, si tenuit, ut retuli, nos debere orare ad habendam cognitionem factorum, multò magis hoc asseret de cognitione dubiorum Juris, cum Juris Ignorantia minùs excuset per Doctores. Legatur in tract. de leg. cap. 21.

80. Transeamus ergo ad Altisiodorensem. Hic in 3. tract. ult. cap. 1. agit de perplexitate, & ponit illam triplicem perplexitatem, quam habet Astesanus verbatim, scilicet perplexitatem Sacræ Scripturæ, intelligentiæ faciendorum, & inevitabilitatis peccandi. Et ait, quòd Prima solvitur per distinctionem multiplicis sivè Amphibologiæ, & æquivocationis, vel per distinctionem temporis. Hic obiter nota contra Adversarios, in Sacra Scriptura *dari sensum amphibologicum, & verba æquivoca.* Secunda solvitur uno modo, scilicet *per Spiritum Sanctum.* Tertia dissolvitur per depositionem Erroneæ Conscientiæ.

81. In cap. 2. fin. proponit casum hominis perplexi in hunc modum. Sit aliquis justus manens in Charitate dubitet, utrum voverit se intrare Claustrum. Itē dubitet, an peccet, si parentes suos dimittat in sæculo pauperes, & multum indigentes: Videtur, quòd sit perplexus, quia si intrat, dimittit parentes, sicut dictum est, de quo dubitat, an esset peccatum mortale. Ergo peccat mortaliter. Si non intrat, & dubitat se vovisse. Ergo peccat mortaliter. Solutio. Dicendum, quòd casus iste impossibilis est in homine habente Charitatem; Si enim Charitatem habet, dubitare non potest de talibus, *quia in his unctio docet eum; unde dubitare non potest.* Hic Doctor recurrit ad Unctionem Spiritûs Sancti in casu, in quo naturaliter veritas est evidens. Nonne est certum, quòd Filii tenentur alere patres pauperes, & multum indigentes? Ergo est evidens, quòd Filius nequit vovere contra hanc obligationem naturalem. Ergo quamvis habens Charitatem certò fecerit votum intrandi Religionem, hic non debet adimplere tale irritum Votum; & multò magis non debet implere tale votum, quandò dubitat illud fecisse. Pro certo habeo; quòd nulla Familia Religiosa in hoc casu talem Filium reciperet. Ergo est signum, quòd illud votum sit contra pietatem, quam Filius naturaliter Patri debet.

82. Ex his nescio, an hic Doctor velit, nos obligare ad orandum Spiritum Sanctum in dubiis ortis, quandò nescimus, quid facere debeamus, dum Doctores variè opinantur. Hoc est certum, quòd in illo capitulo secundo plures perplexitates solvit absque recursu ad orationem. Est certum pariter, quòd in hac materia est multùm scrupulosus; nam in fine cap. tertii quærit, quid sit faciendum à Monacho, qui ex præcepto Abbatis deferens victualia in Abbatiam obvium habet aliquem *in extremitate vitæ constitutum*, qui ab ipso petit intuitu pietatis aliquid ad reservandum sibi. Si Monachus dat aliquid, videtur facere contra obedientiam, & contra Dominum, cujus sunt. Si non dat, ille moritur. Audi scrupulosam sententiam: *Non debet ei dare, sed exponere coram illo, & dicere, quod accipiat, quod sibi placet, quia non sunt sua.* Nihil refert

fert ad Dominum; quòd ego vel accipiam suos nummos, & alteri dem. Vel quòd exponam suos nummos coram altero, & illi dicam: *Accipe, quos vis, quia non sunt mei.* Posteriores Theologi non sunt adeo scrupulosi. Hinc Divus Thomas 2.2. quæst.32. art.8. ad 1. dicit, quòd in hoc casu *fortè Monachus potest furari*, ut Eleemosinam tribuat. Cum ergo in hac materia perplexitatis sit valde scrupulosus Altisiodorensis, ideo non est Magnæ Authoritatis in nostro puncto.

83. Irrefragabilis Alensis par.2. quæst. 120. membr.4. agit de perplexitate conscientiæ, & statim refert illam multiplicitatem, quam habent Altisiodorensis, Astesanus, & alii relati, & secundam, quæ est *cognitionis faciendorum*, dicit, solvi necessariò *Unctione Spiritûs Sancti, quæ docet de omnibus.* In art.1. docet, nullum debere esse perplexum perplexitate Juris, cum possit emoveri dubietas Juris; Perplexitate verò facti aliquem posse esse perplexum ex proprio vitio. Si secundùm Alensem quis potest à se omnem perplexitatem, seu dubietatem juris expellere, jam hoc fieri nequit sine oratione, qua auxilium à Deo impetremus, cum sæpe occurrat, per vires nostras nos non posse tollere hanc dubietatem juris. Addit ibidem, quòd, si homo instanter peteret, prout deberet, non caderet in necessitatem inevitabiliter peccandi. Videtur ergo per Alensem, Deum esse orandum, dum sumus in dubiis, & perplexitatibus.

84 Sed contra, quia art.3. casu 7. quærit, an quis possit committere veniale, ut alter evitet mortale, & respondet: dicendum est secundùm quosdam, quòd perfectus non debet venialia committere, ut alter evitet mortale, sed pœnam potest sustinere temporalem; *Imperfectus autem potest*; (idest potest venialia committere) Alii verò dicunt, quòd potest aliquis committere veniale, *etiam perfectus*, ut alius evitet mortale.... videtur autem, quòd nulla tentio sit ad veniale peccatum, sed potest esse tentio ad salvandum illum à mortali peccato, & si aliter non potest, *per veniale.* Et est aliud de salute spirituali, & de salute corporali ipsius proximi; Veniali enim non debetur, nisi pœna *Corporalis*, (corrige, *Temporalis*) dum homo existit in Charitate. Ego credo pro certo, quòd Alensis concedat, etiam *Virum* perfectum, posse peccatum veniale committere, ne alter mortaliter peccet. Dubius autem sum, an teneat, ad hoc obligari, quod ad præsens nihil refert. Ecce Alensis potiùs per veniale vult succurrere proximi saluti, quàm per orationes venire in cognitionem illius dubii, an liceat veniale committere pro salute spirituali proximi. Credebat ergo, hæc dubia orationibus superari non debere.

85. Sic etiam in illo Articulo, & in præcedenti ponit plures casus, in quibus homo potest esse dubius, & perplexus, & illos solvit absque recursu ad orationes; In articulo tamen antecedenti in solutione casûs quarti ait, quòd Beatus Hilarion motus fuerit ad invisendam cujusdam matronæ filiam infirmam *ex unctione Spiritûs Sancti*, cum tamen esset dubius, an posset ire, cum haberet votum manendi in Eremo. Sed non facit pro Adversario, quia B. Hilarion non erat dubius, an posset invisere &c. ex diversitate opinionum, ut quæstio procedit, sed erat certus non posse invisere; & propter hoc nolebat invisere; Non enim erat sufficiens motivum probabiliter judicandi, votum non obligare in casu de infirmitate illius Filiæ. Illa ergo Unctio Spiritûs Sancti, quæ movit Beatum Eremitam, fuit specialis illustratio, & Privilegium, ut posset invisere infirmam, quam secundùm regulas non poterat. Si autem est Privilegium non est trahendum in consequentiam juxta regulam Canonicam in 6. cap.28 & 74.

86. Fateor, me non posse capere, quid Alensis, & alii Antiqui intelligant per *perplexitatem faciendorum*, quæ tollitur *uno modo*, scilicet *Unctione S. piri-*

tûs Sancti. Hoc scio, quod, si per ipsos Perplexitas, & dubietas intelligentiæ Sacræ Scripturæ tollitur per studium humanum, & regulas Doctorum, nec exigitur Oratio, aut Unctio Spiritûs Sancti, jam sequitur, per eosdem in diversitate opinionum moralium in materia obscura nos non teneri Orare, quia dubia Sacræ Scripturæ important etiam dubia moralia.

87. Forsan per perplexitatem faciendorum Antiqui intelligunt illam, quam Raymundus, & ex eo Albericus, & Supplementum Pisanellæ vocant perplexitatem Facti. Hanc perplexitam Raymundus dicit esse nullam, *veritate inspecta.* Glossa c. *duo mala* 13. dist. V. *eodem dicit* hanc perplexitatem fundari *in fatua opinione* operantis. Glossa Raym. V. *Perplexitas* ait, nihil esse hanc perplexitatem, *nisi propter errorem conscientiæ, aut propter pravam voluntatem.* Ex his ego colligo, *perplexitatem faciendorum* oriri in materia aliàs clara; unde illa dubietas oritur ex culpa operantis. In hoc casu fateor etiam ego, nos debere orare Deum, ut nobis culpam dimittat, & intellectum illuminet. Legi plures alios Scholasticos Antiquos, Albertum Magnum, Divum Bonaventuram, Bacconium, Maironum, Durandum, Richardum, Brulifer, & alios, apud quos tamen nihil legi de nostra quæstione. Divus Thomas in quodlib. 3. art. 10. videtur aliquid dicere ad propositum, & dubium hominem mittit ad studium Scripturæ, & ad Ecclesiæ decisionem, non verò ad Orationem.

88. Scotus in 4. dist. 5. quæst. 3. & Gabriel dist. 4. qu. 2. dub. 4. Litter. Q. quærunt, quid sit faciendum homini, qui ex una parte credit, se teneri ad baptizandum puerum, ex alia credit, quòd ablutio accelerabit mortem pueri. Magna dubietas, cum sit in materia gravissima! uterque respondet sine recursu ad Deum, quòd deponat erroneam conscientiam, & credat esse fatuam illam suam opinionem, quòd ablutio modicæ aquæ acceleret mortem. Si unquam hi Doctores debebant obligare ad orationem, casus præsens exigebat, cum agatur de morte pueri vel temporali, vel Spirituali. Innui supra, Majorem expressè nobiscum sentire. Sed quia per me non est Doctor Antiquus, quamvis sit juxta Vendrochium, ideo ipsum magis non expendo.

89. Transeamus brevissimè ad Canonistas. Primus sit Glossator. Hic in allegatis Canonibus *duo mala*, & *Nervi* 13. dist. docet modum solvendi varia dubia, & perplexitates, & nunquam recurrit ad orationes. Et in §. 1. hujus dist. Ver. *Item adversus* referens quid debuissent facere Judæi, qui videbantur perplexi, an deberent crucifigere Christum propter motiva utriusque partis, dicit: ideò debuissent *consulere peritiores, ut Apostolos, vel Sacram Scripturam.*

90. Legi Geminianum, & Archidiaconum in illos Canones *duo mala, & Nervi*, nec dicunt ad solvendas dubietates esse necessarium, ut ad orationes recurramus. Turrecremata in c. *Nervi* refert illam triplicem perplexitatem, quam ex Alensis Summa nos retulimus, sed ipse illam desumit ex secundo Libr. sententiarum. Subdit postea, Perplexitatem intelligentiæ Sacræ Scripturæ tolli per considerationem causarum dicendi in diversis locis Sacræ Scripturæ. Perplexitatem cognitionis faciendorum solvi per Unctionem Spiritûs Sancti, quæ docet de omnibus; Perplexitatem inevitabilitatis peccandi auferri per depositionem erroneæ conscientiæ. In solut. argu. ad 3. fatetur, quòd, si homo instanter oraret Deum, Deus liberaret eum, ne caderet in perplexitatem, quæ sistit in inevitabilitate peccandi. Per hæc videtur, quòd hìc Theologus, & Canonista exigat ad deponendam dubietatem peccandi Orationem. Ex alia parte ibidem solvit plures perplexitates absque oratione. Ergo videtur secundùm hunc Doctorem ad depositionem dubiorum non requiri orationem.

91. Jam liquet, hunc Doctorem dicere ea, quæ alii relati Scripserunt; unde ex dictis potest colligi explicatio mentis ejusdem Turrecrematæ. Igitur Unctio Spi-

Spiritùs Sancti docet de omnibus, quæ sunt necessaria ad salutem. Hæc autem non sunt illa, in quibus Sancti, & Doctores variè opinantur, sed quæ fides docet, & præcepta clarè jubent. Hinc nobis non opponitur.

92. Ex his colligitur, per Doctores Antiquos esse quidem orandum pro cognitione illorum, quæ sunt necessaria ad salutem; & sic ad Symbolum, Præcepta Decalogi, & alia præcepta Divina scienda; Quia autem dubia in materia obscura non sunt necessaria ad salutem, aliter enim Doctores, & Sancti, qui opinionem falsam docerent, essent in statu damnationis; Ideò pro solutione horum dubiorum non est de necessitate orandum. Hinc sequendo Regulas Antiquorum, si afferantur Scripturæ, in quibus asseritur esse orandum, vel explicandæ erunt, non loqui *præceptoriè*, sed *consultoriè;* Vel si præceptoriè, loqui in subjecta materia, ut dicebat Major, non verò universaliter pro omni dubio. Hinc constat Vendrochium loqui in hoc puncto destitutum Authoritate Doctorum Antiquorum.

CAPUT XXXII.

Alia objecta contra æqualem Probabilitatem solvuntur.

1 SCripserunt contra Probabilitatem his postremis temporibus Pater Tyrsus Gonzalez Generalis Societatis Jesu, P. Natalis Alexandri ex Dominicana Familia, P. Franc Antonius Fogarinus ex Minor Conventualib, & Pater Cajetanus Verani ex Clericis Regularibus, vulgò Theatinis. Aliqua fundamenta horum præcipuè solvam, quia illos libenter lego, eo quòd argumentis utantur solùm, non vociferationibus, & contumeliis.

2. Igitur Pater Gonzalez dissert. 7 diffusè probat, nos non posse licitè sequi opinionem benignam æquè probabilem cum altera opposita rigida. In primis septem. §. §. probat hanc conclusionem, quia intellectus physicè nequit assentiri alterutræ parti; dum adsunt motiva æqualiter moventia ad utranque partem. De hoc puncto satis diffusè egi cap. 4. 5. 6. & alibi. Interim peto à Patre Gonzalez, ut salvet illam regulam Antiquorum. *Opinionem benigniorem, cæteris paribus, esse amplectendam in præceptis Dei, & Ecclesiæ.* Peto etiam, ut salvet, quomodo Divus Thomas potuerit, sustinere utranque partem in pluribus difficultatibus speculativis, & præcipuè de creatione Mundi. Volo etiã, ut salvet alios Antiquos, qui clarè, saltem in speculativis, sustinent, ut vidimus, utranque partem. Nunquid utraque pars sustineri potest, ut dicebam, sine assensu intellectivo? Vel in speculativis plus potest phisicè voluntas determinare intellectum, quàm in practicis? Si ego non erro, judico certum, juxta Antiquos voluntatem posse flectere physicè intellectum existentem inter motiva æqualia, & hoc saltem probant textus clari, & expressi Richardi, & aliorum dicentium: *Qui vult tenere primam opinionem &c. Qui vult tenere secundam opinionem &c.*

3. In §. 8. num 54. dicit, opinionem humanam esse solùm regulam secundariam nostrarum operationem ex D. Thom. 1.2. quæst. 19. art. 4. unde solùm est bona regula, inquantùm conformatur cum prima, quæ est lex æterna; quando autem utraque opinio apparet æquè probabilis, tunc opinio favens libertati tam apparet conformis, quàm difformis, quia apparet ut indifferens ad veritatem, ac falsitatem; sicut enim horologium, quod est indifferens, ut conformetur, vel contrarietur horologio solari, & respectu cujus est merè casuale, quòd conformetur, non est bonum horologium; ita opinio, quæ in conceptu Operantis est indifferens ad conformitatem, & contrarietatem cum prima regula, & cui est merè casuale in conceptu Operantis, quòd conformetur, non est bona regula respectu Operantis. Quare, usque dum operans sibi per-

persuadeat illam opinionem esse veram, nequit respectu ipsius esse bona; vel saltem usque dum cognoscat, magis se habere ad verum, quàm ad falsum; modo nimirum proportionato, ut ei possit prudenter assentire. Confirmat num. 56. Opinio humana est bona, inquantùm est derivata à lumine Divino; sed opinio falsa, & erronea non derivatur à lumine Divino; ergo opinio, quæ respectu operanti est indifferens ad verum, & ad falsum utpotè erronea, & falsa, non est bona regula. Ergo, ut opinio sit bona regula, debet saltem in æstimatione operantis apparere vera.

4. Si exemplum horologii est bonum, probat, nec etiam opinionem probabiliorem, in se falsam, esse bonam regulam, quod est contra Patrem Gonzalez. Sequella probatur, quia horologium artificiale nunquam est bonum, licèt per opinionem bonum appareat, nisi à parte rei actu conformetur cum Solari. Hoc exemplum est ejusdem rationis cum exemplo de Libra habente æquale pondus in lancibus, de homine æqualiter impulso in utranque partem, & similibus, quæ alibi soluta sunt evidenter. Præterea hoc argumentum probat, nos non posse defendere partem rigidam in nostro casu; si enim opinio æquè probabilis est falsa, erronea, indifferens ad verum, & falsum; ergo nec etiam rigidam possumus defendere, quia intellectus nequit assentire nisi vero. Tum quia videtur, non posse negari, saltem in scholis, posse nos tueri quamlibet partem in hoc casu. Tum quia quo fundamento dicitur, opinionem, quæ est indifferens ad verum, & ad falsum, esse erroneam? Nunquid erroneum potest esse verum? Hoc certè est contra omnes, qui per *erroneum* intelligunt propositionem contrariam certæ veritati; & D. Thomas quodl. 3. art. 10. dicebat, neminem posse excusari, qui sequitur *erroneam opinionem Magistrorum*.

5. Respondetur igitur, ad bonam regulam secundariam non esse necesse, quòd ex parte objecti detur conformitas cum prima; aliter ignorantia invincibilis, & opinio Divi Thomæ, Scoti, & aliorum Antiquorum non excusarent, si ex parte objecti talis conformitas non daretur. Nego verò, quòd opinio æqualiter probabilis sit indifferens ad conformitatem, & contrarietatem ad legem æternam; est enim formaliter conformis, licèt possit aliter se habere, & forsan ex parte objecti actu sit disconformis. Hæc Doctrina est omnino concedenda ab Adversariis, ne cogantur asserere, Antiquos falsum sustinuisse dum dabant licentiam, ex pluribus opinionibus sequi *quam voluissemus*, præcipuè verò est concedenda, ne dicamus, Angelicum Præceptorem falsum defendisse, dum utranque opinionem in speculativis propugnavit. Pater Gonzalez est versatissimus in D. Thoma, quem toties allegat; unde impossibile est, quòd non viderit textus in quibus utranq; opinionem docet; Si verò vidit, quomodo potuit dicere, æqualem opinionem esse erroneam, falsam, indifferentem ad verum, & falsum? Nunquid D. Thomas defendit opinionem erroneam, falsam, indifferentem ad verum, & falsum? Nec juvat dicere, D. Thomam loqui in materia speculativa; nam etiam est absurdum dicere, quòd Sanctus Doctor tales opiniones defenderit. Ad exemplum de horologio jam dixi supra. Ex his patet responsio ad confirmationem.

6. In §. 9. Affert illam famosam regulam, de qua sæpius egi, *in dubiis tutior pars est eligenda*, & subdit, in nostro casu necessariò intellectum suspendere assensum, & neutri parti adhærere; certum est autem, tunc propriè intellectum dubitare. Sed ibi nihil affert, quo probet, intellectum neutri parti assentire, de quo puncto est difficultas; probat autem efficaciter, quòd dato tali dubio, idest dato, quòd intellectus nullum habeat assensum, voluntas peccet faciendo rem, quam docet opinio benigna. De hoc nulla est difficultas, & est certum principium, & est formaliter ipsa regula: *In dubiis tutior pars est eligenda*. In fine illius §. refert textum D. Augustini, dicentis: *In causa salutis hoc ipso quis pec-*

peccat, quòd certis incerta praeponat: Efficere id, quod incertum est, an sit peccatum, certum peccatum est. Alibi aliquid dixi circa hosce textus, sed diffusiùs respondebimus, cum de opinione minùs probabili agemus.

7. In §. 10. Probat, dubium speculativum non distingui à dubio practico; unde, qui dubius est in universali, an *liceat pingere in die festo*, dubius etiam est, an in hoc die liceat pingere, *nisi aliqua ratio*, inquit num. 61 fin. *Specialis judicium practicum ab speculativo variare cogat, judicando hic, & nunc licitum, quod in communi judicatur illicitum, aut de eo dubitatur.* Ego quoque non dubito, si in speculatione omnia sint cognita, & intellectus dubitet, quòd dubitabit etiam in practicis, hoc est in particulari, ut patet in illo exemplo de pictura facienda in die festo. Sed hæc Doctrina nihil est contra me. Subdo tamen intellectum non esse dubium, dum est inter opiniones probabiles, si accedat imperium voluntatis. *Qui vult tenere primam opinionem: qui vult tenere secundum opinionem. Elige quam volueris.* Verba expressa Richardi, & aliorum Antiquorum. Vide caput antecedens num. 32. 35 & seqq. & num. 43. & seqq.

8. In §. 11. Probat contra Moyam, non dari ignorantiam invincibilem, dum sumus inter opiniones æqualiter probabiles. Dicebat Moya. *Dubium, quod facta diligentia sufficienti vinci non potest, ignorantiam invincibilem constituit. Ergo, qui post sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem de existentia praecepti naturalis, vel Divini, vel humani dubius adhuc manet, nequit operando delinquere, quia ignorantiam invincibilem excusare à peccato, Fide Sanctum est.* Gonzalez instat, quòd, si hoc esset verum, non peccaret ille, *qui facta diligentia ad inquirendam veritatem de praecepto non pingendi in die festo dubius adhuc manet propter occursum opinionum contrariarum æquè sibi probabilium; non peccaret, inquam, quamvis immediatè post illam dubitationem non interposito dictamine reflexo, prodeat in actionem.* Sequellam probat, *quia operari immediatè post ignorantiam invincibilem de malitia operationis est operari sine peccato.*

9. Vidimus supra, illam esse ignorantiam invincibilem juxta Antiquos, *quæ studio superari non potest.* Vendrochius addebat huic definitioni illam particulam, *& oratione.* Hæc additio pro nunc nihil prodest, aut obest; nam loquimur de eo, *qui facta sufficienti diligentia dubium vincere nequit.* Ergo juxta Antiquos, qui posito studio sibi possibili ignorantiam tollere nequit, hic habet ignorantiam invincibilem. Ego fateor, me nescire definire aliter ignorantiam invincibilem. Est omnino certum, quòd, si dubitans operetur cum dubio, peccet, quia se exponit periculo proximo transgrediendi legem, dum operatur ex cognitione, quæ formaliter importat utranque partem contradictionis, sicut est dubium, ut vidimus cap. 6. & sic importat cognitionem dicentem præceptum; ergo operatio facta ex hac cognitione, si non sit conformis præcepto, erit mala. Subdo, habens motiva gravia æqualiter moventia ad utranque partem potest se determinare ad partem benignam ex voluntate juxta Richardum, & alios Antiquos. Vel ex benignitate juxta D. Antoninum, Nider & alios Antiquos allegatos cap. 31. Vide cap. 6. num. 41. 42. 46. & 47. Concedo equidem, quòd opinio æquè probabilis sit incerta; at incertitudo in cognitione directa non obstat, ut operemur rectè; quia etiam opinio probabilior est incerta; & tamen per Gonzalez opinio probabilior est bona regula morum.

10. In §. 12. Probat illud axioma: *In dubiis melior est conditio possidentis*, valere solùm in materia Justitiæ; hinc In §. 13. infert, dubitantem de voto subjacere voto, nec ex titulo suæ libertatis habitæ ante tale dubium posse eximi à voto. Probat suam sententiam num. 69. quia aliter dicendo sequitur, dubium de homicidio non debere se gerere ut irregularem, quia melior est conditio libertatis. Hoc autem est apertè contra. c. *ad audientiam* de homicid. & alia jura. Nec juvat

juvat dicere, ideo esse irregularem, quia ita Pontifex statuerit; nam Pontifex in illis textibus non præcipit noviter, ut tutior pars eligatur, sed potiùs supponens regulam illam tanquam veram, colligit ex ea, in eo casu censendum esse irregularem eum, qui dubitat, an occiderit.

11. Hanc doctrinam, quatenus dicit universaliter, dubium de irregularitate debere censeri irregularem, puto esse contra Scotum, quem attuli cap.16. nu 10. ubi ait ex 4. dist.6. quæst.8. *Universaliter pœna canonica non incurritur, nisi à latore canonis inferatur;* ubi ergo non invenitur ex vi verborum inflicta, *tunc simpliciter est dicendum, quod nulla est; non enim verba constitutionum pœnaliam sunt amplianda, sed restringenda juxta illam maximam juris, odia restringi, &c.* Certè illa verba: *ubi ergo non invenitur ex vi verborum inflicta*, significant certitudinem rei; quod enim significatur ex vi verborum, est clarum, & manifestum; & sic est certum. Tum quia, quod significatur ex vi verborum, non est dubium; verba enim sunt instituta ad significandum clarè, & expressè conceptus rerum.

12. Confirmatur. Ibidem Scotus negat, bis baptizatum ignoranter ignorantia facti esse irregularem, quamvis in c. *qui bis* de consecr. *dist.*4. expressè dicatur; talem non posse ordinari. Respondens autem huic textui dicit, esse Theodori Episcopi Cantuariensis, qui non poterat infligere irregularitatem; & licèt ponatur in Decreto Gratiani, nihil obstat, quia debuisset, ut tale Decretum obligaret, esse confirmatum à Papa, quod *non est manifestum; nec etiam eo modo, quo est manifestum de omnibus capitulis positis in Decretalibus.* Ecce, ut aliqua regula evadat lex Ecclesiastica, Scotus requirit, ut *manifestè confirmetur à Papa*, ut *est manifestum de omnibus capitulis positis in Decretalibus.* Ergo juxta Scotum ad incurrendam irregularitatem requiritur, ut fiat actio, quæ sit contra textum manifestè approbatum à Papa. Ergo quoties est dubium, an in hoc casu detur lex, tunc debemus, juxta maximam Scoti negare existentiam Legis. Lege cap 16. num.19. & cap.30. num.21. Quæ dixi de irregularitate, dices de Confessione, & de aliis præceptis Ecclesiæ.

13. Hinc colliges, juxta Scotum in dubio facti homicidii hominem censeri irregularem, quia ita statuit Pontifex de novo, non verò ex vi legis antiquæ de irregularitate incurrenda propter homicidium perpetratum. Ratio est, quia ut dicebat ipse, *Odia sunt restringenda;* unde constitutiones pœnales specialiter sunt restringendæ. Ergo debet assignari casus, in quo specialiter Lex pœnalis non habeat locum, in quo aliàs lex non pœnalis haberet locum; Ego autem non video posse assignari hunc specialem casum, nisi in dubio. Hinc in 4. dist.7 quæst.5. ut retuli cap.16. num.12. dixit Scotus: *Universaliter nulla pœna canonica, quæ non est inflicta à Papa condente ejus, non incurritur ipso jure.* Nec propter argumenta exponentium canones sive à simili, sive à contrario sensu est aliquis tali pœna astrictus, *quia possunt exponere jus conditum, non autem condere novum per suas expositiones..... cum ergo non inveniatur in jure canonico* expressè *pœna irregularitatis inflicta pro iteratione confirmationis, sequitur, quòd non incurratur.* Ita Doctor Subtilis verbatim. Ego subsumo: sed quando est dubium, an hic casus subjaceat irregularitati, tunc non est *expressè* pœna irregularitatis inflicta: ergo tunc pœna irregularitatis non incurritur. Ergo, nisi Pontifex expressè statuisset, dubium facti homicidii incurrere in irregularitatem, hic dubius non incurreret irregularitatem. Hæc quoque Doctrina est juxta D. Thomam, qui dixit non esse vitandum illum excommunicatum, de quo Doctores variant in opinionibus, nisi accedat sententia Judicis. De hac Doctrina alibi dixi.

14. In eodem §. 12. num.71. & 72. dicit, possessionem in materia justitiæ augere jus, quia, nisi ita dicamus, nemo esset securus de pacifica possessione rerum. Libertas nostra è contra nequit esse

esse titulus ad censendum non esse legem latam à Deo, quia, cum homo ratione suæ libertatis essentialiter sit subditos Deo, nequit titulus libertatis quicquam conducere ad judicandum, non existere legem prohibentem illam actionem. *Quare titulus libertatis non deservit ad resolvendum dubium, an res sit, vel non sit probibita; titulus autem possessionis rei facit ad resolvendum dubium illud, cujus sit, vel ad quem pertineat majoratus, &c.* Hinc Author nu.13. subdit, quòd, si tam jus ad rem, quam ipsa possessio sint dubia, tunc nequit res integra uni judicari, & hoc probat authoritate Lessii, Lugo, & aliorum Recentiorum, sed debet dari unicuique sua pars.

15. Sed contra, quia Doctor non bene probat, Libertatem non esse titulum deponendi dubium ex eo, *quia Libertas sit essentialiter subdita Deo*; nam ex hac ratione sequitur solùm, quòd possit subjici legi Divinæ, & data Lege Divina, quòd teneatur ipsa obedire. Titulus ergo libertatis, quam quis certè habebat ante dubium faciendi hanc rem, prout sibi libebat, debet esse sufficiens ad deponendum dubium superveniens. Ad illud, quod additur de possessione dubia, patet, si res sit indivisibilis, ut majoratus, Regnum, & similia, non posse fieri divisionem. Vide cap.30. num.18. Tum quia, si res dividatur, certum est, ex parte objecti fieri contra jus tertiæ Personæ; E contra, si tota integrè uni tribuatur, non est certum fieri contra tale jus; minus autem malum est facere illud, quod dubie est contra jus, quàm facere illud, quod est contra jus certum.

16. Dicebam, titulum certum, quem quis habet ante dubium, faciendi rem, prout libet, esse sufficientem ad tollendum dubium superveniens, & hoc explico in dubio voti, & similibus casibus. Dico ergo, dubitantem, an emiserit votum, non teneri ad votum. Ratio est, quia in c. *ex parte* de cens. deciditur, quod, si non constat de voto alicujus mensuræ, & habitatores Regionis modo solverunt majorem mensuram, modo minorem, tunc solventes minorem, non sunt cogendi ad majorem solvendam, *quoniam, cum hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt à viris Ecclesiasticis exigenda.* Ecce dubius de voto quoad majorem quantitatem non cogitur ad ipsam solvendam. Glossa in figuratione casùs dicit: *in dubiis liberum est sequi, quod magis placuerit magnum, vel parvum.* Vide cap.21. num.29. ubi affero casum similem in Legato dubio. Confirmatur. Per Adversarios dubitans de voto debet tutiorem partem eligere; nec libertas est sufficiens deponendi dubium; sed in illo casu deciso ille erat dubius, an emiserit votum de mensura majori; ergo ille debebat solvere mensuram majorem, nec sufficiebat libertas ad illum exonerandum; ergo si per libertatem liberatus est; jam libertas est sufficiens ad dubium tollendum.

17. Dices, tolli dubium non ratione libertatis, sed quia præsumitur, non se voluisse magis se gravare. Sed contra evidenter. Ergo ex libertate voluntatis sumitur obligatio. Ergo, si non adest præsumptio se obligandi, Libertas non obligatur; sed in dubio de voto non est talis præsumptio, ut patet; ergo, &c. Probatur minor, quia sic in casu deciso à canone ad fuisset præsumptio de majori quantitate.

18. Dices iterum. In illo capite absolvitur à dubio quoad quantitatem, non verò quoad substantiam voti; imo hæc præcipitur, ut solvatur; nos autem loquimur de dubio ipsius voti quoad substantiam.

Sed contra, quia præcipitur solutio voti quoad substantiam, quia erat votum certum; & non præcipitur solutio quoad quantitatem, quia erat dubium. Quòd verò dubium sit quoad substantiam actùs, vel quoad quantitatem, impertinenter se habet quoad rationem formalem dubii, quod sistit in suspensione intellectùs quoad judicium utriusque partis; & in rei veritate nequit negari, dari dubium propriè sumptum

quo

quoad quantitatem operis, licèt detur certitudo quoad substantiam, & hoc dubium puto intervenire in allato capite.

19. Dices tertio. Illud capitulum sumatur in rubro, & apud Doctores sic, ut patet per Joannem Andream, Ancharanum, Butrio, & Abbatem: *Si ad unicam mensuram solvi solet, quod debetur ex voto, ad illam imposterum solvi debebit; si verò ad varias, liberabitur volens etiam ad minores.* In hac summa nihil dicitur de dubio. Ergo capitulum non est ad propositum.

Sed contra, quia habitatores illius Regionis solvebant modo majorem modo minorem mensuram, & ipsis non constabat, quam mensuram Antiqui voto promiserint; ipsis verò non constabat, quia longis temporibus cessarunt à solutione. Ecce clarè dubium de quantitate rei promissæ per votum; & ecce clarè, quòd solvitur certum, & incertum relinquitur insolutum. Ergo dubius de voto non tenetur voto. Vide citatos Doctores in hoc capitulum, & præcipuè Abbatem, qui num 5. sic scribit: *Isti voverant dare, puta unum sextarium frumenti*, sed non apparebat de quo sextario fuisset intellectum, *unde dando medium*, (nempe modicum frumentum) *non contigisset liberatio, quia saltem valebat oblatio secundum sextarium minorem.*

20 In fine illius §. 13 Pater Gonzalez scribit: Quamvis autem quis ob rationem nuper allatam posset tueri *in dubio voti, & præcepti* humani non dari obligationem observandi præceptum, & adimplendi votum, non posset similis ratio ad dubium juris naturalis, & præcepti Divini transferri; nunquam enim habuit homo indubitatam libertatem ad exercendam impunè, & sine peccato actionem illam, de qua prudenter dubitatur, an sit intrinsecè mala, & jure naturali prohibita.

21. Sed contra, quia dicebamus ex Nider, Deum esse magis benigniorem Legislatorem, quam homines; unde ex hoc inferebamus cum ipso in præceptis Dei esse sequendas opiniones benigniores, quàm in præceptis humanis. Tum quia falsum est, nos non habuisse hanc libertatem quoad præcepta Divina; quia Lex Divina superadditur naturæ, & natura potest esse sine ipsa. Ad summum valeret de dubio in jure naturali. Vide cap.21. num.

22. In §. 14. Impugnat Probabilistas illos dicentes, in dubio nos non teneri ad legem, quia non est sufficienter promulgata; impugnat verò num.81. quia, si hoc est verum, sequitur, non peccaturum illum, qui supposito hoc dubio, & non formato judicio reflexo, quo judicetur hìc, & tunc sibi licere operationem, operaretur. Sequella probatur, quia juxta hanc responsionem nulla datur lex; & sic nulla obligatio; ergo operans cum tali dubio non peccat.

23. Sed contra evidenter. Si quis habet dubium, an in hoc die martis adsit Lex de jejunio, si aliàs supponeremus, talem legem non adesse, adhuc peccaret non jejunans; & tamen supponimus, à parte rei non dari legem de jejunio. Præterea per Patrem Gonzalez licet sequi in praxi opinionem probabiliorem; unde per ipsum in illo casu nulla datur lex sequendi opinionem rigidam. Quæro, si non haberet operans aliud judicium reflexum, quo judicaret certò, sibi licere uti in re obscura opinione probabili, non ne operaretur ex cognitione formaliter periculosa, & incerta; & sic peccaret? Certè hoc negari nequit; & tamen habens opinionem probabiliorem non habet præceptum operandi juxta opinionem rigidam.

24. Respondetur igitur ad argumentum, ut operatio sit bona, non sufficit, quod à parte non adsit lex; sed oportet, quòd appareat voluntati, non adesse talem legem: quia regula proxima humanorum actuum est cognitio, ut dicebamus alibi cum D. Thoma, & cæteris Theologis. Habens dubium de existentia legis non habet legem ex parte objecti, ut tamen operatio sit bona, oportet, quòd intellectus reflectat, & faciat judicium, in tali dubio non adesse legem;

gem; sicut habens opinionem probabiliorem nullam habet legem sequendi partem rigidam. Adhuc tamen, ut bene operetur, debet formare judicium certum, quòd liceat nunc operari.

25. In §. 15. ait num. 80. quòd dato etiam, quòd voluntas posset flectere intellectum existentem inter motiva æqualiter probabilia, adhuc tale imperium non esset prudens, quia voluntariè se exponeret periculo agendi contra legem Dei, cum videret partem rigidam esse æquè probabilem, ac pars benigna; unde prudentia nullum haberet motivum præferendi unam alteri. Ergo nullam præferre potest; atque adeo intellectus remanebit dubius.

Sed contra, retorqueo argumentum. Potest saltem in scholis defendere partem benignam, & ad ipsam se determinare. Inquiro, an illa judicetur vera, vel falsa; non utique falsa, quia falsum nequit approbari, & defendi. Ergo erit vera. Si erit vera; ergo erit etiam bona regula; cum veritas in re morali sit bona regula morum.

26. Respondetur ad argumentum ex dictis cap. 6. num. 48. nullum esse peccatum; quòd voluntas imperet intellectui, ut solvat rationes opiniones rigidæ, & hunc modum procedendi Antiqui passim usurparunt, præcipuè magnus Richardus. Solutis rationibus tunc intellectus est liber adhærendi opinioni benignæ; nec tunc adest periculum proximum, & formale faciendi contra legem, sed tantùm materiale, & remotum; nam pars rigida non judicatur actu vera, cum suæ rationes sint solutæ; hinc Durandus etiam videns quandam opinionem esse *multùm duram*, licèt probabilem, illam relinquit amplectendo benignam, & solvendo rationes opinionis probabilis *multùm duræ*.

27. Subdit num. 91. licèt ex imperio voluntatis in nostro casu intellectus flecteretur ad unam partem, hic assensus esset nimium debilis, & parùm firmus, & magis suspicio quædam, quàm verum, & determinatum judicium, quale requiritur ad securitatem conscientiæ.

Sed contra, quia suspicio tenetur *levi signo*, ut suo loco dicebam cum D. Thoma; in nostro autem casu non *levi signo*, sed gravi impellor ad assensum, & est adeo grave, ut magnus Richardus, & alii Antiqui dicerent: *Qui vult tenere primam opinionem. Qui vult tenere secundam opinionem*, &c.

28. In §. 16. affert ex Sylvestro definitionem dubii, quod *sit contrariarum rationum æqualitas*, & ait, hanc definitionem esse juxta mentem Philosophi, & D. Thomæ. Sed alibi vidimus, Aristotelem rejicere illam definitionem ut malam. Divum verò Thomam, videbimus mox, recognoscere, dari dubium absque æqualitate contrariarum rationum.

29. In §. 17. rejicit divisionem dubii, quam communiter amplectuntur moderni; in dubium scilicet positivum, & negativum. Dicit, non posse appellari dubium negativum illud, quod pro neutra parte habet rationes, sed potiùs esse appellandam nescientiam, & ignorantiam; *Ego enim modò non dubito*, an astra sint paria, nec, an Turca saltet, vel dormiat, *quia pro neutra parte occurrit mihi ratio*, sed *penitus nescio, & ignoro.* Et interrogatus, sintne Astra paria? Respondere debeo: *Nescio*, & ineptè responderem: *Dubito*, quia, si ita responderem, statim posset aliquis interrogare: *Quam rationem habes dubitandi?* De hoc diffusè egi contra Vendrochium cap. 6. num. 8. & seqq.

30. Hæc Doctrina est apertè contra D. Thomam *de Verit.* quæst. 14. art. 1. & attuli cap. 6. num. 4. & mox referam Ad illam interrogationem, possum respondere per verbum, *Nescio*, quia hoc significat & carentiam cognitionis certæ, & cognitionis compositæ, scilicet Judicii; & in hoc casu verè careo cognitione certa, & cognitione composita, quia nullum actum Judicii habeo. Potest etiam aptè respondere illi interrogationi per verbum, *Dubito*, nam D. Thomas loco allegato dicebat: *Quandoque intellectus non inclinat magis ad unum, quàm ad aliud*, vel propter defectum moven-

tium

tium, sicut in illis problematibus, *de quibus rationes non habemus*, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem, *& ista est dubitantis dispositio.* Textus clarus, apertus, & ineluctabilis. Ad illam instantiam respondetur rectè: *Nullam habeo*, quia ex duplici capite ex D. Thoma potest quis dubitare. Primum caput *est defectus moventium.* Ergo in nostro casu de Astris per D. Thomam dubitamus.

31. Quando Pater Gonzalez subdit, quòd, si dubium positivum tale diceretur *à rationibus probabilibus*, quæ occurrunt pro utraque parte, *sic enim omne dubium negativum erit simul positivum, & coincident in unum utrumque divisionis extremum.*

32. Respondetur, illam divisionem dubii in positivum, & negativum, non esse essentialem, sed accidentalem; unde est divisio penes diversa connotata, & est similis illi divisioni de deficientia formæ; si enim sit in subjecto apto, vocatur *Carentia*; Si sit in subjecto incapaci, dicitur pura *Negatio*; Utraque deficientia formaliter est eadem, & est diversa penes connotata. Sic accidit de illa divisione Dubii. Hinc Probabilistæ dicunt, dubium positivum non esse propriè dubium. In rei veritate, ut dixi cap.6 num.62. Dubium propriè, & formaliter consistit in suspensione judicii ad utranque partem. Hinc formalitet est quid negativum.

33. Tandem in §. 18. totus est in probando, *utramque partem contradictionis non posse esse simul probabilem eidem intellectui.* Num.102. affert paritatem de testibus; Si tres testes jurent, se vidisse Petrum Romæ, & alii tres testes jurent, Petrum illo tempore fuisse Parisiis; tunc res est dubia. Ergo etiam, si tres Doctores affirment, contractum A. esse licitum, & alii tres asserant, esse illicitum, res erit dubia, & nulla pars mihi probabilis debet esse Respondetur, disparitatem esse, ut alibi dixi, quia in testibus non potest solvi eorum authoritas in ordine ad unam partem, & non solvi in ordine ad aliam. Vide cap.6. num.51. E contra in Authoribus potest solvi una pars, alia remanente in suo robore. Hinc Richardus, & alii Antiqui in ordine ad plures opiniones dicebant: *Qui vult tenere primam opinionem &c. Qui vult tenere secundam opinionem, &c.*

34. Num 104. scribit: Sicut mihi evidens est, alterum è duobus contradictoria narrantibus ut à se visa, mentiri; ita mihi evidens est, alterum è duobus Doctoribus contraria asserentibus decipi; authoritas autem non minùs tollitur per deceptionem, quàm per mendacium; *sicut enim dignus fide non est apud me ille*, quem scio mentiri in eo, *quod affirmat; Ita dignus fide non est apud me ille*, quem scio decipi in eo, *quod asserit.*

35. Si paritas inter Doctores, & Testes currit, sequitur, quòd ille, qui credit esse æquales in authoritate D. Thomam, & D. Bonaventuram, non posset tenere conclusionem speculativam, quam docet D. Thomas motus ex sola ejus authoritate; sic enim mendacium diceret, cum intellectus non haberet pro vera illam opinionem. Per allatam disparitatem eruitur responsio ad argumentum; assignatur enim eadem disparitas. Si ergo authoritas Doctorum contraria asserentibus fundaretur in unica eadem ratione, sicut fundatur authoritas Testium contraria narrantium, tunc paritas Doctorum, & Testium curreret; at res ita non se habet; cum enim, ut dicebam, authoritas Doctorum fundetur in suis rationibus, & rationes sint diversæ; hinc alia est authoritas D. Thomæ, alia D. Bonaventuræ; sic solutis rationibus D. Thomæ solvitur quoque ejus authoritas, cum fundetur in illis; E contra non solvitur authoritas D. Bonaventuræ, imo magis roboratur, cum roborentur ejus rationes, quę impetebantur à rationibus D. Thomæ. Hinc Richardus, & alii volentes ex pluribus æqualibus opinionibus alterutram sustinere, alterutrius rationes solvebant: *Qui vult tenere primam opinionem, potest respondere ad argumenta opposita, &c. Qui vult tenere secundam opinionem,*

potest respondere ad objecta, &c.

36. Ego peto à Patre Gonzalez, si respectu eidem intellectui utraque pars simul probabilis apparere nequit, quomodo D. Thomas potuerit sustinere utranque opinionem in materia de creatione Mundi, D. Bonaventura dicere, opinionem utranque esse satis sustinibilem, & Astensem affirmare, utranque sententiam esse tolerabilem.

Hic Author in prædictis locis plurima alia affert contra nostram conclusionem, quæ tamen brevitatis gratia omitto, & ex his possunt facilè solvi.

37. Nunc transeamus ad Patrem Natalem Alexandri, Doctorem famosum, & celebrem ob notitiam tum Historiæ Ecclesiasticæ, tum Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis, celebriorem futurum apud Italos, si sententiam de superioritate Concilii supra Papam non propugnasset.

38. Igitur hìc Doctor in tract. *de peccatis* reg.19. tenet, æqualem probabilitatem non esse bonam regulam morum. Probat ex D. Bernardo lib.5. *de consid.* cap.3. quem expendi cap.2. num.5. ibi illum lege. Relato textu subdit Author. *Cum igitur homo, qui dubius est in quæstione mores tangente, in qua salutis periculum vertitur, tutiorem sequi teneatur ex præcepto, rectè colligitur in ea hypothesi, qua utraque opinio judicatur æquè probabilis, tutiorem necessariò esse eligendam.*

39. Fateor ignorantiam meam, salva reverentia, textum Beati Bernardi nihil probare. Nihil officit, quòd opinio *nihil certi habeat.* Opiniones quoque Scoti, & D. Thomæ oppositæ nihil certi habent, ne dicamus alterutrum fuisse Cœcum; & tamen non per hoc illæ opiniones sunt reiiciendæ. Opinio probabilior pariter nullo modo est certa; & tamen illam sequitur Author. Tum quia D. Bernardus loquitur de opinione, non de duabus æqualibus opinionibus; Ergo, si textus probat aliquid, probat etiam de qualibet opinione; & sic nulla opinio esset bona regula.

40. Igitur cognitio de objecto, in quod operandum est, non debet necessariò esse certa; aliter in paucis possemus operari, & aliter opinio D. Thomæ non esset apta ad praxim. Conscientia quidem debet esse certa, ne, si formidet, periculo peccandi se exponat. Quòd cognitio de objecto, in quod operandum est, non debeat esse certa, patet ex c. *à nobis el.* 2. de senten. excomm. in quo dicitur: *Judicium Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli.*

41. Hunc textum D. Bernardi retulerat Fagnanus in c. *ne Innitaris* de const. num.66. cui inter alios responderat Cardenas in sua Crisi Theologica disp. 56. cap.19. art.1. num 989. dicendo, opinionem non esse formaliter ipsam regulam morum, sed judicium fundatum in ipsa opinione, quo certò judicatur, in rebus obscuris posse nos uti opinione probabili. Mirum est, quomodo Pater Alexandri usus fuerit textu, clarè explicato ab Adversariis, & nihil ipsis responderit. Ego tamen non puto verum, quod idem Cardenas num.991. dicit, scilicet Doctorem Mellifluum in illo textu loqui de opinione abstrahendo à probabili, & improbabili. Ego puto, loqui de vera opinione; nam loquitur de opinione, per quam cap.4. ait, nos posse considerare cœlestem Hierusalem, & Angelicos Spiritus. Nunquid opinione non probabili fas est attingere cœlestia? Quòd verò dicat Cardenas, opiniones D. Thomæ *habere assertionem, & non esse temerarias*, nihil probat; est enim (salva reverentia) falsum, opiniones Doctoris Angelici habere *assertionem*, sumendo *assertionem* in sensu, quo accipiebant Antiqui, qui dicebant, de Notionibus divinis, & in aliis rebus obscuris, posse nos *variè opinari*, non verò *asserere*; & D. Bonaventura scripsit, Doctores Catholicos in *assertionibus* convenire, non vero *in opinionibus*. Certè Catholici tractatores etiam in opinionibus probabilibus non conveniunt inter se, & opinionibus probabilibus variant tractando de Notionibus divinis. Ergo juxta Antiquos opinio probabilis non habet assertionem. Igitur, si in assertionibus Catholi-

tholici conveniunt, debemus dicere per *assertionem* intelligere assensum certum: nam solùm in re certa omnes conveniunt, & in re opinabili differunt. Vide cap.21. num.19. & cap.23. à num. 16. ad 21. & audi Altisiod. in 3. tract.8. cap.4. quæst.5. de via quarta dicentem: *Qui per naturales rationes* aliquid asserit de Deo, *quod non est ei certum nec per Sintheresim, nec per Fidem, nec per Sacram. Scripturam*, peccat mortaliter, *quia præsumit*. Ne verò de hoc deinceps dubitemus, legamus D. Tho. Opusc.11. art.27. dicentem: *Nullum periculum hic video*, quin opinari possit, si assertio desit, *quæ posset ad præsumptionem immutari*. Hinc sequitur, quòd, si opinio habet *assertionem*, idest assensum firmum, *temeraria est*, ut dicit B. Bernardus, quia ille est temerarius, qui se certum credit, dum de re contingenti judicium certum profert; contingens enim est objectum opinionis, non certitudinis, ut cum Arist. Divo Thoma, & aliis dicebamus suo loco.

42. Author deinde totus est in probando, quòd intellectus inter duas opiniones æqualiter probabiles existens sit dubius, anceps, & fluctuans. Probat ex c. *nervi* 13. dist. in quo refertur, hominem constitutum inter varias opiniones esse perplexum. Ex c. *fraternitatis* de frigid. & malefic. illis verbis: *Sentententiam divortii per errorem probabilem novimus esse prolatam*. Et tamen Papa ait, *rem tunc temporis fuisse dubiam, quandiu articulus dubitabilis erat*. Ex c. *illud* de præsump. illis verbis: *in hujusmodi dubitatione*. Ex c. *veniens* de præsbyt. baptiz. in quo utraque pars probabilis affertur, & tamen Papa ait: *in hoc dubitabili casu*.

43. Hosce textus, & alios pro se olim attulerat Fagnanus num.148. & solverat Cardenas art.3. num.1062. unde iterum mirum est, quòd Patet Natalis conatus non fuerit impugnare has solutiones. Igitur universaliter dicimus hisce textibus, inter rationes æquè probabiles posse dubium intervenire, at dubium posse solvi ex imperio voluntatis imperantis intellectui, ut satisfaciat rationibus alterius, ut dicebant Richardus, & alii Antiqui: *Qui vult tenere primam opinionem, potest respondere objectis, &c.* Potest etiam solvi dubium respiciendo ad benignitatem unius partis, nam ut vidimus cap.29. juxta plures, & plures Antiquos *inter plures opiniones*, cæteris paribus, *benignior est amplectenda*.

44. Peculiariter verò respondetur ad Canonem, *Nervi*. Hic certè nihil prodest Adversariis. Tres casus in ipso ponuntur perplexitatis. Primus erat de quodam, qui jurat, se celare omnia secreta sui socii, quem scit velle interficere maritum suæ Adulteræ, unde timet manifestare hoc secretum ob juramentum. Secundus est de eo, qui prælato promittit obedientiam, & perplexus est ei obedire, præcipienti aliquod malum. Tertius est de illo, qui acquisivit Beneficium Ecclesiasticum per Simoniam, & timet peccare, si gregem sibi commissum deserat. Ita Glossa in figuratione casùs.

45. Probabilistæ dicunt, inter opiniones æquè Probabiles Thomistarum, Scotistarum, Baconistarum, & similium nos posse eligere, *quam volumus*. Addunt nullam ex illis opinionibus esse fatuam. E contra in illis casibus dicunt cum Glossa in c. *duo mala* V. *eodem* & d. c. *Nervi* V. *particeps* in illis opinionibus unam fuisse *fatuam*. Vide cap.31. num.87. Nonne est fatuum dubitare, an *liceat celare secretum de homicidio perpetrando, de obediendo in malis, de retinendo Beneficio Simoniacè acquisito?* Nonne istæ sunt materiæ clarissimæ? Si quis est inexcusabilis ex D. Thoma quodl.3. art. 10. qui sequitur opinionem erroneam, quamvis tradatur à Magistris, erit excusabilis, qui sequitur errorem apertum, assertum à sua fatua opinione? Dicimus ergo, intellectum existentem inter opiniones, quæ sint contra manifestum scripturæ testimonium, vel contra id, quod publicè tenetur per Ecclesiam, non excusari ab erroris vitio, si sequatur erroneam opinionem Magistrorum. Ita verbatim D. Thomas ibidem. Ex hoc

nos ponimus regulam à contrario sensu deductam. Si intellectus existat inter opiniones æquè probabiles, quæ non sint contra manifestum scripturæ testimonium, vel contra id, quod publicè tenetur per Ecclesiam, & sequatur quamlibet ex illis, ab erroris vitio excusatur. Ratio est, quia tunc non tenemur scire veritatem, cum hoc sit impossibile in materia obscura; ergo, si opinio est falsa, nobis non est imputanda.

46. Dices, tam est dubius, qui est inter varias opiniones, quorum una sit fatua, quàm ille, qui est inter opiniones verè probabiles. Ergo eadem regula est adhibenda.

Sed contra nego antecedens, nam primus stultè dubitat, dum debet esse certus. Si quis dubitaret in meridie, an Petrus esset in Platea, nonne esset fatuus, dum clarè potest videre veritatem? Secundus dubitans est in materia obscura; unde ipsi licet dubitare, quia nequit videre veritatem. Insuper habet rationes fortes pro utraque parte, & sic alterutri potest adhærere ex imperio voluntatis ex dictis toties; licèt enim, inquit Major in 4. quæst. 2. prolog. §. *tertio arguitur*, non possimus assentire sine ratione propositioni inevidenti; tamen cum motivis æqualibus, quantum est de se, *possumus ex passione animi uni parti assentire*. Patet exemplariter. Nunc Parisiis dicitur, quòd exercitus Regis est victor in Italia. Duo æquè præsentes sunt, *quorum alter Gallus diligens assentit, alter dissentit*. Ecce passio Animi flectit intellectum existentem inter motiva æqualia.

47. Pater Caietanus Verani tom. 5. sive Theologiæ Dogmaticæ disp. 31. sect. 21 resolvit, non posse nos sequi opinionem, quam volumus, inter plures æquè probabiles, si illa subsit periculo frangendi legem.

48. Probat suam conclusionem ex illo axiomate: *In dubiis tutior pars est eligenda*, & ex D. Augustino dicente, *certum esse præponendum incerto*. De quo alibi. Addit textum ex c. *juvenis* de sponsal. ib.: *In his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.* Huic textui respondet Cardenas art. 4. num. 1089. cum Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 41. nu. 9. ibi agi de dubio practico, in quo utique tutior pars est eligenda.

49. Prosequitur Author, & dicit in tali casu intellectum esse dubium, nec esse audiendos illos, qui dicunt non esse dubium ex eo, quia est certus de probabilitate utriusque partis; nam aliud est, intellectum esse certum de probabilitate utriusque partis, & aliud, intellectum esse certum, unam potiùs, quam alteram ex illis esse veram. Primum conceditur, & secundum negatur; quia eo ipso, quòd intellectus judicat utranque opinionem esse probabilem, cognoscit in utraque quandam apparentiam veritatis; siquidem Probabilitas sita est in hujusmodi apparentia; *eo autem*, quòd judicat, utranque continere apparentiam veritatis, *non potest esse certus, quænam ex istis sit vera*; alioquin, si cognosceret unam esse veram, necessariò cognosceret oppositam falsam; unde, *si non est certus, quænam ex illis sit vera*, sequitur, quòd, tametsi sit certus de probabilitate utriusque, *adhuc hæreat anceps, & dubius, quænam sit vera.*

50. Turrecremata in c. *Sancta* 15. dist. quæst. 3. fin. ut retuli cap. 21. num 25. fin. scribit: Ad hoc, quòd etiam rectè Ecclesia recipiat talium Patrum Opuscula ad legendum modo, quo diximus, sufficit, *quod talium Patrum Opuscula habeant Probabilitatem veritatis*. Si, ut Ecclesia rectè recipiat Patrum Opuscula, juxta Turrecrematam Antiquum sufficit, quòd illa Opuscula habeant solùm *Probabilitatem veritatis*, cur Modernus Verrani exigit ad rectè operandum *certitudinem veritatis?* Procul *dubio* est nimis scrupulosus. Præterea vellem scire, quomodo ex eo, quòd intellectus *non potest esse certus*, quænam ex duabus opinionibus æquè probabilibus sit vera, deduci possit, quod intellectus *adhuc hæreat anceps, & dubius, quænam sit vera.* Qui opinatur aliquod esse verum, certè hic non potest esse certus de veritate illius; & tamen est evidens, quod opinans

nans non hæret anceps, nec dubius est de veritate rei; Opinio enim, & dubium juxta omnium consensum, & precipuè Doctorem Angelicum, sunt essentialiter diversa. Præterea Probabiliorista non est certus de veritate rei, quia Probabilioritas potest esse falsa; Ergo si ille, qui non est certus de veritate rei, hæret anceps, & dubius, etiam Probabiliorista non poterit operari rectè. Quomodo ergo Pater Verani dicit, Probabilioritatem esse bonam regulam morum? Igitur concludendo dico, qui est certus de Probabilitate opinionis, hic judicat probabiliter potiùs esse veram illam partem, & aliam falsam; unde non est anceps, & dubius. Qui versatur inter duas opiniones æqualiter probabiles potest vel **ex** *voluntate*, vel ex *Benignitate opinionis* se determinare ad opinionem mitiorem, ut toties ex Antiquis dicebam; Unde, etiamsi concederem, ratione æqualitatis intellectum esse ancipitem, & dubium in nostro casu, non tamen ratione *Voluntatis*, & *Benignitatis*. Interea sciat Pater Verani, apud Probabilistas hæc argumenta esse inconcussa. Hic actus est fides Divina; ergo ejus objectum ita est verum, ut impossibile sit aliter se habere. Hic actus est scientificus; Ergo ejus objectum ita est verum, ut impossibile sit, aliter se habere. Hic actus est opinio probabilis; Ergo ejus objectum ita est, sed contingenter; hinc ita est verum, ut possit aliter se habere. Hæc consequentia est evidens, quia tale objectum est objectum opinionis. Ex hoc ego deduco: Ergo, qui judicat utranque partem probabilem, oportet, quòd ipsarum objectum ita sit verum, ut possit aliter se habere. Vide Bordonum In Propugnaculo Probabilitatis in Addit. à num 137.

51. Anthor rejicit postea quasdam responsiones, quæ dantur illi axiomati à Probabilistis, quas impugnationes ego solvi in Patre Gonzalez. Sed instat nu. 8. contra eos, qui dicunt, illud valere in dubio Facti, non in dubio Juris, Instat, inquam, nam in Clement. *Exivi* §. *item quia* de verb. signific. ubi in quæstione puri Juris, an Fratres Minores teneantur sub mortali ad coram observantiam, quæ in regula continentur sub verbo imperativo, Pontifex utitur eadem regula dicens: *Nos itaque attendentes, quod in his, quæ Animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior tenenda est.* Ecce clarè in quæstione juris in decidendo Pontifex utitur præfata regula. Ego fateor illam regulam valere in dubio Juris, non verò de opinionibus variis super jure traditis à Doctoribus.

52 Respondet Cardenas huic Clementin in Crisi Theol. par. 1. disp. 15. cap. 4. art. 11. num. 325. & par. 3. disp. 56. cap. 19. art. 4. num. 1092. & dicit, intelligendam esse de dubio practico, non speculativo; est enim certum, dum practicè dubito, esse præceptum sequendi tutiorem partem.

53. Probat iterum num 9. suam conclusionem, eo quia prudentia dictat, ut, quando quis potest tutè incedere, præsertim si immineat periculum incurrendi gravissimum damnum, ut est in casu nostro, omittat viam minùs tutam, & seligat tutiorem, tametsi utraque via ad eundem ducat finem. Tum quia, qui assentitur opinioni æquè probabili minùs tutè, temerè, & sine ratione id facit; adeo ut solùm pro suo libito, & sine ullo alio motivo rationabili assentiatur minùs tutæ potiùs, quàm tutiori. Ergo non potest excusari à peccato. Tum quia in hoc casu voluntariè se exponit periculo peccandi: consequenter ita operando peccat juxta Eccles. 3. *qui amat periculum, peribit in illo.*

54. Respondetur ex dictis ad primum, in nostro casu adesse solùm periculum remotum, & materiale peccandi, quod non tenemur vitare; hinc Richardus, & alii voluntariè in nostro casu eligebant opinionem minùs tutam, nec propter hoc peccabant contra prudentiam, aut aliam virtutem. Fateor tamen in materia, quæ est necessaria necessitate medii, tunc prudentiam dictare, nos debere eligere viam, in qua nec periculum remotum

tum adsit, nam medium salutis non pendet à nostra cognitione; unde in hac materia nec Probabilioritas est bona regula, sed sola certitudo, quando adest. Per hæc patet responsio ad tertium. Ad secundum cum eodem Richardo, & aliis Antiquis in hoc casu voluntariè assentimur opinioni benignæ minùs tutæ, & hoc non est temerè procedere sequendo Duces tales, ac tantos.

55. Instat Author num. 12. Ex duobus malis minus est eligendum, ut habetur c. *duo mala*, & c. *Nervi* 13. dist. & regula *quoties* ff. de reg. jur. Ergo, quando in una parte adest malum, in alia nullum, debemus eligere tutiorem; maximè, quia, si eligeretur minùs tuta, hæc electio videretur fieri ex amore periculi offendendi Deum.

56. Respondetur, illud axioma valere, quando nulla adest ratio probabilis judicandi alterum non esse malum, secus verò, si adest talis ratio, ut accidit in casu nostro, in quo intellectus ex imperio voluntatis solvit rationes partis rigidæ, quibus solutis adhæret rationibus probabilibus partis benignæ, & hanc partem benignam amplectimur, quia *inter plures opiniones*, cæteris paribus, *benignior* est *amplectenda*, & dura *abjicienda*, ut ex Antiquis latè probavi cap 29. Hinc non amplectimur *benignam*, quia habeat periculum offendendi Deum, sed ob suam *benignitatem*, & rejicimus opinionem duram ob suam *duritiem*. Hinc dicebat Durandus: Hoc dictum, etsi probabile, est multum *durum*; ideo *mitius dicendo*, &c.

57. Num 14. valde miratur, quomodo Probabilistæ obligent Medicum sequi opiniones certas, si adsint dimissis minùs certis, ac probabilibus; E contra, quando agitur de salute Animæ doceant, posse nos eligere minùs tutam æquè probabilem. *Itane pluris faciendum est Corpus, quam Anima?*

Ego è contra valde miror, quomodo Pater Verani, & alii Probabilioristæ utantur hac paritate Medici. Scio quidem, aliquam paritatem adesse inter Medicum, & Confessarium ex c. *omnis utriusque* de pænit. & remiss. tamen asseveranter dico, hanc paritatem non currere in omnibus, & quatuor pedibus. Confessarius tibi dicit, hanc regulam esse bonam; si ex parte objecti talis non sit, adhuc pænitens salvabitur; unde, qui tempore Antiquo sequuti sunt illas opiniones, quæ postea evaserunt falsæ, erroneæ, & hæreticæ, salvati sunt, & potuerunt excusari ex D. Antonino 3. par. tit. 5. §. 9. E contra, si centum Medici dicant, hoc remedium esse bonum pro morbo, si tamen ex parte objecti tale non sit, infirmus non salvabitur, sed peribit: Ergo adest disparitas evidens inter regulas Prudentiæ, & Medicinæ. Item Antiqui dicebant, ut infra referam, Confessarium posse, & aliquando debere dimittere propriam opinionem, & sequi oppositam pænitentis. E contra Medicus non debet, sequi opinionem Ægri, quia æger nequit sibi mederi. Igitur disparitas est, quia salus Corporis non dependet à cognitione nostra, sed à virtute reali objecti; hinc, ut Corpus sanetur, oportet sequi opiniones certas, quæ sunt, quæ se conformant cum objecto. Salus Animæ quoad illas materias, de quibus modò agimus, pendet à cognitione nostra; hinc ut salvemur, sufficit, ut nostram cognitionem sequamur. Hinc etiam, si per ignorantiam invincibilem sequimur regulam falsam, adhuc salvamur, quod non accidit in corporalibus.

58. Denique refert duas opiniones laxas, unam, quòd licitum sit, quærere directè occasionem peccandi pro bono spirituali, aut temporali nostro, vel proximi. Alteram, quòd concubinarius non teneatur expellere domo concubinam, quando ea relicta vitam transigeret tristiùs. Dicit autem, quosdam Casuistas docentes posse aliquem sequi opinionem probabilem minùs tutam relicta tutiori ausos fuisse illas opiniones lassas tradere.

59. Ut Pater Verani non miretur amplius ausus nostrorum Casuistarum, & ut relinquat lachrimas, & questus, quos ibi spargit super lassitates modernas, ipsum

ipsum precor etiam atque etiam, ut legat horribiles laxitates, & plurimas, quas docuerunt Antiqui, quasque ego retuli cap.10. cap.11. & cap.12. Illis erroribus addat hosce paucos, quos tunc nondum legeram. Unus Doctor apud Aureolum in 4. dist.18. art.2. vers. *secundo videndum* tenet, solum Papam posse excommunicare. Quidam apud Raym. lib.3. tit. *de scandalo* §. 6. dicunt, quòd, si malus sacerdos, dum in altari celebrat, & recordatur, se esse in peccato mortali, *non potest se conterere*, vel non vult, *debet simplicem hostiam sumere.* Tit. *de pænit. & remiss.* volunt alii, solos bonos ministros posse absolvere à peccatis. Alii apud Durandum in 4. dist.3. q.3. n.9. absolvunt, & baptizant nutibus Alii apud Rainerium V. *absolutio* cap.5: absolvunt his verbis: *Quæcunque petieritis esse solvenda, erunt soluta.* Alii his: *Benedictio Dei Patris*, &c. Alii illis: *Sanet te Dominus noster Jesus Christus.* Alii volebant, esse de necessitate formæ manûs impositionem. Poterant pejus loqui in re tam necessaria? quot, quæso, damnati fuerunt propter hos errores, si actum perfectæ contritionis non habuerunt? Secundum Glossam Raym. lib.1. tit. *de juram.* §. 3. V. *licitum*, *& honestum*, dicere verbum otiosum, *aut inebriare se*, *vel alium est veniale in se.* Joannes de Friburgo in summa lib.3. tit 34. quæst. 74. scribit: Si inferior absolvat eum à toto, (idest à non reservatis, & reservatis) nunquid est absolutus? Respondetur secundum Thomam in quæstione *de quodlibetis*, *quòd* non, quamvis *quidam aliud senserint aliquando; non tamen credo*, *quòd ipse sit absolutus*.. Postquam Pater Verani legerit tot, tantos, ac plurimos errores, spero quòd, aut non mirabitur ausus modernos, aut mirabitur etiam Antiquos: Interim peto. Vel multitudo errorum provenit à sola Probabilitate, vel etiam à Probabilioritate, vel etiam à Certitudine. Si primum. Ergo Probabilitas est antiqua. Cur ergo ipse damnat solos modernos Casuistas? Si secundum; Cur ipse sequitur Probabilioritatem; & si tertium, cur ipsam non condemnat, sed solam Probabilitatem?

60. Num.17. Conqueritur cum Guigone Carthusianorum Generali, quòd, si liceret per opiniones laxas ire in Cœlum, fuissent tempora Apostolorum infelicissima, in quibus oportebat custodire vias tam duras, ut daretur ingressus in Cœlum. Hic textus refertur ab aliis Probabilioristis Sed nihil ipsis suffragatur, quin apertè refragatur; nam probat evidenter, tempore Antiquo fuisse laxitatem morum, laxitatem opinionum, & breviter omnia mala tunc viguisse, quæ prætendunt provenire à Probabilitate, & hoc non possunt negare; nam Guigoni nequeunt negare fidem. Ergo illi questus de tempore Antiquo sunt veri; Nos autem, salva reverentia, in hoc puncto possumus jure fidem non habere Probabilioristis. Si afferre textus, in quibus Authores conqueruntur de laxitate morum suorum temporum, est modus aptus probandi intentum, Legant Probabilioristæ Annales Cardinalis Baronii ab anno 900. in quo sæculo fuerunt Pontifices intrusi per Scortos, (horresco referens) & per vias alias omnino impias, & inveniet justissimos, & altissimos questus; unde poterunt probare quantum volunt de illis priscis temporibus.

61. In fine illius sectionis affert sequentem textum ex Lactantio: *Ne trahamur auctoritate cujusquam, sed veritati potiùs faveamus, & accedamus. Nullus hic temeritatis locus est: in æternum stultitiæ pæna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit.* Hic textus habetur lib.3. divin. instit. cap.13. Audiamus ipsum integrum: Restat ut in sola Ethica totius Philosophiæ vis contineatur, ad quam se abjectis omnibus Socrates contulisse dicitur. In qua etiam parte, quoniam Philosophos errasse docui, qui summum Bonum...... non comprehenderunt, apparet falsam, & inanem esse omnem Philosophiam, quia nec instruit ad justitiæ munera, nec officium hominis, rationemque confirmat. Sciant igitur errare, qui Philosophiam putant

putant esse sapientiam. Non trahantur authoritate cujusquam, sed veritati potiùs & faveant, & accedant. Nullus hic temeritati locus est. In æternum &c. Ecce quòd textus allatus à Patre Verani loquitur de Philosophia, & velut certum supponit, non esse *sapientiam*, idest Ducem vitæ, virtutum parentem, &c. Cum ergo loquatur de re certa, nobis non opponitur. Interea doceat me Pater Verani, cum certum sit ex opinionibus oppositis Patrum, Scotistarum, Thomistarum &c. unam esse veram, alteram falsam, quomodo sequentes illas opiniones non subjaceant textui Lactantii; & tunc etiam ego inveniam modum, quo Probabilistæ ab eodem non damnentur. Idem Author facit eandem quæstionem sec.28. Hìc non respondeo iis, quæ contra nos affert, nam ex dictis cap 4. 5. 6. & alibi omnibus fit satis. Adverto solùm, quòd, quando num.13. probat, voluntatem non posse eligere aliquod bonum ex duobus æqualiter bonis, oppositum sustineatur à Scotistis; Hinc Adversarii poterunt animadvertere, quantum roboris habeat nostra opinio, dum opinio Scotistarum nobis præbet fundamentum defendendi nostram Doctrinam.

62. Transeamus ad Patrem Franciscum Antonium Fogarinum, qui, meo judicio, optimè scripsit contra Probabilitatem; sed, pace ipsius, nimis omnino scrupulosè, & rigidè. Hìc solvam solùm aliqua peculiaria ipsius; cætera enim cum aliis communia ex dictis contra alios diluuntur. Igitur par.1. disp.3. sec.1. subsec.3. num.15. tenet, non posse dari judicium prudens, quando objectum probabiliter apparet honestum, & apparet æque probabiliter inhonestum; quin num.17. tenet, non posse dari tale judicium, si probabiliùs apparet honestum, & minùs probabiliter inhonestum. Idem tenet par.6. sec.2. Ex hac conclusione sequitur, ad prudens judicium requiri, ut objectum cognoscatur per cognitionem saltem certam moraliter. In dicta par.6 sec.2. sub sec.2. habet hanc conclusionem: *Non licet sequi opinionem minùs tutam, & si perceptibiliter, vel notabiliter probabiliorem in concursu tutioris minùs probabilis gravibus innixa motivis ab operante cognitis*, & non solutis, *& consequenter relatè ad illum certò probabilis, ut si v. gr. pro minùs tuta starent decem Doctores, pro tutiori septem, aut sex, quorum rationes examinata ab operante* non possent quietativè solvi. *Conclusio est contra, &c.* Universaliter Author, quando docet, etiam opinionem probabiliorem non esse regulam morum, intelligit, quando objecta partis oppositæ non sint soluta. Part.5. sec.14. subsec.1. num.76. docet, in quibusdam exemplis allatis ex D. Thoma ipsum Angelicum præceptorem *non sequi partem minùs tutam in concursu tutioris stantis pro lege*, non solvendo rationes oppositas, *si quæ sint, quomodo nos dicimus, tunc non licere sequi minùs tutam; sed suam sententiam validè probat, & rationes oppositas solvit.* In sec.15. subsec.1. objicitur Probabilioristis, quòd Patres tenuerunt varias opiniones in moribus; ergo Patres sequuti sunt Probabilitatem. Respondet num.90. quòd Patres non sunt sequuti partem benignam innixi soli principio Probabilistarum: *Quod probabiliter sit, prudenter fis*, & non solvendo rationes graves in oppositum, si quas agnoverunt; *sed illam sequuti sunt innixi rationibus directis, vel auctoritatibus, & exemplis Sacræ Scripturæ*, quibus suam sententiam certò veram judicarunt, *& respondendo rationibus oppositis.* Huic Doctrinæ directè opponitur Turrecremata allatus supra num.50.

63. Incipiendo ab hoc ultimo. Ergo Patres oppositas opiniones sectantes judicabant certò veras suas opiniones. Ergo datur certitudo, & quidem prudens, de duabus opinionibus oppositis. Ergo Antiquitus alii certò judicabant non dari præceptum Confessionis, alii judicabant certò dari præceptum. Alii certò judicabant non dari præceptum de Eleemosina, de Confessione venialium, de circumstantiis aggravantibus &c. Alii verò oppositum certò affirmabant. Hæc judicia opposita certa videntur impossibilia

lia in hominibus doctis. Vide cap 22. num 79. & 80. Tum quia ex his sequitur, cum de ratione opinionis formaliter sit, quòd cognoscatur, objectum posse aliter se habere, sequitur, inquam, non posse dari opinionem licitè in moralibus, nisi in Scholis. Hoc quoque videtur absurdum; sic enim inutilis esset labor Moralistarum quoad opiniones. Ad quid enim docere opiniones morales, si praxi non inserviunt?

64. Præterea opiniones benignæ D. Thomæ sunt aptæ ad praxim, quia *validè probantur ab Angelico, & objecta solvuntur*, ut dicit Pater Fogarinus. Nunc inquiro, an illa valida probatio sit certa, vel sit probabilis. Si secundum habeo intentum. Si primum, contra, quia viri doctissimi illam probationem rejiciunt; ergo vel D. Thomas, vel alii fuerunt cæci non videntes talem certitudinem. Ulteriùs illa probatio, & illa opinio potest aliter se habere, & nulla est implicatio, quòd Ecclesia oppositum decidat. Ergo illa probatio non est certa, sed solùm probabilis. Pater Fogarinus dicit, esse moraliter certam, non logicè.

65. Sed contra. Opinio, præcipuè probabilior, *validè probat suam conclusionem, & solvit opposita*, ut fecit D. Thomas suas conclusiones juxta Fogarinum. Ergo opinio probabilior est moraliter certa. Præterea opinio æquè probabilis, & minùs probabilis validè probant suas conclusiones, quia etiam opinio minùs, & æquè probabilis habent rationes graves juxta Adversarium, & insuper solvunt rationes oppositas probabiliores; ratio enim insolubilis est certa, & evidens. Si est insolubilis; ergo nequit solvi; ergo nequit aliter se habere; atque adeo est certa. Ergo ratio probabilior est solubilis. Vide cap.3. num.13. cap.13. num. 34. ubi videbis, D. Thomam sustinere unam opinionem, & simul fateri, rationes hujus opinionis posse facilè solvi ab opposita. Vide etiam cap 16. num.20. Tum quia etiam per Adversarium Probabilioritas stat simul cum alia parte probabili; ergo hæc alia pars potest esse vera; ergo pars probabilior potest esse falsa, & sic potest aliter se habere; & sic potest solvi. Hic facit apprimè textus Parisien. de Fide. cap.1. post initium, & Nider de consolat. timor. conscien. par.3. cap.19. Ipsum vide cap.4. num.28.

66. Dices ex c. *Inquisitioni* de senten. excomm. habetur, credulitatem probabilem non esse contemnibilem; dicitur enim, quòd, si quis dubitat de Matrimonio conscientia *levi*, tunc debet deponere tale dubium ad consilium sui Pastoris; *Cum* verò *conscientia pulsat animum* ex credulitate probabili, *quamvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet*. Ecce habens credulitatem probabilem non potest deponere, & contemnere dubietatem, & scrupulum ortum ex ipsa.

67. Sed contra, quia in illo capite dicitur quidem, illum habuisse rationem probabilem de invaliditate Matrimonii; non verò dicitur, quòd habuerit rationem etiam probabilem de validitate. Hinc respondetur, nos non posse contemnere rationem probabilem sine fundamento saltem probabili, bene verò cum fundamento probabili. Hic quadrat textus Majoris allatus num 46. Confirmatur. Ex Alexandro octavo num. 3. *Licet sequi opinionem probabilissimam inter probabiles.* Ergo potest contemni opinio probabilis ab illo, qui habet opinionem probabilissimam.

68 Instabis. Illa solutio est solùm probabilis; ergo adhuc datur formido; & sic animus non quietatur, nec est certus; atque adeo nequit dari judicium Prudentiæ, quod debet esse certum.

Sed contra, quia materia est obscura; ergo nequit inveniri alia responsio, nisi probabilis. Nunquid imitari debemus illos, quorum meminit Arist 7. Ethic. cap.3. num.5. qui ita firmiter adhærebant opinioni, sicut alii scientiæ? Tum quia responsio probabilis aliquando solvit objecta contra Fidem. Sic articulum fidei, quòd Gratia non tollat libertatem, salvamus ab objectionibus per Doctrinam probabilem vel Thomistarum admittentium

tium prædeterminationem physicam, vel Scotistarum per Decretum concomitans, &c. Sic etiam articulum de unitate essentiæ Divinæ, & Trinitatem Personarum salvamus vel per distinctionem formalem, vel virtualem essentiæ à Personis, quæ solutiones solùm sunt probabiles. Ergo solutio probabilis debet esse sufficiens in rebus obscuris. Hinc Richardus, & alii Antiqui sustinentes modò unam, modò aliam opinionem, *prout volebant*, quiescebant; & tamen non certis, sed probabilibus solutionibus diluebant opposita, cum aliam oppositam sustinere potuissent.

69. Quando dicitur, judicium prudens debere esse certum; Notandum est, ut innui ex Cardenas num.41. in qualibet actione duo judicia intervenire. V.gr. ego non fateor circumstantias aggravantes. Judicium, quo judico non dari tale præceptum, non est certum, etiam moraliter, quia dantur Doctores sapientissimi oppositum opinantes, de quibus non est probabile, quòd levibus argumentis moti fuerint ad sustinendam suam opinionem. Est ergo solùm probabile. Tum quia hoc judicium est actus formaliter Theologiæ. Ergo formaliter non est actus prudentiæ. Est igitur objectum Prudentiæ. Intellectus modò reflectens supra hunc actum judicat, illum esse rectum, & bonam regulam morum sequendo in hoc, ut toties dixi, exemplum Antiquorum inter plures opiniones securè judicantium posse nos amplecti quamlibet illorum. Hoc judicium reflexum formaliter est actus Prudentiæ, qui habet pro objecto primum judicium ut probabile, quod, cum sit certò probabile, ideo judicium reflexum Prudentiæ est certum. Nec requiritur, quòd actus cognoscens objectum, in quod operandum est, sit mortaliter certus sumendo pro morali certitudine, quòd aliquo modo cognoscatur, non posse aliter se habere. Nam *certitudo moralis*, inquit Nider in consolat. timor. conscien. par.3. cap.14. Cui subscribit Antonin. par.1. tit.3. cap.10. fin. *Consurgit* ex probabilibus conjecturis grossis, *&* *figuralibus magis ad unam partem, quàm ad aliam.*

70. Nota illas particulas, *probabilibus conjecturis grossis*, quæ certè non tibi ingerent speciem, quòd illud objectum non possit aliter se habere, etiam moraliter; unde de illo non eris certus eo modo, quo certus es, v.gr. fuisse dimicatum inter Germanos, & Gallos, quod objectum reputatur certum moraliter. Nota etiam illas alias particulas: *figuralibus magis ad unam partem, quàm ad alteram.* Si accipiantur in sensu omnino rigoroso; & sic comparativè, sequitur, quòd alia pars habeat quoque *probabiles, & grossas conjecturas*, & istæ probabiles, & grossæ conjecturæ debent esse ejusdem naturæ cum conjecturis probabilioribus figurantibus ad alteram partem, quia hæc est natura termini comparativi, quòd idem quoad naturam, & essentiam reperiatur in utroque extremo. Hinc istæ probabiles, & grossæ conjecturæ partis minùs probabilis non debent esse *leves*, ut diceret Pater Fogarinus, sed *graves*, minùs tamen graves alterius partis. Idem à fortiori debemus dicere de opinione æqualiter probabili. Hinc idem Nider in consolat. cap.13. fin. dicit, quòd hæc certitudo moralis causata *à conjecturis probabilibus*, & *grossis* non removet *omnem improbabilitatem*, (corrige Probabilitatem) vel opinionem alterius partis, licèt magis declinet ad istam, quàm ad aliam, quod sufficit. Verba sunt pene per totum Cancellarii in tractatu de contractibus. Sic Nider. Igitur conjecturæ *probabiles*, & *grossæ* causantes certitudinem moralem non removent omnem probabilitatem, vel opinionem ab alia parte. Certò credo ego, quòd illi termini *Probabilibus*, & *Probabilitatem* sint univoci, & significent objecta ejusdem naturæ. Ergo juxta hos Antiquos consurgit moralis certitudo ex Probabilibus, quamvis in oppositum sint argumenta probabilia; & sic quamvis objectum non sit moraliter certum, sed solùm probabile.

71. Remanet solùm hic probandum, quòd Antiqui sequuti fuerint opiniones ut pro-

ut probabiles, nec illas tenuerint ut certas moraliter, ut de D. Thoma, Scoto, & aliis dicit Pater Fogarinus: Legantur cap. 13. & 14. in quibus refero opiniones benignas Angelici Præceptoris, quas dicere traditas fuisse ab ipso ut certas moraliter, cum alii præclarissimi Doctores oppositum sustinuerint, est loqui sine fundamento. Si in illa materia Sapientes variè opinantur, & hæc varietas non est vituperabilis; ergo est materia obscura, & opinbailis, non certa moraliter. Præterea Angelicus Doctor aliquando sequitur opinionem, quam expresse vocat *Probabilem*, ut fecit de opinione dicente non dari præceptum de confitendo peccatum statim, ac offertur occasio opportuna; quo fundamento dices, illam sustinuisse ut certam moraliter? Certè terminus Probabilis ex se non significat certitudinem.

72. Sic etiam vocat expressè *probabiliorem* illorum opinionem, qui dicebant, Matrimonio junctum non posse vovere castitatem sine consensu alterius partis; quo fundamento dices, illam tenuisse ut certam moraliter? Ergo constanter assero, quòd, si Divus Thomas tenuit ipsam ut certam, deceptus sit; nam est omnino incertum, quòd Matrimonio junctus non possit vovere castitatem, & rationem, quam ibi affert, non est certa moraliter, nec solvit rationes oppositas certitudinaliter. Igitur Pater Fogarinus asserit opiniones D. Thomæ fuisse traditas ab ipso ut certas moraliter. Hoc idem fatetur de Scoto. Ego hæc omnia nego. Jam scimus facta non præsumi, sed esse probanda. Debet ergo ipse probare hanc suam opinionem, quæ forsan aliis, pace ipsius dixerim, videbitur grande paradoxum. Concedo tamen & D. Thomam, & Scotum validè probare proprias opiniones, & objecta solvisse; at subdo illas probationes, & solutiones fuisse solùm probabiles, nec fuisse certas, etiam moraliter, quia ego capere non possum certitudinem in illa materia, in qua Sapientes variant in opinionibus. Vide cap. 21. à numero 2.

73. Legatur etiam cap. 16. in quo refero opiniones benignas Scoti, D. Antonini, & Raymundi, quas illos Doctores non tenuisse ut certas moraliter, certum videtur. Afferat Pater Fogarinus argumentum moraliter certum, quo probetur, Decretum Gratiani non habere vim legis, ut plures Antiqui Theologi, & Canonistæ docent, & tunc poterimus credere, quæ dicit. Afferat argumentum moraliter certum, quo probetur quòd, *si dives sit adeo delicatus, quod non velit jejunare, nec aliam notabilem macerationem subire &c. illud sibi imponendum, quod libentiùs recipit, & quod creditur perseverantiùs adimplere.* Vel *si omnino nullam pænitentiam velit recipere à Sacerdote impositam, dicit tamen se habere displicentiam de peccato commisso, & firmum propositum non recidivandi, absolvendus est, & non respuendus, ne cadat in desperationem.* Si dicas, tractu temporis in his materiis inventa fuisse argumenta gravia contra opiniones Scoti; unde nunc non posse illas opiniones teneri ut certas moraliter, bene verò tempore Antiquo. Contra est. Ergo Scotus in his materiis erravit, dum tenuit ut certas opiniones, quæ talem certitudinem amiserunt.

74. Præterea Scotus expressè dicit: *Ideo probabile videtur, tales actus indifferentes ponere.* Si Author expressè vocat probabilem suam opinionem, gratis alii judicabunt, illam tenuisse ut certam moraliter. Tum quia, ut pluries dixi, verbum, *Videtur*, extra Legem non importat certitudinem; ergo multo minùs, si conjungatur cum illa particula, *Probabile*, quæ de sua natura incertitudinem significat. Sic etiam decidendo quæstionem de conceptione Beatæ Virginis in 3. distin. 3. quæst. 1. vers. *Tertium est manifestum* ait: *Si Authoritati Ecclesiæ, vel Authoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est tribuere Mariæ.* Cajetanus tom. 2. opusc. 1. in fine vocat Scotum pavidum in hac opinione; & in rei veritate hoc videtur non posse negari; Adhuc tamen

valde

valde pium est credere, Scotum super hac opinione probabili fundatum adoravisse Immaculatam Conceptionem Beatæ Virginis, ut dixi cap.21. num. 40. Legatur cap.21. 27.28. & 29. & spero, non posse negari juxta Antiquos, nos posse sequi in praxi opinionem solùm probabiliter veram, nec moraliter certam.

75. Finio hanc quæstionem de æquali Probabilitate textu Zabarellæ in c. *super specula* ne Cleric. vel Mon num.1. sic dicentis: *secundo noto, quod propter varietatem opinionum excusatur malè intelligens jus. De hoc de postulat. c. unico in 6.* Ergo si utraque opinio est æquè probabilis sequens unam ex ipsis, si illa esset falsa, excusatur.

Sed jam faciamus transitum ad quæstionem difficiliorem hujus tractatus, scilicet an possimus sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam juxta *principia Antiquorum.* Sit igitur.

CAPUT XXXIII.

Statuitur, nos posse sequi in praxi in quæstione Juris Opinionem minùs probabilem, & minùs tutam juxta Antiquos.

1 QUæstio difficilior in hac materia de probabilitate, est præsens; & licèt opinio de sectanda minori Probabilitate sit communissima omnibus Theologis Modernis ex quacunque Religione, & ex quacunque Academia, etiam Sorbonica, & insuper habeat plures Episcopos patronos, de quo puncto videri potest Opusculum, cui titulus, *Quæstio Facti*, à Patre Deramps compositum; adhuc tamen multi Probabilioristæ non desinunt, vocare hanc opinionem falsam, temerariam, Scandalosam, & omnium corruptelarum fontem. Ego de hisce Censuris nihil curans, utpotè qui verba non timeo, sed Argumenta; non morabor, in his confutandis; maximè cum velim sequi morem Antiquorum, quos, quamvis lacessitos, in Scriptis ipsorum non inveni respondisse, censuras effutiendo, sed afferendo solida Fundamenta ad se protegendum ab hostibus. De hoc puncto satis egi cap 1.

2. Illustrissimus Clerus Gallicanus congregatus ad Comitia Generalia in Palatio Sancti Germani Parisiis 1700. Sicut damnaverat æqualem Probabilitatem, sic à fortiori proscripsit minorem Probabilitatem; hinc §. *De opinionum probabilium usu* decidit: Ut circa probabiles de Christiana Doctrina sententias, sequamur id, quòd Viennense Æcumenicum Concilium circa infusas tam parvulis, quàm adultis in Baptismo virtutes decrevit his verbis: *Nos hanc opinionem tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum Modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem duximus eligendam.* Quod Concilii judicium eò magis ad regendos mores pertinere constat, *quò magis ex ipsis fidelium sanctitas, ac salus pendet;* Et infra ait, quòd sententia asserens esse licitum sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam sit *nova, & inaudita, & postremo sæculo prolata, sitque etiam initium malorum, & omnium dictarum* (idest damnatarum propositionum ab ipso Cœtu) *corruptelarum* caput.

3. Ego ob reverentiam, quam summam Illustrissimo Cœtui Gallicano profiteor, non audeo definire opinionem nostram in praxi licere, ut dixi etiam de æquali probabilitate cap. 30. num. 22. nec enim concipere possum, Congregationem tantorum & numero, & Dignitate, & Doctrina Prælatorum potuisse errare ita, ut certò verum judicaverit certò falsum. Mea igitur conclusio est, *juxta Antiquos hoc licere;* quia tamen Authoritas Antiquorum mihi non facit rem certam; ideo in praxi ob reverentiam Illustrissimi Cleri opinione probabiliori utemur. Non existimo tamen firmum argumentum illud: *Concilium Viennense sequutum est in materia sacra speculativa opinionem Probabiliorem;* Ergo &

go & nos *debemus uti opinione Probabiliori, maximè quoad mores.* Non credo, inquam, firmum hoc argumentum, nam lata est disparitas inter Concilium Æcumenicum, & nos. Concilium Æcumenicum est infallibile, nec potest errare in Doctrina; ergo, si docet aliquid, debet docere verum. E contra nos aliquando possumus errare absque peccato, ut patet in Doctoribus Antiquis pene omnibus, & etiam in pluribus Sanctis; & expressè dicebat D. Bonaventura in 2. dist. 15. in explic. litter. dub. 3. Ergo, si nos licitè errare possumus aliquando, quando errare nobis licebit, licebit etiam sequi regulam, quæ possit esse falsa. Tum quia in nobis datur ignorantia invincibilis juris naturæ, *& operantes ex ipsa excusantur à peccato* ex propos. 2. damnata ab Alexandro Octavo; E contra in Concilio non datur ignorantia invincibilis juris; nec ipsum operatur ex tali ignorantia. Ergo regula Concilii debet esse certa, & infallibilis, non sic regula hominum privatorum. Præterea in materia factorum, cum Ecclesia possit errare, potest tunc sequi regulam nonnunquam, *quæ sæpe fallat*, & *fallatur*, ut clarè dicitur in c. *à nobis* el. 2. de senten. excomm. Ergo etiam in materiis, in quibus licitè errare nos possumus, licitè sequemur regulam, quæ fallat, & fallatur; & sic opinionem minùs probabilem. Tum quia, ut Ecclesia licitè recipiat Sanctos Doctores ad legendum opera eorum, & ad expositionem Scripturæ, sufficit juxta Turrecrematam in c. *Sancta* 15. dist. quæst 3. fin. *quod talia opuscula habeant Probabilitatem veritatis.* Si isti expositores habent solùm *Probabilitatem veritatis*, utique istæ expositiones possunt esse falsæ; adhuc tamen, si in praxi utamur illis expositionibus fallibilibus, nemo nos jure damnare poterit.

4. Nullo autem modo possum concordare Illustrissimum Clerum, dum dicit Probabilitatem esse inventum *postremi hujus sæculi*, & *initium*, & *caput propositionum damnatarum ab eodem.* Infra demonstrabo, plures ex his propositionibus tradi ab Antiquis; & Alexander septimus In Bulla condemnante quasdam propositiones asserit, *partim Antiquatas iterum suscitari;* porro propositiones damnatæ à Pontifice sunt omnes damnatæ à Clero Gallicano; ergo propositiones damnatæ à Clero Gallicano juxta Pontificem *partim sunt Antiquatæ*, & sic partim tradebantur ab Antiquis. Ex hoc sequitur evidenter, vel quòd Probabilitas *sit Antiqua*, vel non sit *initium*, *& caput damnatarum propositionum*, *quod utrumque* est contra Illustrissimum Cœtum. Sed jam ad rem accedamus, suppono autem conclusionem non intelligi de Judice, & Ministro Sacramentorum, quando agitur de valore Sacramenti, quia in his materiis res est decisa à Sede Apostolica. Ex illo capite de Judice deduco, idem esse dicendum de Rege bellum inferente.

5. In cap. 5. num 52. attulimus textum Augustini ex Epist. 7. in quo approbat quatuor opiniones oppositas de exortu Animæ rationalis, quarum duas dicebat esse magis conformes Sacræ Scripturæ; hinc istæ duæ erant probabiliores. Ait etiam de aliis duabus verificari Scripturam; & sic etiam illæ erant probabiles, sed minùs, utpotè oppositæ Probabilioribus. Quamvis autem sit textus speculativus, facit multum ad propositum; nam ostendit opinionem minùs probabilem posse defendi, & de ipsa verificari Scripturam. Ergo etiam opinio moralis minùs probabilis poterit defendi, & de ipsa verificabitur Scriptura, & sic ipsa quoque erit vera; atque adeo ea poterimus uti in praxi. Prima consequentia est clara, quia omnia, quæ poterunt contra ipsam objici, omnia retorquentur contra antecedens. Dicent, veritatem non posse reperiri in uno solo? Vel probabilioritatem unius inferre falsitatem alterius? Vel intellectum determinari à parte probabiliori? Sed hæc evidenter valent etiam in materia speculativa. Vide cap 27. num. 37.

6. Possunt dicere, absurdum non esse defendere opinionem minùs probabilem moralem in Scholis; nefas tamen esse, illa

illa uti in praxi ob periculum faciendi contra legem.

Sed contra est. Si in Scholis potest defendi; ergo est vera; si est vera, erit absurdum uti in praxi eo, quod judicatur verè non esse contra legem? Præterea debent, ut toties dixi, Adversarii assignare rationem, cur in hoc casu periculum dicendi aliquid contra revelationem divinam non prohibeat, ut teneamus illam opinionem minùs probabilem, periculum verò faciendi contra Legem Divinam debeat prohibere praxim; si enim est malum facere contra Legem Divina, est malum dicere contrarium revelationi Divinæ.

7. In eadem epist. in princ. scribit: *Recolui tamen, te in ea epistola quæsisse, quomodo Magi Pharaonis, conversa in Sanguinem tota aqua Ægypti, unde simile aliquid facerent.* Quæ duobus modis solvi quæstio solet. *Sive quòd marina aqua potuerit offerri, sive*, quod est credibilius, *quia in ea regione, in qua erant filii Israel, istæ plagæ non fiebant.* Ecce tempore Augustini quæstio speculativa sacra duobus modis *solvi solebat*. Si solebat; ergo pluries pro utraque parte aderant Doctores. Ex his duobus modis unus erat credibilior. Alter certè non erat æquè credibilis. Incredibilis pariter non erat, quia quæstio *solet* solvi credibiliter. Ergo erat credibilis, sed *minùs* Isti modi erant oppositi, quia primus minùs credibilis erat, quòd aqua tota, etiam ubi erant Hæbræi, fuisset conversa in Sanguinem; & propter hoc erat necesse afferre aquam marinam, ut similia facerent Magi Pharaonis Secundus modus *credibilior* erat, quòd non tota aqua, quæ scilicet erat in regione Judæorum, esset conversa in sanguinem.

8. In epist 19. cap.2. tenet utramque partem in illa quæstione, an D. Petrus Judaizare fecerit Gentiles conversos ante Concilium Hierosolimis celebratum Act. cap 15. an verò post. Sed primam partem credit esse credibiliorem; ait enim: *Si autem* hoc, quod magis arbitror, *ante illud Concilium Hierosolimitanum Petrus fecit.*

9. Sed proferamus textum ex eodem Augustino in materia morali, qui certè æqua'em Probabilitatem demonstrabit, & multùm favebit minori. In eadem epist.19. cap.5. ita scribit: Librum quoque tuum, cujus mentionem fecisti, de optimo genere interpretandi, cupio legere, & adhuc nosse, quomodo coæquanda sit in interprete peritia Linguarum conjecturis eorum, qui Scripturas differendo pertractant, *quos necesse est, etiamsi rectæ, atque unius Fidei fuerint, varias parere in multorum locorum obscuritate sententias, quamquam nequaquam ipsa varietas ab ejusdem Fidei Unitate discordet; Sicut etiam unus tractator secundùm eandem fidem aliter, atque aliter eumdem locum potest exponere, quia hoc ejus obscuritas patitur.* Hic textus multùm facit pro iis, quæ dico cap.26. num.57. fin.

10. Ecce *obscuritas* multorum locorum Sacræ Scripturæ *necessario parit varias sententias*, & hoc salva Fide. Ecce idem Doctor explicando Scripturas propter ipsarum obscuritatem salva Fide *aliter, atque aliter* eundem textum exponit. Hæc Doctrina verificatur etiam in materia morali, quia in Scriptura dantur textus obscuri morales. Quia verò Augustinus non dixit, eundem Doctorem varias æquales expositiones facere; ideo nec nos debemus dicere. Ergo idem Doctor potest de eodem textu habere opinionem unam magis, aliam minùs probabilem. Et istæ opiniones erunt variæ, & *aliter, atque aliter* eandem Scripturam exponent. Ego hanc varietatem accipio, ut significentur opiniones oppositæ; si enim varietas accipiatur secundùm varios sensus, scilicet Anagogicum, Tropologicum &c tunc nedum Scriptura obscura, ut ait Augustinus, sed etiam clara posset variè exponi: unde idem Doctor potest exponere illud nomen, *Hierusalem*, quod clarè denotat Civitatem quandam, ut significet etiam Patriam Cælestem in sensu anagogico.

11. Quia verò nedum Scriptura, sed etiam Natura habet propositiones obscuras;

sturas; Ergo etiam in lege naturali dabitur *alia, atque alia* expositio de eadem propositione naturali. Hoc idem dico à fortiori de lege Ecclesiastica.

12. Supra in cap.4. num.12. & cap.27. num.2. recensui D. Hieronymum dicentem, referre in suis commentariis *secundum omnium consuetudinem* varias explanationes Scripturæ, *ut è multis sequatur unusquisque, quod velit.* Ego non decido, an D. Hieronymus det libertatem sequendi opinionem minùs probabilem *è variis*, quod volumus. Lector prudens judicabit.

13. Lactantius Firmianus, quem etiam retuli pro æquali Probabilitate cap.27. num.27. lib.3. de Divin. Institutione cap 27. scribit, quòd præcepta Philosophorum nihil ponderis habent, quia sunt humana, & authoritate majori, idest Divina, illa Carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem esse putat, qui audit, quàm est ille, qui præcipit. Præterea nihil apud eos certi est, nihil, quod à scientia veniat; Sed cum omnia conjecturis agantur, multa etiam diversa, & varia proferantur, *stultissimi est hominis præceptis eorum velle parere, quæ utrùm vera sint, an falsa, dubitatur; & ideo nemo paret, quia nemo vult ad incertum laborare.*

14. Lactantius propter duo capita dicit, non esse parendum præceptis Philosophorum, Primum, quia carent illa præcepta *authoritate Divina*, Secundum, quia apud Philosophos *nihil certi est, & nihil à scientia venit;* & ex hoc secundo capite inferebat; *& ideò nemo paret, quia nemo vult in incertum laborare.* Hæc Doctrina evidentissimè probat nostram conclusionem, quia opinio, quamvis probabilior, semper est incerta, & essentialiter differt à scientia, ut vidimus. Hinc non venit à scientia; & sic debet deduci consequentia Firmiani: Ideò *nemo paret* probabiliori, *quia nemo vult in incertum laborare.*

15. Divus Raymundus lib.1. de juram. & perjur. §. *quid si audit aliquis* facit quæstionem, An judex possit condemnare illum, quem certò scit per scientiam privatam esse innocentem, sed per allegata probatur Reus. Refert opiniones, postea subdit: consulo ergo, ut deleget alteri, si fieri potest; sin autem remittat ad superiorem, ut sive ille ferat, sive præcipiat isti, alllevetur ex hoc conscientia sua. *Posito etiam, quòd secundùm opinionem primam aliquis judicaret, cum dolore tamen animi, non auderem eum condemnare.* Ecce consulit opinionem, ne ipse talem condemnet; postea non audet condemnare oppositum, quod utique judicabatur à Divo Raymundo posse esse peccaminosum. Ego credo, opinionem primam tenuisse ut probabiliorem ex eo, quia illam consulit, secundam verò ut minùs probabilem, quia illam positivè non approbat, sed tantùm *non audet condemnare.*

16. Lib.2. tit. de raptor. §. 21. ut retuli cap.22. num.3. Docet quòd, si plures simul irent, & rapiunt aliquid, tunc quilibet tenetur restituere in solidum; si verò, simul non vadant, nec unus hortatur alium, quilibet non tenetur restituere in solidum. Subdit Doctor: *Vel fortè in utroque casu posset tolerari, quòd quilibet satisfaceret de his, quæ habuit, & induceret pro posse ad satisfaciendum.* Ecce absolutè tenet quemlibet raptorem in casu teneri ad restitutionem in solidum. Ergo hanc opinionem rigidam tenet ut probabiliorem. Subdit tamen, quòd *fortè posset tolerari* oppositum. Certè huic opinioni benignæ non ita firmiter adhæret, ut ostendunt illa verba formidantia: *fortè posset tolerari.* Ergo sequitur hanc benignam ut minus probabilem.

17. Lib.3 tit. *de differ. offic.* §.4. scribit: nota, quòd Metropolitanus potest celebrare Concilium Provinciale irrequesito, & absente Primate 92. distin. *Si quis Episcopus vacans* in fi. & 9. quæst. 3. cap.2. *possent tamen illa intelligi de Provinciis, quæ non habent Primatem; sed primum credo verius.* Ecce textus, qui potest intelligi de Provinciis habentibus Primatem, & de Provinciis non habentibus Primatem. Si primum est verius,

secundum erit utique verum, sed minus. Ecce veritas stat in parte *minùs probabili.* Si pars minùs probabilis est vera; ergo intellectus potest illam sequi. Vide cap 5. num 40.

18. In cap.4. num 28. retuli Parisien. de Fide cap.1. post init. quem sequitur Nider in consolat. timor. conscien. par. 3. cap.19. dicentem esse voluntarium credere Probabilitati, *quantacunque sit*, *Quoniam nihil adeo Probabile, quod non habeat dissuasionem, qua possit videri falsum, aut saltem qua possit videri, non esse credendum, & hoc propter periculum erroris.* Ego infero; Ergo opinioni Probabiliori possum contraire, & oppositum defendere, quod utique erit minùs probabile. Vide cap 31. num.65.

19 Alensis 2. par. Sum. qu.112. membr.8. princ. dicit: Quantò enim plus tenetur homo ad cognitionem juris, tantò minùs excusatur; *Quia verò unusquisque tenemur ad scientiam juris naturalis*, ideo nullus adultus excusatur; nulli enim adulto licet legem naturalem ignorare; *quoniam ipsa scribitur in corde humano naturaliter.* (Nota diligenter causalem hanc, quare Adulto non liceat legem naturalem ignorare) *quoniam ipsa scribitur in corde humanò naturaliter.* Et nota illa verba, *Unusquisque tenetur ad scientiam juris naturalis* Fac ergo argumentum: Impossibile est habere scientiam de rebus obscuris, & opinabilibus; Ergo in his materiis non tenemur habere scientiam, quia impossibilium nulla est obligatio juxta Canones, & Leges. Antecedens patet, quia scientia est de rebus Claris, & certis, obscurum autem non est clarum, & opinabile non est certum; & hoc apud Angelicum est adeo verum, ut ipse 2.2. quæst 1. art.5. ad 4. velit, impossibile esse, quòd idem sit opinatum, & scitum. Si autem in his materiis non tenemur habere scientiam; ergo sequendo opinionem minùs probabilem non facio contra præceptum legis naturalis; atque adeo in opinione minùs probabili dabitur ignorantia me excusans.

20. Præterea per Alensem ratio, & causa, qua non excusamur ab ignorantia juris naturalis est, *quoniam ipsa Lex scribitur in corde humano*, & hoc non per studium, non per illustrationem Divinam, *sed naturaliter.* Sed in rebus controversis, obscuris, & opinabilibus non scribitur hæc Lex; imo studium humanum facit, quod in uno scribitur quidem, sed in alio aboletur; Unde si priùs v.gr. in Theologis erat impressum accipientem rem proximi in extrema necessitate teneri ad restitutionem, quando venerit ad pinguiorem fortunam, Postea Scotus studio didicit contrarium; Ergo in his materiis secundùm Alensem ignorantia debet nos excusare.

21. Dices: Secundùm Doctorem in primo casu Inclusus in carcere Saracenorum, si non habet hominem instructorem, & faciat, quod in se est, Dominus illuminabit eum per occultam inspirationem; ergo etiam in secundo casu, idest, quando materia est obscura, si homo faciat, quantum in se est, Dominus illuminabit eum.

Respondetur, Doctrinam hanc valere in materia Fidei, ut loquitur Alensis, sine qua impossibile est placere Deo; & sic valere in omnibus necessariis necessitate medii, vel etiam in necessariis necessitate præcepti clarè explicati, non verò in obscuris, quæ Deus permittit nos ignorare. Numquid Proceres Antiqui Doctrina, & Sanctitate Celeberrimi non fecerunt omnia, quæ in ipsis erant, ut veritatem attingerent? Et tamen omnes non sunt illuminati in iis, in quibus opponuntur; Ergo in ipsis ignorantia veritatis erat excusabilis. De hoc puncto egi alibi, unde nihil aliud dicendum puto.

22. Ulteriùs in eadem quæst. membr.1. ait: Ignorantia multipliciter dicitur; Aliquando enim dicitur defectus veræ cognitionis; aliquando defectus scientiæ debitæ, *sive ad quam tenetur homo*; aliquando vitium, vel peccatum ex voluntate nesciendi ea, quæ sunt ad salutem necessaria. *Necessaria autem ad salutem sunt Fides, & Mores.* Voluntas ergo nesciendi in iis, vel non apponendi curam,

ram,

ram, ut sciantur, est peccatum. Psal. 35. Noluit intelligere ut bene ageret; super quo dicitur in Glossa, Potuit intelligere, ut bene ageret, sed noluit; & ita veniam non habet. *Imprudentiæ enim, & ignorantiæ venia datur aliquando, voluntati autem malæ semper pœna.* Ex hoc textu habetur, ignorantiam esse vitium, & peccatum, si sit de iis, quæ sunt ad salutem necessaria, quæ sunt *Fides, & mores.* Ego subsumo: Sed in rebus revelatis obscuris, & quæ sunt sub opinione Doctorum Fides non est necessaria, etiam per ipsum Alensem, qui dicebat, propter hoc in materia Notionum Divinarum licere sequi varietatem opinionum; Ergo etiam mores in materiis obscuris, & controversis non erunt necessarii ad salutem.

23. In 4. par. quæst.28. membr.6. art. 2. §. 3. dicit, quòd etiam pro utraque opinione æquè probabili attuli, præceptum Jejunii incipere anno decimooctavo; de aliis verò duabus opinionibus sustinentibus incipere anno vigesimo, vel anno sextodecimo, expressè ait: *Neutram reprobo;* Ergo neutra est falsa; si non est falsa; ergo est vera. Accedit ergo Juvenis annorum decem, & novem, & quærit ab Alensi, an teneatur ad jejunium; ipse certè respondebit: secundùm meam *opinionem* teneris, non tamen te reprobo, si non jejunes. Accedit alius ad confitendum sua peccata eidem Alensi, & fatetur se non jejunare, & quærit ab ipso, an peccet. Si dicat affirmativè absolutè, Ergo reprobat opinionem; Ergo debet dicere, secundùm me peccas; si tamé sequaris aliorum opinionem, non te reprobo. Hic modus est ipsissimus Probabilistarum, & mei.

24. Vidimus alibi, Guilielmum Altisiod: esse pro Probabilioritate, tamen forsan favet etiam Probabilitati. Igitur in 1. tract. *de Notionibus Divinis* cap 5. quæst.3. scribit, quòd neutra opinio de Divinis Notionibus est hæretica. Cum enim in Sacra Scriptura non habeamus determinatum de Notionibus; *ideò licet Magistris opinari*, sed non licet eis *asserere*; Si enim quis asserat aliquid de Deo, quod non sit determinatum in Sacra Scriptura, vel quod non sequatur directè ex fide, *mortaliter peccat*, quia se constituit supra Deum. Judex enim est supra id, de quo habet judicare...... Magistri autem Theologiæ *nihil asserunt*, sed tantùm opinantur inquirentes de talibus ad defensionem Fidei contra Hæreticos; & ideo, *quia nihil asserunt*, non peccant, *licèt propter aliquas rationes* versetur animus eorum *ad unam partem magis*, quàm ad aliam, *quod est opinari.* Per hunc Doctorem causa, qua possumus aliquid de Divinis Notionibus, & consequenter de rebus dependentibus à Divina revelatione, opinari, est, quia non est determinatum in Sacra Scriptura, nec sequitur directè ex fide. Sed, quod est Probabilius, non est determinatum in Sacra Scriptura, nec sequitur directè ex Fide, cum possit aliter se habere; ergo possumus *opinari* contra opinionem probabiliorem. Facio Argumentum brevius. Carentia determinationis in Sacra Scriptura de Divinis Notionibus, & sequelæ directè ex fide est causa, qua licet contrariè opinari per Altisiodorensem; Sed in Probabilioritate adest Carentia determinationis in Sacra Scriptura, & sequelæ, &c. Ergo in Probabilioritate licet *contrariè opinari.* Minor patet, quia determinatum in Sacra Scriptura, & quod sequitur directè ex Fide, est certum, & invariabile. Probabilioritas autem est incerta, & potest aliter se habere. Major verò est clara in textu Altisiodorensis in illis verbis: *Cum enim in Sacra Scriptura non habeamus determinatum de Notionibus, ideo licet Magistris opinari.* Et infra in solutione ad primum implicitè fatetur, nos posse dubitare de Notionibus Divinis, quia nihil est determinatum in Sacra Scriptura. Si licet de Divinis Notionibus juxta Doctorem minùs probabiliter opinari, idem debemus fateri de objecto practico dependente à revelatione Divina, & hoc à fortiori est sustinendũ in sententia Doctoris, quia ipse scribit cum Augustino: & ideo dicit Beatus Au-

stinus, quòd nunquam *periculosiùs erratur; error enim in aliis*, quæ scilicet non sunt Notiones Divinæ, *non est peccatum*, *vel tantum peccatum*.

Sed objectum practicum est aliud à Notionibus Divinis; ergo error in ipso *non est peccatum*, *vel tantum peccatum*. Et sic opinio minùs probabilis, si posteà inveniatur falsa, *non erit peccaminosa*, *vel tantùm peccaminosa*.

25. Dices, licere quidem in objecto practico *opinari*, etiam in sententia Altisiodorensis; at opinari per ipsum est, cum animus *propter aliquas rationes magis versatur in unam partem*, *quàm in aliam*; Cum ergo in opinione minùs probabili non versetur *propter rationes*, sed potiùs propter voluntatem mens trahatur in hanc potiùs, quàm in aliam partem, ideo non licet *minus probabiliter opinari in objecto practico*.

26. Sed contra, fateor equidem in sententia Doctoris *opinari* importare *Probabilioritatem*; at nego per ipsum non licere adhærere objecto etiam practico, quod probabiliter verum apparet; Namque tota, & unica ratio, qua motus est Altisiodorensis ad dicendum nos posse de Divinis Notionibus *contrariè opinari*, *non verò asserere*, est quia nihil est determinatum de Notionibus in Sacra Scriptura. Ex hoc ego infero, quòd intellectus in his materiis poterit etiam minùs probabiliter adhærere, & affirmare, & negare, & idem à fortiori in aliis materiis minùs dignis, ut sunt materiæ practicæ. Si negetur consequentia, assignetur disparitas, cur indeterminatio Scripturæ reddat licitam *opinionem*, non verò minùs *Probabilitatem*. Interea peto ab Altisiodorensi, an *opinio* sit indivisibilis intensivè, vel divisibilis. Si divisibilis; ergo opinio modò est magis, modò minùs opinio. Deinde explicet, quando *opinio minùs talis erit*. Et certè nil aliud assignari poterit, nisi quia objectum minùs movet ad hanc partem. Si dicatur opinionem esse indivisibilem intensivè; Contra, quia omnis cognitio intellectiva intenditur, & remittitur, & habitus intellectuales suscipiunt magis, & minùs per Philosophos.

27. Hìc notabis, secundùm Altisiodorensem in quæstionibus revelatis non licere aliquid asserere, quando non est determinatum in Scriptura, vel ex fide directè non sequitur; Per assertionem autem Antiqui intelligebant cognitionem firmam, & certam. Hinc in 3. tract. 8. cap. 4. quæst. 5 §. *ad evidentiam solutionis*, pag. 188. column. 4. dicebat: Qui per naturales rationes aliquid asserit de Deo, quod *non est ei certum*, neque per syntheresim, nec per Fidem, nec per Sacram Scripturam, *peccat mortaliter*. Humano enim ingenio asserere aliquid de Deo præsumptio est. Nescio, an hæc Doctrina sit contra Adversarios volentes in quæstionibus supernaturalibus indecisis, & in quibus Doctores variant, nos cogere ad certitudinem.

28. Idem Author in 4. in tract. 6. cap. 7. de pænit. venialium quæst. 3. in solutione quæstionis ita scribit: Illi dicuntur ædificare super fundamentum Christi lignum, fœnum, stipulam, qui super Doctrinam Apostolicam ædificant vanam, & frivolam Doctrinam. Et frivola Doctrina *dicitur Doctrina falsi*, cui admiscetur aliquod peccatum. *Docere enim falsum non est peccatum secundùm se*, *quia & illi*, qui dicunt tantùm quinque esse Notiones, *meritoriè hoc possunt dicere*; & illi, qui dicunt non tantum esse quinque Notiones, *meritoriè hoc possunt dicere*; & tamen *alteri dicunt falsum*. *Unde Doctrina falsi secundùm se non est vana*, *& frivola*, *sed cum admiscetur peccatum*. Potest tamen admisceri quadruplex peccatum. Aliquis autem Magister appetit excellere alios, & postea credit, se excellere alios, & postmodum vult apparere excellens, & propter hoc habet curiositatem, quæ est libido sciendi maximè ea, quæ non est necesse scire, & cum ex his quatuor, *vel ex aliquibus istorum*, *quæ sunt peccata venialia*, *docet falsum*, *tunc salvo fundamento ædificat lignum*, *fœnum*, *stipulam*; *peccat enim tunc venialiter*.

29. Per hunc Textum illi peccant venia-

nialiter in tradendis Doctrinis, qui salva Doctrina Apostolica docent falsa cum admixtione alicujus peccati venialis ex quatuor assignatis; Sed opinio minùs probabilis, quamvis in se esset falsa, nullum habet peccatum veniale ex quatuor assignatis, ut patet; ergo opinio minùs probabilis, quamvis in se esset falsa, nullum peccatum importat.

30. Dices: In scripturis habetur *Veritatem nos salvare*, & Christum dici *Veritatem*. Ergo Probabilitas, si in se sit falsa, non salvat Doctrinam Apostolicam; atque adeo importat peccatum mortale.

Sed contra, quia sic falsitas in se esset mala; & sic nulla falsitas esset bona, & meritoria, quod est expressè contra Doctorem, qui dicit opinantes contrariè in materia de Notionibus meritoriè posse se habere. Præterea per Doctorem *dicere falsum* præcisè non est Doctrina *vana, & frivola;* ergo Probabilitas, si in se sit falsa, si nihil aliud deterius habeat, non destruit Doctrinam Apostolicam; quin nec est vana, & frivola juxta principia hujus Magistri. Hinc apertè Vendrochius, & alii, qui allato argumento contra nos utuntur, contrariantur Altisiodorensi. Objecto satisfactum est alibi; unde hìc supersedeo ab ulteriori responsione; unde solùm

31. Confirmatur hæc Responsio. Doctrina Apostolica est Doctrina Fidei, ut videtur supponere Doctor in principio quæstionis, & etiam à nullo negari posse videtur; Opinio autem minùs probabilis non est contra Fidem; nam, quamvis Thomistæ judicent probabiliores opiniones Divi Thomæ, non propter hoc poterunt dicere, opiniones contrarias Scoti, & aliorum Doctorum esse contra Fidem; nec vice versa Scotistæ audebunt affirmare, opiniones Divi Thomæ opponi principiis Fidei; Et quando Gratianus in quæstione de necessitate Confessionis de pœnit. dist 1. fin. dedit licentiam Lectori sequendi opinionem, quæ sibi placeret, non propter hoc existimavit, sequentem opinionem affirmativam debere credere opinionem contrariam repugnare Fidei; licèt postea ut hæretica declarata fuerit. Ergo opinio minùs probabilis stat cum Doctrina Fidei; atque adeo non erit juxta Doctorem improbanda sub gravi. Et cum ex alia parte non habeat admixtum aliquod ex quatuor peccatis venialibus, jam etiam non est Doctrina *vana, & frivola*, sed solida, & gravis; & sic absque scrupulo sectanda, & tradi poterit *meritoriè*.

32. Albertus Magnus apud Nider in Consolat. timor. Conscient. 3. par. cap. 11. & Divum Antoninum 1. par. tit. 3. cap. 10. §. 10. vers. *revertendo ad quartam* dicit: quod Frater Simplex, & quilibet Homo cum salute potest sequi in Consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus Magni Doctoris opinionem sequatur. Nequit negari, quòd Alensis, Albertus, Divus Bonaventura, Divus Thomas, Scotus, & alii Proceres Theologi Antiqui sint Magni Doctores. Insuper est certum, quòd Albertus noluerit nos cogere, ut credamus esse omnes ejusdem Authoritatis; ergo relinquit nobis arbitrium tenendi esse majoris, & minoris authoritatis; adhuc tamen, cum omnes sint Magni; ergo per Albertum possumus illorum opiniones sequi, & quia necesse est, illos judicare majoris, & minoris Authoritatis, sic illorum opiniones erunt aliquæ Probabiliores, aliæ minùs probabiles; & tamen omnes possumus sequi tanquam opiniones *Magnorum Doctorum*.

33. In 2. dist. 22. art. 9. dixerat, ignorantiam juris esse peccatum, & neminem excusare; Unde ex hoc videtur, esse nobis contrarius; adhuc tamen multum favet in articulo sequenti, ubi hæc scribit: Ignorantia juris est duplex, quia quoddam jus est Universale, *quod omnibus imponitur ad sciendum*, & quoddam est particulare, quod non scitur *nisi per studium*. Et puto, quòd Prima est crassa, & supina, non excusans: secunda autem excusat vel *à toto, vel à tanto, si est casus multùm difficilis*: ita verbatim Magnus Albertus.

34. Nunc quæro ab Adversariis, an in materiis obscuris supernaturalibus, naturalibus, & Ecclesiasticis *omnes te-*

neantur scire veritatem. Et secundùm Albertum debemus respondere negativè, quia Theologi ipsi post longum, & improbum studium vix opinari possunt in his materiis; tantùm abest, ut hæc scire queant. Ergo hæ materiæ non spectant ad *jus Universale*, *quod omnibus imponitur ad sciendum.* Ergo pertinent ad jus particulare. Ergo, si in his materiis casus est *multùm difficilis*, ejus ignorantia *excusabit à toto.* Tum sic: Ergo opinio minùs probabilis sustinens non dari præceptum in materia multùm difficili habebit *ignorantiam excusantem à toto*, quia non est contra jus, *quod omnibus imponitur ad sciendum.*

35. Dices. Per Jus Universale intelligi jus Naturale, & Divinum, quæ jura omnes scire debent; per jus verò particulare intelligi jus Civile, & Ecclesiasticum, quorum notitiam omnes habere non debent, arg. c. *Jus Naturale*, & c. *Jus Civile.* 1. dist.

Sed contra. Ergo saltem in jure Civili, & Ecclesiastico opinio minùs probabilis, *si casus sit multùm difficilis*, habebit ignorantiam *excusantem à toto.*

36. Præterea Albertus distinguit Jus Universale à particulari, quia *Primum omnibus imponitur ad sciendum; Secundum verò non scitur nisi per studium.* Igitur, si Jus Naturale imponitur omnibus ad sciendum, hoc ideo est, quia scitur *sine studio*, & ubique instinctu naturæ habetur, & dicitur allato c. *jus naturale*; Hinc & instinctu naturæ scitur. Cum ergo materiæ obscuræ Naturales, Supernaturales, & Ecclesiasticæ solo naturæ instinctu non sciantur, istæ materiæ non spectant ad jus Universale juxta explicationem Alberti. Ex alia parte, cum per Albertum *jus particulare* sit, quod *non nisi scitur per studium*, & prædictæ materiæ solo studio sciantur, quin multoties post improbum studium vix de illis opinari liceat; ergo hæ materiæ pertinent ad jus particulare; & si casus *erit multùm difficilis*, *ignorantia ejus à toto excusabit.* Et propter hoc Legislatores, ut excusationem à transgressoribus tollerent, voluerunt suas leges esse manifestas. c. *erit autem* 4. dist.

37. Exemplo Magni Alberti possumus explicare Doctores Antiquos asserentes tanquam Axioma: *Ignorantiam Juris neminem excusare.* Sic ergo explicandi sunt, quòd ignorantia Juris Universalis, quod scilicet scitur sine studio, & *sic omnibus imponitur ad sciendum*, neminem excuset; Ignorantia autem Juris Particularis, *quod nempe non scitur nisi studio*, excusat, si casus sit *multum difficilis.* Hæc explicatio est juxta exempla, quæ afferunt in exemplis de ignorantis juris, v. gr. Ignorantia de *Fornicatione*, *Homicidio*, *& hujusmodi*, quæ sunt exempla ipsius Alberti in articulo septimo. Certum est autem, quòd hæ veritates sine studio saltem magno ab omnibus addiscuntur. Nunquam autem invenies afferre exempla in ignorantia de jure in materia multùm obscura. V. grat. nunquam dicunt ignorantiam de confitendis circumstantiis aggravantibus, de restitutione rei ablatæ in extrema necessitate, de certa quantitate requisita ad mortale, & aliorum similium non excusare. Ergo per Doctores Antiquos Ignorantia Juris Universalis, quod debet sciri ab omnibus, *& sic sine studio*, & sic juris clari, & certi, neminem excusat; Bene verò ignorantia juris particularis, quod non nisi studio scitur, *si sit casus multùm difficilis*; & sic ignorantia juris in materia multùm obscura, & opinabili *à toto excusabit.*

38. Circa Divum Bonaventuram expendo Doctrinam, quam habet in 2. distin. 22. dub. 1. Ibi quærit, an si Adam non peccasset, humanum genus peccatis corruptum periret. Respondet negativè, & solvendo rationem oppositam ait: Quòd homo tunc ex parte mulieris contraheret corruptionem pœnalitatis, non corruptionem fœditatis. *Vel certè*, quod probabilius videtur, *vir mulieri commixtus amplius non esset*, *sic enim Deus aliam novam formasset.* Ecce per primam responsionem Adam innocens commixtus fuisset cum Eva peccatrice; per secundam verò *probabiliorem* responsionem non fuisset commixtus.

39. In

39. In 4. dist. 13. art. 2. qu. 2. (retuli etiam cap. 27. nu. 27. & 28.) amplectitur duas opiniones in illa difficultate, *An Corpus Christi descendat in ventrem hominis.* Prima opinio asserit, non descendere, *quia stultus esset, qui adoraret Christum in ventre hominis.* De hac opinione sic judicat: *Sic potest ista opinio satis probabiliter sustineri.* Secunda opinio concedit, *quòd Corpus Christi est in stomacho, & secundùm hanc positionem satis patet responsio ad objecta.* De hac opinione tale judicium profert: *Alia positio videtur securior, & authoritatibus magis concordare.* Si hæc opinio magis concordat cum authoritatibus; ergo est amplectenda tanquam probabilior, ut fecit Concilium Viennense relatum in Clement. de Summ. Trinit. §. fin. propter hanc rationem in alia opinione Theologica. Ulteriùs Divus Thomas quodlib. 4. art. 18. asserit, authoritates probare, *quòd res ita est*; Ergo, quod magis conformatur authoritatibus, est probabilius. Per Divum ergo Bonaventuram, quamvis hæc secunda sit securior, & probabilior, adhuc opposita opinio est & probabilis, & satis probabilis, & satis sustineri potest. Quia verò opinio opposita probabiliori est minùs probabilis. Ergo opinio minùs probabilis potest esse *probabilis, & satis probabilis, & satis sustinibilis.* Hinc Adversarii dicentes opinionem minùs probabilem esse tenuiter probabilem opponuntur Doctori Seraphico; quòd si detur aliquando opinio minùs probabilis, quæ sit tenuiter probabilis in se, tunc illa opinio erit rejicienda, tanquam indigna, quam vir prudens amplectatur. Hinc Innocentius undecimus num. 3. talem propositionem eliminat à praxi. Deduco ulteriùs, intellectum posse determinari ab objecto, quod graviter moveat, licèt minùs, quàm oppositum; quia autem intellectus, dum est determinatus, non est amplius dubius; ergo de tali intellectu non valet illud axioma: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Ex hoc colliges, intellectum unicè non determinari ab objecto probabiliori, sed posse determinari ab objecto, quod quidem minùs moveat, sed tamen graviter moveat. Colliges etiam, hæc valere in materia morali, quia Scriptura, & Patres non habent majorem authoritatem in morali, ac in re speculativa *Sacra*; & sic dices, posse dari propositionem moralem *satis probabilem, & satis sustinibilem* oppositam opinioni magis conformi Sacræ Scripturæ, & Patribus. Observa hunc textum esse virtualiter moralem, ut notavi etiam cap. 27. num. 28.

40. Insuper dist. 32. art. 3. quæst. 1. in corp. & ad 5. dicit, *probabilius* esse, quòd Uxor tempore menstrui naturalis non teneatur ad redditionem debiti; sed adhuc ibidem subdit, securius, & sanius esse dicere, quòd teneatur reddere. Nunc quæro, an Probabilioritas tollat ab alia parte probabilitatem, vel non. Si secundum; ergo opinio minùs probabilis est verè probabilis; & sic potest defendi. Si Primum; ergo in casu Divi Bonaventuræ non est probabile, quòd mulier hçc teneatur ad debitum reddendum. Si non est probabile; ergo quomodò Divus Bonaventuræ potest dicere, *securius, & sanius* esse asserere, quòd teneatur? Nunquid propositio nullam habens veritatem potest esse secura, sana, & obligativa? Si potest dici propositio nullam Probabilitatem importans, poterit etiam dici propositio minùs probabilis, quę aliquā importat probabilitatē.

41. Durandus in 4. distin. 15. quæst. 2. assert duas opiniones. *Harum* Prima asserebat, pœnitentiam impositam à Confessario, & factam in peccato mortali à pœnitente liberare à pœna; & sic nec teneri iterum ad illam peragendam. Secunda asserebat, non liberare à pœna. De hac opinione sic loquitur num. 8. *Et iste modus, licèt sit durior, est tamen securior, quàm primus; & ideò est magis consulendus; Primus tamen non est totaliter condemnandus.* Hic nequit negari, quòd Durandus credat secundam opinionem nedùm securiorem, quod est evidens ipsis tironibus, sed etiam probabiliorem, cum oppositam dicat *non esse totaliter condemnandam*, quæ verba evi-

 den-

denter notant hanc opinionem esse minùs probabilem. Nec dicas, hæc verba denotare, quòd credat illam nec probabilem, nec improbabilem; Nam pro illa solvit Argumenta contraria, ut patet num.10. & num.14.

42. Dist. 19. quæst. 2. num. 13. refert pariter duas opiniones. Una dicebat, quòd ideò quilibet non potest absolvi à quolibet sacerdote, quia Ecclesia hoc prohibuit; & sic solo jure Ecclesiastico; & secundùm hanc opinionem quilibet recipit *verum Sacramentum* à quolibet Sacerdote: quia tamen tunc non reciperetur absolutio; ideò pœnitens Confessus Sacerdoti prohibito ab Ecclesia, debet iterum Sacramentum recipere à non prohibito pro absolutione peccatorum. De hac opinione sic judicat Durandus. Hic est primus modus *satis probabilis*, ad cujus rationes difficile est respondere, *ut mihi quandoque visum fuit*.

43. Referens Secundam opinionem sic prosequitur: secundus modus est, quòd non quilibet potest absolvi à quolibet, non solùm propter Ordinationem Ecclesiæ, sed propter Ordinationem Christi, *& hic modus pro nunc apparet mihi verior*, quia Christus soli Petro tanquam Pastori, &c. Ecce evidenter in intellectu Durandi componebantur simul Primus modus *satis probabilis*, & secundus modus verior; & sic probabilior; Isti autem modi erant inter se oppositi, ut patet. Nota, quòd, licèt modus secundus *sit verior*, & sic necessariò primus modus sit minùs probabilis; adhuc tamen per Durandum primus modus *est satis probabilis*. Ergo minor probabilitas, nedùm est in linea Probabilitatis; sed etiam cum addito illius adverbii, *satis*, quod notat aliquid plus. Quoad primum modum vide omnino Tridentinum sess.14. cap.6. & 7.

44. Distin.20. quæst.4. num.8. dicit, quòd aderat Tertia opinio sustinens Indulgentias valere tantum, quantum causa illas concedendi exigit, & non ultra. Subdit postea: *Hæc opinio bene est probabilis; tamen non est totaliter concors Consuetudini Communi Ecclesiæ, quæ non observat hanc proportionem*. Certè hæc opinio est probabilis juxta Durandum, cum expressè talem illam appellet; adhuc tamen, quia non est totaliter conformis Consuetudini Ecclesiæ, & propter alias rationes potiùs sequitur quartam opinionem, quæ asserit Indulgentias tantum valere, quantum sonant, licèt causa Indulgentiæ non sit proportionata. Ex hac opinione sequitur, ut asserit num.9. & 10. quòd, si Papa dicat, quòd in visitatione Ecclesiæ, & recitatione quinque Pater, & Ave remittantur quatuor anni de pœnitentiis injunctis verè pœnitentibus, & Confessis, facientes hæc opera non teneantur ampliùs ad illos quatuor annos de pœnitentiis injunctis, ad quos tamen tenerentur juxta tertiam opinionem, quam tenet Durandus ut probabilem. In hoc textu jam video opinionem minùs probabilem esse rigorosam, & probabiliorem benignam. Verùm adhuc multum mihi favet, quia jam sequitur evidenter, non implicare dari simul in intellectu opinionem minùs, & magis probabilem oppositas; nec, quòd minùs probabilis sit rigorosa, non benigna, tollit oppositionem; quia oppositio in propositionibus habetur ratione formæ, non ratione materiæ: Tum quia, ut sæpe dixi, Probabilitas nihil dependet à rigorositate materiæ, aut benignitate. Ergo, si secundùm Durandum possumus, tueri duas propositiones, quarum una sit minùs probabilis, & rigorosa, Altera probabilior, & benigna, poterimus etiam defendere duas propositiones, quarum minùs probabilis sit benigna, & probabilior sit rigorosa.

45. Prætereà secundùm quartam opinionem possum relinquere omnem pœnitentiam injunctam à Confessario, acquirendo Indulgentiam Plenariam, quamvis causa non sit proportionata; & tamen secundùm Durandum in mea mente resideat opinio opposita ut probabilis. Doceant nunc me Adversarii, quomodo, nedum cum scrupulo, sed cum opinione, quòd *non possim relinquere totam pœnitentiam* in hoc casu, possim licitè

licitè relinquere totam pœnitentiam, & ego eadem regula utar, ut possim licitè sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. Ipsi nequeunt dicere, nisi quòd tunc, tametsi physicè sit in mea mente opinio rigorosa, tamen non datur præceptum in hoc casu, quo tenear sequi opinionem rigorosam. Et ego asseró, quòd in materia obscura non datur præceptum sequendi veritatem, cum impossibile sit, quòd tunc detur; Ideò possum sequi Probabilitatem, quæ nunc reperitur in utraque opinione.

46. Distinct. 23. quæst 3. num.7. asserit, communem opinionem sustinere formam Extremæ Unctionis esse deprecativam; & proculdubio huic opinioni adhærere videtur. Adhuc tamen dicit, quòd, si quis vellet tenere esse Indicativam, non deprecativam, posset respondere argumentis oppositis. Postea respondet objectis. Hinc proculdubio hanc quoque reputat probabilem opinionem, minùs tamen, quàm primam, cum pro prima supponat omnes Ecclesias uti forma deprecativa. Hìc notabis, opinionem oppositam illi, quam sequor, posse solvere argumenta meæ opinionis; & sic opinio minùs probabilis solvit argumenta probabiliora; atque adeo impossiterum Adversarii non dicant, opinionem probabiliorem esse veram, & minùs probabilem falsam.

Distinct.33. quæst.3. narrat duas opiniones. Prima dicebat, Repudium in lege Veteri fuisse illicitum. Affert rationes pro eadem, & num.10. & 11. solvit Argumenta opposita. Secunda sustinebat, tale Repudium fore licitum. Num.7. ponit rationes pro eadem, & dicit: *Hæc autem opinio videtur probabilior, licèt præcedens sit communior.* Numer. 12. & 13. respondet Argumentis contrariis huic secundæ opinioni. Certè primam opinionem Durandus reputat probabilem, cum afferat fundamenta pro eadem, & solvat objecta. Quia verò secundam opinionem vocat expressè *probabiliorem*; ideo prima reputabatur ab ipso probabilis quidem, sed minùs.

Et observa, quòd hæc opinio minùs probabilis habet Virtutem solvendi Argumenta opinionis probabilioris; Ergo etiam aliæ opiniones minùs probabiles habebunt Virtutem solvendi Argumenta opposita; Solutis autem Argumentis oppositis opinionis probabilioris, quare non potero assentiri opinioni minùs probabili?

47. Scio, opinionem minùs probabilem hujus textùs esse pro lege; & sic Adversarii concedent, nos posse sequi opinionem minùs probabilem, Legi tamen faventem. Sed contra, quia quòd faveat legi non evadit fortior ad solvenda Argumenta opposita, nec per hoc evadit aut æquè probabilis, aut probabilior opposita opinione. Ergo opinio minùs probabilis, licèt non faveat legi, habebit Virtutem solvendi Argumenta opinionis probabilioris faventis legi. Possent alia opponi huic Textui, sed alibi sunt soluta.

48. Distinct.35. quæst.1. num 8. dicit, quòd Vir teneatur, dimittere Uxorem fornicantem manifestè, si non sequatur correctio. Subdit tamen: Quidam etiam dicunt, quòd, quamvis non speretur de correctione Uxoris, vir potest eam secretè ad thorum recipere, sed non publicè cohabitare propter scandalum, *quod non videtur omnino irrationabiliter dictum.* Hæc verba puto, clarè indicare, Durandum hanc opinionem tenere solùm ut minùs probabilem, præcipuè cum antecedenter absolutè teneat, Virum obligari ad ejiciendam Uxorem manifestè fornicantem. Hæc autem opinio minùs probabilis est etiam benigna.

49. Sicut Richardus de Media Villa multum favet Probabilitati, & utrique parti æquè probabili, ut vidimus, ità minùs Probabilitati plus cæteris adhæsit. Igitur in 3. distinct.23. art.8. quæst.1. refert duas opiniones. Prima dicebat, Prophetiam esse nobiliorem quoad naturam Fide, ignobiliorem quoad usum. Secunda asserebat, Fidem simpliciter esse nobiliorem Prophetia. Pro utraque affert rationes; deinde consuetum modum

modum sequens dicit: *Qui vult tenere secundam* opinionem, potest dicere ad Argumenta. Solvit Argumenta opposita. In margine dicitur: *Doctor videtur favere secundæ opinioni.* Postea prosequitur: Qui vult tenere primam opinionem, *quæ multùm est probabilis*, debet considerare ad solutionem Argumentorum, &c. In margine dicitur: Doctor adhæret primæ opinioni. Certè opinio, quæ *multùm est probabilis*, est magis probabilis, quàm ea, quæ solùm est probabilis.

50. Distinct.34. artic.1. quæst.3. dicit, probabilius esse, quòd dona sint habitus realiter distincti ab habitibus perfectarum Virtutum. Adhuc tamen dat licentiam, ut possimus sequi oppositam, & pro ea solvit objecta. Hi duo Textus sunt speculativi quidem, adhuc tamen evidenter probant, opinionem magis, & minùs probabilem oppositas non opponi contradictoriè; ut volunt quidam ex Adversariis; nam contradictio implicat tum in practicis, tum in speculativis Tum quia opinio speculativa probabilior habet motiva, quæ solvuntur à minùs probabili juxta Richardum. Ergo idem dicendum in moralibus, vel assignetur disparitas.

51. Distinct. 39. art.2. quæst.1. affert quoque duas opiniones. Prima negabat, juramentum dolosum obligare in foro Conscientiæ. Secunda affirmabat, & dicit hanc juxta aliquos esse magis consonam rationi. Postea dat libertatem sequendi primam, & secundam. Expressè Neutram vocat probabiliorem, implicitè tamen videtur magis favere opinioni strictæ, dum narrat, secundùm aliquos plus consonare rationi; & sic juxta eosdem esse probabiliorem. Tandem solvit rationes pro utraque.

52. In 4. dist.6. art.4 quæst 2. sustinet ut magis consonum textui Canonico, & sic ut probabilius, quòd Baptizatus bis, sed ignoranter, sit irregularis. Et hæc opinio est strictior. Dat tamen licentiam sustinendi oppositum, & solvit objecta. Hic textus est de opinione morali, ut patet, unde evidenter est pro nobis.

53. Dist.15. art.5. quæst 8. dicit, communem, & securiorem opinionem asserere, acquisita per ludos taxillorum, & alearum esse ipso jure restituenda, & hoc jure etiam Canonico probabiliter præcipi. Aliquibus tamen videtur *probabiliter*, quod talis restitutio non præcipiatur à lege Civili. Solvit autem objecta utriusque opinionis. Richardus videtur credere probabiliorem primam opinionem strictam, dum illam vocat communem opinionem; aliam verò esse aliquorum. Tum quia pro prima plura fundamenta refert. Fateor tamen hunc Textum esse satis obscurum.

54. Dist.18. art.6. quæst.3 recitat duas Opiniones. Prima sustinebat, quòd participans scienter in Divinis cum excommunicato à Papa nominatim incurrit excommunicationem majorem, & hanc vocat *probabiliorem*, *quia magis concordat textui Canonico.* Subdens postea aliam opinionem sic scribit: *Alii dicunt contrarium*, & bene, *in Glossa dicentes*, *hoc debere intelligi*, *&c.* Huic textui nulla potest dari responsio; nam prima opinio est probabilior per Richardum, & insuper est evidenter strictior: Secunda autem opinio ei opposita non potest esse nisi minùs probabilis, ut patet; Sed adhuc per Richardum hæc opinio *bene dicit*; & insuper evidenter est benignior; ergo per Richardum opinio benignior, & minùs probabilis est bona. Quid clarius pro mea opinione?

55. Artic. 7. quæst. 4. dicit, secundùm aliquorum opinionem posse fieri Collationem Beneficii Clerico excommunicato minori Excommunicatione, & talem Clericum *licitè* retinere Beneficium; Et hanc opinionem concedit, nos posse amplecti: *qui vult tenere opinionem primam*, *&c.* Solvit Argumenta opposita. Subdit aliorum opinionem *sibi magis placere*; (atque adeo sibi videtur probabilior) asserentem talem collationem non esse quidem *irritam*, *sed irritandam*; atque adeo esse illicitam. Ecce sibi opinio strictior est probabilior; & sic opposita minùs probabilis, & benignior,

gnior; adhuc tamen per Richardum est eligibilis.

56. Distinct.25. art.1. quæst.3. asserit, probabilius esse, Episcopos degradatos retinere Ordinem Episcopalem, & posse validè Ordines conferre, quamvis non licitè. Concedit tamen, posse sustineri, quòd Episcopus degradatus non retineat Ordinem Episcopalem; & sic nec possit validè Ordines conferre.

57. Distinct. 29. fin. magis adhæret opinioni asserenti, jurantem alicui puellæ Matrimonium posse ingredi Religionem, Matrimonio non contracto. Sed adhuc dat licentiam sustinendi oppositam opinionem dicentem, Si jurans existat in loco tuto, ubi non possit cogi ad consumandum Matrimonium, teneri ad contrahendum Matrimonium, & adhuc posse ingredi Religionem. Si primæ magis adhæret; ergo minùs adhæret secundæ; & sic prima erit probabilior, altera minùs probabilis.

58. Distinct.31. art.3. quæst 1. dicit: opinionem communiorem, & consonam verbis Augustini, & Magistri asserere, concubitum conjugalem habitum ob incontinentiam vitandam *esse peccatum veniale*; Adhuc tamen affert sententiam oppositam cum suis fundamentis, & solvit objecta. Ergo illam reputat probabilem. Cum verò prima sit communior, & consona Augustino, & Magistro; ergo illam credit probabiliorem; & sic opposita erit minùs probabilis, quæ pariter est benignior.

59. Distinct. 33. art.3. quæst 1. dicit, communiorem, & securiorem opinionem sustinere Repudium in Lege Hebraica fuisse illicitum. Refert pro ipsa sua fundamenta, & solvit opposita. Sed adhuc dat licentiam sustinendi contrarium. *Qui vult tenere secundam opinionem, &c.* Refert suas rationes, & respondet objectis. Si prima opinio erat communior, erat quoque probabilior, & insuper erat securior; ergo opposita opinio erat minùs probabilis, & minùs secura.

60. Nescio, an Scotus nobis faveat. In 4. distinct. 33. quæst.3. legenti ipsum patebit tenere absolutè Repudium in lege Antiqua licitum. Adhuc tamen in fine scribit: *Qui vult tenere primam opinionem*, ad Argumenta in oppositum *potest faciliter respondere.* Ad illas Authoritates Deuteronomii, & Malachiæ, &c. Videatur Hiqueus in comment. Hujus quæstionis.

Hic notabis, Argumenta opinionis probabilioris posse solvi nedum ab opinione minùs probabili, sed etiam faciliter solvi, *potest faciliter respondere.* Nec dicas, hanc opinionem minùs probabilem esse tutiorem, de quo non est quæstio; nec dicas, inquam, quia, licèt sit tutior; non tamen, ut dicebā, propter hoc habet majores vires respōdendi ad Argumenta, quàm habet opinio minùs probabilis, & minùs tuta. Solutis autem Argumentis oppositis jam intellectus potest assentiri opinioni minùs probabili. Vide cap.16. num.20. ubi leges Scotum dicere, *videri probabilem* quandam opinionem, oppositam tamen *esse probabiliorem.* Hinc videbis clarè, non dicere implicatoria Probabilistas, cum dicunt, posse defendi utramque opinionem, licèt una sit *minùs Probabilis.*

61. Guillelmus de Ocham in 4. qu. 3. litt. R. sic scribit: Ad tertium dico, quòd nec potest probari per rationem, nec per Authoritatem Ecclesiæ, quòd Virtutes Theologicæ infundantur sufficienter in Baptismo; quia, licèt Ecclesiam illam reputet probabiliorem, quæ tenet, quòd illæ Virtutes infunduntur, tamen contrariam opinionem non damnat....... Quia tamen Auctoritates Sanctorum videntur hìc sonare, maximè Augustini, &c. Igitur teneo cum eis, quòd istæ Virtutes infunduntur in Baptismo. Ecce quòd hìc Doctor clarè indicat, quòd opinio, quæ etiam judicatur probabilior per Ecclesiam, non reddat indefensibilem opinionem oppositam; Ergo opinio minùs probabilis potest defendi, præcipuè contra opinionem mihi probabiliorem, quia opinio mihi probabilior non est tanti ponderis, quanti est opinio, quæ probabilior apparet Ecclesiæ. Nota ex Triden-

dentino sess.6. cap.7. in justificatione infundi cum Gratia Fidem, Spem, & Charitatem; unde his temporibus oppositum nequit amplius defendi.

62. In quæst.8. & 9. Litter. Z. sic scribit: Neutra pars potest probari; tamen videtur magis consonum dictis Sanctorum, quòd peccata non redeant, & ad hoc est congruentia, quòd Deus bis non judicabit in idipsum. Sed tamen possunt dici, redire, quia possunt imputari ad tantam pœnam, ad quantam priùs imputabantur. Hæc secunda propositio est opposita primæ, quæ est magis consona Sanctis; & sic probabilior. Ergo per Ocham non repugnat defendere propositiones oppositas, Unam ut probabiliorem, aliam ut minùs probabilem.

63. Thomas Argentinas in 4. dist.6. quæst.1. art.2. conclus.2. dicit, non esse necesse simpliciter confiteri circumstantias aggravantes peccatum, v.gr. *Furari multum*, sed sufficere secundùm Communes Doctores exprimere in Confessione peccatum secundùm proprium genus suum. Postea ponit oppositam conclusionem. Deinde subdit: Quæ autem istarum opinionum sit verior, ad præsens non determino, quamvis secundam opinionem reputem securiorem, & *dictis Beati Augustini magis conformem, ut apparet expressè distinct.16. cap.2.* Hic nota, hunc Doctorem sequi opinionem oppositam strictiori, *& dictis Beati Augustini magis conformem*, & hanc opinionem non esse veriorem. Ego existimo, ne faciamus Doctorem in eodem textu sibi contrarium, quòd reputet utramque æquè probabilem ab intrinseco, cum neutram veriorem determinet. At quia cognoscit, strictiorem esse magis consonam dictis Augustini, ideo ab extrinseco credit esse probabiliorem. Hinc patet, Doctorem sequi opinionem minùs tutam, æquè probabilem ab intrinseco, & minùs probabilem ab extrinseco; Unde aliquo modo est pro præsenti opinione.

64. Quòd si dicant Adversarii, non esse secundam opinionem probabiliorem ab extrinseco, quamquam magis conformem Divo Augustino, eò quòd pro prima opinione adest Authoritas Divi Thomæ, & aliorum Celebrium Antiquorum, quos sub nomine *Communium Doctorum* Argentinas memorat; Unde hi Doctores æquant Authoritatem Augustini: Si dicant, inquam, hoc Adversarii, cum de hoc dicto nolim disputationem peragere, Respondeo, jam concedere, Argentinam esse pro utraque opinione æqualiter probabili; & ideò etiam textum hunc retuli pro illa.

65. Joannes Bacconius aliquo modo favet huic opinioni, namque in 1. dist. 39. art.2. §. 3. ponitur hic titulus: *Licèt probabiliter sustineri posset distinctio ex natura rei inter ideas, verius tamen dici istas hoc modo non destingui, ut ipse probat.* Certè Doctor, qui quæstionibus Bacconi apposuit Summaria, clarè facit Bacconem utramque partem magis, & minùs probabiliter sequentem in materia speculativa. Videamus, an ipse Bacconus revera ita scripserit: Licèt ista distinctio ex natura rei possit salvari, inquit ipse, fore possibilis intantùm saltem, quòd non sequerentur duo difficilia, scilicet nec compositio, nec relatio realis ad creaturam; (hoc habetur dist 2. quæst.2.) tamen eam non teneo, quia ideæ solùm distinguuntur in ipso actu intelligendi Divino. Ex hoc nota rationem, quare non possunt distingui ex natura rei, &c.

66. In 2. distin.17. quæst.1. art.3. §. 4. scribit: Sed licèt isti tres Articuli possint *sic communiter teneri; tamen* aliter probabiliter posset teneri *quantùm ad duos ultimos Articulos.* In sequenti §. sic subdit: *de formis substantialibus* posset idem probabiliter teneri, *quòd qualibet pars illarum, &c.* Expendat Lector, an hìc Doctor his textibus faveat opinioni minùs probabili, & ipse decidat.

67. Apud eundem Bacconem in 3. dist. 24. quæst 2. art.1. §.4. princ. scribitur: Ad primum de Paulo, dico quod probabiliter potest teneri, quòd, in illo raptu discessit fides & post sibi reddebatur, quod

quod probatur à simili, vel à maiori, quia potest probabiliter teneri, quòd anima sua pro nunc fuit separata, & postea reunita, quod patet, quia ipse, dubitat, utrùm tunc fuerit in corpore, vel extra corpus; per consequens utraque pars, postquam sibi dubitabilis erat, potest probabiliter teneri. A simili, vel à majori est probabile, quòd ad tempus fuit extra statum accidentalem, cujusmodi est status fidei, & viatoris, & post rediit ad pristinum statum, quia magis apparet probabile, quòd per aliquod tempus fuit extra statum accidentalem, quàm quòd fuit extra statum naturalem. Ecce probabile est, quòd Paulus in raptu fuerit mortuus; sed adhuc *magis apparet probabile*, quòd non fuerit mortuus. In fine illius §. asseritur, illam Doctrinam recitativè poni; unde videtur, Doctorem non tradere illam de sua mente Adhuc tamen, si textus non valet ut textus Bacconii, valet ut Doctrina Antiquorum, & probat nullam esse implicantiam per Antiquos opinari utramque partem magis, & minùs probabiliter.

68 Petrus Aquilanus in 2. distin. 22. art. 3. scribit: Potest dici per viam Richardi, quòd triplex est ignorantia. Prima est ignorantia invincibilis simpliciter. & hæc totaliter excusat a peccato pro eo, quòd talis ignorantia tollit rationem voluntarii; & peccatum non est, nisi sit Voluntarium. Secunda dicitur Ignorantia Affectata, ut cum aliquis sua voluntate vult ignorare propter minorem remorsum conscientiæ; & hæc non excusat, immò aggravat. Tertia est ignorantia crassa, quæ partim est voluntaria, & partim involuntaria, ut cum aliquis propter negligentiam non vult laborare, ut sciat, *quod tenetur scire*, quamvis illud scire vellet sine labore. Hæc æqualiter alleviat à peccato, quamvis non totaliter tollat. Nunc instruitur argumentum: Ignorantia inclusa in opinione minùs probabili non est nec affectata, nec crassa; ergo est invincibilis, & sic excusans. Antecedens probatur: Non est affectata, quia hic multùm studet, & ponderat argumenta pro utraque parte; nec est crassa, quia adhibet summam diligentiam expendendo rationes utriusque partis *ad sciendam veritatem*; Sed videns impossibile esse pervenire ad scientiam veritatis judicat, se non teneri ad illam sciendam; atque amplectitur hanc, vel illam opinionem, ut sibi libet; Nec hoc est contra mentem Aquilani, qui, ut vidimus c. 28. n. 28. dedit licentiam amplectendi in duobus casibus opinionem, *quæ plus placeret*. Et ipse quoque amplexus est oppositas opiniones in explicatione Scripturæ.

69 Dices. Voluntariè amplectitur opinionem minùs probabilem; cum possit amplecti probabiliorem; ergo hæc ignorantia juxta Aquilanum non est Invincibilis.

Sed contra est, quia sic nec ignorantia facti, quæ in multis casibus admittitur à Doctoribus excusare, non excusaret. Casus est in Jacob, qui cognovit Liam credens esse suam Uxorem. Certè poterat tunc vel illam non cognoscere, vel lumen accendere, quibus positis copulam illam materialiter malam omisisset. Igitur, ut ignorantia sit invincibilis, debet tollere rationem voluntarii peccati, qua peccatum est formaliter sumpti, ut patet exemplo Jacob, & in omnibus Doctoribus Antiquis, & Modernis sequentibus opiniones benignas, quæ possunt esse falsæ.

70. Joannes Gerson par. 3. *de Vita spiritual.* lect. 4. litter. O. Corollar. 11. pagin 327. inquit: Ne sint faciles Theologi asserere actiones aliquas, aut omissiones esse peccata mortalia, præsertim sub verbo universali, & dum prædicandum erit ad populum..... Itaque debet quilibet, nunquam oblivisci, quàm incerta est scientia nostra, ita ut idem sæpe homo brevi momento temporis nunc in hanc, nunc in oppositam feratur sententiam. Fit præterea quandoque, ut per tales assertiones, *nimis duras generales, & strictas*, præsertim in non certissimis, nequaquam eruuntur homines à luto peccatorum, sed in illud profundiùs, quia desperatiùs, immerguntur..... Denique generantur

ex

ex hinc Scrupuli inquietativi Conscientiarum simplicium, ut in eis sit solidum nihil. Nam, etsi Beatus vir, qui semper est pavidus, & qui veretur omnia opera sua; observandum est tamen summopere illud Terentianum, *Ne quid nimis*, & ut idem loquitur, ne in scirpo nodum quærant, ne quoque eis improperetur illud ejusdem: quid, si cœlum ruat? Demùm quid prodest, immo *quid non obest, coarctare plus justo mandatum Dei, quod est latum nimis?* Quid insuper expedit *amarius, graviusque illud reddere jugum Christi, quod suave est, & onus ejus leve?* Nam, etsi contemptus ex hac laxatione, & dulcedine apud quosdam improbos major oriatur habentes velamen malitiæ libertatem; *ast apud alios bene institutos actiones gratiarum resonabunt. Præstabitur etiam sedulius obsequium Domino, & Patri tantæ mansuetudinis*, cujus mandata gravia non sunt, & *Qui vult, nos non tentari, & non gravari supra id, quod possumus.* Hucusque Gerson.

71. Hunc Textum puto esse evidenter pro probabilitate, & pro æquali probabilitate; An verò multum etiam faveat præsenti conclusioni, expendet Lector Doctus, nec partium studio addictus, sed veritati. Hic textus est omnino similis illi, quem Humbertus habet in explicatione constitutionum Patrum Dominicanorum, & quem retuli cap. 9. nu. Tria præcipuè notentur ex hoc textu: Primum, quod Opiniones strictæ, & rigorosæ non eruant homines à luto peccatorum, ut adeo confidenter prædicant Probabilioristæ; sed *magis in illa profundiùs, quia magis desperatius, immerguntur.* Secundum notabile est, quòd Opiniones austeræ sint oppositæ Veritati Divinæ asserenti, mandata Dei esse *lata nimis, suavia & dulcia.* Probabilioristæ legant hunc aureum textum Gersonis, nec amplius carpant Probabilistarum *Benignitatem.* Tertium notabile est, quòd Gerson explicat textum illum Euangelicum, *Jugum meum suave est*, eo modo, quo faciunt Probabilistæ, ut scilicet debeamus explicare præcepta Christiana interpretatione benigna, non rigida. Quartum notabile est, quòd quidem benignitas Opinionum apud *quosdam improbos* caussabit majorem lassitatem; tamen apud *bene institutos ex ipsa resonabunt gratiarum actiones.* Ego pluris æstimo bonas operationes *bene Institutorum*, quàm lassitates improborum; & sic benignitates docebo, interea relinquendo Probabilioristis rigiditates, & austeritates.

72. Joannes Nider in Decalog. præcept 9. c. 1. *de Ignorant.* dicit, Ignorantiam esse peccatum, si est privatio scientiæ eorum, *quæ scire possumus, & debemus.* Et dicitur, *debemus*, quia si non *cadit sub debito, non est peccatum.* Subdit postea, Septem cadere sub præcepto hujus Scientiæ, Fidem nempe, Legem naturalem, Divinam, & positivam, Ea, quæ spectant ad proprium Statum, Statum gratiæ in susceptione Eucharistiæ, & Beneficia manifesta à Benefactore accepta.

Infra autem liter. C. expressè ait: Quando verò talium ignorantia, quæ est causa peccati, non est directè voluntaria, seù affectata, sed indirectè, vel per consequens, quæ dicitur simplex ignorantia, puta cum quis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit illud addiscere, per quod à peccato retrahatur; talis enim negligentia facit ipsam ignorantiam esse voluntariam, *& peccatum, dummodo sit eorum, quæ quis scire tenetur, & potest.* Talis ignorantia non totaliter excusat à peccato. Hucusque Doctor.

Sequitur ex his evidenter, ignorantiam eorum, *quæ scire non possumus, nec debemus, non esse peccatum.* Maximè notandus est ille terminus, *Scire*, in quo facio magnam vim. Scire ergo per Summistas Antiquos est assensus, quo *aliquid credimus sine aliqua hæsitatione alterius partis.* Sicut opinari est assensus ad aliquam rem cum *aliquali tamen formidine alterius partis.* Ita ipse Nider de consol. timor. conscien. par. 3. cap. 1. Baptista de Salis Verb. *Confessio* quæst 8. Angelus Verb. *Opinio* princ. Unde dicebat Divus

Divus Bernardinus tom.1. serm 2. art.1. cap.2. litter. D. quòd scire propter firmitatem bellum non habet. Quam Doctrinam verbatim habet Parisiensis de leg. cap.1. Non dissimilia dicunt alii Summistæ viventes tempore prope Antiquo, & sunt Sylvester Ver. *Opinio* princ. Tabiena Ver. *Dubitatio* princ. Quin Henricus in Summ. par.1. art.6. quæst.1. num.7. advertit, etiam scientiam largè sumptam significare cognitionem certam veritatis; unde Augustinus epist. 112. cap.3. dicebat, meritò nos scire dicimus non solùm illud, quod videmus, verùm etiam illud, quod certissimum credimus. Et hæc Doctrina fundatur in Aristotele, & Philosophis distinguentibus scientiam ab opinione, quòd scientia est de objecto necessario, Opinio verò de eo, quod aliter se habere potest, ut etiam dicebamus c. p.3.

73. Nunc instruitur argumentum: Opinio minùs probabilis importat ignorantiam sine peccato; ergo operans secundùm ipsam non peccat; nam, si cognitio non est mala, voluntas nequit esse mala. Antecedens probatur, quia per Doctorem tunc ignorantia est peccatum, si sit ignorantia eorum, quæ *scire possumus, & debemus*; sed opinabilia scire non possumus, ut patet; ergo Ignorantia eorum est inculpabilis.

74. Dices, quando Antiqui definiunt ignorantiam culpabilem esse privationem scientiæ de illis, quæ *scire possumus*; Per Verbum, *scire*, non intelligunt cognitionem certam, sed cognitionem in generali, ita ut idem sit, ac cognoscere; Unde volunt dicere, quòd carentia cognitionis eorum, quorum notitiam habere possumus, & debemus, sit ignorantia culpabilis.

Sed contra, quia in definitionibus termini debent accipi in propria significatione, cum definitio sit cognitio quidditativa, & propria rerum. Tum quia Leges natæ sunt esse æternæ, & invariabiles, nec dependent ob opinione hominum; Ergo debent posse generare cognitionem certam, & invariabilem. Sed opinabile est variabile; ergo opinabile non debet esse sub lege. Hinc Legislatores humani rectè statuerunt c. *erit autem* 4. dist. legem debere esse manifestam, ne scilicet ab ullo negari queat. *Vel*, ut inquit Glossa V. captione, *ne aliquis captiosè possit eam interpretari*. Vel *etiam ne alicui laqueus paretur per eam* 27. *quæst*.1. *de viduis*. Et in c. fin. de constit. dicitur, Legem nihil debere obscurum, vel ambiguum continere, & Glossa V. *ambiguum* scribit: Lex, sive constitutio nullam obscuritatem continere debet, ne per obscuram constitutionem in laqueum incidamus, nec debet nos inducere per legem, obscuram, vel dubiam ad id, à quo nos cohibere debet.

75. Instabis. Altisiodorensis in 2. tract.29. cap.1. de Ignorat. quæst.3. pag.102. column.4. asserit, quòd homo ratione pœnæ inflictæ ob peccatum Originale non potest intelligere quosdam laqueos usuræ, & Simoniæ; Unde non quilibet tenetur scire de quolibet peccato mortali, quòd sit mortale, *sed tenetur scire, vel dubitare*, & propter hoc vitare; est enim regula, quòd si aliquis dubitat de aliquo, an sit mortale, & facit illud, *peccat mortaliter*; Ergo, dum alii Doctores dicunt Ignorantiam culpabilem accidere de iis, quæ tenemur scire, Hæc verba debent suppleri, & addi illis, quæ addit Altisiodorensis, scilicet, vel *dubitare*.

Sed contra, quin immò Altisiodorensis debet corrigi per definitionem allatam ex Nider, quia hæc coincidit cum definitione dictæ ignorantiæ tradita à Divo Thoma, & aliis celebrioribus Antiquis; Minus enim est dicere, Altisiodorensem fuisse superfluum in allata definitione, quàm fuisse Mancum Angelicum Doctorem cum aliis. Tum quia concedo, quòd homo teneatur scire, vel dubitare etiam de laqueis Usuræ, & Simoniæ, & quandò vel scit, vel dubitat, an sint lethales, teneatur illos vitare; at quando opinatur, etiam minùs probabiliter, non esse mortiferos, non asserit, adesse talem obligationem; & quamvis ipse forsan judicaverit, opinionem minùs probabilem coincidere cum dubitatione, in hoc ei adhærere non cogimur.

76. Bea-

76. Beatus Antoninus, ut retuli cap. 29. num. 26. docet par 2. tit. 4. cap. 3. *De decimis* §. 6. dari duas opiniones in illa quæstione, an milites exigentes decimam ex consuetudine excusentur: Opinio rigida *ex rigore juris erat præferenda*. De alia sic discurrit: *Prima tamen benignior*, & efficacior est, *& ideo ad vitandum periculum animarum expresè est amplectenda. Arg. de appell. cap. fin.* Ecce eligitur opinio benignior opposita illi, quæ de rigore juris est præferenda; & sic quæ de jure probabilior est. Ergo opinio benignior est minùs probabilis; adhuc tamen ipsa eligitur, & eligitur *ad vitandum periculum Animarum*, & eligitur *expresè*. Hic textus est clarè contra Adversarios dicentes, & exclamantes, opiniones benignas relaxare conscientias, & trahere in infernum Animas. Nec ille terminus, *efficacior*, qui est in textu, significat opinionem benignam esse probabiliorem, sed esse magis potentem ad præstandum effectum, qui esse nequit nisi salvare Animas; hinc ex illo antecedenti tanquam à causa deducit: *Et ideo ad vitandum periculum*, *&c.* Mihi videtur hunc esse discursum Probabilistarum.

77. In eodem tit. cap. 5 §. 8. ut retuli cap. 11. num. 39. dicit, Confessarium debere absolvere pœnitentem, *de quo clarè nequit percipere*, esse in statu peccati mortalis. Assignans rationes hujus Doctrinæ ait: *Cum promptiora sint jura* ad absolvendum, quàm ligandum *dist. 50. ponderet, & melius sit reddere rationem* de nimia misericordia, *quàm de nimia severitate, ut dicit Christus 26. quæst. 7. alligant.* Ecce clarè D. Antoninus absolvit, & judicat aliquem, de quo non est certus esse in peccato mortali, non habere peccatum mortale, *quia Jura promptiora sunt ad absolvendum, quàm ligandum.* Ergo jura ligantia juxta Antoninum solùm intelliguntur ligare in casu claro. Ergo, si probabiliter judico aliquod non esse peccatum mortale, tunc nulla datur lex ligans, & obligans ad peccatum mortale juxta Antoninum.

78. Idem Sanctus Doctor in 4. part. tit. 1. cap. 11. fin. asserit, non esse confirlendum, sed omnino prohibendum, procurare dispensationem, etiam à Papa, contrahendi cum tali, cujus scilicet Matrem, vel germanam carnaliter cognovit; sed si post contractum, & multò magis consumatum Matrimonium, talis obtinuit dispensationem remanendi cum illa, dimittendum est negotium judicio Dei, *nec condemnandum.* In cap. 14. verò in fine asserit, probabilius esse, quòd Papa non possit dispensare in Matrimonio prohibito in Lege Mosayca: Porrò in cap. 18. Levitici prohibebatur Matrimonium cum filia suæ Uxoris. Insuper Divus Antoninus in d. cap. 11. asserit, quòd Affinitas contrahitur ita per Fornicationem, sicut per conjugalem actum. Et sicut non potest contrahere Matrimonium cum filia Uxoris suæ, ita nec cum filia, cujus Matrem fornicariè cognovit; & secundùm Palud. Papa in hoc dispensare non potest. Ego puto ex his concludi, quòd in Sententia Antonini probabilius sit, Papam non posse dispensare in Matrimonium cum filia, cujus matrem fornicariè cognoverat; adhuc tamen obtenta tali dispensatione ait, non esse condemnandum tale Matrimonium. Ergo Antoninus sustinet Matrimonium, quod probabilius est, esse invalidum.

79. In altera Summa, quæ dicitur Confessionalis aliàs *Defecerunt* In tract. 2. par. 1. de VII. Præcept. cap 2 scribit, quòd Confessor non consulat, ut quis faciat contractum, de quo est quæstio inter Doctores, an liceat; Si verò non vult adhærere opinioni contrariæ, non facilè condemnes, quia in hujusmodi *secundùm Doctores* non est præcipitanda sententia. Eadem habet tract. 1. par 2 cap. 3. & eadem dixerat in 3. par. Summæ magnæ tract 17. cap. 16 § 2. Eodem tractatu part. 3. de conjugatis cap. 1. §. *Sed nota quod* scribit: In secundo tamen secundùm Theologos dispensare non potest; (loquitur in quodam casu de Matrimonio contrahendo) Sed quia difficile est disputare de Potestate Papæ, si sine surreptione obtenta est, *forsitan transira*

po-

potest. Hæc ultima verba notant Sanctum Doctorem magna formidine tenere in hoc casu Matrimonium valere, utpotè contractum contra opinionem Theologorum; & ego facilè judico, quòd Divus Antoninus hanc formidolosam opinionem tenuerit ut minùs probabilem, tantam meo judicio ingerunt formidinem illa verba: *Forsitan transiri potest.*

80. Angelus à Clavasio. V. *absolutio.* 1. num.2. meo judicio clarè est pro mea opinione. Retuli hunc textum cap. 28. num 34. Lector adeat locum, & videbit veritatem. Verb. *Confessio* 1. n.23. scribit, quòd circunstantia *quoties* est necessaria (ut scilicet dicatur Confessori) saltem secundùm eam computationem, quam quis facere potest; puta quia bis, vel ter fecit communiter, & perseveravit per annum, & hujusmodi, & sufficit, & hoc est tutius; *quamvis opinio Archidiaconi prædicta non sit improbanda.* Porro Archidiaconi opinio erat hujusmodi: *Dicit Archidiaconus, ut refert Directorium, quòd sufficit dicere se multoties peccasse, & de similibus idem judicium habeatur.* Ecce Angelus sequitur opinionem, quam etiam vocat tutiorem, & asserit aliam opinionem, quæ certè est laxior, *non esse improbandam.* Hæc verba, *non esse improbandam*, juncta cum eo, quòd Author aliam oppositam sequitur, puto evidenter demonstrare, quòd amplectatur hanc etiam aliam opinionem benignam, sed ut minùs probabilem.

81. Eodem V. *Confessio* 4. num.3. scribit: Adverte, quòd, si dubium versetur circa aliquod faciendum, vel dandum, vel pœnam subeundam, tunc benignior opinio est eligenda ff. de eo, quod cer. lo. l. *quod si Ephesi* in fi. unde in c. *fin.* de transact. dicitur, in his, super quibus jus non invenitur expressum, procedas æquitate servata, semper in humaniorem partem declinando, secundùm quod personas, causas, loca, & tempora videris postulare. hæc ibi. Hoc idem tenet Bar. in l. *omnes populi* ff. de just. & jur. nisi fortè esset aliquod faciendum, quod faciliter posset expediri; Si verò dubium esset, ut abstineat, tunc securior pars est eligenda, scilicet abstinere. Si tamen diversitas esset inter Doctores, & pænitens ex aliqua rationabili causa vult adhærere uni opinioni, non est sibi deneganda Absolutio, sed suæ conscientiæ relinquendum. Quid autem sit dubium, quid opinio, & quid faciendum in his, vide infra V. *Dubium*, & *Opinio. Similiter Sacerdos non debet asserere mortale id, de quo non est certus, ne mittat laqueos alteri.... Caveat igitur Confessor, ne sit præceps in dando sententiam de mortali, ubi sunt variæ opiniones Doctorum, sicut de decimis, ubi non est consuetudo, sed consulat semper, quod sibi videtur tutius.*

82. Verb. *Debitum Conjugale* num.24. scribit: Utrum cognoscere Uxorem causa sanitatis sit licitum. Res. Richard. in 4. dist. 31. art.3. quæst.2. quòd sic secundùm quosdam; *vel fortè potest dici, quòd sit veniale peccatum*, & hoc verius. Author sequitur ut veriorem opinionem strictam, sed ex modo sequendi non reprobat primam benignam; ergo illam supponit saltem minùs probabilem. Num. autem sequenti asserit, quod Doctor non debet præcipitare sententiam in illa quæstione, An liceat sine mortali variare modum in copula conjugali, & hoc, quia Doctores sunt varii; ergo nemo debet me condemnare, quia sequar opinionem minùs probabilem, quia etiam in hoc Doctores variant in opinionibus. Num. 27. refert opinionem Paludani sustinentis, Uxorem posse *mingere ad ejiciendum semen; ne concipiat*; si tamen hoc faciat ex rationabili causa, puta, quia non potest pascere tot filios De hac opinione sic decidit Angelus: de hac opinione valdè dubito propter c. *aliquando* 32. quæst.1. quod videtur innuere, quòd sit peccatum mortale; *Sed potest dici*, quod dictum c. *loquitur* quando quis ex sola voluptate hoc facit, vel quando postquam conceptio est facta, quærit abortum. Sed Pet. intelligit, quando hoc fit ex rationabili causa.... *& sic posset teneri*; licèt sit periculosa. Ecce tenet opinionem *periculosam*, quam cum

amplectatur illis verbis: *Posset dici*, quæ denotant valde trepidantem, existimo illam sequi ut minùs probabilem.

83. Verb. *Excommunicatio* 5. casu 1. num. 10. scribit: Si Paterfamilias verberaret existentem in Sacris causa correctionis, non erit excommunicatus, *placet post factum, licèt ante factum teneam cum Pan. in dicto c. cum voluntate, quòd incidat.* Eandem distinctionem *de ante factum, & post factum* adhibet ibidem num.17. & casu 11. num.4.

84. Ver. *Excommunicatio* 7. casu 5. nu. 3. in quodam casu Doctores communiter tenebant, incurri Excommunicationem; Ipse tamen Angelus sic scribit: Pan. tamen in dicto c. *Adversus* dicit, quòd hæc opinio est valde rigorosa, & quòd fortè posset teneri contrarium, *quod ego credo post factum, licèt ante factum tenerem primam.* Quòd actio sit facta, vel sit facienda non mutat casum essentialiter. Vel ergo probabilius est, quòd habeat annexam Excommunicationem, vel quòd non habeat. Si Primum, ergo probabilius est, quòd etiam re facta ille sit Excommunicatus; & sic probabilius erit, quòd nequeat audire Missam, recipere Sacramenta &c. Si secundum; ergo etiam ante factam hoc erit probabilius; ergo cum aliàs per Angelum possimus sequi opinionem probabiliorem, poterimus etiam in hoc casu. Ego in rei veritate credo, quòd Author existimet, probabilius esse, quòd casus habeat annexam Excommunicationem; hinc sequitur evidenter, quòd Angelus faveat Adversariis ante factum, nobis verò post factum, quod nobis sufficiet. Hanc distinctionem ante factum, & Post factum habet etiam casu 27. num.1.

85. Ver. *Horæ Canonicæ* num.9. refert opinionem Henrici dicentis, omittentes horas Canonicas ex negligentia peccare mortaliter, & opinionem Richardi Anglici oppositum sustinentis, nisi hoc fiat ex consuetudine. Subdit Angelus: *Hæc opinio est humanior, sed opinio Henrici videtur tutior.* Adversarii dicent, quòd, quia opinio Henrici sit tutior, sit etiam amplectenda; sed in sententia Angeli hoc non sequitur, quia ipsi Ver. *Immunitas* num.36. placet opinio, quòd Ecclesia in quodam casu non teneatur de suis agris solvere collectas, & hanc vocat absolutè tutiorem, nec tantùm ipsi *videtur tutior*, ut erat illa Henrici; adhuc tamen opinionem oppositam suæ opinioni tutiori dicit expressè, *non esse condemnandam.* Ecce Angelus sequitur unam opinionem; & sic ipsi est *probabilior*, & insuper *est tutior*; ergo opinio opposita est minùs probabilis, & minùs tuta; Unde sumus in casu præsentis quæstionis De hac ergo opinione *minùs probabili, & minùs tuta* Angelus decidit, non esse condemnandam. Ergo quando Angelus Ver. *Opinio* dicit esse sequendam opinionem magis consonam rationi, debemus illum explicare, esse ita sequendam probabiliorem, ut non condemnemus minùs probabilem. Ergo Adversarii, qui minùs probabilem condemnant, expressè opponuntur Angelo.

86. Ver. *Inobedientia* ante num.1. quærit, utrùm Inobedientia circa præcepta humana sit peccatum mortale. Refert plures opiniones, quarum *una erat multorum cum Richard. de Media Villa in quodlib.1. quæst.19.* dicente tunc esse peccatum mortale, quando est ex consuetudine; alia erat Divi Thomæ in 4. distinct.15. quæst.4. art.3. quæst.4. ad 3. scribentis, non esse mortale, *si probabiliter credi potest*, quòd, si Legislator adesset, nollet obligare. Subdit Angelus: *Et hæc opinio videtur coincidere cum opinione Richardi*, quæ magis mihi videtur æqua, *& ideo sequenda*, (nota hanc causalem) *quam etiam sequitur Archid 86. distin. in c. Utinam, & Gemin. in c. generali de elect in 6. Facit pro hac opinione Gloss. & c. Nam durum valdè videtur, quòd Prælatus intendat semper injicere laqueum peccati mortalis in suis præceptis, & ideo solùm Credo, sit in contemptoribus, & illis, qui prævaricationem, & inobedientiam ducunt in consuetudinem.* Hanc lassitatem nullum Probabilistam scio tenere, & est damnata ab Alexandro septimo num.23. & ab Innocentio 11. num.52. Interim noto, quòd qui minùs probabiliter credit,

dit, credit adhuc probabiliter, nam Probabilitas, ut dicebam, non est aliquod indivisibile; ergo Angelus nos salvabit ab inobedientia mortali circa præcepta humana.

87. Ver. *Irregularitas* 1. num.24. cum Scoto dicit, quoddam Capitulum insertum in Decreto Gratiani non habere authoritatem infligendi Irregularitatem, quia est desumptum à Pęnitentiali Theodori Episcopi Cantuariensis, qui tantam authoritatem non habuit. Et si dicatur, Decretum Gratiani esse confirmatum à Papa, contra est, inquit cum Scoto Angelus, *Hoc non est manifestum*. Ecce per Scotum, & Angelum, ut aliqua regula sit Lex Ecclesiastica, oportet, quòd *manifestè* prodeat à Papa; Et quidem hoc est omnino verum, & si non erro, est decisum in c. *erit autem* 4. dist. ubi dicitur, quòd Lex debeat esse *manifesta*. Ego Subdo; Sed opinio probabilior non reddit legem manifestam, ut est certum; ergo per Scotum, & Angelum, regula, quæ solùm probabilioriter probatur, quòd sit facta lex à Papa, non est Lex Ecclesiastica; atque adeo per hos Doctores non obligabimur, ab illa; Et sic opinio minùs probabilis erit bona regula saltem in lege Ecclesiastica.

88. Ver. *Legatum* 2. nu.5. refert duas opiniones. Prima dicebat, ex Legatis piis non detrahi Falcidiam juxta communem opinionem, nec Trebellianicam, etiam per plures Doctores. Secunda affirmabat oppositum. De his opinionibus Angelus subdit: Licèt prima opinio sit magis Pia, *tamen secunda non est condemnanda*. Clarè patet, Angelum magis propendere in primam tamquam magis piam, præcipuè cum quoad Falcidiam sit communis. Ipsi ergo est probabilior hæc opinio, sed adhuc alia minùs communis, & *minùs pia non est condemnanda*. Si prima est probabilior, secunda erit minùs probabilis. Hic nota, quòd utraque opinio est periculo exposita, quia utraque potest esse contra legem; Adhuc tamen Angelus non hortatur sequentes alterutram opinionem, ut orationi vacent ad delinandum periculum, ut volebat Vendrochius; sed dicit, unam esse magis piam; ac proinde illam sequitur; sed adhuc oppositum sequentes *non condemnat*. Confessarius ergo, si est primæ opinionis, non condemnet pœnitentem, qui Falcidiam, & Trebellianicam detraxit à Legato pio; Sic enim uterque tutus erit; & ipse pro se erit Probabiliorista, & Probabilista pro aliis; sic morem geremus Angelo. Et si debeo fateri meum morem, sic ego facio. Probabiliorista, & Rigidus in opinionibus quoad mea facta, Probabilista pro aliis.

89. Verb. *Legitima Portio* num.17. affert duas opiniones. Prima dicebat, quòd Filius per delictum Lesæ Majestatis à Patre commissum non amittat legitimam portionem. Secunda affirmabat. Postea sic concludit: *Licèt de rigore, & subtilitate juris istud sit verius*, nempe secunda opinio, *tamen mihi magis placet opinio Car.* (idest prima) *tanquam magis benigna, & eam teneo*. Inde affert rationes pro hac sua benigna opinione, & solvit objecta. Hic modus procedendi est ille, quem Probabilistæ sequuntur. Vident de rigore juris, & per subtilitatem Doctorum opinionem rigidam esse veriorem; tamen sequuntur oppositam, *tanquam magis benignam*. Afferunt rationes pro ipsa, & solvunt objecta. Ergo Probabilistæ sequuntur adamussim regulam Angeli. Si Probabilistæ nequeunt, aut nolunt sequi opinionem minùs probabilem, ut minùs probabilem, quia secundùm hanc rationem videtur esse mala; sicut minùs bonum, ut tale, est malum; illam sequantur tanquam *magis benignam*; sic enim imitabuntur Angelum, non opponentur Probabilistis, & non sequentur opinionem prout malam, sed prout bonam.

90. Verb. *Matrimonium* 3. Impedim.3. num.3. tenet, esse validum Matrimonium contractum contra opinionem veriorem dicentem esse invalidum. Nota bene hunc casum. Ego contraho cum Berta Matrimonium hoc pacto. *Contrabo tecum, si Patri meo placuerit.* Pater audito contractu nec *dissentit, nec assentit expressè.* Quid juris? Respondet Angelus,

gelus, est validum Matrimonium, *ubi ad secunda vota non est perventum*; Ergo Angelus videns meum Patrem nec dissentire, nec assentire, tunc dicit, esse validum Matrimonium, quia nondum transivi ad alia vota. Sed quid?me pœnitet talis Matrimonii; unde ante consumationem transeo ad secunda vota. Dicit Angelus, quòd verius est hoc secundum Matrimonium esse validum. Ego infero; ergo primum Matrimonium probabilius erat, invalidum esse; & sic probabilius erat, quòd exigens copulam peccaret mortaliter. Decisionem similem habet Angelus num. sequenti.

91. Verb. *Ornatus* num. 4. quærit ibi, *An mulier peccet mortaliter fucans se, & adhibens alienos crines ad fingendam majorem pulchritudinem.* Sic scribit: Ego in occultantibus defectum tenerem opinionem Sancti Thomæ, idest negativam; In aliis autem, quæ talibus utuntur ad fingendam majorem pulchritudinem, recitarem eis opiniones prædictas, & inducerem pro posse ad dimittendum, ostendens periculum; si tamen *vellent* tenere opinionem Sancti Thomæ, *non negarem eis absolutionem, sed me exonerarem, & super ipsos, vel super ipsas, relinquerem.* Hæc verba ingerunt mihi speciem Doctoris multum formidantis, atque adeo *minùs probabiliter sentientis.* Unde non dubito, hìc Angelum esse pro nostra opinione.

92. Denique Ver. *Opinio* num. 1 asserit, sequendam esse opinionem communem, quando adest; Huic tamen regulæ ponit limitationem his verbis: Licitè judicatur contra communem opinionem Doctorum, & etiam Glossæ, *quando jure non probatur, vel per rationem, cui non possit responderi. Ita etiam notat Dom. Anton. in dicto cap. Tua nos.* Ego credo, quòd illa verba: *quando jure non probatur*, loquantur de jure expresso, quia secundùm Angelum Ver. *Jejunium* num. 9. Ideo quis in die Jejunii potest ova comedere, quia non habemus textum *Expressum*, nisi solùm in Quadragesima. Ego infero, cum pro opinione probabiliori non detur textus expressus; quia aliter non esset opinio, sed certitudo, ideo licitè possumus judicare contra opinionem probabiliorem. Nota etiam illa verba: *Vel per rationem, cui non possit responderi*, & supple propositionem sic: *Vel quandò non probatur per rationem, cui responderi non possit*, & hinc inferes evidenter, cum opinio probabilior *non probetur per rationem, cui responderi non possit*, quia tunc non esset opinio, sed certitudo; ergo contra opinionem probabiliorem juxta Angelum possumus judicare.

93. Subdit Angelus: In aliis autem *Opinio benignior* debet observari. l *benignus* ff. de legibus.... & benignior dicitur illa, quæ favet juramento Testamento, *Libertati*.... similiter illa, quæ solvit, quàm quæ ligat. Formo duos casus. Primus sit: est æqualis opinio, quòd adsit Lex, & quòd non adsit. Secundus sit: adsunt duæ opiniones prima probabilior, & strictior, secunda minùs probabilis, & favens *libertati humanæ.* Quomodo possum me gerere secundùm principia Angeli? In Primo casu puto certum, me posse eligere partem benigniorem. Ratio est evidens, quia benignitas est objectum movens Angelum ad ponendam regulam: *Opinio benignior est observanda*; Ergo saltem, quando cætera sunt paria, & solùm differunt, quia una opinio est stricta, alia benigna, tunc est observanda, ut est in casu primo. Idem assero in secundo casu, quia *in aliis* opinio benignior est observanda; & loquitur Author generaliter. Ergo, quandò sunt diversæ opiniones, *opinio benignior est observanda*; in secundo autem casu opinio minùs probabilis est vera opinio, & insuper est benignior; ergo est observanda. Omnino autē esset contra mentem Doctoris, si diceretur, posse quidem nos sequi opinionem benigniorem, quia hæc potest esse etiam probabilior, non verò quia benignior sit; Nam, si benignitas non est motivum amplectendi opinionem unam præ alia, ad quid memorare benignitatem? Si opinio benignior est amplectenda, quia potest esse probabilior, cum etiam opinio strictior possit esse probabilior;

bilior; ergo Angelus debebat reminisci nedum *benignitatis*, sed etiam severitatis. Tum quia ante illa verba: *In aliis autem opinio benignior debet observari*, Author mentionem facit eorum, in quibus severitas est præferenda, & est, dum agitur de Judæis; ergo, dum agitur de Christianis, *benignior est præferenda*, non quia probabilior, sed *quia benignior*. Tum quia subdit Angelus, quòd inter plures opiniones est præferenda, *quæ solvit, non quæ ligat*. Ecce quòd opinio eximens à lege, & sic, quæ solvit, debet anteponi opinioni, quæ ligat; & sic quæ est pro lege. Præterea Angelus expressè vult favere juramento, Testamento, *Libertati*, Matrimonio, Religioni, & Sacramento. Tum sic. Vel per Adversarios semper est sequenda opinio probabilior, vel solùm aliquando. Si Primum; ergo evidenter sequitur, quòd juramentum, Testamentum, *Libertas*, &c. nihil habent de speciali, præter alias materias, quod est contra Angelum expressè. Si Secundum; ergo aliquando possemus sequi opinionem v. gr. pro *Libertate*, quæ non sit probabilior. Igitur debet assignari casus, in quo intuitu *libertatis humanæ*, &c. possimus aliquid facere, quod non liceat in aliis materiis; & certè ad minus debemus respondere, quòd hoc valeat, quando utraque opinio est æqualiter probabilis. Sed ego puto, hoc idem asserendum esse etiam, quando opinio est minùs probabilis, quia Angelus dicit universaliter, inter plures opiniones esse sequendam, *quæ est benignior*, *& quæ solvit*.

94. Jam scio Angelum in hoc Ver. *Opinio* asserere, ut supra notavi, inter plures opiniones illam esse sequendam, quæ validioribus rationibus innititur, maximè si sit subtilior; unde non nego, quòd sit pro Adversariis; tamen nec Adversarii inficiari possunt, multum favere nobis in allegatis textibus. Tum quia num. 2. dicit, certitudinem moralem consurgere ex probabilibus *conjecturis grossis*, & figurantibus magis ad unam partem, quàm ad aliam, quæ verba desumpta sunt ex Divo Antonino 1. par. tit. 3. cap 10. fin. & ex Joanne Nider consolat. timorat. conscient. par. 3. cap. 14. & cap. 18. qui illa habet à Gersone, & Aristot. Qui omnes dicunt, illud esse probabile, quod pluribus maximè Sapientibus apparet verum. Nota illud verbum: (*conjecturis grossis*) certè nequeunt negare, opinionem minùs probabilem habere *conjecturas grossas*. (Hic Angelus obliviscitur opinionis subtilioris, cujus ante meminerat) Insuper hæ conjecturæ *grossæ* magis figurant, imò unicè figurant ad unam partem, & non ad aliam; nam Argumenta pro hac opinione militant magis, quin unicè pro ipsa. Tãdem opinio minùs probabilis habet plures, & maximè Sapientes Viros; sic se habet opinio Scotistarum v. gr. A. quæ mihi videtur minùs probabilis; Ergo opinio minùs probabilis habet certitudinem requisitam per Angelum. Præterea Angelus relatus num. sequitur opinionem tutiorem, & tamen ait, oppositam non esse damnandam; ergo, quando hìc sequitur probabiliorem, debet addi, oppositum tamen non est damnandum.

95. Glossator Raymundi lib. 1. tit. de voto §. 12. V. *quidam intravit* scribit. Sed si contrahat, quid erit? Tanc. dixit, quod tenet Matrimonium, quia votum non fuit. Alii dicunt, quòd non tenet Matrimonium, sed debet separari de conversf. conjug. ex parte, & consulvit, *& hoc verius videtur*. Vel si vis *dicere*, *quod Matrimonium teneat*, *ipse tamen ab uxore exigere non debet*, *quamvis reddere debeat exactus*. *Arg. de restit. Spoliat. litteras*, *& de sentent. excomm. inquisitioni*. Hunc textum habet etiam Glossa canonica in c. *quidam intravit* de conversf. conjug. V. *non exigere*, quem retuli cap. 6. num. 58. Ecce evidenter est in libertate nostra sequi opinionem oppositam veriori: *Si vis dicere*; & ex hac opinione, *quam voluntariè amplecteris*, potes habere rem cum fœmina, quæ probabilius est, non esse tuam; & sic potes incurrere in periculum frangendi castitatem.

96. Dices, in hoc casu teneri ad redditionem debiti ad fugiendum majus malum,

lum, quod est periculum violandi justitiam; certum est autem, nos posse sequi opinionem minùs probabilem, si simus inter duo mala; ex duobus enim malis minus est eligendum.

Sed contra, quia illud axioma valet, quando liberè non es inter illa duo mala, unde tibi necessariò unum ex illis est eligendum, ut patet ex c. *duo mala*, & c. *nervi* 13. dist. Si enim utrumque vitare posses, deberes. In nostro casu casus est de eo, qui liberè est inter illa duo, ait enim: *Vel si vis dicere, quòd Matrimonium teneat &c.* Ergo est, in potestate se subtrahendi ab obligatione reddendi debitum, & à periculo frangendi castitatem.

97. Rainerius V. *Confessio* §. 10. habet textum valde faventem, quem retuli cap.28. num.14. pro æquali probabilitate. Nota, quòd Author dicit: Hominem teneri confiteri venialia ex præcepto Ecclesiæ. Postea subdit: *Vel potest dici secundùm quosdam* per præceptum Ecclesiæ obligari solùm habentes peccata mortalia. Mihi videtur, hanc secundam opinionem benignam amplecti cum majori formidine, quàm primam rigidam, ob illa verba: *vel potest dici.* Et sic sequitur secundam ut minùs probabilem. Tum quia propria opinio est illa rigida; ergo illam tenet ut probabiliorem. Opinio benigna est aliorum; & sic non ita illam amplectitur: illam tamen amplectitur, quia ait: *Vel potest dici &c.*

98. Astensis lib.6. tit.14. art.3. quæst.8. movet difficultatem, an clericus sit irregularis, si errat in consulto, quod judici dedit, & propter illud judex damnavit aliquem ad mortem. Respondet: Si clericus ille reputetur jurisconsultus, *& errat in apicibus juris, & ubi sunt varia opiniones*, non est ex hoc irregularis, *dum tamen responderit, super hoc esse varias opiniones.* Si autem ignoraverit ignorantia crassa, & supina, ubi *nullus* jurisperitus probabiliter dubitaret.... *irregularis erit, cum fuerit in culpa lata.* Ex hoc textu sequitur evidenter, legem irregularitatis non habere locum in hoc clerico, *si adsint varia opiniones*, ut adsunt, quando una est minùs probabilis, & quam doceat *aliquis jurisperitus*; Alia verò est probabilior, & plures illam tuentur. Tit.22. art. 3. quæst. 4. dicit, quòd natus ex copula damnata nequeat promoveri in Episcopum, quamvis inter parentes sit Matrimonium contractum; postea subdit: *Sed si contrarium dicatur, nec displicet, ne favor Matrimonii restringatur.* Illa verba: *Nec displicet*, certè significant, quòd Doctor amplectitur quidem illam opinionem, sed minùs tamen, quàm præcedentem; ergo amplectitur illam ut minùs probabilem.

99. Lib.8. tit.10. art.2. quæst.7. ut retuli cap.28. num.23. refert duas opiniones oppositas in illa quæstione, an conjux dans licentiam alteri vovendi castitatem possit illum revocare. Postea subdit. Qui volunt tenere secundam opinionem, possunt dicere ad Decretum allegatum contra eam, quòd illud verbum: *similiter convertatur*, intelligendum est sic: scilicet nisi malit suum conjugem revocare. Et sic solvunt quidam, & Glossa solvit ibidem. *Vel potest dici, & melius, quòd ideo dicitur* similiter convertatur, *quia revocando* peccat, *licèt ad petitionem ejus alius debeat per judicem revocari.* Ecce prima opinio dicit, quòd, si unus conjugum est conversus ex licentia alterius, debet hic alter *similiter converti*, nisi malit suum conjugem revocare. In hac opinione expressè non dicitur, an peccet, necne, *dum revocat conjugem suum*; sed meo judicio debet subintelligi, quòd *non peccet*, ut prima opinio differat à secunda, quæ dicebat, in tali revocatione intervenire peccatum, *revocando peccat.* Porro secunda opinio est *melior*; & sic est probabilior, & insuper est rigidior. Prima quoque opinio est bona, quia Author dat licentiam illam sequendi. *Qui volunt tenere secundam opinionem &c.* Hic adverte, me vocare illam opinionem, quam Doctor appellat *secundam*, vocare, inquam, primam, quia ego omitto illam, quam ipse primam nominat.

100. Quod attinet ad Canonistas; Glossa in §. 1. distin.13 vers. *item adversus*

sùs scribit : si uxor petit debitum à viro.... non credo, quod talis delectatio sit peccatum,ut 33.q 2. quicquid. Si tamen vis tenere, quòd sit ibi peccatum veniale, dicas cum Hug. quòd vir debet mulierem petentē prudenter eludere, promittendo se postea facturum, donec ipsa efferveat. Hic Glossa tenet ut probabilius, quòd petitio debiti conjugalis ob vitandam fornicationem nullum sit peccatum: Hanc enim opinionem absolutè tenet; adhuc tamen dat licentiam tenendi opinionem oppositam. Ecce per Glossam opinio opposita *Probabiliori* potest defendi; ergo opinio Probabilior non tollit Probabilitatem in opposita opinione. Si opinio minùs probabilis potest defendi; ergo possumus assentiri ipsi, ergo falsum est, quòd asserunt Probabilioristæ, & ipse Vendrochius not 1. in epist 5. sect.4.§.9 quòd inter motiva inæqualia animus assentiat Probabiliori, dissentiat minùs Probabili; non enim potest teneri, & defendi opinio, nisi ipsi assentiamur.

101. Neque dicas, Glossam dare licentiam tenendi opinionem austeram contra probabiliorem benignam, in quo nullū absurdum; immo hoc omnes concedūt. Difficultas stat,an possimus sequi opinionem minùs tutā,& minùs probabilem.

Sed contra, quia austeritas non auget veritatem; Unde opinio minùs probabilis austera non est magis vera, ac sit opinio minùs probabilis benigna. Et si minùs probabilis benigna nequit resolvere motiva sibi opposita, nec minùs probabilis austera hoc poterit; ergo vel neutra poterit sustineri, vel utraque. De hoc pluries in hoc capite.

102. Urgebis, nos posse sequi in praxi opinionem falsam, si sit austera, non tamē, si sit benigna;ergo etiam poterimus sequi opinionem minùs probabilem austeram, non verò minùs probabilē benignā.

103. Sed contra, quia possum sequi austerum falsum, si non sit contra jus alterius, non autem, si sit contra proximum. Numquid possum sequi illam opinionem hæreticam, quòd copula Matrimonialis sit peccatum mortale; & sic negare debitum conjugi petenti? Contrà secundò; possum quidem facere rem austeram, quam docet opinio falsa, non tamen possum illam rem facere tenendo opinionem falsam, ut veram. Possum elicere in Confessione actum Contritionis perfectæ; non ex opinione falsa, quòd illa contritio sit necessaria, sed ex opinione, seu ex scientia, quòd melius est, confiteri cum contritione perfecta. In nostro autem casu Glossa dat licentiam tenendi opinionem oppositam probabiliori, *si vis tenere, quod ibi sit peccatum veniale.* Intellectus autem nequit tenere, & sustinere falsum; ergo, si in nostro casu intellectus potest sustinere juxtà Glossam opinionem oppositam probabiliori. Hæc opinio opposita probabiliori non est falsa, sed vera, probabiliter tamen, Confirmatur; est certa hæc Propositio: *Ad confessionem non requiritur contritio charitate perfecta.* Potestne quis, dare licentiam, ut teneamus oppositam opinionem, & dicere: *Ad confessionem requiritur contritio charitate perfecta?* Certè non. Quare? Non ob aliam rationem, nisi quia hæc secunda propositio est falsa; & tamen hæc secunda propositio est austera. Ergo etiam, si opinio opposita Probabiliori esset falsa, quamvis austera, non posset quis dare licentiam, ut illam sustineamus; Ergo, si Glossa dat talem licentiam, oportet dicere, quòd opinio opposita probabiliori non sit falsa, sed probabiliter vera. Nec austeritas aliquid conferet, sicut non confert in illa Propositione de contritione Charitate perfecta requisita ad Confessionem.

104. In c. *bi, qui* 32. quæst 7. V. *ex fectis sunt* clarè dicit, meliorem sententiam tenere, quòd castratus, scilicet spado, nequeat contrahere Matrimonium, cum cognoscere uxorem non possit. *Vel dicas, quòd, si habet virgam erectam, sive resolvat sperma, sive non, quòd sit ibi Matrimonium.* Prima sententia erat *melior*; & sic probabilior. Erat pariter rigidior, ut patet. Adhuc tamen Glossa dat licentiam docendi oppositam, quæ utique erat bona, sed minùs; & sic erat minùs probabilis. Erat pariter

ter benignior. Ergo Glossa clarè est pro me. De hac glossa vide cap. 10. num 21. Vide aliã glossã pro hac opinione c.6.n.58.

105. Panormitanus in c. *Prudentiam* num. 4. de offic Judic. delegat. & in c. *finem* num. 26. de dolo, & contum. asserit, sequentem *opinionem probabilem Magni Viri, quamvis contra Communem*, justè litem posse intentare, & si litem perdat, non subjacere expensis. Certè Vir Magnus non est majoris authoritatis, quàm sit Authoritas Communis Doctorum. Et insuper Panormitanus supponit, opinionem Communem esse ab intrinseco Probabilem. Si enim supponeretur improbabilis, tunc nedùm opinio Probabilis Magni Viri, sed nullius Viri sufficeret. Certum namque est improbabilitatem esse spernendam; Hinc juxta Panormitanum opinio probabilis ab intrinseco, & minùs probabilis extrinsecè est Regula bona intentantis litem contra opinionem probabilem ab intrinseco, & Probabiliorẽ ab extrinseco.

106. Pro nostra conclusione faciunt Canonistæ relati pro æquali Probabilitate cap. 28. à num.62. ubi illi tenent opinionem rigidam, & postea dant licentiam sequendi oppositam benignam. Hanc certè non æquè, sed minùs probabilem credunt; nam absolutè sequuntur rigidam, & postea solùm dant licentibm sequendi benignam. Attuli etiam alibi Theologos, & Summistas sequentes opinionem rigidam, & postea dant licentiam benignam amplectendi; unde etiã isti stant pro nostra opinione. Vide cap. 36.

CAPUT XXXIV.

Textus D. Thomæ faventes opinioni minùs Probabili.

1 NUnc videndum est, an D. Thomas faveat nostræ opinioni. Alibi retuli aliquos textus; sed libeat illos observare hìc tanquam in proprio loco, & alios addere.

Primus, quem cap.27. num. 21. retuli fit ex 4. distin.17. quæst.3. art.1. quæstiunc. 3. ad 3. ubi asserit, quòd nemo ex vi Sacramenti tenetur confiteri venialia, *sed ex institutione Ecclesiæ*, quando non habet alia. *Vel potest dici secundùm quosdam*, quòd ex Decretali prædicta non obligantur nisi illi, *qui habent peccata mortalia.* In hoc textu ex propria Sententia expressè asserit, dari præceptum Ecclesiasticum confitendi venialia in non habentibus mortalia. Subdit tamen, posse dici secundùm quosdam non adesse tale preceptum. *Vel potest dici secundùm quosdam &c.* Certè prima opinio ut propria admittitur à Doctore Angelico; & sic erit probabilior, quæ pariter est strictior. Adhuc tamen sustinet dictum aliorum oppositum. Quòd illud sustineat, patet nam clarè scribit: *vel potest dici, &c.* Numquid falsum potest dici? Non tamen illud defendit ut æquè probabile; namque primam absolutè amplectitur; secundam verò amplectitur verbis non adeo expressivis adhæsionem intellectivam. *Vel potest dici secundùm quosdam* Hec áutem secũda opinio est etiam benignior.

2. Dist 24. quæst.1. art.1. quæstiunc.5. ad.3. sustinet dictum Alberti nolentis requiri contactum physicum ad Sacram Ordinationem; sed tamen contrariam opinionem sequitur. Hic porro textus est adeo clarus, ut ipse quoque Probabiliorista Gonetus Thomista coactus sit fateri, ut notavi cap.5. num.39. Sanctum Doctorem primam opinionem tenere ut probabilem, secundam ut probabiliorem.

3. In dist 33. quæst.2. artic.2. quæstiunc. 2. scribit, quòd quamvis probabiliter dicatur, Repudium fuisse licitum in lege Veteri, Communiùs tamen sustinetur oppositum; & ideo respondendum est ad utrasque rationes. Si secunda pars est communior, & respondet objectis illi oppositæ, videtur, quòd reputaverit illam probabiliorem. Primam partem expressè vocat probabilem; Si secunda erat probabilior, prima erit minùs probabilis. Ulteriùs 1.2. quæst. 107. art.4. asserit ex Augustino epist. CXIX. c.19. in Patrum institutionibus esse modera-

tio-

tionem attendendam, *ne conversatio fidelium onerosa reddatur.* Ergo multiplicatio præceptorum non est introducenda ab Ecclesia sine necessitate; & sic multò minùs à Doctoribus, quibus non competit jus condendæ legis. Sed opinio probabilior non facit necessitatem, cum possint ejus argumenta solvi à minùs probabili, ex toties dictis; ergo in hoc casu Doctores non debent nos cogere ad sequendam probabiliorem, *ne reddant conversationem fidelium onerosam.*

4. In Quolibeto 8. artic.13. quærit, an, qui habet plures Præbendas, peccet. Concludit Quæstionem cum hac distinctione: si manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, & peccat, ut potè magis amans Beneficium temporale, quàm propriam salutem. *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & sic non committit se discrimini, nec peccat.* Contrariæ opiniones in hac materia erant, quòd liceat habere plures præbendas, & quòd non liceat. Quando autem dicit, aut ex contrariis opinionibus *in nullam dubitationem adducitur*, debet intelligi de dubitatione strictè, & in rigore sumpta, prout scilicet intellectus in neutram partem inclinat, quæ est definitio dubitantis ex eodem Doctore Angelico 2.2. quæst.2. art.1. in hoc enim sensu opiniones possunt, imo debent esse sine tali dubitatione; Ibi enim clarè distinguit Divus Thomas dubitantem in tali sensu ab opinante. Si autem accipiatur dubitatio largè sumpta, & prout est idem cum formidine, tunc impossibile est, quòd opinio per Divum Thomam sit sine tali dubitatione, nam clarè asserit. 2.2. quæst. 1. art.4. quòd assensus, si sit *cum dubitatione*, & formidine alterius partis, est opinio. Et art.5. ad.4. scripsit, *de ratione opinionis* esse, quòd id, quod est opinatum, *existimetur possibile aliter se habere.* Ex his sequitur in sententia Doctoris Angelici, intellectum existentem inter contrarias opiniones semper formidare, & nunquam dubitare sumpta dubitatione strictè; ergo etiam, quando adhæret opinioni minùs probabili, cum adhæreat propositioni, quæ est in linea opinionis, tunc non dubitat; si non dubitat, non se ponit in discrimine, & sic *nec peccat* juxta Sanctum Doctorem.

5. Diffusiùs expendamus doctrinam, quam habet quodlib. 3. artic.x. quærit ergo, *Utrùm Discipuli sequentes diversas opiniones Magistrorum, excusentur à peccato erroris.* Sic autem quæstionem resolvit: Dicendum, quòd diversæ opiniones Sacræ Scripturæ, siquidem non pertineant ad Fidem, & bonos mores, absque periculo Auditores utramque opinionem sequi possunt. Tunc enim habet locum, quod Apostolus dicit ad Romanos cap.14. *unusquisque abundet in suo sensu.* In his autem, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores nullus excusatur, si sequatur *Erroneam opinionem* alicujus Magistri. Alioquin immunes à peccato fuissent, qui sequuti sunt opinionem Arii, Nestorii, & aliorum Hæresiarcharum; Nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequatur. In rebus enim dubiis non est de facili præstandus assensus; Quinimo, ut Augustinus dicit in lib.3. de Doctrina Christ. Consulere debet quis regulam Fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ authoritate percepit *Qui ergo assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ Testimonium; sive contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ authoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Hactenus D. Thomas.

6. Observandum est maximè, hic quæstionem institui, an sequens diversas opiniones Magistrorum excusetur à *peccato erroris*; & resolvens Dicit Primò, posse nos sequi diversas opiniones, si istæ *non pertineant ad Fidem, & bonos mores.* Dicit Secundò, nos non posse sequi *opinionem erroneam* Magistri in pertinentibus *ad Fidem, & bonos mores.* Tandem Concludendo, & veluti directè respondendo quæsito, & conclusionem ex allatis deducendo dicit Tertiò: *Qui ergo assentit opinioni alicujus Magistri contra Manifestum Scripturæ testimonium, si-*

sive contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ Authoritatem, non potest ab erroris vitio excusari

7. Observandum est ulteriùs, quæstionem esse Universalem; Nec enim quærit v. gr. An sequens diversas opiniones de lege naturali, &c. peccet. Igitur præscindit ab omni materia, etiam speculativa, & quærit præcisè, an ipsum amplecti opiniones diversas sit peccatum, nec ne. Quòd sciam, Divus Thomas alibi quæstionem hanc universalem non instituit. Alibi equidem tractavit quæstiones similes, sed in particulari materia. Sic Quodlib. 4. art. 14. quærit: Utrùm debeant vitari illi Excommunicati, de quorum Excommunicatione est apud *peritos diversa Sententia*. Quodlib. 8. art. 13. disputat, utrum, quando sunt diversæ opiniones *de aliquo facto*, ille, qui sequitur minùs tutam, peccet, sicut de pluralitate præbendarum. Hic titulus habetur in hoc Quodlibet sub titulis positis in quæstione sexta ejusdem Quodlibeti: Ipsi autem articulo 13. affigitur talis titulus: *Utrùm, qui habet plures præbendas, peccet.* Quodlib 9. art. 15. *sciscitatur, utrùm habens plures præbendas sine cura animarum absque dispensatione sit peccatum mortale.* Patet evidenter has quæstiones esse in particulari materia *de Excommunicatione, & de Præbendis*. Et titulus ille ex quæst. 6. Quodlib 8. licèt videatur universalis, tamen est particularis, nec quærit de jure, sed *de aliquo facto*, & in ipsa quæstione se restringit *ad factum de pluralitate præbendarum*.

8. Ex hac observatione sequitur, quòd, ut Sanctus Doctor resolvat quæstionem, debet illam resolvere universaliter; *& sic de omni*. Hinc evidenter deducitur juxta doctrinam Angelici, ut quis non peccet *peccato erroris* in sequella alicujus opinionis, debeat, ponderare, ne illa sit *erronea, nec sit contra manifestum Scripturæ testimonium, vel contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ authoritatem*. Ego nequeo videre, quam aliam conditionem requirat Angelicus, ne quis *peccato erroris peccet*.

9. Dices, Divum Thomam in hoc textu non enumerare omnes conditiones requisitas, ut licitè amplectamur aliquam opinionem; & hinc non resolvit quæstionem affirmativè, sed negativè; Respondet enim, qui sustinet opinionem erroneam, & contra manifestum textum Scripturæ, &c. *non potest ab erroris vitio excusari*. Quòd non enumeret omnes conditiones ad licitam sequellam opinionis, ex hac una patet, quòd non meminit conscientiæ, contra quam non licet facere, quamvis opinio haberet assignatas conditiones à D. Thoma.

Sed contra, quia mirum est, quomodo alii Doctores Antiqui, qui eamdem quæstionem agitarunt, referant illum Articulum Divi Thomæ, & cum ipso transeunt, nec aliam conditionem addunt; de quo vide Albericum. V. *opinio*, Asten. lib. 2. tit. 58. de hæret. art. 1. quæst. 2. Divum Antoninũ 3. par. tit 5. c. 2. §. 9. Joannem de Friburg. in Sum. Confess. lib. 3. tit. 3. quæst 18. Pisanel. & ejus Supplem. Ver. *Opinio* Baptista de Salis. Ver. *Opinio*; & præcipuè Henricum Herp. præcept 1. serm. 8. quæst. 4. His Doctoribus Concordant ex Antonino Monald. Guil. & Hostiens. quia, ut alibi notavi, aliæ conditiones requiruntur non ad excusandam opinionem ab errore, sed ad excusandum Operantem, ne peccet. Iterum repeto, quòd, si divus Thomas, & illi alii doctores non retulerunt omnes conditiones requisitas ad cavendum errorem in opinione, non satisfecerunt quæstioni propositæ in titulo, cum faciliora dixissent, & reliquissent difficiliora. Facile est cognoscere, illum errare, qui sequitur erroneum; Non est adeo facile credere, quòd erret, qui minus probabile sequitur.

10. Applico nunc doctrinam ad nostram Conclusionem. Opinio minùs probabilis, & minùs tuta, vel universaliter sumpta, vel in particulari. V. Gr. in lege Jejunii, in lege de Matrimonio, in lege de Simonia &c., *non est erronea, nec est contra manifestum Scripturæ testimonium, nec contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ Authoritatem*; ergo opinio minùs probabilis non importat pec-

peccatum erroris. Consequentia liquet, quia opinio minùs probabilis nullam habet conditionem illarum, quæ possunt constituere opinionem habentem peccatum erroris. Assumptum verò habet tres partes, scilicet Primam, quòd opinio non sit contra *manifestum Scripturæ testimonium*; Secundam, quòd non sit contra *authoritatem publicam Ecclesiæ*; Tertiam, quòd *non sit erronea*. Quoad Primam, & Secundam est evidens; aliter opinio Probabilior esset certitudo, nec posset aliter se habere, nec esse falsa, quæ omnia sunt evidenter falsa; siquidem Probabilioritas essentialiter differt à certitudine. Et suprà vidimus, innumeras opiniones Antiquorum, quæ apud suos Doctores probabiliores reputabantur, evasisse falsas, erroneas, & hæreticas. Quin aliquæ opiniones, quæ communiter probabiliores creditæ sunt, deperdiderunt talem probabilioritatem, ut specialiter patet, in quæstionibus de Immaculata Conceptione Beatæ Virginis; de tempore inceptionis jejunii; & de recitatione Matutini ante Celebrationem Missæ.

11. Nec dicas, quamvis in rei veritate non requiratur, ut opinio mihi videatur probabilior, quòd sit ex parte objecti juxta manifestum scripturæ testimonium, vel secundùm id, quod publicè tenetur per Ecclesiam; requiri tamen, quòd ita existimetur ab opinante; non dicas, inquam, hoc, Etenim sic opinio probabilior esset evidenter falsa. Nam illa cognitio est falsa, quæ aliter se habet in mente, ac est à parte rei juxta Philosophos. Sed opinio probabilior cognosceret, rem se habere juxta manifestum Scripturæ, &c. Cum tamen res ita non se habeat; ergo &c.

12. Vvendrochius Appendic. 1. §. 1. scribit: *Minor propositio*, (scilicet minùs probabilem, & minùs tutam sententiam Scripturæ, & Patribus adversam non inveniri,) *apertè falsa est.* Nam eo ipso, quo judicatur minùs probabilis, & minùs tuta, hoc ipso *ferè semper* Patribus invenitur adversa. Sed contra, quia ego judico probabiliores opiniones Divi Thomæ; Adhuc tamen non judico opiniones Scoti esse adversas Scripturæ, & Patribus; & si ipse afferat Scripturas, & Patres oppositos Scoto; Ego per doctrinam Scoti, quæ quidem in hac suppositione est mihi minùs probabilis, illis respondebo. Addo, implicatorium esse dicere, opinionem esse minùs probabilem, & habere adversùs se Patres. Nam quod opponitur Patribus, (utique pene omnibus) non est probabile, sed falsum; Unde, si supponimus, opinionem D. Thomæ de novo detegi contrariam Patribus, tunc opinio D. Thomæ non erit minùs probabilis. Præterea quid significant illa verba: *ferè semper*? utique excludunt aliquam vicem. Ergo in illa vice opinio minùs probabilis, & minùs tuta non erit falsa, & erronea.

13. Patet ergo difficultatem sistere in probatione, quòd opinio minùs probabilis non sit erronea, quod facillimum erit, si investigemus, quid sit propositio erronea, quæ profectò non est illa, quæ in se sit falsa; aliter Doctores Ecclesiæ, quin Concilium 83. Episcoporum cum Cypriano docuissent opinionem erroneam. Illud etenim Concilium decrevit rebaptizandos esse baptizatos ab Hæreticis. Et omnes Catholici Doctores contrarii inter se in rebus Theologicis erroneas opiniones asSererent, quod est prorsus falsum, & iniquum; quin, ut dicebat Divus Bonaventura in 2. distinct. 15. dub. 3. & alibi retulimus, Catholici Tractatores in iis, in quibus opinantur, possunt dissentire, quia opinio venit aliquando ex probabili Conjectura rationis, in qua homo frequenter decipitur *deceptione* potiùs, *quæ est pœna, quàm Culpa . . . & ideò talis dissensio*, & sic talis deceptio, *reprehensibilis non est.* Propositio autem erronea & est reprehensibilis, & culpabilis ex textu Divi Thomæ, & per Henricum quodlib. 12. quæst. 26. quem legas, quia multùm favet; Ergo esse falsum non est idem cùm esse erroneo.

14. Canus de loc. Theolog. lib. 12. c. 11. Litter. B. illas vocat erroneas, quæ opponuntur veritatibus Catholicis, & Uni-

Universalibus, nempe quas Universa Ecclesia tenet, quibus licèt eversis fides quatitur, non evertitur tamen. Assignans autem exempla de veritatibus, quibus propositio erronea opponitur, ait: *Speciales orationes applicatas alicui personæ per Prælatos, vel Religiosos plus prodesse eidem, quam generales. Fratres non teneri labore manuum victum quærere, sed licere eis esse mendicos.* Suarez de Virtut. Theolog. disput. 19. sect. 2. num. 14. Cardinalis de Lugo de Fide, disput. 20. sect. 3. num. 78. asserunt, propositionem erroneam esse illam, quæ opponitur Conclusioni certæ Theologicæ; unde mediatè opponitur cum Fide. Ipse de Lugo ex Bannez 2.2. quæst. 11. art. 2. dicit, hanc esse Communem Doctorum Sententiam.

15. Certè nemo negat ad propositio erroneam requiri, ut sit opposita propositioni certæ apud Theologos, adeo ut per Antoninum 2. par. tit. 12. c. 5. Erroneum, & hæreticum differant, quòd Hæreticum addit falsitatem notoriam, & quòd tali falsitati adhæreamus pertinaciter. Turrecremata autem lib. 4. in Summa de Ecclesi. par. 2. c. 8. non distinguit inter hæresim, & Errorem; & sic nec inter hæreticum, & erroneum. Hanc Explicationem puto esse de mente Divi Thomæ hic; Namque afferens exemplum opinionis, quam sequendo nequeat quis excusari à peccato erroris, meminit de sequentibus doctrinam Arii, & Nestorii, & in fine dicit, illum à peccato erroris non excusari, qui sequitur opinionem *contra manifestum Scripturæ Testimonium, vel contra id, quod publicè tenetur per authoritatem Ecclesiæ.* Ergo, ut quis nequeat excusari *à peccato erroris*, debet sequi opinionem contra Doctrinam certam.

16. Ex his colligitur, adhærentem opinioni minùs probabili non sequi opinionem erroneam, cum opinio probabilior opposita non sit certa, & possit esse falsa. Et hæc possibilitas aliter se habendi debet relucere in ipsa cognitione, ut ipsa cognitio sit de genere opinionis siquidè ex Angelico, ut dixi n. 4. 2. 2. q. 1. art. 5. ad 4. de ratione opinionis est, quòd id, quod est opinatum, *existimetur* possibile aliter se habere. Et propter hanc rationem ibi asserit, idem non posse esse opinatum, & scitum, quia opponuntur in his rationibus, quòd de ratione scientiæ est, quòd id, quod scitur, *existimetur impossibile esse aliter se habere*; & de ratione opinionis est, quòd opinatum *existimetur possibile esse aliter se habere.* Ergo, cum opinio probabilior sit opinio, sequitur, &c. Cum ergo, qui adhæret opinioni minùs probabili, observet omnes conditiones, quas Divus Thomas, & alii Doctores retulerunt, dum solvunt quæstionem, quando discipuli peccent sequendo opiniones suorum Magistrorum; sequitur, quòd hic non peccet peccato erroris; quòd si tunc intellectus non errat, nec voluntas faciendo peccabit.

17. Præterea Divus Antoninus 3. par. tit. 5. c. 2. §. 9. explicans quænam sint opiniones, quæ secundùm Divum Thomam pertinent ad Fidem, aut ad bonos mores, *& sic absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt*, aut non possunt, ait: *Sicut varia fuit opinio inter Augustinum, & Hieronymum de observatione legalium ante divulgationem Evangelii, & de simulatione Petri circa illa legalia, & hujusmodi habet locum, quod ait Apostolus ad Rom. XIV. Unusquisque in suo sensu abundet. In illis verò, quæ pertinent ad Fidem, vel bonos mores nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem Magistri; In talibus enim ignorantia non excusat; alioquin immunes à peccato fuissent, qui sequuti sunt opinionem Arii, Nestori &c.*

18. Jam scimus Augustinum, & Hieronymum asseruisse opiniones oppositas, quæ certè dependebant à Sacra Scriptura; sicut propositiones oppositæ Catholicorum, & Arii, & Nestorii. Quæro ergo, cur opinio falsa Hieronymi dicentis, Divum Petrum non peccasse in simulatione legalium, non fuit error; & sic nec Hieronymus peccavit peccato erroris; Opinio verò falsa Arii asserentis, Verbum Divinum non esse Deum, sit error, & Arius peccavit peccato erroris?

ris? Quare ignorantia Hieronymum excusavit, non verò Arium? Aliud respondere non possunt, nisi quia Hieronymus opinatus est falsum in materia obscura, in qua aut non possumus, aut non tenemur scire veritatem; & sic in talibus ignorantia excusat. E contra Arius, Nestorius, & cæteri Hæresiarchæ falsum dixerunt in materia clara, & contra id, *quod publicè per Authoritatem Ecclesiæ tenetur.* In tali autem materia possumus (quis enim, nisi sit cæcus, videre non potest lucem?) & tenemur scire veritatem; *& sic in talibus ignorantia non excusat.*

19. Dices, Divum Hieronymum tenuisse suam opinionem ut probabiliorem; & sic poterat excusari; ex hoc tamen nequit argui, esse excusandos, qui sequuntur opinionem minùs probabilem. Sed contra, quia Arius, & alii Heresiarchæ tenent suas opiniones, nedum ut probabiliores, sed ut certas; & tamen adhuc Arius peccavit peccato erroris, non verò Hieronymus; ergo Probabilioritas non excusat, quando sumus in materiā, in qua tenemur scire veritatem; ergo divus Hieronymus excusatur ob aliud caput, & erit, quia in materia obscura non tenebatur scire veritatem.

20. Instabis: In materia quidem obscura non tenemur scire veritatem; tenemur tamen sequi probabilioritatem, quia magis accedit Veritati. Sed contra primò, quia cum in materia obscura per Adversarios non teneamur scire veritatem; unde in hac materia ignorantia excusat, nulla datur ratio, quæ nos obliget ad sequellam probabilioritatis Secundò, nedum accedit veritati Probabilior, sed etiam minùs probabilis, licèt minùs; ergo debet posse amplecti utramque partem intellectus noster, quia in utraque potest esse veritas; Antecedens probatur, quia, si utraque non accederet veritati, jam valeret argui: Hæc est probabilior; ergo opposita est falsa; quod Argumentum est prorsus fallum, cùm sola certitudo inferat falsitatem in parte opposita ex traditis.

21. Dices iterum, Divum Thomam per opinionem non pertinentem ad Fidem, & bonos mores intelligere illam, quæ est in materia philosophica, V. Gr. quòd detur materia prima, quòd dentur formæ partiales, & similes, in quibus quidem decisionibus valet celebre dictum Augustini in Enchir. c. 21. relatum. 22. quæst. 2. c. *in quibus*: In quibus rebus nihil interest ad capescendum Regnum Dei, Utrùm credatur, an non, & utrum vera sive sint, sive putentur, an falsa, In his errare, idest aliud pro alio putare, non arbitrandum est esse peccatum; aut, si est, minimum esse. Unde Glossa Ver. *Rebus*, exemplificat, *an Planeta moveantur contra Firmamentum, vel cum ipso; An homo, & non homo eamdem speciem significent.* In quæstionibus autem dependentibus à principiis Fidei, scilicet à Sacra Scriptura &c. vel dependentibus à principiis morum, non potest dici, quòd illarum decisio, & opinio non pertineat ad Fidem, & bonos mores. Illud porro exemplum de Legalibus, & simulatione Divi Petri est exemplum inductum à Divo Antonino, non Divo Thoma.

22. Sed contra primò, quia D. Hieronymus epist. 13. inter D. August. & retuli c. 27. num. 8. scribit Augustino, ut sinat, *unumquemq; abundare in suo sensu*; & Sanctus Doctor loquitur de sua opinione morali, in qua discrepabat ab Augustino.

23. Sed contra secundò, quia vidimus supra Divum Thomam in 1. dist. 33. art. 5. & alios antiquos Doctores dixisse, quod circa ea, *quæ expresiè in articulis Fidei continentur, quos scire omnes tenentur, contradictio non est sine peccato, vel erroris simplicis, vel hæresis, si pertinacia adsit.* Circa verò illa, *ad quæ consequitur aliquod inconveniens, & contrarium Fidei, licèt in Fide expressum non sit, nec determinatum*, circa, inquam, ista, *ante pertractationem, per quam scitur, quòd aliquod inconveniens Fidei sequitur, potest utrumque sine peccato opinari, & maximè si pertinacia non adjungatur. Sed pertractata veritate, & viso, quod sequitur, idem judicium est de eis, & de illis,* quæ

quæ determinata sunt de Fide. Sicut si aliquis simplex, & scripturas ignorans, crederet, Jacob patrem Isaac fuisse, ad quod sequitur Scripturam esse falsam, quod est expressè contra Fidem, antequam sequi sibi ostenderetur, posset ejus opinio sine peccato esse; sed ostenso, quòd sequitur Scripturam esse falsam, & adhuc in opinione pertinaciter persisteret, hæreticus judicandus esset. Ita est etiam de Notionibus (Divinis,) *de quibus nihil est expressè in Fide determinatum, tamen ex errore circa Notiones sequitur error circa Personas, & circa Fidem. Sicut si ponantur relationes esse assistentes tantùm, sequitur vel compositio in Deo, vel distinctio non secundum rem, sed secundùm rationem, quod est Sabelliana impietatis; Et ideo Porretanus, qui primò hoc posuerat*, post viso, *quòd hic sequitur, retractavit.*

24. Igitur ex Divo Thoma sequitur evidenter, in quæstionibus de Divinitate, & supernaturalibus posse licitè contrariè opinari ante pertractationem, *per quam scitur, & videtur, quòd inconveniens Fidei sequitur.* Sed opinio probabilior *non facit scire, nec videre* inconveniens sequi ad Fidem, ut etiam Adversarii fateri debent; ergo per Divum Thomam, etiam in materiis dependentibus à Sacra Scriptura; & in materiis dependentibus à legibus licet contrariè opinari sine peccato, quia ex Augustino tom 4. de mendacio cap. 14. relato in c. *primum* 22. quæst. 2. & cap. 21. maximum est mendecium, quod fit *in Doctrina Religionis, & Pietatis.* Doctrina autem Religionis, & Pietatis amplectitur dependentia à Sacra Scriptura, & à legibus. Et licebit etiam opinari minùs probabiliter ex Divo Thoma, quia opposita probabilior non facit scire, & videre; & intantùm Porretanus à sua opinione discessit, *post viso* ait Divus Thomas, *quòd ex sua opinione* sequebatut inconveniens à Fide.

25. Confirmatur. Si ignorans Scripturas credat, Jacob esse Patrem Isaac, hæc opinio ex Divo Thome potest esse *sine peccato*, antequam ostendatur, ex ipsa sequi falsum in Scriptura Sacra; ergo multò magis in materia obscura opinio minùs probabilis potest *esse sine peccato* per Divum Thomam, *antequam ostendatur ex ipsa sequi falsum in Scriptura*, & in lege. Consequentia patet à fortiori, quia antecedens procedit in materia clara, in qua potest quis scire, & videre veritatem; consequens autem est in materia obscura, in qua impossibilis est scientia, & evidentia.

26. Confirmatur ex Divo Antonino ubi supra, qui recitato illo articulo decimo quodlib. 3. subdit: Aliqua sunt, quæ aliquando fuerunt in varia opinione Doctorum, antequam per Ecclesiam fieret determinatio, & *pro illo tempore potuerunt excusari, qui unam, vel contrariam tenebant; Sed postquam determinatum est per Ecclesiam, & firmata alteria earum, Hæreticum esses contrarium sentire.* Hanc Generalem Doctrinam exemplificat in quæstione, An Christus cum Apostolis habuerit aliquid in communi mobilium, Ante decisionem Joannis 22. fuit varia opinio de hoc; Sed facta determinatione de affirmativa per Pontificem, nec mulieres simplices excusantur credentes contrarium ex Doctrina hæreticorum Fraticellorum per Divum Antoninum. Ecce evidenter juxta Divum Thomam, prout intelligitur à Divo Antonino, ante Pontificiam decisionem, licet diversimodè opinari in materia dependente à principiis Fidei; ergo idem erit dicendum in materia morum, cum per Divum Thomam hìc pari passu gradiantur. Subsumo; Sed opinio probabilior nec importat Pontificiam decisionem, nec aliquod æquivalens; ergo licitè possumus sequi opinionem oppositam opinioni probabiliori; Hæc autem certè non erit opinio æquè probabilis; ergo erit minùs probabilis. Nec dicas opinionem probabiliorem importare decisionem Pontificiam, quæ verisimiliùs est pro ipsa, licèt non importet Pontificiam decisionem, quæ expressè sit pro eadem, non dicas, inquam, hoc, quia Antoninus loquitur de Pontificia decisione expressè determinante, cum ante illam decisionem Joannis 22. darentur textus, qui vel æqualiter, vel probabilioriter erant pro parte ve-

vera; adhuc tamen juxta Antoninum tunc licebat variè opinari in illa quæstione.

27. Quòd Divus Thomas asserverit Beatam Virginem fuisse conceptam in peccato Originali est adeo clarum, ut Salmaticenses..... quamvis aliàs jurati discipuli Angelici Doctoris, potiùs voluerint in hoc articulo discedere ab opinione ejusdem, quàm ipsum per extortas expositiones malè explicare, ut multi faciunt. Et quidem, si legantur Textus 1. 2. quæst. 81. art. 4. 3. par. quæst. 14. art. 3. ad 1. quæst. 27. art. 1. ad 3. art. 2. ad 2. & 4. quæst. 31. art. 1. ad 3. art. 6. ad 2. art. 7. ad 2. art. 8. ad 2. In 2. distin. 31. quæst. 1. art. 2. In 3. distin. 3. quæst. 1. art. 1. In 4. dist. 43. art. 4. quæst. 1. & alibi pluries evidenter constabit, Sanctum Doctorem esse pro hac opinione. Adhuc tamen in 1. disti. 44. art. 3. ad 3. scribit: Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquod creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit puritas Beatæ Virginis, *quæ peccato Originali, & actuali immunis fuit.* Fuit tamen sub Deo, inquantùm erat in ea potentia ad peccandum: sed bonitas intenditur per accessum ad terminum, qui in infinitum distat, scilicet summum bonum; *Unde quolibet finito bono potest aliquod melius fieri.*

28. Hìc Divus Thomas expressè asserit, & quòd res creata possit esse purissima, quia potest carere omni contrario, *à cujus recessu puritas intenditur.* Nulla tamen Creatura potest esse summè bona, & optima, *quia bonitas intenditur per accessum ad terminum.* Cum autem terminus bonitatis *in infinitum distet, cum sit summum*, sequitur, quòd nulla creatura sit summè bona; *& sic quolibet finito bono potest aliquod melius fieri.*

29. Præterea *nihil in rebus Creatis purius esse potest, si nulla contagione peccati inquinatum sit.* Sed potest dari creatura, quæ nullo peccato sive Originali, sive actuali peccato inquinetur, ergo potest dari creatura, qua purior esse nequeat. Hæc asseri in allato textu à Sancto Doctore nemo negabit.

30. Nunc quæro, dum dicit Sanctus Thomas, quòd Beata Virgo *talis fuit, quæ Originali, & actuali immunis fuit.* Quæro, inquam, ad quid referatur illud Verbum *Talis*? Certè ad illa verba immediatè antecedentia: *Nihil purius potest esse in rebus Creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit.* Ergo illud Verbum, *Talis*, significat, quòd *Beata Virgine nihil purius creatum sit, & nulla contagione peccati inquinata est.* Et hinc rectè subditur: *Quæ peccato Originali, & actuali immunis fuit.* Ulteriùs hìc Divus Thomas significat speciale privilegium Beatæ Virginis quoad peccatum originale. Non est aùtem speciale, quòd abluta fuerit in Utero ab originali, siquidem hoc Sanctus Doctor fatetur etiam expressè de Jeremia, & de Joanne Baptista 3. par. quæst. 27. art. 1.

Tertiò Divus Thomas intendit dare exemplum de creatura, qua purior esse nequit; hæc autem talis est, *quæ nulla contagione peccati Originalis, & actualis* maculatur. Ergo Beata Virgo nunquam originale contraxit; quia sic aliqua contagione maculata fuisset. Quartò assignans rationem Doctor Angelicus, qua Beata Virgo, licèt purissima, sit sub Deo, recurrit *ad potentiam peccandi.* Si autem habuisset aliquando originale, debebat recurrere ad ipsum peccatum, per quod maximè fit sub Deo, & est proprietas Creaturæ Viatricis; E contra potentia ad peccandum, videtur differentia propria Beatorum, qui quamvis purissimi, adhuc in sua puritate sunt sub Deo, quatenus saltem habent potentiam Logicam ad peccatum.

31. Præterea in 1. distin. 17. quæst. 2. art. 4. ad 3. scribit: Differt puritatis augmentum, & Charitatis; augmentum enim puritatis est secundùm recessum à contrario, & quia in Beata Virgine fuit depuratio ab omni peccato; *ideo pervenit ad summum puritatis, sub Deo tamen,* in quo non est aliqua potentia deficiendi, quæ est in qualibet creatura, quantùm est in se. Instituo argumentum: habens aliquod peccatum non pervenit ad sum-

summum puritatis; sed *Beata Virgo pervenit ad summum* puritatis; ergo nullum peccatum habuit; & sic nec originale. Minor est expressa D. Thomæ.major est evidens,nam ex D. Thoma *puritas intenditur per recessum à contrario*; ergo habens aliquod peccatum, non pervenit ad summum puritatis.

Author Concordantiarum Divi Thomæ, Petrus de Bergomo, num. 370. totus est in ostendendo Sanctum Doctorem in citato textu ex 1. Sent. non asserere Beatam Virginem in sui Cõceptione fuisse Sanctam. Credit enim ex hoc apertè sequi contradictionem in dictis Angelici Magistri. Ad hoc dat quinque responsiones. Duas hic referam, & refellam, remittendo judicio Lectoris, ut ipse per se aliis respondeat.

32. Dicit Primò, quòd Divus Thomas asseruit quidem, Beatam Virginem fuisse immunem à peccato Originali, non tamen dicit fuisse semper immunem. Sicut etiam dicit de aliis hominibus, *quòd aliquando fuit sine peccato, etiam Veniali in hac vita, sed non semper, nec diu*, ut patet 3. par. quæst.79. art.4. ad 2.

Sed Contrà ex dictis, quia illud verbum, *Talis*, refertur, ut significet *nihil purius fuisse in Creatis, quod nulla contagione peccati fuerit inquinatum.* Ly autem *Nihil*, & ly *Nulla* procul dubio sunt signa Universalia. Tum quia ibi ponit discrimen inter purissimum, & inter optimum, & concedit dari posse purissimum, quia tale est per remotionem *à Contrario*. Cum ergo creatum possit esse sine omni contagione peccati, potest dari purissimum, & *talis est Beata Virgo.* Non potest dari optimum tamen, *quia bonitas intenditur per accessum ad terminum, qui, cum in infinitum distet, quolibet finito bono potest aliquod melius fieri.* Si autem Beata Virgo aliquando fuisset inquinata peccato Originali, posset dari purius Creatum, ut liquet. Tum quia illa propositio: *Immunis fuit à peccato originali, & actuali*, quamvis non includat expressè terminos Universales, tamen implicitè illos includit, nam, licèt Hieremias, & Joannes Baptista fuerint Sanctificati in utero, & fuerint aliquando sine peccato actuali, quis audebit asserere indefinitè: Hieremias fuit immunis à peccato Originali, & actuali? Tum quia, si ponatur propositioni assertæ à Divo Thoma prædicta Glossa, facit sensum ridiculum, nec ad propositum. Recitemus illam cum Glossa assignata: *Puritas intenditur per recessum à Contrario; & ideo potest aliquod creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit puritas Beatæ Virginis*, quæ aliquando *peccato Originali, & actuali immunis fuit.* Perpendat Lector illam propositionem: *Quæ aliquando peccato Originali*, &c. Et videat, an quadret antecedentibus. Si verò dicatur: *Quæ semper à peccato Originali, & actuali immunis fuit*, clarè liquet cohærere cum allatis supra.

33. Dicit Secundò iste Author, quòd, cum Divus Thomas illam Doctrinam tradiderit pro explicatione textùs Divi Anselmi, qui tenuit Beatam Virginem fuisse Conceptam in peccato Originali, nequit dici contrarium asseruisse.

Sed contra, quia si Divus Anselmus alibi asseruit Beatam Virginem fuisse Conceptam in peccato originali, non implicat, quòd hic oppositum pro veneratione Matris Dei docuerit. Nec in hoc aliquod inconveniens reperitur, loquendo in materia contingenti, topica, & probabili; Cùm enim opinio per Divum Thomam 2.2.quæst.1. art.4. & sæpiùs notavi, sit assensus habitus, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, *sed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam*, Ipse Divus Anselmus potuit absque vitio *per quamdam voluntariam electionem* modò *declinare in unam partem magis*, modò *magis in aliam*. Non quidem absolutè, & totaliter, scilicet per certitudinem; sed modaliter probabiliter, quod non implicat, ut supra ostendimus, & Gonetus Probabiliorista, ut supra retuli, fatetur Divum Thomam in quæstione de tactu requisito ad Sacram Ordinationem sustinere unam partem

tem minùs probabiliter, aliam probabilioriter.

34. Negari ergo nequit, D. Thomam opinatum fuisse Beatam Virginem non contraxisse peccatum originale. Quia verò negari pariter non potest, tenuisse, quòd fuerit in originali Concepta, & hoc in pluribus locis; ideo debemus dicere, utramque partem placuisse Angelico Doctori; ita tamen, ut pia minùs, altera magis arriserit, utpotè sæpius inculcata. Nec dicas, retractasse in Summa opinionem piam; non dicas, inquam, hoc, nam juxta Cajetanum, ut alibi dicebam, Divus Thomas non mutat sententiam, nisi hoc expressè protestetur.

35. In 4. Dist.45. qu.2.art.2. quæstiunc. 1. ad. 5. asserit, posse *probabiliter* æstimari, quòd Anima Trajani precibus Beati Gregorii *ad vitam fuerit revocata, & gratiam consequuta sit, per quam remissionem peccatorum habuit.* Vel dicendum secundum quosdam, *quòd Anima Trajani non fuit simpliciter à reatu pœnæ æternæ absoluta, sed ejus pœna fuit suspensa ad tempus*, scilicet usque ad diem Judicii; nec tamen oportet, &c. Ecce sustinet *probabiliter, quòd Trajanus remissionem peccatorum habuerit.* Hanc opinionem tenet ut propriam, & sic ut probabiliorem. Adhuc laudat, & sic probat, opinionem quorumdam, quòd Trajanus *non fuerit simpliciter absolutus à reatu pœnæ æternæ*; & consequenter *non habuerit remissionem peccatorum*; Ergo evidenter in hoc textu Divus Thomas asserit, Trajanum habuisse, & non habuisse remissionem peccatorum; & primam partem tenuit ut probabiliorem, secundam partem ut minùs probabilem.

36. In 2.2. quæst.42. art. 2. ad.2. ait, *quòd discordia ab eo, quod non est manifestè bonum, potest esse sine peccato. Sed discordia ab eo, quod est manifestè bonum, non potest esse sine peccato.* Subsumo; Quod probabilius est esse bonum, non est manifestè bonum; ergo potest dari discordia, & dissensio ab opinione probabiliori de bono, & hoc absque peccato.

37. Præterea Divus Thomas qu.110. art.3. ad. 3. scribit: Quidam commendantur in Scriptura non propter perfectam virtutem, sed propter quamdam virtutis indolem, scilicet, quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad quædam indebita facienda; & hoc modo Judith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum, quem habebat ad salutem Populi, pro qua periculis se exposuit. *Quamvis etiam dici possit*, quòd verba ejus veritatem habent secundùm aliquem mysticum intellectum. Profectò hìc Divus Thomas asserit probabiliter, & quòd Judith mentita fuerit, & quòd non fuerit mentita; & illa verba, quæ mendacia apparere possunt, fuisse vera per aliquem mysticum intellectum. Ego puto, quòd primam partem asseruerit probabilioriter, nam illam absolutè supponit; Secundam verò astruit illis verbis, *quamvis etiam dici possit*, quæ verba clarè notant, Doctori quidem placere Doctrinam, non tamen æquè, ac prima, quam per modum temporis præsentis enunciat.

38. Denique juxta Ferrariensem super lib.4. contra Gentiles cap.66. §. *Sed licet hanc viam*: clarè Doctor Angelicus sequitur utramque partem, unam minùs, aliam magis probabilem. Audiamus hunc Doctorem: *Sed licèt hanc viam dicat D. Thomas* in locis præallegatis esse probabilem; aliam tamen viam dicit 3. par. *esse probabiliorem*, & hanc videtur etiam hoc loco tenere, scilicet, *quòd ipsa dimensio Sacramentalis* (in Eucharistia) *sit subjectum formæ substantialis, quæ ex ipsa generatur.* Via, quam dicit Ferrariensis, docere D. Thomam ut probabilem, est, quòd, dum ex Eucharistia generatur nova substantia v. gr. vermis, tunc *dimensiones* Eucharisticæ *convertuntur Divina virtute in materiam quantam, quæ est subjectum talis formæ, & pars compositi noviter generati.* Ecce clarè D. Thomas sustinet ut minùs probabile, quòd, dum Eucharistia corrumpitur, nova materia producatur; & sustinet ut probabilius, quòd non producatur nova materia, sed dimensiones Eucharisticæ sint primum subjectum for-

 mæ,

mæ, quæ de novo generatur.

39 Ex textibus, quos D. Thomas habet de facto Trajani, Judith, & de Eucharistia, Ego colligo modum clarum, & dignum D. Thoma, quo concilientur textus, quos edidit de Coceptione Beatæ Virginis. Modus est, quòd Doctor Angelicus utramque partem tenuerit, unam ut minùs probabilem, aliam ut magis probabilem. Hic modus est clarus; nam explicat textus ut verba sonant expresse absque ulla impropietate. Est etiam dignus D. Thoma, quia si illo usus est in aliis locis, nulla ratio prohibet, cur non potuerit uti eodem in hoc loco. Tum quia debemus procurare omnem modum, ut ostendamus Doctorem Angelicum favere Immaculatæ Conceptioni, quæ sententia his temporibus adeo placet sedi Apostolicæ, & quam sedem adeo D. Thomas conatus est extollere, & celebrare.

40. Ex dictis in hoc capite negari negari omnino, Angelicum Doctorem sequutum fuisse partem minùs probabilem in re speculativa dependente à revelatione Divina. Infra, cum probabo rationibus nostram opinionem, ostendam ex hoc deduci, nos idem posse prȩstare in moralibus.

CAPUT XXXV.

Referuntur pro opinione minùs Probabili, & minùs tuta Doctores, qui juxtà Vvendrochium in Veterum Choro reponi debent.

1. CUm Vvendrochius, ut vidimus, ponat in Veterum Theologorum Choro Navarrum, qui diem suum objit anno 1586. juxta Bellarm. de Scriptoribus Eccles. sequitur, omnes Doctores, qui usque ad prædictum annum floruerunt, esse per Vvendrochium veteres nominandos, quamquam per me solum illi, qui ante annum 1500. vixerint, tanto nomine decorandi sunt. De hoc puncto egi cap. 7. ex professo.

2. Igitur in hoc annorum spatio vixit Bartholomæus Medina, qui scribebat anno 1577. ut patet ex Concessione imprimendi suos Libros ipsi data à Generali posita in principio ad Comment. in 1.2. & excussa Venetiis anno 1590. Hic Author quæst. 19. art. 6. clarissimè, & expresse asserit, nos posse sequi licitè opinionem probabilem relicta probabiliori in praxi, sicut ita sequimur in Scholis. Et in responsione ad ultimum objectum ita illam ampliat, ut procedere asserat etiam in Judice, si tamen lis sit de opinione juris, ut præsens quæstio inquirit. Et nota, quod, licèt hic Doctor in Conclusione non dicat expresse, nos posse sequi opinionem minùs probabilem, *& minus tutam* relicta probabiliori, *& tutiori*; adhuc tamen ex jis, quæ docet, hoc manifestè colligitur. Dicit enim *Probabilitatem* esse bonam Regulam contra Probabilioritatem. Si autem requireretur ad bonitatem hujus regulæ, quòd esset tutior, vel æquè tuta, tacuisset rationem essentialem requisitam ad bonitatem regulæ; unde formaliter, & præcisè loquendo non esset vera Conclusio. Tum quia fecisset quæstionem, de quo nullus dubitat, quin minus dixisset; siquidem, nedum opinio minùs Probabilis, sed etiam certò falsa, si est tutior, vel æquè tuta, est bona Regula in praxi; Unde, licèt certò sit falsa opinio asserens esse confitenda Venialia extra Sacramenti, adhuc illa in praxi uti possumus. Tum quia docet, opinionem probabilem esse conformem rectæ rationi, & illam nos posse docere in Scholis; Quæ rationes sunt in opinione minùs probabili, & minùs tuta. Tum quia se fatetur docere opinionem contrariam Conrado de contract. q. ult. qui certè tenet, nos non posse sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. Præterea in solut. ad secundum objectum asserit, quòd, licèt opinio Probabilior sit tutior, opinio Probabilis *est secura, & tuta*, & non habet periculum. Ecce Doctor expresse fatetur nos posse sequi op-

opinionem probabilem contrariam *opinioni tutiori.*

3. Mercorus in Basi totius Theolog. part.2. art.21. fin. asserit, quòd Medina doceat hypotheticè, licitum esse sequi minùs probabilem relicta probabiliori; *Si minùs probabilis in concursu probabilioris est probabilis, qua conditionalis,* inquit Mercorus, *posset admitti ut vera, sicuti admittitur*, si lapis haberet oculos, videret, *ibi tamen author iste nullum habet verbum de principali difficultate hujus materiæ*, an scilicet minùs probabilis in concursu probabilioris verè sit probabilis; *& hoc est, quod affirmant Authores Probabilitatum.*

4. Sed contra, quia ex contextu claro illarum quæstionum colligitur apertè, hunc celeberrimum Thomistam loqui de quæstione morali, & practica, & qua Fideles instruantur, quam opinionem possint sequi quoad mores. Tum quia dicit, quòd *opinio probabilis est conformis rectæ rationi, & si ita non esset, esset error Manifestus*, & ibi fatetur opinionem probabiliorem esse magis conformem rectæ rationi. Ecce expressè fatetur, opinionem probabilem, & probabiliorem esse conformes rectæ rationi; ergo fatetur, opinionem esse probabilem in concursu probabilioris. *Item non potest Confessarius cogere pœnitentem, ut sequatur opinionem probabiliorem, ut ex prædictis manifestum est. Ultimò opposita sententia* (quòd scilicet teneamur sequi probabiliorem) *cruciat animos timoratos; nam semper oporteret inquirere, quanam sit opinio probabilior, quod timorati Viri nunquam faciunt.* Ecce quòd loquitur de praxi, & loquitur etiam de Confessario, qui in Confessione nequit cogere pœnitentem ad sequendam probabiliorem. Tum quia per suam Conclusionem intendit docere opinionem, *qua non cruciet animos timoratos, ut facit opinio opposita.* Tum quia ad ult. dicit expressè, Judicem posse sequi opinionem minùs probabilem, *si quæstio sit juris*, & negat, si quæstio sit facti. Ergo quia conoscit in primo casu opinionem remanere probabilem, non in secundo, ideo in primo concedit judici posse sequi opinionem minùs probabilem, non verò in secundo.

5. Tum quia dicit: *licitum est, opinionem probabilem in scholis docere, & proponere, ut etiam Adversarii nobis concedunt; ergo licitum est eam consulere.* Ecce probat nos posse consulere in praxi opinionem minùs probabilem; ergo probat opinionem manere probabilem in concursu probabilioris, quia opinio non probabilis non potest praxi inservire, nec illam potest consulere pro praxi. Tum quia dixerat priùs, nos posse utramque opinionem æquè probabilem sequi; hinc posse judicem modò secundùm unum opinionem pronunciare sententiam, modò secundam aliam oppositam, Medicum posse mederi modò secundùm hanc, modò secundùm illam. Expedita hac difficultate subdit: *Sed ex hoc nascitur magna quæstio, utrum teneamur sequi opinionem probabiliorem relicta probabili, an satis est sequi opinionem probabilem? Soto dicit, quòd licet in speculativis & in gymnasio licitum sit aliquando sequi opinionem probabilem relicta probabiliori. Cæterum in moralibus . . . non esse licitum sequi opinionem probabilem relicta probabiliori, sentiunt idem Sylvest. Conrad. & Cajet.* Ecce expressè tractat quæstionem, quæ inserviat extra gymnasium. Ergo resolvit quæstionem practicam, & non speculativam, quæ solùm pro gymnasio inserviret; de hac enim nulla erat difficultas juxta Medinam.

6. Quia nondum inveni Doctorem Antiquiorem Bartholomæo Medina, qui expressè, & universaliter tradiderit nos posse sequi opinionem minùs probabilem relicta probabiliori; ideo ego assero, Principem hujus opinionis esse hunc Doctorem.

7. Secundus Doctor, qui clarè sequitur nostram opinionem, est Dominicus Bannez 2.2. quæst.10. art.1. dub.3. Conclus.4. ubi hæc habet: quòd, si quis respondeat, licitum esse homini sequi opinionem probabilem, *etiamsi sit minus probabilis*; Ergo non tenetur homo ex duobus &c. dicimus ad hoc, opiniones esse in duplici differentia; quædam enim

 ver-

versantur circa actionem exercendam, ut an aliquis contractus sit licitus, vel illicitus; quædam verò versantur circa res, an scilicet aliquid ita sit; An hæc domus sit propria, vel aliena. Dicimus ergo, *& de opinionibus prioris generis verum est, posse hominem sequi probabilem opinionem relicta probabiliori*. Cæterùm de opinionibus secundi generis non est universaliter verum, &c. Ecce expressè concedit, *esse verum*, quòd possimus in praxi sequi opinionem minùs probabilem, quando quæstio est de licito, vel illicito exercitio alicujus actionis. Hic Doctor scribebat anno 1584. ut patet in præfat. ad Lector. . . . Excus. Venetiis 1602 apud Juntas.

8. Mercorus ubi supra conatur à nobis illum eripere, & dicit, Bannez non docere ex propria sententia usum opinionis minùs probabilis relicta probabiliori, sed *potiùs eum gratis admittere*; Cum enim vis illius Argumenti fundaretur in sententia de minùs probabili opinione sequenda, *maluit admittere usum probabilitatum potiùs*, quàm absolutè negare, ne videretur vim Argumenti declinare. Cum ergo ille locus non sit proprius agendi de illa materia, non debet Author illam ex propria docere sententia.

9. Sed contra, quia, quando aliquod admittimus, licèt credamus falsum, non dicimus de illo: *est verum*, ut facit in nostro Casu Bannez, sed vel loquimur hypotheticè, *si est verum &c.* vel dicimus, *dato quòd esset verum &c.* vel aliis verbis loquimur, quibus absolutè non enunciamus illud, sed cum limitatione. Nec conjectura sumpta à Mercoro ex eo, quòd ille non sit locus proprius illius materiæ, aliquod valet; nam sic possemus eludere plures textus Divi Thomæ, & aliorum, qui sumuntur ex responsionibus datis ad objecta. Hic observa, quòd Bannez ita refert sententiam de usu minùs probabili, ut videatur esse sententiam plurium Doctorum; Si enim fuisset opinio singularis, non retulisset illam verbis universalibus: *Si quis respondeat, licitum esse homini sequi opinionem probabilem, etiamsi sit minus probabilis*. Retulisset ergo illam verbis denotantibus levitatem Argumenti, & paucitatem sequentium illam Doctrinam.

10. Petrus Aragon. in 2.2. de just. & jur. quæst.63. art.4. affert Doctrinam integram Bartholomæi Medinæ, & paucula addit, illamque sequitur. Scribebat hic Doctor anno 1590. 4. idus Februarii, ut patet in præfat. ad Lectorem.

11. Michael Bartholomæus Salonius in Comment. quæ habet in 2.2. Divi Thomæ de just. & jur. quæst.63. art.4. Controv.2. Concl.4. Clarissimè, & expressè tenet Judicem in judicando, & quemlibet fidelem in suis privatis actionibus posse sequi opinionem probabilem, *quam judicat etiam veram*, dimissa probabiliori, nec est necesse, ut illam credat veriorem, *ut bene docet Armilla*. Conclusio procedit in quæstione juris. Liber hujus Doctoris, quo utor, est excussus Venetiis apud Fœlicem Valgrisium anno 1592. Nescio, an hæc editio fuerit prima; sic nescio, an Vendrochius clamabit, hunc Doctorem, & antecedentem non esse repenendos inter Antiquos. Hoc tamen scio, Salonium post princ. controv. dicere, hanc opinionem innui à Divo Thoma quodl.8 art. 13. asserente, discipulum posse sequi opinionem probabilem sui Magistri relicta probabiliori aliorum. pro eadem opinione affert Divum Antoninum 1. par. tit.9. (corrige tit.3.) c.x. § x. trahentem in hanc sententiam Albertum Magnum, Armillam Verb. *Opinio* Subdit quoque, eamdem docuisse Salmanticæ Fr. Petrum a Soto, Mancium, & alios Recentiores. Ecce quòd opinio nostra jam invaluerat tempore, quod Antiquum juxta placitum Vvendrochii erat. Adverte hic iterum in his temporibus non posse sustineri opinionem de minùs probabili in Judice juxta Decretum Innoc. Undec. nu.2.

12 Gregorius de Valentia scribebat anno 1595. Hic clarè amplectitur opinionem minùs probabilem tom.3. disp. 5. quæst.7. punct.4. vers. *Respondeo dispu-*

pliciter. Hic fuit primus ex Jesuitis, qui huic opinioni calculum præbuit. Petrus Navarra suum opus de Restit. vulgavit Matriti 1597. lib. 3. c. 1. num. 237. Scripsit: juxta Communiorem Sententiam Theologorum sufficit ad securitatem Conscientiæ probabili opinioni se conformare, *etiamsi sit minùs probabilis.* Ita sensisse Navarram narrat Pater Gonzalez in Introduct. sui operis num. 4. In meo Codice reperire non potui dictum Textum. Interea notabis, ante Navarram opinionem benignam invaluisse in Scholis.

13. Nunc referendi sunt Doctores, qui in prædicto tempore floruerunt, & implicitè favent nostræ assertioni, &

Primus sit Pelbartus in suo Aureo Rosario tom. 1. Verb. *Opinio* num. 1. In responsione ad objecta ad Tertium sic scribit: Concedendum est, quòd, qui asserit dubium, mentitur, *si assertivè loquitur.* Vel si defendit tale dubium, quod propria authoritate de Deo affirmat, quod nec scriptura dicit, nec fides, *nec ad illas sequitur per certitudinem*; ideo peccat, & tanquam præsumptuosus est judicandus, etiamsi verum sit, quod dicat. Et si dubitet corde, & affirmat ore, mendax est. Si utroque modo asserit, superbus est; sed si tantummodo opinetur, nec asserit, *sed ut opinionem tenet in talibus*, non pecat. Hæc Pelbartus ex Divo Bonaventura.

14. Vidimus alibi *per assertionem* Antiquos intelligere adhærentiam certam intellectùs ad objectum. Per *Dubium* puto hic intelligi, quando res non est clara; unde potest aliter se habere. Ex Textu Pelbarti ego elicio, quòd in dubiis tangentibus Deum licet opinari sine peccato Superbiæ, Præsumptionis, & Mendacii. Sed opinio minùs Probabilis est verè opinio; ergo in dubiis tangentibus Deum licet sine peccato Superbiæ, Præsumptionis, & quod magis est, sine peccato mendacii opinari minùs probabiliter. Si opinio minùs probabilis non est mendax; ergo est vera. Si est vera; ergo illam possumus amplecti. Minor Argumenti patet, quia opinio minùs probabilis non est falsa; aliter opinio probabilior esset certitudo. Nec potest dici, opinionem minùs probabilem non esse probabilem; & sic non esse opinionem; nam Probabilioritas unius partis non aufert Probabilitatem ab opposito; & Comparativum non tollit Positivum. Si autem in dubiis de Deo possumus sequi opinionem minùs probabilem, poterimus etiam in dubiis de moribus, quia per Augustinum Libr. 1. de Trinit. nunquam periculosiùs erratur, quàm circa Divina.

15. Idem Pelbartus num. 15. ut retuli cap 25. num. 18. scribit: quòd secundùm Panor. *C. Capellanus* de Feriis, & Summ. Angel. & Antonin. excusatur, qui sequitur opinionem Doctorum, quæ postmodum apparet falsa, nec tenetur semper in diversitate opinionum *eligere tutiorem, quia opinio est tuta, cum habet pro se Doctorem satis acceptum*, & hoc sufficit ad salutem cum tali voluntate, quòd non adhæreret ei, si non crederet esse veram. Unde in tali non est contemptus, nec periculo se exponit; & sic nec cõmittit peccatum inobedientiæ; nam si Joachim Abbas non fuit hæreticus, licèt tenuerit falsum contra Fidem, ut patuit supra §. 3. quia talis Articulus nondum erat ab Ecclesia damnatus; ergo &c. Hic Doctor tacet consequentiam, quæ meo judicio est hæc: *Ergo quis excusatur, etiam a peccato, qui sequitur opinionem Doctorum, quæ postmodum apparet falsa.* Hæc est consequentia Doctoris, quia est Conclusio responsiva quæstioni. Hic vide, secundùm Pelbartum valere paritatem, & argumentum à Conclusione speculativa de Deo ad Conclusionem de moribus. Ex quo inferes contra Vendrochium, opinionem probabilem, quæ in se sit falsa, sive sit de Deo, sive de moribus excusare, apud Deum. Observa etiam, Pelbartum accipere suam Doctrinam à Panor. ab Ant. & ab Angelo, qui sunt Doctores antiqui.

16. Ad nostrum propositum nota, *quòd Doctor satis acceptus* reddit opinionem tutam; & propter hoc in diversitate opinionum non teneor eligere tu-

tiorem. Nunc pono Argumentum: Divus Thomas, & Scotus sunt *Doctores satis accepti*, quis hoc negabit? Insuper habent *diversas opiniones*; ergo in hac diversitate possum eligere vel opinionem Scoti, vel Divi Thomæ. Nec refert, quòd una sit tutior, quia cùm opposita habeat pro se *Doctorem satis acceptum*, jam sequor opinionem *tutam*, & in tali diversitate non teneor eligere tutiorem. Et hìc per *tutam opinionem* non intelligitur opinio, quæ non possit esse contra legem, quia si sic intelligeretur, possemus sequi opinionem nedum *Doctoris satis accepti*, ut exigit Pelbartus, sed opinionem nullius Doctoris; si enim non possumus offendere legem, jam intrat Regula Theologica Divi Pauli: *quilibet abundet in proprio sensu*. Igitur per tutam opinionem intelligit Doctor *opinionem veram*, & hoc colligitur etiam ex verbis sequentibus: *Cum tali voluntate, quòd non adhæreret ei, si non crederet illam esse veram*; quia autem in diversitate opinionum possum sequi *tutam*, idest veram, & relinquere tutiorem; ergo possum relinquere veriorem; sed ubi datur Verum, & Verius, & hæc sunt diversa, idest opposita, necessariò ibi datur Probabilitas; ergo in diversitate opinionum possum sequi verum Probabile relicto vero Probabiliori.

17. Præterea Pelbartus facit quæstionem Universalem, *an excusetur à peccatois, qui sequitur opinionem Doctorum, quæ postmodum apparet falsa*; ergo non debet dari responsio solùm in diversitate opinionum, quando utraque opinio nullum habet periculum peccati, præcipuè cum in hoc nulla sit difficultas; nam etiam ignorantes sciunt nos posse facere omnia, quæ non sunt offensa Dei, faciendo etiam contra Consilia Evangelica.

18. Confirmatur: Ego sequutus opinionem Divi Antonini, *qui est Doctor satis acceptus*, dicebam Officium Divinum cum distractione voluntaria. Supponamus, quòd imposterum hæc opinio damnetur à Sede Apostolica, nunc quæro, an peccaverim mortaliter? Respondeo juxta Doctrinam Pelbarti, me non peccasse mortaliter, *nam homo in diversitate opinionum non semper tenetur eligere tutiorem*, sed sufficit eligere tutam. Nunc autem elegi opinionem tutam, *quia opinio est tuta, cum habet pro se Doctorem satis acceptum, & hoc sufficit ad salutem cum tali voluntate, quòd non adhæreret ei, si non crederet illam esse probabiliter veram.* Si verum fateri debeo, Credo, Pelbartum in hoc loco apertè favere nobis; unde jure pro nostra sententia affertur à Bordono in Propugnac. Probabilitatis cap. 6. num. 14. Fateor tamen favere etiam Adversariis.

19. Dices: Contradictio in Doctore est valdè turpis juxtà Bar. in l. . . . ergò nos irrogamus injuriam Pelbarto, dum illum etiam nobis faventem inducimus; sic enim sibi contradicentem facimus.

Respondetur, secundùm Vendrochium not. 1. sect. 5. § 3. opinionem asserentem Confessarium debere sub mortali absolvere sequente opinionem probabilem contrariam ipsi Confessori *fundari, & radicari in Probabilitatis Doctrina.* Ex alia parte ipse Vendrochius affert contra Probabilitatis Doctrinam Divum Antoninum, & Conradum, qui duo Doctores expressè tenent, Confessarium Ordinarium debere absolvere pœnitentem amplectentem opinionem oppositam ipsi Confessario; ergo, si nos Pelbartum sibi contradicentem facimus, ipse Divum Antoninum, & Conradum tali nota inurit.

20. Respondetur secundò, forsan Pelbartum tenuisse utramque partem *probabiliter*, quod nullum est absurdum. Tum quia facilè est excusandus Pelbartus, si in contradictionem lapsus fuisset. Cum enim quæstionem ex professo non agitet, hinc non expendit expendenda in hac materia; & sic implicitè contradictionem potuit admittere. Hæc eadem responsio fieri debet si eandem objectionem facerent Adversarii de aliis Antiquis.

21. Secundus Doctor, qui implicitè favet

favet nostræ Sententiæ, est Joannes de Thabia in sua Summa, quæ dicitur *Summa Summarum, seu Tabiena.* Hic Ver. *Dubitatio* distinguit Dubitationem *à Suspicione, & Opinione.* Igitur Dubitatio per ipsum propriè dicta est, quando intellectus *non se determinat ad unam partem Contradictionis, sed stat indifferens.* Suspicio verò est, quandò intellectus *ex levibus conjecturis, & multùm debilibus movetur ad unam partem.* Opinio autem est *assensus intellectûs alicujus rei, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed declinat magis in unam partem, quàm in aliam cum formidine alterius juxta Sanctum Thomam 2.2. quæst.1. art.4.* Hic obiter nota, hunc Doctorem omisisse quædam verba posita à Divo Thoma in definitione opinionis loco citato; Hæc Verba sunt: *per electionem quandam, per quam voluntariè.* Hæc Verba sunt omninò necessaria illi definitioni, quia per ipsa explicatur causa movens intellectum, ut assentiatur magis huic parti, quàm illi. Si enim ab objecto proprio intellectus sufficienter non movetur; ergo, ut moveatur sufficienter, requiritur *electio quædam, per quam voluntariè magis declinat in unum, quàm in aliud.*

22. Ad propositum dico: Opinio minùs probabilis non est dubitatio, quia jam intellectus *est determinatus ad unam partem.* Item non est Suspicio, quia non movetur *ex levibus Conjecturis, & multùm debilibus*, sed movetur à rationibus adeo fortibus, ut possit omnia Argumenta partis Probabilioris probabiliter solvere; si enim illa non poset solvere, jam Probabilior eset certitudo, & scientia, quæ aliter non posunt se habere: Ergo opinio minùs Probabilis erit juxta Tabienam verè *Opinio.* Si est *verè opinio*, quarè illam non poterimus sequi?

23. Præterea in Verb. *Opinio* num. 1. quærit: *An Auditores Diversorum Magistrorum tenentium diversas opiniones excusentur à peccato erroris, si Magistrorum suorum opiniones sequantur.* Jam vides, hic institui quæstionem Universalem; ut ergo adæquatè solvatur, debent dari Regulæ, quibus cognoscatur, quando accidit error in intellectu. Igitur affert integrum Articulum Decimum ex Quodl. 3. Divi Thomæ. Concedit, posse Auditores illos sequi utramque opinionem, si opinio non spectet ad Fidem, & bonos mores. Si vero opinio spectet ad Fidem, & bonos mores, & sit erronea, ut erant opiniones Arii, Nestorii, & Hæresiarcarum, non excusantur, etiamsi Auditor sit simplex. Igitur nemo excusatur ab *erroris vitio*, si assentiatur opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id, quòd publicè tenetur secundùm Ecclesiæ Authoritatem. Igitur audio Magistrum Scotistam, & Thomistam. Opinio Scotistica mihi videtur minùs probabilis, Thomistica verò Probabilior; Est autem illa celebris difficultas, an Pueri Hebræorum invitis parentibus posent baptizari. Ecce sum Auditor diversorum Magistrorum, unde sumus in subjecto quæstionis agitatæ à Tabiena. Assentior opinioni minùs probabili Scotistarum, quæro, an possim excusari *ab erroris vitio?* Ecce prædicatum, quod quærebatur de subjecto disputationis Tabiensis. Respondeant ergo Adversarii juxtà Doctrinam Tabienæ. Vel excusor, vel non excusor ab erroris vitio? Si excusor; ergo opinio minùs probabilis non est error; Si non est error, quare illam defendere nequeo? Si non excusor ab erroris vitio; Contra, quia illa opinio nec in se, nec apud me est Erronea, quia non est similis opinioni Nestorii, & Arii, nec talis mihi videtur, quia contra opinionem Scotisticam non militant argumenta insolubilia, & illa possum solvere; aliter opinio probabilior Thomistarum eset certitudo, & Scientia, quod nunquam concedam, & in hac suppositione talis mihi non apparet. Item opinio Scotistica non est contra manifestum Scripturæ testimonium, nec contra id, quod publicè tenetur per Authoritatem Ecclesiæ; ergo opinio illa minùs probabilis Scotistica juxta regulas datas à Tabiena est excusabilis ab errore.

24. Dices juxta Principia Vendrochii Doctorem non resolvere quaestionem positivè, sed tantùm negativè. Dicit ergo, quòd sequens opinionem erroneam, vel contra manifestum Scripturae Testimonium, vel contra id, quod publicè tenetur per Ecclesiam, non excusatur ab erroris vitio; Sed non dicit, quòd amplectens opinionem non erroneam, nec contrariam manifesto Scripturae Testimonio, aut Authoritati Ecclesiae sit tutus, & illa opinio sit vera, & defensibilis, ut quaestio nunc inquirit.

25. Sed contra est, quia ita resolvit quaestionem, ut adequatè quaesito respondeat, & aliter dicere est judicare, Doctorem fuisse ridiculum, & ignorantem, nec satisfecisse difficultati propositae. Cum ergo dubium esset, an auditor sequens diversas opiniones Magistrorum excusatur à peccato erroris, Doctor resolvens hanc quaestionem, ut suo muneri satisfaciat, debet assignare omnes causas inductivas in errorem, & si unam relinquat est negligens in officio; Si autem omnes assignet, sequitur, quòd Auditor diversarum opinionum, si vitet omnes assignatas, necessariò secundùm Doctrinam illius Doctoris debeat excusari ab erroris vitio. Vidimus praeterea, Doctores Antiquos quotquot fecerunt hanc quaestionem, omnes iisdem verbis illam dissolvere; Impossibile est autem dicere, quòd nemo plenè negotium discusserit: Sed profectò illam adequatè solverunt, nam dicendo, quòd opinio non sit erronea, volunt dicere, quòd non sit opinio contra principium certum, non tamen de fide. Subdendo verò, quòd non sit contra manifestum Scripturae Testimonium, & contra authoritatem Ecclesiae innuunt, quòd non debet esse contra fidem, quae ex illis duobus capitibus emergit. Assignatis his causis nequit ulteriùs inveniri causa, contra quam opinando haec opinio opposita debeat dici error. Ut enim sit error debet esse propositio contraria principio certo, cum propositio opposita principio opinabili, & probabili procul dubio non sit error; aliter opiniones v. gr. Scoti oppositae Divo Thomae essent errores. Haec Doctrina est juxta illam, quam habet ipse Tabiena Ver. *Error.* ubi definiens quid sit error, ait: *Error verò dicit ignorantiam eorum, quae debet scire cum defensione contrarii, scilicet cum adhaesione intellectus ad falsum, quod est contrarium scientiae.* Cum ergo scientia dicat principia certa, error debet esse contra principia certa.

26. Praeterea idem Doctor nu. 3 quaerens, quaenam opinio sit sequenda secundum Canonistas, Primò quidem notat, secundùm Panor. *inter plures opiniones illam esse sequendam, quae innititur meliori, & subtiliori rationi.* Unde videtur, non posse negari hunc Doctorem esse in opinione Adversariorum; Adhuc tamen infra subdit, quòd Judex in foro conscientiae inter plures opiniones debet eligere aequiorem. Et quando una opinio sequitur rigorem juris scripti, & alia aequitatem scriptam, ista debet praeponi. Fallit in odium Judaeorum, contra quos rigor praefertur aequitati. Similiter magis est sequenda opinio, *quae solvit*, quam *quae ligat.* Jam scimus aequitatem juxta Antoninum 1 par. tit. 3. cap. 10. §. 10. regul. 7. *esse justitiam omnibus circumstantiis pensatis dulcore misericordiae temperatam.* Igitur per Tabienam Judex in foro conscientiae debet sequi opinionem justam, *sed dulcore misericordiae magis temperatam.* Item potiùs debet sequi opinionem, *solventem*, & *aequam*, quàm *ligantem*, & rigorosam. Haec Doctrina meo judicio evidenter favet opinioni aequaliter probabili, & benignae; Si enim aequitas praefertur *rigori*, & solvens *liganti*; ergo saltem haec Doctrina debet verificari, quandò caetera sunt paria. Forsan etiam favet nostrae conclusioni praesenti, pro qua etiam affertur à Bordono num 39.

27. Citatur etiam ab eodem num 40. pro hac sententia Sylvester V. *Opinio* qui quidem num. 2. affert eadem, quae ex Tabiena retuli de aequitate praeponenda rigori; & subdit, illam esse benigniorem, quae favet juramento, testamento, *libertati*, Matrimonio, religioni, & Sacramento; & similiter illam esse benignio-

gnio-

gniorem, quæ *solvit*, ea, quæ *ligat*.

28. Similiter num.1. approbat Doctrinam Divi Thomæ quodl.3. art.10. sæpiùs allatam, & dicit, intelligendam esse in rebus claris. Unde fatetur ignorantiam veri in rebus claris non excusare, excusare tamen ignorantiam veri *in rebus obscuris*. Hinc dicit, in rebus obscuris cum Panormitano excusari Discipulum *sequentem opinionem alicujus Doctoris non subtiliter investigatam, quæ postmodum apparet falsa*, & pro hac Doctrina affert Glossam, & Canones. Posita hac Doctrina Sylvester subdit infra: Et est verum..... dicente Monal. quòd non generatur aliquod præjudicium veritati, cùm inter diversas opiniones à Magistris approbatas, & Scripturis autenticis annotatas illam quis amplectitur, *quæ sibi videtur magis consona rationi*. Et hoc intellige non solùm, quandò quis facit, quod in se est, ut intelligat veritatem, *quia talis etiam in manifestè determinatis excusaretur, cùm laboret ignorantiâ pro tunc invincibili*. Sed etiam, cum quis *in affectione ad suum Doctorem* judicat probabiliter, & sibi videtur verum, quod est falsum. Nec obstat, quòd in dubiis tutior opinio est eligenda de sponsi: juvenis, *quia non est in dubio, qui probabilibus rationibus flectitur ad unam partem*.

29. Sicut hic Doctor ex Doctrina Panormitani infert, nos posse eligere opinionem, quæ nobis videatur *magis consona rationi*; ita ego infero, nos posse eligere opinionem, quæ quidem sit consona rationi, *sed minus, quam opposita*; Ratio est, quia in obscuris ignorantia veri excusat; sed quando adest opinio magis probabilis, adhuc sumus in obscuris; ergo tunc ignorantia veri excusat. Ergo sequendo opinionem minùs probabilem habeo ignorantiam excusantem. Minor Argumenti probatur, quia probabilioritas non facit evidentiam, & claritatem, cum possit aliter se habere. Præterea secundùm Sylvestrum *in dubiis quidem* tenemur sequi tutiorem, *sed non in probabilibus*. Sed opinio minùs probabilis *non est dubia*, quia habet rationes, quibus flectitur ad unam partem; ergo non tenemur tunc, sequi partem tutiorem. Minor probatur, quia solùm Evidentia, & certitudo sunt insolubiles, & invariabiles. Ergo opinio minùs probabilis, quæ non est contra certitudinem, & evidentiam, potest solvere *probabiliorem, & se flectere in contrariam partem*.

30. Petrus Tataretus in 4. distinct.15. quæst.4 art.3. scribit: Quæritur, utrùm si dicat Judex venias, & dicas mihi veritatem, quid est faciendum? Respondet Gerson de vita spirituali, quòd non tenetur sibi dicere veritatem, ex quo sequitur, quòd accusatus de Crimine occulto potest tacere veritatem. *Sed an liceat negare veritatem, problema est. quia aliqui dicunt, quod non, aliqui dicunt, quod sic.* Paulò ante habet: Quintò dico, quod in nullo casu est licitum alicui Reo negare veritatem, quia in nullo casu licitum est facere contra Deum. Sextò dico, quòd de mente Scoti est, *quòd Reus potest negare veritatem, sed propter hoc non mentitur, quia non negat veritatem simpliciter, sed eo modo, quo sibi proponitur, scilicet in publico.* Ideo eligas, quod tibi magis placet, *& ista opinio est magis misericors, quia si diceret veritatem, suspenderetur.* Certè Doctor tenet, Reum non posse negare veritatem occultam in judicio, ut patet in illis verbis: *Quintò dico, quòd in nullo casu &c.* Ergo credit, hanc suam opinionem valde rigidam esse *probabiliorem*. Sed adhuc dat licentiam sequendi oppositam Scoti illis verbis: *Eligat, quod sibi magis placet.* Nota illa: *ista opinio est magis misericors*, & nega, si potes, opponi *Rigiditati* Probabilioristarum.

31. Joannes Altestaig in Lexico Theolog. Ver. *Opinari* ex Divo Bonaventura in 2. distinct. 15. circa Text. scribit, quòd opinio venit aliquando ex probabili conjectura rationis, in qua homo frequenter decipitur, *deceptio potius est pœna, quàm culpa*, à qua vix aliquis Tractatorum Catholicus immunis fuit: *& ideo talis dissensio reprehensibilis non est*; Quamvis enim discordent aliquo modo Judicia, concordant tamen desideria. In V. *Opi-*

nio

nio Haretica recitat ex Alberto, quòd Frater simplex, & *quilibet Homo* potest cum salute sequi in Consiliis quamcumque opinionem voluerit, *dummodò alicujus Magni Doctoris opinionem sequatur.*

32. Deceptio ergo per hunc Theologum, quæ est in opinione veniente ex probabili Conjectura, est potiùs pœna, *quàm culpa.* Ergo, cum opinio minùs probabilis veniat ex conjectura probabili, ejus deceptio, quando est falsa, erit potiùs pœna, *quàm Culpa.* Ergo si nulla est culpa in tali opinione, non pecco illam sequendo. Præterea dantur plures Viri Magni in Theologia, sicut dantur plures Doctores Ecclesiæ Magni. Licèt autem omnes sint Magni; adhuc tamen unus est major alio; Sicut una Stella est lucida; adhuc tamen, ut dicebat Divus Paulus 1. Corinth. cap. 15. Stella differt à Stella in Claritate. Hinc Glossa in c. *ut Veterum* Ver. *Græci*, communiter approbata scripsit, quòd Augustinus prævaleat in Disputationibus, Hieronymus in Historiis, & Translationibus, Gregorius in Moralibus. Cum per hunc Doctorem quilibet homo possit sequi cum salute Animæ quamlibet opinionem, si tamen habeat hanc conditionem, seu modum, scilicet quòd sit *alicujus Magni Doctoris*, sequitur, quòd Thomista possit amplecti cum salute Animæ opinionem quamlibet Scoti, quem debet profectò judicare Doctorem *Magnum*, quamquàm judicat majorem illo esse Divum Thomam; Et vice versa idem dico de Scotista. Igitur Thomista judicando Scotum esse *Magnum* Doctorem cognoscit illius opiniones posse *tuta conscientia* poni in praxi. Quia tamen simul judicat, Scotum esse minoris Authoritatis; ideò judicat, opiniones Scoti esse minùs probabiles quoad principium extrinsecum. Nec quia judicat Scotum esse Minorem Divo Thoma, per hoc relinquit prius Judicium, quo credit Scotum esse *Magnum* Doctorem, quia, ut dicebam, inter Magnos datur Unus Major alio. Et terminus Comparativus supponit in alio terminum Communem, in quo ad invicem comparantur, & Unum dicitur Majus alio.

33. Progreditur allegatus Doctor, & ait: Quæ autem opinio est magis sequenda, quandò discordant Doctores? Dicendum secundùm Ambrosium, & Doctores, quòd in jure Canonico, & Civili super his, quæ spectant ad Articulos Fidei, & ad Salutem Animæ, quando Doctorum Approbatorum est diversitas, decisio spectat ad Papam, cui standum est: *In aliis autem licet cuilibet eam, quæ sibi placet opinionem sequi &c.* puta de Salomone, utrùm sit salvatus, vel damnatus. Simile fuit olim de Mariæ Virginis Assumpt. . . in corpore Glorificato; sed jam secundùm quod dicit Hostiens. de Feriis, c. *conquestus*, approbata, & Communis opinio est, quòd sit Glorioso Corpore Assumpta. Illa Verba: *In aliis autem*, quid significent juxta mentem hujus Doctoris, mihi valdè incertum est. Hoc est certum significare quidem alia ab Antecendentibus, significare tamen res contentas in jure Canonico, & Civili. Antecedentia ergo erant, *quæ spectant ad Articulos Fidei, & ad salutem Animæ.* Articuli Fidei sunt illæ Veritates revelatæ, quæ sunt necessariæ saltem necessitate præcepti, ut fide credantur. Illa verò spectant ad salutem Animæ, quæ vel sunt media ad salutem, vel sunt sub præcepto, ut fiant. Ea, quæ sub opinione sunt, an teneamur ad illa sub præcepto, credo non spectare ad salutem Animæ; aliter, si quis erraret in his, hic non salvaretur; unde Thomista non Confitens Circumstantias aggravantes; Non iterum faciens priorem Confessionem validam, sed informem; Jejunans solùm in fine Tertii septemnii; & alias opiniones Divi Thomæ amplectens, si à parte rei hæ falsæ forent, non salvaretur

34. Hac doctrina posita sic discurro: Ea, quæ sunt sub opinione Doctorum, nec sunt *Articuli Fidei*, *nec spectant ad salutem Animæ*; sed *in his* per Doctorem possumus sequi opinionem, quæ nobis placet; ergo *in his* possumus eligere opinionem minùs probabilem; si enim teneremur eligere Probabiliorem, jam non

non daretur electio, & *placentia* in opinionibus, sed necessitas.

35. In Ver. *Probabile* sic discurrit: Dicit Arist. nihil refert, quædam falsa esse probabiliora quibusdam veris; ita nihil refert quædam falsa piè credi, non quòd ea ratione, qua falsa sunt, vel si sciuntur esse falsa, credi possunt; Procul hoc à pietate fidelium, ut scribit Gerson par. 1. *declarat: Veritatum, quæ credendæ sunt de necessitate salutis.* Sed cadit existimatio non super veritate, vel falsitate, sed tantummodo super apparentia, vel *Probabilitate, & hoc inquit Gerson, non est periculosum, vel falsum, quia constat de apparentia, & Probabilitate*, dum falsitas, & veritas ignota est. Propterea sapientissimè dixit Hieronymus, quòd de talibus eligibilius est piè dubitare, quàm temerè definire. Sicut stat *de quolibet contradictorio esse probabile, & unum stat cum altero non in veritate*, sed *in Probabilitate*, sic diversis respectibus, inquit Gerson, utrumque contradictoriorum credi potest cum Fidei pietate, dum tamen sit animus ab assertione pertinaci alienus, &c. Hucusque Altenstaig, & quidem egregiè. Nota Primò, hanc Doctrinam esse verbatim Joannis Gersonis Doctoris certò Antiqui, & in meo Codice reperitur in illo tractatu pag. 82. Litter. G. Nota secundò, juxta hosce duos Doctores *utrumque contradictoriorum posse piè credi*, sicut utrumque stat cum altero non in veritate, sed in *Probabilitate*.

36. Ecce evidenter unum Contradictorium convenire cum altero non in veritate, sed in *Probabilitate.* Ergo intellectus Ver Gr. judicabit & esse *probabile* dari præceptum de fatendis circumstantiis aggravantibus, & esse *probabile* non dari tale præceptum, & consequenter *poterit utrumque piè credere.* Inde infero; Ergo *piè* poterit voluntas modò fateri hasce circumstantias, modò illas omittere Textum hunc manifestè favere conclusioni de æquali probabilitate utriusque partis certum puto; sed etiam credo multùm prodesse præsenti Conclusioni, quia, si qualitas potest esse in utroque extremo in gradu æquali, nulla potest assignari ratio, cur in utroque nequeat esse inæqualiter. Si Probabilitas esse potest *in utroque contradictoriorum* in gradu æquali, poterit in utroque reperiri inæqualiter, & in uno *Magis*, & in altero *Minùs*.

37. Vidimus alibi, Joannem Majorem clarè esse pro opposita opinione; adhuc tamen puto etiam clarè nobis favere in 4. dist. 4. quæst. 1. Concl. 2. ubi ad probandum probabilius esse in Baptismo infundi virtutes Morales sic scribit: Romanus Pontifex vocat illam Probabiliorem, quamvis non præcipiat illam opinionem insequi; ergo, si non sit fortis ratio in oppositum, debemus illam imitari. Consequentia est plana, & loquitur indistinctè de Virtutibus Theologicis, & Cardinalibus . . . . Insuper sicut definitio Pontificis Maximi, ubi non constat de opposito, est inconcussè tenenda, ita Sententia, quam probabiliorem existimat, debet censeri Probabilior, *Cum quo tamen stat, quod liceat cuipiam tali determinationi contraire.* Hîc Doctor clarè dicit, nos posse contraire opinioni Probabiliori Pontificis in Concilio Generali approbatæ. Possemus autem, si contra illam habeamus *rationem fortem.* Sed contra Probabiliorem possumus *rationem fortem* habere, ut patet ex illis verbis: *si non sit ratio fortis in oppositum.* Ratio autem opposita Probabiliori est minùs Probabilis; ergo possumus sequi opinionem oppositam Probabiliori.

38. Dices: quandò adest ratio Fortis in oppositum *ad Probabiliorem*, tunc opinio Probabilior non restat Probabilior, sed evadit vel æquè Probabilis, vel minùs Probabilis.

39. Sed contra, quia nullum Vestigium apparet hujus distinctionis in Doctore. Tum quia; ergo per Majorem intellectus alicujus hominis privati potest esse perspicacior, quàm Concilium Generale approbatum à Summo Pontifice, & hoc non in quæstione alicujus facti particularis, in quo Ecclesia potest decipi, & decipere. c. *à nobis.* el. 2. de Ex-

comm

comm. Sed in decisione, & declaratione propositionis revelatæ, in quo Ecclesia est inobliquabilis. Igitur puto, in sententia Majoris nos debere judicare opinionem Ecclesiæ tanquam Probabiliorem, ut illam expresse tenet Ecclesia, cum quo tamen stat, quod possumus contraire *forti ratione*, quæ tamen erit minùs fortis, & minùs probabilis, quàm illa, à qua Ecclesia mota fuit ad suam decisionem.

40. Pro nostra opinione refertur Bartholomæus Fumus in sua Aurea Armilla Verb. *Opinio*, & refertur à Salonio 2.2. tom.1. quæst.63. art.4 controver.2. post princ. his verbis: Eamdem Sententiam licere sequi opinionem minùs probabilem, ut cognitam minùs probabilem, sed judicatam veram, & si non veriorem, habent *multi Summistæ* maximè Armilla Ver. *Opinio*, ubi ait: Sicut non tenetur semper agere homo, quod melius est, sed sufficit agere, quod bonum est; ita non tenetur Judex, vel alius privatus sequi semper opinionem meliorem, & *Probabiliorem*, sed sufficit, sequatur Probabilem, & quam aliqui Doctores periti judicant veram.

41. In meo Codice Armillæ impresso Anno 1582. Venetiis apud Joannem Bertanum Textus non sic se habet, sed ita: num.2. Item licèt aliquando una opinio sit melior altera, tamen non tenetur quis semper meliorem sequi, quia non tenetur facere, quod melius est, sed quod bonum est; ideo, quando dicitur, quòd tenetur amplecti tutiorem, intelligitur, quando est cum formidine alterius partis; sed quando se firmat in una opinione alicujus Doctoris, quam veram credit, licèt credat illam opinionem esse meliorem, non propter hoc exponit se mortali, quia non sequitur aliquod, de quo dubitet esse falsum, *licèt credat minùs.* Huic textui concordat ille, quo utitur Bordonus, ut refert nu.43. Sicut prior Textus Salonii apertè nobis favet, posterior noster Textus non multum video prodesse; expende tamen illa verba: *licèt credat minùs.* Hic etiam Doctor pro nobis affertur ab eodem Bordono ibidem.

Et pro nobis videtur facere, dùm dicit num.4. & 5. Opinionem sequentem æquitatem præferri rigori, & esse potiùs sequendam *opinionem solventem*, quàm *ligantem.* In rei tamen veritate potiùs favet Adversariis; dicit enim clarè num.3. esse sequendam opinionem innixam *meliori rationi.*

42. Verb. *accusatio* numer. 21. affer duas opiniones. Prima dicebat, damnatum ad mortem, ut fame pereat, posse comedere panem oblatum; non tamen teneri ad comedendum. Secunda Cajetani affirmabat, teneri ad comedendum. Subdit Doctor: *Prima opinio videtur magis consona, quia legimus, Sanctos condemnatos ad mortem potuisse fugere, & non fugisse. Sed opinio Cajet. est verior, & conformior dictis Sancti Thomæ.* In Ver. *Carcer* num.4. scribit: *Incarceratus justè, ut fame moriatur, si sibi occultè ministretur cibus, potest comedere: potest etiam, si vult, non comedere sine peccato, secundùm unam opinionem, & patienter mori.... Cajet. tamen 2.2. quæst.69. art. ult. dicit, quòd tenetur comedere, & bene dicit.* Certè Doctor expressè fatetur, opinionem rigidam de præcepto esse *veriorem*, & *bene dicere* Tamen incarceratus, *si vult*, secundùm unam opinionem *potest non comedere sine peccato.* Ecce expressè dat libertatem, *si vult*, sequendi opinionem benignam oppositam veriori.

43. Bannez 2.2. quæst.69. art.4 litt D. refert Navarrum in Manual. cap.25. nu. 38. dicentem opinionem asserentem, posse nos dare instrumenta carcerato, ut frangat carcerem, & fugiat, *esse tolerabilem, sed veriorem esse oppositam.* Ecce Navarrus tolerat opinionem benignam oppositam *veriori*; cur Probabilioristæ illam nolunt tolerare, sed acriter rejiciunt?

CA-

CAPUT XXXVI.

An Confessarius in Confessione uti possit opinione minùs probabili, & minùs tuta.

1. POnamus Casum quotidiè occurrentem. Pœnitens, Ver. Gr. Scotista, confitetur cum Confessario Thomista, & in aliquo casu variant in opinionibus; Confessarius enim tenebit hoc facere esse peccatum mortale, quod negabit Pœnitens, & particularizando Casum Thomista tenet Pœnitentem debere facere pœnitentiam non relinquentem post se effectum in statu Gratiæ. E contra pœnitens Scotista dicit, hoc non esse necessarium cum Scoto in 4. dist. 17. quæst.1. art.2. §.fin. Quid Juris? Thomista poteritne absolvere hunc Scotistam sequentem opinionem, quam ipse Confessor judicat *minùs probabilem?*

2. Fagnanus in c. *ne innitaris* de Constit. num. 305. reputat absurdum, judicem in foro Animæ debere sequi judicium rei, & Confessarium debere se conformare cum opinione pœnitentis. P. Natalis Alexandri tom 6. lib 3. de peccatis cap.4. regula 29. dicit, Confessarium graviter peccaturum, si absolveret pœnitentem sequentem opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. Pater Verani tom. 5. disp.31. sect. 30. num. 21. docet, Confessarium debere judicium exercere juxta propriam opinionem, nisi ipse non sit multùm doctus, & pœnitens sit doctissimus; tunc enim debet facere suam illam opinionem pœnitentis; & nisi opinio propria fit ab ipso excogitata, & opinio pœnitentis sit plurium gravium Doctorum.

Legamus Antiquos. D. Raym. lib. 3. tit. *de pœnit & remiss.* §. 21. ut retuli cap.16. num. 40. scribit: *unum tamen consulo, quod non sis nimis pronus judicare mortalia peccata*, ubi tibi non constat *per certam scripturam esse mortalia, sed potes dicere esse peccata, & inducere homines ad pœnitentiam.* Subsumo: Confessarius probabilioriter credens esse peccatum mortale non habet *certam scripturam* judicandi illud esse peccatum mortale; ergo non debet illud judicare esse peccatum mortale; atque adeo poterit absolvere pœnitentem; solum enim voluntas peccati mortalis impedit absolutionem. Probatur minor, quia ratio probabilior non est *certa scriptura*, cum possit aliter se habere. Illud consilium D. Raym. expressè præcipitur à Consilio Vaurense de anno 1368. apud Patrem Alexandri ubi supra reg. 36. his verbis: *Non enim Confessor debet esse* promptus ad facilè judicandum de aliquo, quod sit mortale peccatum, *nisi sit in dictis sacra Scriptura, vel Sanctorum expressum.* Nota illa vox, *expressum*, & videbis damnari Probabilioristas, qui Probabilioritate contenti volunt damnare de mortali alienam opinionem, & propter hoc non absolvere pœnitentes, qui nolunt ipsis acquiescere.

3. Glossator Raymundi clarè, & expressè est pro hac opinione in lib.1. tit. *de sortilegis* §.5. V. *invocatis dæmonibus*, ut retuli cap.22. num. 12. & lib.2. tit. *de raptor.* §.16 V. *si scitur, vel creditur*, ut retuli ibidem num. 14. His textibus addo alium clarum pariter, & expressum. lib. 4. de matrim. §. 10. V. *abstinendum* sin, refert primam opinionem dicentem, quòd erigens debitum matrimoniale tempore menstruorum peccet mortaliter; postea subdit: *Alii dicunt, quod exigere in menstruo debitum scienter non est peccatum mortale inter conjugatos, sed tantùm veniale.* Prima tamen opinio videtur verior, & magis consonat auctoritatibus Sanctorum, in talibus autem in foro pœnitentiali non est præcipitanda sententia, nec deneganda absolutio, *si nolit conjugatus tempore menstruorum continere, sed via tutior est consulenda, & terror ex periculo incutiendus.*

4. Observa, quòd pœnitens in nostro casu non supponitur, quòd sit doctus, ut possit tenere suam opinionem ut probabiliorem; & sic Sacerdos absolvat pœnitentem sequentem opinionem probabiliorem, non verò minùs probabilem,

ut

ut est difficultas. Igitur Author ponit casum communiter occurrentem, & est, quòd pœnitens evidenter non cognoscit illum actum esse malum, & oppositum videtur durum, & difficile, hinc *non vult continere*. In hoc casu prudens Confessarius videns utrimque opinionem probabilem, quamvis rigida sit probabilior, *non debet præcipitare sententiam, nec propter hoc denegare absolutionem*, sed via tutior est consulenda, *& terror ex periculo incutiendus*. Hæc omnino est doctrina Probabilistarum. Joannes de Friburgo lib. 4. de matrim. quæst. 46. allegat hunc textum, & transit nihil addens.

5. Paludanus in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 1. ità scribit. Si Confessor scit, vel probabiliter credit, quòd ille, id est pœnitens, non recolit, quia non sufficienter conscientiam discussit; vel si recolit, errando non credit, illud esse mortale, debet sibi illud ad memoriam reducere, vel conscientiam ei de illo facere. Alioquin scienter indignum solveret; Sed si Confessor dubitaret, utrùm illud, de quo alius non pœniteret, esset mortale, & ille sibi diceret, quòd de Consilio Peritorum illud faceret, de quibus ex vita, & scientia *probabile est*, quòd non consulerent, nisi bene, *potest se illorum judicio conformare*. Secus autem, *si esset certus de opposito*. Ecce Paludanus duas Conclusiones habet. Si Confessor est certus, aliquod esse mortale, & pœnitens contrarium opinatur, non potest ipsum absolvere; Si autem Confessor *dubitat*, an sit mortale, tunc potest illum absolvere, si pœnitens fecit ex opinione Peritorum, *quos probabiter judicat bene consulere*. Ego credo, quòd Paludanus illud verbum, *dubitat*, accipiat pro eodem, *ac incertus est*; Illud enim opponit illis verbis, *si esset certus*. Tum quia, si acciperet, illud strictè, ut significet suspensionem intellectùs circa utramque partem; tunc Author mancus fuisset, cum non solvisset difficultatem, quæ sæpius occurrit, & sistit in casu à me proposito in principio quæstionis. Igitur per Paludanum solùm, dum *Confessor est certus* de aliquo, quod sit peccatum, non debet absolvere pœnitentem secus opinantem; Et sic poterit illum absolvere, quando non est certus; sed, qui tenet unam opinionem ut probabiliorem, non est certus de re, ut est evidens; ergo in hoc casu potest pœnitentem absolvere secùs opinantem.

6. Joannes Nider in Consolat. timorat. conscient. par. 3. cap. 12. ita scribit: Goffridus de Fontibus quodlib. 9. qu. 16. quærit, an Confessor teneatur facere conscientiam de peccato, de quo confitens non videtur habere conscientiam, & dicit, quòd, si quis confitens non habet conscientiam de aliquo actu, quem Confessor *opinatur* esse peccatum, puta de Vitalitiis, de multitudine Beneficiorum, & similibus, quando talis opinio Confitentis *non procedit ex protervia, sed ex probabili ratione, debet eum Confessor generaliter in forma Ecclesiæ absolvere*, maximè Confessor Ordinarius, nisi esset peccatum tale, *quod certum, & manifestum esset* Communiter illud peccatum esse, *nec de hoc sint opiniones contrariæ, quæ ab Ecclesia tolerantur*. Sed, si non sit manifestum, & quando circa hoc sunt opiniones Sapientum contrariæ, tunc proponere debet confitenti, quòd bene studeat de hoc seipsum per prudentes informare, quia talia contra hoc dicuntur; Maximè tamen debet hoc facere, *si ipse Confessor sit illius opinionis, quòd hoc sit peccatum*. Concordat etiam in principali Bernard. Claramontensis in replica contra Goffridum eadem quæstione dicens: Si sunt opiniones inter Magnos Doctores dicentes, quòd sit peccatum; Alii verò dicunt, quòd non, tunc debet in tali casu consulere aliquos, de quorum judicio confidit, & secundùm judicium discretorum facere, & peccatum reputare, vel non reputare; Ex quo enim opiniones sunt inter Magnos Doctores, & Ecclesia non determinavit alteram partem, *teneat, quam voluerit*, dummodo judicium in hoc resideat propter dicta eorum, *saltem quos reputat peritos*. Ibidem tamen addit contra Goffri:

fridum, quòd non refert, an Confessor sit Ordinarius, an non, dummodò habeat authoritatem audiendi talem. Pari modo respondet Petrus de Palude in 4. dist. 17. ad similem quæstionem, &c. Ita Nider. Hic refert textum Paludani, quem ego supra verbatim descripsi. Nota obiter Claramontensem, & Nider dare licentiam sequendi opinionem, *quam volumus*, quando adest varietas opinandi inter Sapientes. Adversarii, si opiniones sint æqualiter probabiles, vel rigida sit probabilior, cogunt nos sequi rigidam. Non sic Nider, & Claramontensis.

7. Hìc patet evidenter, quòd Nider, Bernardus Claramontensis, & Goffridus asserunt Confessarium, maximè Ordinarium, debere absolvere pœnitentem sequentem opinionem oppositam; dummodò hæc opinio teneatur *à Viris peritis*. Addo insuper, malè Claramontensem credere, quòd Goffridus hoc concedat de Confessario Ordinario, & neget de delegato. Nam Goffridus hoc concedit & de Ordinario, & de Delegato; quia, quando dicit, quod *maximè Ordinarius debet talem pœnitentem absolvere*, ille terminus *Maximè*, non excludit alium; Immò implicitè includit illum, ut videri licet per Doctores Antiquos, quos allegat, & sequitur Barbosa in tract. *de dict. usu frequ.* dic. 197. & significat specialem rationem ultra aliud; Et observat, quòd quidem aliquando particula, *Maximè*, stat taxativè, & significat idem, ac *Tantùm*, ut patet per Gloss. in Cap. cum contingat *de foro competen.* At hæc significatio est impropria juxta eumdem Barbosam; atque adeo in textu Goffridi sic non debet sumi.

8. De Beato Antonino retuli cap. 29. num. 27. ex 3. par. tit. 1. cap. 20. §. 5. textum clarum pro hac nostra opinione. Ipsum ibi lege, & videbis loqui de quolibet Cōfessario. In ead. par. tit. 17. c. 2. §. 20 affert textum Goffridi, cujus dimidium referam, quod ita se habet: Si pœnitens nollet cognoscere, illud esse peccatum, nihilominus, ex quo est Ordinarius, *tenetur eum absolvere*, nec reputare eum inhabilem ad absolutionem, *quia ex ratione, non ex irreservia hæc opinio est. Ordinarius autem in absolvendo debet sequi commune judicium Ecclesiæ, non suum.* Si autem sit Confessor Delegatus, qui in nullo tenetur Confitenti, nisi velit, si credit illud esse mortale, non debet eum absolvere, quia ex mera voluntate dependet, ut absolvat, vel dimittat; debet enim sequi in absolvendo proprium judicium, & peccaret absolvendo. Hæc ex Goffrido Beatus Antoninus.

9. Nota per Divum Antoninum Confessarium Ordinarium debere sequi *Judicium Ecclesiæ, non suum*, in absolvendo pœnitentem. E contra Confessor delegatus in absolvendo debet sequi *proprium judicium*. Hìc vellem, ut Vendrochius explicaret, quodnam est hoc *Judicium Ecclesiæ*, quod debet sequi Confessor Ordinarius in absolvendo. Ego Credo, quòd significet, Ecclesiam absolvere suum subditum sequentem quamlibet opinionem, quam ipsa tolerat sustineri à Peritis. Si hæc explicatio est legitima, sequitur evidenter, Confessarium Ordinarium debere absolvere pœnitentem sequentem opinionem oppositam; quæ tamen tradatur à peritis; quia Confessarius Ordinarius debet se conformare cum Ecclesia.

10. Nota secundò in hac quæstione Divum Antoninum se habere, & ut Doctorem, quatenus decidit quæstionem Theologicam, & se habere ut Historicum, quatenus refert, quod faciebat Ecclesia suo tempore circa hunc Casum; Unde, nisi Adversarii afferant alium Historicum oppositum narrantem, ne fidem negemus Divo Antonino, & illum credamus Historicum Mendacem, debemus credere, Ecclesiam tempore Divi Antonini absolvisse pœnitentem sequentem quamlibet opinionem Peritorum, quam ipsa tolerabat.

11. Fateor, quòd, dum Divus Antoninus ait, Ordinarium debere sequi judicium Ecclesiæ, possint intelligi hac verba non de ipsa absolutione, sed de judi-

judicio opinionis, unde significent, quòd Confessor Ordinarius debet judicare, an factum pœnitentis sit bonum, vel malum juxta judicium Ecclesiæ, quæ, cum diversitatem opinionem in hoc cacasu permittat, hinc etiam permittit opinionem pœnitentis, & ita debet ipse Ordinarius permittere; & sic absolvere. Unde Historica narratio secundùm hanc explicationem opinionum Divi Antonini esset, quòd Ecclesia consentiat dari diversas opiniones in aliquo Casu, non verò quòd Ecclesia absolvat, quando &c.

12. In 1. par. tit. 3. c. x. §. x. Vers. *Revertendo ad quartam* refert succinctè textum Goffridi tanquam concedentem de Confessario Ordinario, & negantem de Delegato, postea subdit. *Idem sentit Richard. Claramont. non distinguendo, utrùm Confessor ejus sit Ordinarius, vel non ordinarius.* Ecce Divus Antoninus in hoc loco cum Claramontano tenet & Ordinarium, & Delegatum posse absolvere pœnitentem sequentem opinionem oppositam.

13. In 3. par. tit. 17. cap. 16. §. 2. dicit, quòd Confessor in materia, ubi variant doctores, consultet, quod tutius est, scilicet, quòd à talibus abstineat, non tamen condemnet contrarium facientes, *seu contrariam opinionem tenentes, nec propter hoc deneget absolutionem.* Hic non distinguit de Confessario Ordinario, & clarè ipsum obligat ad absolvendum pœnitentem contrariam opinionem sequentem.

Alibi retuli, Sanctum Doctorem dicentem in materiis, in quibus variè Authores opinantur, non debere Confessarium præcipitare Sententiam, nec propter hoc denegare absolutionem. Hæc Doctrina procul dubio clarè ostendit, Confessarium debere absolvere pœnitentem etiam sequentem opinionem oppositam illi, in qua est Confessarius. Vide cap. 11. num. 39. cap 28. num. 31.

14. Supplementum Pisanellæ Verb. *Confessor* 2 quæst. Ult. scribit, quòd Confessor dubius in aliquo casu ob varietatem opinionum Glossam Ray in tit. de Matrimonio §. *Sed numquid peccant Uxores* super Ver. *Abstinendum* non debet in hoc casu præcipitare Sententiam, nec denegare Absolutionem, sed Viam tutiorem Consulendam, & terrorem incutiendum ex periculo; Quod videtur verum, si pœnitens ex aliqua probabili ratione adhæret alicujus Doctoris notabilis opinioni, volens eam tenere; nam hoc casu propter varietatem Prudentium Doctorum Confessor consulendo sibi viam tutiorem, & quod sibi verius videtur secundùm Deum, *si acquiescere nolit* (pœnitens) *illum super suâ Conscientiam relinquat.* Ecce secundùm hunc Doctorem Confessor, non distinguendo de Ordinario, vel Delegato, non debet denegare absolutionem; & sic debet absolvere pœnitentem sequentem opinionem ex probabili ratione, licèt ipse pœnitens nolit acquiescere Confessori, qui adhæret opinioni, quæ sibi videtur *verior secundùm Deum*; & sic pœnitens sequitur opinionem ex probabili quidem ratione, sed hæc opinio est opposita opinioni, quæ verior apparet Confessori, cujus opinio supponitur etiam tutior, quia aliter nulla esset difficultas, quòd Confessor absolveret hujusmodi pœnitentem.

15. Secundùm verò Glossatorem Raymundi Confessor debet absolvere pœnitentem quamlibet opinionem sequentem inter varias diversorum Doctorum; & sic Confessor non debet scire, ut volebat Supplementum, quòd pœnitens habeat probabilem rationem, ob quam sequatur suam opinionem, non verò illam, quam amplectitur Confessarius.

16. Nicolaus de Orbellis in 4. dist. 17. quæst. 2. §. 12. scribit. *Dicit etiam Joannes* (de Friburgo) *in Summa Confessorum agendo de debito matrimoniali, quod ubi Doctores variè opinantur, licèt via tutior sit consulenda*, non est tamen præcipitanda sententia, *nec absolutè neganda sequenti unam illarum.* Vide num. 3. ubi retuli textum Glossæ Raymundi, qui est textus citatus à Nicolao, sub nomine

ne Joannis de Friburgo ; & observa quomodo etiam Antiqui se sequuntur verbatim.

17. Angelus V. *Confessor* 4. num. 3. ut retuli cap 33. num. 81. scribit : Si verò dubium esset, ut abstineat ; tunc securior pars est eligenda ; Si tamen diversitas esset inter Doctores, & pænitens ex rationabili causa vult adhærere uni opinioni, *non est sibi deneganda Absolutio, sed sua Conscientiæ relinquendum.* Hìc Doctor clarè obligat Confessarium, nullam faciens distinctionem de Ordinario, & Delegato, ad absolvendum pænitentem sequentem opinionem oppositam illi, quam sequitur Confessarius. Et hic supponitur, quòd pænitens sequatur opinionem minùs tutam; si enim sequatur tutiorem, est evidens, Confessarium non posse ex hoc capite negare Absolutionem ipsi, cum sic operetur id, quod perfectius, & melius est.

18. Ego legi plures, & plures Antiquos, ut viderem casum præsentem, sed in vanum laboravi, nec alios, præter relatos vidi de illo mentionem facientes, quod est valde mirum, cum sit casus, qui quotidie accidat, cum quotidie Confessarii fateantur peccata sua ; & tamen differunt inter se in opinionibus de rebus gravissimis. Ex dictis horum Doctorum Colligo, Confessarium Ordinarium posse absolvere pænitentem sequentem opinionem oppositam minùs tutam, & in hoc conveniunt omnes, nec aliquis discrepat. Secundò, Confessor Ordinarius debet absolvere, &c. In hoc Paludanum non habemus consentientem ; ipse enim solùm dicit, quòd Confessarius potest absolvere, nec utitur verbo importante obligationem. Et huius forsan opinionis est Claramontanus.

19. Circa Delegatum per Divum Antoninum in 3. par. c. 20. nequit absolvere talem pænitentem ; & Sanctus Doctor credit hoc tenere Goffridum, quod tamen totaliter non credo ; Per Divum tamen Antoninum in tex. 1. par & forsan in 3. par. cap. 16. etiam Delegatus potest absolvere, nec aliquem video repugnare, etiam Goffridum, ex mea opinione tamen. Circa debitum, Tres Doctores clarè dicunt etiam Delegatum debere Absolvere, & sunt Supplementum Pisanellæ, Glossator Raymundi, & Angelus, quibus forsan adhæret S. Raym. & Antoninus 3. par. ex tex. c. 16. tit. 17. Nullus tamen ex his Doctoribus dicit, an hoc debitum sit sub peccato mortali ; Cum aliàs Verbum, *Debet*, juxta Doctores importet obligationem, & præceptum, ut videre licet apud Tuscum, & apud Barbosam in tractat. *de dict. usu frequent.* num. 77. afferentem Antiquos Doctores, & Leges. Et expressè notat Gloss c. *proposuit* de appellat Ver *Non debet.* Ergo, si materia est gravis, Verbum, *Debet*, præceptum sub mortali importabit. In nostro autem Casu mihi videtur esse materiam gravissimam, adeo ut plures Antiqui dixerint, non posse Ecclesiam condere legem de iterata Confessione ejusdem peccati, ut videri potest apud Paludanum, & Antoninum 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 4., quòd Theologi communiter asserunt, Si Christus non præcepisset Confessionem de Mortali, Ecclesia nullo modo potuisset nos obligare ad talem Confessionem. Ergo Confessor, *quando debet absolvere pænitentem*, ne iterum ponat onus adeo grave, debet sub mortali absolvere.

20. Vendrochius in epistol. v. not. 1. sect. 5. §. 3. damnat ut errorem hanc propositionem Baunii : *Quandò Pænitentis opinio est probabilis, absolvi à Sacerdote debet, & si secus opinante, & huic negare absolutionem culpa est ex genere suo mortalis.* Et subdit hanc propositionem esse *absurdissimum dogma, & Commentum, nec aliud esse nisi Probabilitatis doctrinam, qua omnes sententiæ probabiles securæ dicuntur, etiamsi coram Deo falsa, & erroneæ sint.*

21. Si hoc est verum, jam patet Doctrinam Probabilitatis habuisse suam radicem in illis Antiquis, qui dixerunt Confessorem Ordinarium debere absolvere pœnitentem sequentem opinionem peri-

peritorum contrariam, & in illis aliis, qui hoc idem fatentur de quolibet Confessario.

22. Nec juvat respondere, illos Antiquos loqui simpliciter de debito, Vendrochium verò loqui de debito sub mortali; nam ex dictis illi Antiqui debent intelligi de debito sub mortali. Tum quia Vendrochius confutat illam opinionem ex eo capite, quòd Sacerdos instructior pœnitente cognoscens falsam esse opinionem pœnitentis nequeat obligari ad solvendum in terris, quem ligatum in Cęlis agnoscat. Hoc porro motivum tam valet de obligatione gravi, quàm levi. Quin valet de simplici potestate; patet enim Sacerdotem nedùm non posse obligari, sed nec posse absolvere, quem ligatum in Cęlo noverit, in quo puncto habet omnes illos Antiquos sibi contrarios, nec pro se forsan ullum habebit. Nec juvat iterum instare, Vendrochium loqui de pœnitente sequente opinionem probabilem, quam sequuntur Moderni Casuistæ; illi verò Antiqui loquuntur de pœnitente sequente opinionem probabilem Antiquorum.

23. Sed contra, quæro, an minùs opponantur duæ oppositæ opiniones probabiles Antiquorum, quàm duæ oppositæ opiniones Probabiles Modernorum. Ver. Gr. tempore Gratiani dabantur duę oppositæ opiniones Probabiles Doctorum Religiosorum, quarum una dicebat, *Confessionem non esse sub præcepto*; alia affirmabat, *esse sub præcepto*. Nostris temporibus probabiliter defenditur utraque pars in illa quæstione, an pro brevi tempore homo habere possit ignorantiam inculpabilem de pollutione. Si æqualiter opponuntur ut certò fatendum est, sicut una ex his Modernorum, quamvis probabilis ipsis Modernis, est falsa, & erronea respectu Dei, idem erit dicendum de una ex illis Antiquorum; Unde, sicut per Vendrochium Sacerdos nequit absolvere sequentem opinionem probabilem falsam Modernorum, idem fateri debebit de opinione probabili falsa Antiquorum.

24. Inquiro iterum, dum Vendrochius dicit, quòd Sacerdos instructior cognoscit; esse falsam opinionem pœnitentis, de quanam cognitione loquatur, de probabili, an de certa. Si de Probabili, assignet rationem, cur pœnitens debeat relinquere suam opinionem probabilem, quam videt tradi à viris, quos reputat doctiores illo confessario? Si loquitur de cognitione certa, tunc equidem secundùm Antiquos nequit absolvere pœnitentem sequentem contrarium. At debet iste Confessarius valde esse cautus in hac sua certitudine; non est enim præcipitanda sententia in materia difficili, & obscura juxta textum Augustini relatum in c. *Quæro ergo 6.* quæst. 1. & præcipuè, quando scit, alios Confessarios, & Doctores oppositum sustinere. Aliter ipsi poterimus exprobrare illud lepidum, de quo infra, quòd talis scientia sit peritura cum ipso.

25. Instat Vendrochius: Potest Deus sic illustrare mentem Confessarii, ut spectatis omnibus Circumstantiis noxium esse Divino lumine pernoscat, quod boni viri, & docti, *ad quos alicujus pœnitentis regendi cura non pertinet*, innoxium probabiliter opinentur. Hoc autem casu, quis dubitet, non teneri Confessarium pœnitentem fallere, & veritatem sibi liquidò cognitam abjicere, ut aliorum errantem opinionem sequatur? Ergo, aut illi assentietur pœnitens, aut jure ad alium remittetur. Sic Vendrochius more suo recurrens ad illustrationem Divinam, quam si Deus daret, quando Vendrochius credit, procul dubio Doctores, saltem Antiqui, nunquam errassent, aut ad minus non adeo crebrò, ut fecisse ex dictis constat.

26. Jam patet, hæc posse obiici contra opinionem relatam ex Antiquis. Ex Doctrina ergo illorum Respondeo, quòd, quando Confessarius *est certus* de malitia opinionis, tunc nedum non debet absolvere, sed nec potest, cum sit certus, pœnitentem non esse rite dispositum; Quodsi hoc est verum, præcipuè debet esse, quandò illa certitudo venit ab illustratione Divina, quæ longè major

jor est quocumque lumine creato. Igitur, si ille Confessarius, sive Ordinarius, sive Delegatus (tam enim illustratio Divina potest tangere Ordinarium, quàm Delegatum, nam Spiritus ubi vult, spirat; & si delegatus sit Regularis, faciliùs illum illumniabit, cum supponatur melior, quàm Presbyter Parochialis) sit à Deo illustratus de falsitate opinionis pœnitentis, certò non potest, illum absolvere; nec hoc est contra nos, nec contra illam opinionem ex Baunio allatam; nam ipse loquitur secundùm cursum ordinarium rerum, & nulla posita speciali revelatione. Ego omnes opiniones Divi Thomæ probabiles judico, & securas in praxi. Idem dico de opinionibus Scoti Aio tamen, quòd, si Deus me illustraret circa hasce opiniones, certò judicarem vel illas Divi Thomæ, vel illas Scoti non esse securas, sed falsas. Quis negabit, probabilitatem utrique opinioni Divi Thomæ, & Scoti in illa materia de pænitentia facienda in statu Gratiæ, cujus memini in principio hujus quæstionis? & tamen, si Ecclesia decideret quæstionem, tunc contraria decisioni esset falsa, & erronea.

27. Igitur Antiqui Doctores, & ego cum ipsis, dicunt, & dico, Confessarium omnem posse, & saltem Ordinarium debere absolvere pænitentem, qui sequutus est, & sequitur opinionem Peritorum; & sic Probabilem, quamvis ipse Confessarius oppositum sequatur. Et utraque pars nequit negari esse secura in praxi, & aliter dicere, est damnare illos Antiquo sine evidenti ratione. Hæc tamen opinio loquitur de Confessario docto juxta cursum ordinarium, & seclusa speciali revelatione de veritate. Sicut Scotistæ, dum *indubitanter* affirmant, opiniones omnes Scoti esse securas in praxi, hoc intelligunt seclusa speciali revelatione; hac enim data parati sunt oppositum credere. Sicut Thomistæ secundùm præsentem cursum tenent; Beatam Virginem esse Conceptā cum originali, parati tamē sunt credere oppositū posita illustratione Ecclesiæ.

28. Prosequitur Vendrochius, & dicit, quòd si esset absolvendus ille, qui sequitur opinionem, quæ sit probabilis Casuistis modernis, *esset absolvendus, qui paratus animo est Duelli conditionem accipere cum Laymani cautionibus, cui propositum est illatam alapam cum nece inimici propulsare. Testes, ac Judicem perniciem sibi molientes occidere, &c.* Sic Vendrochius. Cum ergo Confessarius nequeat absolvere pænitentem habentem tale propositum, & aliàs illæ opiniones videantur probabiles Casuistis Modernis; ergo Confessarius nequit absolvere pęnitentem sequentem opinionem oppositam Confessario, quamvis approbetur à Casuistis Modernis.

29. Sed contra evidenter, quia hæc objectio fieri potest, & forsan à fortiori sequentibus opiniones, quæ peritis Antiquis probabantur. Legantur errores plurimi turpes, & horribiles, quos supra retuli, & visi sunt probabiles, probabiliores, vel etiam certi Viris Antiquis Magnis. Et objectio allata vel non damnabit Modernos, vel damnabit etiam Antiquos. Opinio illa Laymanni de duello est lassa. Concedo. Numquid erat stricta illa opinio Antiquorum asserentium, Duellum licere quidem Làicis per l. *qua actione* §. si quis in colluctatione ff. ad Leg. Aqnil. non verò Clericis? Erat forsan tolerabilior illa alia, quòd duellum licebat, ubi duellandi consuetudo vigebat, quia quando *mos erat, crimen non erat* 33. *quæst.* 4. *C. objiciuntur*? Vel etiam poterat absolvi, qui acceptabat duellum quidem, non tamen, qui offerebat; Vel qui acceptabat ex jussu Judicis, non sponte, Vel qui acceptabat ex jussu Judicis, sed solùm pro defensione personæ, non pro defensione rerum juxtà diversas opiniones in hac materia duelli, quas Antiqui apud Raymundum, Goffridum Tranensem, & Divum Antoninum, & alios sequebantur?

30. Respondetur igitur argumento, quòd, sicut Antiqui Confessarii absolvebant suos pænitentes sequentes illas opiniones adeo lassas, & quæ postea

horribiles errores evaserunt, & ideo hoc faciebant, quia illis antiquis temporibus *Viris peritis probabiles* apparebant; Sic Moderni Confessarii poterunt absolvere pœnitentes amplectentes opiniones, quæ suis temporibus *à Viris peritis probabiles* judicantur. Nec obstabit, quòd postea decursu temporis, & materia meliùs examinata, hæ opiniones errores reputentur ab aliis, vel etiam à Sede Apostolica tales decidantur; sicut non obstabat Antiquis, quòd suæ opiniones damnatæ fuerint posterioribus temporibus. Sequitur quidem evidenter, ut supra notavi, ex hac posteriori damnatione, quòd opiniones Modernorum in his materiis sint præponendæ opinionibus Antiquorum, utpotè opiniones Virorum viventium in tempore, quo veritas longiori disputatione est discussa; & sic sint visa omnia argumenta, quæ vel contra veritatem, vel pro veritate militabant.

31. Nunc referam Doctores, qui floruerunt ab anno 1500. usque ad annum 1590. & sic per Vendrochium sunt Antiqui dicendi, & mentionem fecerunt de nostro Casu.

32. Primus sit Conradus Summenhart de Contract. quæst. 100. concl. 3. Hic quamvis Probabiliorista, sustinet, Confessorem Ordinarium posse, & debere absolvere pœnitentem in nostro Casu, secus autumatur de Confessore Delegato. Eamdem conclusionem cum eadem limitatione sequitur Sylvester Verb. *Confessor*. 3. num. XI. quæst. 7. & ibi dicit, quòd Confessor Ordinarius in absolvendo debet sequi commune Judicium Ecclesiæ, & non suum; Delegatus verò debet sequi judicium suum.

33. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. ad 5. refert, Conradum, Adrianum, Goffridum, & Sylvestrum tenere, Confessarium Ordinarium posse, & debere absolvere pœnitentem in tali casu, & hanc opinionem fuisse Canonistarum; Delegatum verò non posse talem pœnitentem absolvere. Hanc tamen opinionem, & distinctionem Confessarii optimè rejicit, & absolutè probat, omnem Confessarium deberé absolvere talem pœnitentem. Et dat exemplum de Confessario Thomista tenente cum Divo Thoma Judicem debere damnare Innocentem, sed juridicè Reum convictum, & Pœnitente sequente opinionem Scoti negantis posse Judicem damnare talem Innocentem. Dicit ergo Sotus, quòd talis Confessarius Thomista debet absolvere Judicem sequentem opinionem Scoti.

34. Victoria in Sum. Sacrament. de Confess. num. 178. tenet, tam Confessorem Ordinarium, quàm Delegatum posse, & debere absolvere pœnitentem in tali casu, & dicit, hanc esse opinionem Paludani in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 1. & Goffr. Quodl. 9. & illam videtur sequi ut certam, dum ait, *apertè probari*.

35. Joannes Medina Cod. de Confess. quæst. 19. circa hoc dubium admittit distinctionem de Ordinario, & Delegato; & de Delegato negat absolutè posse talem pœnitentem absolvere; de Ordinario verò concedit, quòd possit, & debeat absolvere, si pœnitens sequitur opinionem, quam accepit à Viris *Fide dignis*. Quinimò hic Doctor videtur plus concedere, quàm alii; videtur enim concedere, quòd in aliquo casu possit absolvere pœnitentem, qui sequitur invincibili ignorantia opinionem erroneam.

36. Navarrus in c. *si quis autem* de pœnit. dist. 6. num. 54. dicit cum Paludano, & Antonino Confessarium dubitantem de aliquo casu posse acquiescere opinioni pœnitentis, qui dicit ex consilio Peritorum illam sequi; & num. 66. facit quæstionem, an Confessarius possit absolvere confitentem, qui non vult parere Confessario, eò quòd ipse Confitens sequitur alios Doctores contrarium ejus, quod Confessarius tenet, opinantes, & credentes. Puta Confessarius est in ea opinione, quòd non licet alicui habere plura Beneficia; qui verò confitetur est in contraria opinione. Ibidem ponit motiva pro parte negativa. Postea num. 67. respondet, quòd his non obstan-

obstantibus *contrarium videtur respondendum*. Cum autem Navarrus de Confessario non distinguat, ideo juxta ipsum quilibet Confessor *potest* absolvere confitentem sequentem opinionem Doctorum contrariam opinioni Confessoris. Eamdem opinionem sequitur. in Manuali cap.26. num.4.

37. Ludovicus Lopez in suo Instructorio Conscient. par.1. cap. 120. sustinet, Confessarium, etiam Delegatum, non posse negare absolutionem pœnitenti sequenti *probabilem opinionem contra probabiliorem ipsius Confessarii*.

38. Vendrochius ubi supra ex Escobario refert Adrianum tanquam negantem posse Confessarium absolvere pœnitentem in tali casu; Sed pace utriusque dixerim, omnino bene non refertur. Ipsius verba fideliter referamus; Igitur hic Doctor in 4. quæst. 5. de Confess. dub. 7. scribit: *Sacerdos ex Confessione vel aliàs novit Confitentem invincibili ignorantia divini, vel probabili juris humani, vel facti excusari à peccato in opere, seu facto aliàs culpabili, an teneatur ipsum de veritate informare, an possit sine informatione ipsum à peccatis absolvere.* Postea resolvit quæsitum variis distinctionibus, ut profectò confusum satis relinquat Lectorem. Tandem §. *ad rationes ante oppositum* vers. *ad Confirmationem* dicit: Quòd, quando Confessor opinatur, quia opinionem, vel credulitatem sequitur, quæ non nos solùm, sed Ecclesiam fallit, & fallitur .c. à nobis de sentent. Excomm. el 2. si à pluribus, vel gravioris, seu æqualis authoritatis Doctoribus contrarium teneatur, *non adeo de se præsumere debet Confessor, ut totum velit in suam opinionem* (quæ forsan erronea est) *concludere, seu coarctare, quasi ipse solus videat, & scientia obitura sit cum eo.* Si tamen à paucioribus, & minoris authoritatis, vel debili admodum fulcitis ratione, ut non possit ea in parte invincibiliter errare, tenetur Confitentem erudire, & partem, quam ipse tenet, suadere. Si pro una parte plures fuerint, & pro alia ponderosi magis, & gravioris Authoritatis, quia tunc juxta Augustini sententiam Authoritatis est paritas c. *in Canonicis*. 19. dist. Idem censeo, quòd in casu sequenti, scilicet dubii. Si dubius est, & inter partes ambiguus fluctuat, quia hoc casu ipsimet Confessori (ubi ipsum casus dubii tangeret) optio maneret, non debet Confitenti adimere libertatem. Si altera pars contradictionis est in dubio, ut in casu argumenti, iterum subdistinguo, vel scit, *opinatur*; vel credit, seu dubitat. Cum scit, tenetur; *aliàs non, ex quo non tenetur, ei fidem habere Confitens contra aliorum opinionem*, vel ejus sententiæ, quæ fortè capitanea, est, stare; nisi fortè tam debili ratione fulciantur ratione, qui partem contrariam fovent, ut eorum fortè sequutus errorem, *nequeat invincibiliter dici errare.* Ex hac postrema clausula vides, clarè Adrianum sustinere, quòd, si Confessor opinatur esse illicitam aliquam partem Problematis, Ver. Gr. *habere plura Beneficia competentia suo statui*, ut dicebatur *in casu Argumenti*, non teneatur edocere pœnitentem suam opinionem; & Adrianus assignat rationem, quia *Confitens non tenetur fidem habere Confessori contra aliorum opinionem.* Et quidem esset omninò irrationabile, & ridiculum, quòd Pœnitens Scotista v. gr. teneatur, dum confitetur, deponere suam opinionem, & assentiri Confessori Thomistæ. Ex his clarè liquet, Adrianum in aliquo casu sustinere, posse Confessarium absolvere pœnitentem sequentem opinionem oppositam illi; quam ipse Confessarius amplectitur.

39. Hic obiter notes, secundùm Adrianum *Doctorem non debere de se adeo præsumere, ut totum velit in suam opinionem, quæ forsan erronea, est concludere, seu coarctare, quasi ipse solus videat, & scientia obitura sit cum eo; si tamen à pluribus, vel gravioris, seu etiam æqualis authoritatis Doctoribus contrarium teneatur.*

40. Vendrochius, allegaverat pro opinione de sectanda probabiliori decem Doctores, quorum solùm quatuor

ex professo quaestionem agitaverant, & ex his duo, qui pleno stylo rem pertractaverant; reliqui verò paucis lineis difficultatem pertransiverant. Ex alia parte Vendrochius sciebat, vel scire debebat, opinionem oppositam, nedùm *à pluribus*, ut volebat Adrianus, sed *longè à pluribus Doctoribus*, Modernis quidem, & ab aliquibus Antiquis egregiè, & per extensum defendi; ergo Vendrochius non debebat, *adeò de se præsumere*, ut totum velit in suam opinionem, quæ fortè erronea est, concludere, quasi *ipse solus videat, & scientia obitura sit cum eo.* Vellem, ut hanc Doctrinam etiam alii Adversarii semper recordarentur, nam, pace ipsorum dixerim, minùs adhærent propriis opinionibus, & nimis rejiciunt alienas; & sic videntur credere, quòd *scientia sit pertinere cum ipsis*.

41. Godituruscalcus Rosemondo in suo Confessionali excuso Antuerpiæ 1559. c. 7. §. *de insufficienti discussione Conscientiæ* fin. pag. 170. scribit: Si Confessor dubitaret, utrum illud, de quo non pœnitet, nec confitetur peccator, esset mortale, & ille diceret, quòd de consilio Peritorum illud faceret, de quibus ex vita, & conscientia probabile est, quòd nisi rectè consulerent, potest se illorum judicio conformare, secus autem, si esset certus de opposito.

42. Hi sunt Doctores florentes ab anno 1500. usque ad annum 1590. qui de nostro casu mentionem fecisse inveni, relictis Medina, Salonio, & aliis illius temporis, quos nolui recensere, quia illos attuli cap. antec. universaliter docentes, nos posse sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. Hinc superfluum erat, hìc pro hac quæstione particulari afferre; hæc enim quæstio, etiam per Vendrochium, est necessarium consequens illius opinionis. Legi Pelbartum, Armillam, Tabienam, & Altenstaig Doctores illius sæculi, sed nihil ad propositum reperi, nec contrarium aliquem Doctorem inveni docentem. Solùm invenio apud Sylvestrum, ubi supra, quòd *Archidiaconus videtur sentire indistinctè*, quòd contra conscientiam *absolvere non debet confessor sive Ordinarius, sive delegatus.* Cum non citetur locus, ubi hæc Archidiaconus dicat, nequeo de ipso aliquid affirmare; Hoc scio, quòd nemo dicit, neque dicere potest, quòd Confessarius possit absolvere pænitentem contra propriam conscientiam, cum hoc sit intrinsecè malum, & ædificare ad Gehennam, ut dicitur c. *litteras* de restit. spoliat. Dicunt ergo Doctores Antiqui illi, quòd Confessor potest contra propriam opinionem, & saltem aliquis debet absolvere pænitentem sequentem opinionem contrariam. Quis autem ignorat, opinionem, & conscientiam toto Cœlo distingui?

43. Igitur confessor Thomista tenens opinionem oppositam Scotistis potest cum hac opinione opposita habere conscientiam de licita absolutione pænitentis Scotistæ; quia debet absolvere motus non à sua opinione, sed à judicio communi Ecclesiæ, inquiunt Antoninus, & Sylvester, & alii; Cum autem Judicium Ecclesiæ sit, quòd licitè dentur diversæ opiniones in rebus obscuris, debet ipse confessor sequi hoc Judicium, & permittere pænitenti, ut amplectatur opinionem, quæ sibi placet, & non coarctare ad suam, dicebat Adrianus, *quia forsan erronea est*; Nec debet credere confessarius, quòd scientia hujus casùs sit peritura cum ipso.

44. In summa colligendo dicta horum novem Doctorum patet, Tres esse, qui docent ordinarium confessorem posse, & debere absolvere in casu; Delegatum verò nec debere, nec posse. Hi porro sunt Conradus, Sylvester, & Joannes Medina. Tres alii, nempe Sotus, Victoria, & Lopez affirmant etiam Delegatum posse, & debere absolvere pænitentem in casu. Duo autem sunt, qui tenent etiam Delegatum posse absolvere pænitentem in casu, nihil decidendo de debito. Sunt autem Adrianus, & Navarrus. Fortassis etiam hi duo sunt cum iis, qui tenent, quemlibet confessarium debere absolvere pænitentem in casu:

Go-

Godscalcus idem asserit, ac Paludanus, quem ipse refert. Unde vide, quæ de Paludani sententia dixi.

45. Nunc ex omnibus Doctoribus attingentibus nostram quæstionem, tres propositiones elicio. PRIMA est *Confessarius, etiam delegatus potest absolvere pænitentem in nostro casu.* Ità Raym. Rodon. Joannes de Friburgo, Paludanus, Claramontensis, Orbellis, Antoninus, Adrianus, Navarrus, & Nider, & forsan Godscalcus. SECUNDA est. *Confessarius, etiam Delegatus potest, & debet absolvere pænitentem in nostro casu.* Ita Goffridus, Nider, Supplementum Pisanellæ, Glossator Ray, Joannes de Friburgo, Orbellis, Angelus, Victoria, Sotus, & Lopez. TERTIA est. *Confessarius Ordinarius potest, & debet absolvere, Delegatus autem nequit absolvere pænitentem in casu* Ita Conradus, Sylvester, Joannes Medina, Antoninus in quodam textu, & forsan Gotfridus, & Joannes Nider.

46. Colligitur, Adversarios nullum Doctorem, qui floruerit tempore antiquo, habere pro sua opinione, quæ erat *peccare Confessarium absolventem* pænitentem sequentem opinionem oppositam illi, quam sequitur confessarius. Nec Archidiaconus supra allatus, est pro ipsis, quia videtur intelligi, quòd confessarius nequeat absolvere, quandò conscientia Confessoris dictaret ipsi, quòd mortaliter peccaret sic absolvendo, inquit Sylvester... In quo casu nemo negat, confessarium non posse, &c. Nostra quæstio est, quandò confessor, & pænitens habent diversam opinionem, non verò diversam conscientiam, ut suprà dixi.

47. Colligitur notabiliter, antiquitus *in iisdem templis, iisdem in parochiis passim inolevisse ab aliis teneri, & ligari, quæ ab aliis solverentur*, quod corollarium notatum fuit à Clero Illustrissimo Gallicano in sua præfatione ex Doctrina Probabilitatis consequi, & iudicatum ingens absurdum. Hoc corollarium evidenter probatur: *Antiquitus iisdem in templis, iisdem in parochiis dabatur Confessor Ordinarius, & Confessores delegati;* ergo idem pænitens accedens Ordinario, absolvebatur ab ipso, accedens verò delegatis non absolvebatur juxta Goffredum, Antoninum, Sylvestrum, Conradum, & Joannem Medinam. Et hic casus passim occurrebat, quia iisdem in templis, & Parochiis dabantur pænitentes Scotistæ, & confessarii Thomistæ; & pænitentes sequentes opiniones oppositas illis, quæ à confessariis tenebantur. Corollarium ergo hoc est evidens; Salva tamen reverentia Illustrissimo Clero, credo non esse absurdum evidens; & sic opinionem illorum Doctorum, & Doctores ipsos propter hoc jure non posse damnari Credo equidem illam distinctionem Ordinarii, & Delegati non esse ad rem, & in Absolutione danda solùm respiciendum esse, ut optimè notavit Sotus, ad opinionem pænitentis, an scilicet verè sit probabilis. Nam pænitens Scotista habens dolorem, ac propositum de futuro juxta opiniones Scoti regulatum, vel est dispositus ad Sacramentum, vel non est dispositus. Si non est dispositus; ergo nec Ordinarius potest illum absolvere, quia nemo potest conferre Sacramenta indispositis. Si est dispositus; ergo etiam delegatus poterit illum absolvere, & ad summum non tenebitur, eò quia absque obligatione ministrat Sacramenta; Ordinarius autem tenebitur, utpotè obligatus suis subditis præbere Sacramenta

48. Nec juvat dicere cum Conrado, Ordinarium posse, & debere absolvere, quia, si negaret absolutionem, incurreret periculum violandi Justitiam, cum teneatur dare Sacramenta; Hoc autem non valet de Delegato. Sed contra, quia obligatio conferendi Sacramenta, quæ residet in Ordinario, non mutat dispositionem in pænitente, ut est evidens; ergo vel pænitens est bene dispositus, vel non est bene dispositus; & sic recurrit nostrum argumentum. Præterea obligatio ministrandi Sacramentum supponit capacitatem subjecti; Unde in Legibus deciditur, *impossibilium nullam esse obligationem*; Ergo priùs subjectum debet esse capax, & sic dispositum, ut

inde postea enascatur obligatio in Parocho conferendi.

49. Imbecillima verò est alia disparitas, quam assignat Conradus; quia scilicet Ordinarius debet sequi commune Judicium Ecclesiæ; cum autem Ecclesia non damnaverit illam opinionem, seu illum actum, hinc nec Ordinarius debet illum damnare, & propter hoc negare absolutionem; Delegatus autem, ex quo ex mera libertate audit, & absolvit; ideo contra proprium judicium non licet ei agere.

50. Hic inquiro, an Delegatus juxta Conradum liberè absolvat supposito, quòd sit certum, pænitentem habere dispositiones debitas. Affirmativè nequit respondere, quia sic pænitentes eluderentur, & gravarentur, & nemo Fidelium certè confiteretur Delegato, si facta confessione, & posito quicquid requiritur ex parte ipsius, posset rejici sine absolutione. Ergo debemus dicere, quòd Delegatus quidem liberè se exponat ad audiendum peccata; at ipsis auditis nequeat negare absolutionem ex sua libertate. Debet ergo dari motivum ex parte pænitentis.

51. Nunc vellem scire iterum ab eodem, quare ex eo, quòd Ecclesia non condemnet illam opinionem, & illum actum pænitentis, sequitur, quòd Ordinarius possit, & debeat se conformare judicio Ecclesiæ, delegatus verò non possit se conformare eidem judicio. Vel enim judicium Ecclesiæ est bonum, vel malum; Si malum nec Ordinarius poterit, &c. Si bonum; ergo etiam Delegatus poterit, se illi conformare; obligatio enim audiendi confessionem non variat judicium; ad summum obligabit ad talem conformitatem. Ergo delegatus poterit quidem, se conformare huic judicio Ecclesiæ, non tamen tenebitur. Sicut potest conferre Sacramenta, sed non tenetur; E contra Ordinarius obligatur.

52. Restat ergo probatum, per Antiquos Doctores confessarium posse, & aliquem debere absolvere pænitentem sequentem opinionem probabilem, etiam oppositam opinioni confessarii. Hæc autem opinio est communis apud nostros Modernos, ut videre licet apud Dianam par.2. tract.13. resolut.11: & in Coord. tom. 8. tract.1. resol. 6. ipsos autem non refert allegare, quia res est cum Probabilioristis, apud quos, præcipuè Vendrochium, Authoritas Modernorum flocci habetur.

53 His præhabitis, pro resolutione quæstionis propositæ assero, *Confessorem posse in absolvendo sequi opinionem minus probabilem, & minùs tutam, quando non agitur de valore Sacramenti.* Nota bene hanc ultimam particulam. Quamvis autem aliàs dixerim, opinionem quidem minùs probabilem solùm in speculatione esse sequendam, ut dixi c.33 n.17. hanc tamen ut securam in praxi teneo, quia video Antiquos in hoc concordare, & nihil in contrarium afferri potest alicujus roboris.

54. Probatur: Sacerdos Absolvens pœnitentem sequentem opinionem probabilem, & minùs tutam, oppositam opinioni Confessarii sequitur opinionem minùs tutam, & minùs probabilem; Sed juxtà Antiquos licet Sacerdoti absolvere pænitentem sequentem opinionem probabilem, & minùs tutam oppositam opinioni Confessarii, ut vidimus; ergo Sacerdoti juxtà Antiquos licet absolvere sequendo opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. Minor habenti cognitionem linguæ Latinæ, & legenti allatos textus est evidens.

Probatur ergo Major ponendo casum in terminis de illo pænitente, cujus memini n.1. & qui nō vult iterare pænitentiam factam in peccato mortali contra opinionem rigidam, quam probabiliorem judicat Confessarius. Sic autem absolventes, cum teneant suas opiniones ut probabiliores, non possunt judicare opinionem Pœnitentis veluti æquè probabilem, vel ut Probabiliorem, cum impossibile sit, quòd idem judicet unam opinionem esse probabiliorem, & oppositam esse æquè probabilem, & multò minùs probabiliorem.

Re-

Remanet igitur, ut illam judicet minùs probabilem, quæ cum sit minùs tuta, ut evidens est; ergo Confessarius juxta Antiquos absolvens pœnitentem sequentem opinionem probabilem, sed minùs tutam, oppositam suæ opinioni sequitur opinionem minùs probabilem, & minùs tutam.

55. Fateor ignorantiam meam, Non video, quid huic Argumento Vendrochius respondere possit. Ipse siquidem fatetur, illa sect. 5. §. 3. *Si enim opiniones probabiles*, inquit ipse, *securæ dicuntur, etiamsi coram Deo falsæ, & erroneæ sint, consequens est, eum, qui secutus est opinionem probabilem, non peccasse; adeoque absolutionis beneficio dignum esse.* Ecce Vendrochius apertè, & expressè fatetur, quòd Confessarius absolvens pœnitentem sequutum opinionem probabilem minùs tutam, & magis periculosam sequitur *Doctrinam Probabilitatis.* Ego subsumo: sed hæc opinio de tali Confessario est plurium Antiquorum; ergo Doctrina Probabilitatis est Doctrina plurium Antiquorum. Huic quoque Corollario Vendrochius nequit respondere.

56. Pater Tyrsus Gonzalez in suo erudito opere de Fundamento Theologiæ dissert. 14. cap. 9. objicit contra suam sententiam de illicito usu opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ factum hoc de Confessario, qui potest absolvere pœnitentem sequentem opinionem minùs tutam, & oppositam illi, quam sequitur ipse Confessarius. Facta objectione §. 2. videtur, concedere assumptum, & negare consequentiam; Tunc enim paritas, inquit num. 116. solùm teneret, si ipsi pœnitenti sua opinio videretur minùs verisimilis, & probabilis; Cum autem videatur sua opinio sibi probabilior; ergo Confessarius absolvens pœnitentem, absolvit non sequentem opinionem minùs probabilem, ut est difficultas, sed probabiliorem. Paritas ergo solùm teneret, si Confessor absolveret pœnitentem sequentem opinionem minùs probabilem.

57. Sed contra, quia Sacramentum Pœnitentiæ perficitur interventu pœnitentis, & Confessoris, ut patet ex Tridentino sess. XIV. cap. 2. Pœnitente tanquam Reo, Sacerdote tanquam Judice. Sed principaliùs requiritur Sacerdos, hoc est, Sacerdos exercet munus principale, cum se habeat ut Judex, & effectus Sacramenti principaliùs tribuitur Sacerdoti. Cum Sacerdos proferat formam, *in qua præcipuè* ex Tridentino c. 3. *vis Sacramenti sita est.* Scio antiquitùs fuisse communem opinionem Doctorum apud Biel in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 3. litter. S. per contritionem fieri absolutionem peccatorum apud Deum, *per absolutionem verò Sacerdotis fieri absolutionem quoad Ecclesiam*; Quia verò plus est absolvi apud Deum, quàm apud Ecclesiam; ideò juxta illam communem opinionem *Antiquam* pœnitens in hoc Sacramento munus principale exercebat. Scio, inquam hoc; Tamen Tridentinum clarè loquitur; atque adeo, si vis Sacramenti principaliter sita est in forma, sequitur, quòd Sacerdos in hoc Sacramento principaliter requiritur. Hoc posito sic arguo contra Patrem Gonzalez: Pœnitens probabilius judicat, se non teneri ad circumstantias aggravantes confitendas; Sacerdos judicat probabilius, dari obligationem confitendi tales circumstantias; ergo pœnitens suscipiendo cum sua opinione Sacramentum illud suscipit sequendo opinionem probabiliorem; Sacerdos verò illud ministrans cum sua opinione illud ministrat contra opinionem, quam reputat probabiliorem, quæ aliàs est tutior; Sed aliàs Sacerdos non peccat, ut hìc supponit Pater Gonzalez; Ergo quia opinio minùs probabilis, quamvis minùs tuta, illum regulat, & salvat à peccato. Ergo Sacerdos in nostro casu absolvit sequendo opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, & non peccat.

58. Dixi, videtur Pater Gonzalez concedere assumptum, quòd scilicet Confessor possit absolvere pœnitentem contra suam opinionem tutiorem, & quam reputat probabiliorem. In rei tamen

men veritate in §. 4. clarè num. 126. ait, quòd, quando opinio Confessarii est in se probabilior, seu communior inter classicos Authores, & ipse Confessor citra passionem judicat, *fundamenta illius opinionis esse urgentiora manifestè omnibus rationibus, quibus nititur* Pœnitentis opinio, tunc non possit absolvere Pœnitentem, quamvis ille bona fide amplexus fuerit sententiam contrariam. Ex his autem, quæ affert pro fundamento hujus doctrinæ num. 130, & 131. manifestè elucet, hunc Authorem credere, quòd, si Confessarius contra propriam opinionem sibi manifestè probabiliorem, absolveret pœnitentem, sequeretur opinionem minùs probabilem, quæ aliàs supponitur etiam minùs tuta.

59. Sed, si hoc est verum, etiam ipse Pater Gonzalez tenetur fateri, opinionem asserentem posse in praxi deduci minùs probabilem, & minùs tutam fateantur, Confessarium posse, & aliquando debere absolvere pœnitentem sequentem opinionem oppositam opinioni Confessoris. Nec potest dicere, illos Antiquos intelligendos esse, quandò Confessario non apparet sua opinio manifestè probabilior, sed solùm quando apparet quidem probabilior, sed non manifestè.

60. Nam facilè rejicitur, & primò sic concedit, quòd Confessarius saltem in æquè Probabilibus per Antiquos possit absolvere pænitentem sequentem opinionem oppositam minùs tutam; & sic opinio de sequenda æquali probabilitate erit doctrina antiqua, quod negat ipse Gonzalez, & negant communiter Probabilioristæ. Secundò, quia Antiqui solùm negant, Confessorem posse absolvere, &c. quandò est certus de sua opinione; Sed Confessor judicans manifestè suam opinionem esse probabiliorem, adhuc non est certus, ut liquet; ergo adhuc tunc potest absolvere pænitentem, &c. Tum quia ut plurimùm quilibet sequitur suam opinionem ut manifestè probabiliorem. Interroga Thomistas, & Scotistas, & tamen illi Antiqui absolutè suam Doctrinam tradunt, & solùm duas distinctiones adhibent. Primam, & concedunt de Ordinario, & negant de Delegato; Secundam negant, si Confessor est certus de sua opinione, & concedunt, si non est certus; & hanc secundam distinctionem adhibent omnes Antiqui. Et sic patet, Patrem Gonzalez opponi illis Antiquis, & nostram Doctrinam de minùs Probabilitate sequenda à Confessario esse Doctrinam Antiquam, nec posse ab ipso negari.

61. Hic non est locus solvendi ea, quæ contra affert; namque solventur per ea, quibus respondebimus ad objecta, quæ afferuntur universaliter contra Doctrinam de Probabilitate.

62. Pater Fogarinus in suo tractatu de certitudine Honestatis par. 4. disput. 3. sect. 5. num. 37. sibi objicit casum hunc de Confessario, qui potest absolvere pœnitentem sequentem opinionem probabilem, & faventem libertati, & oppositam opinioni Confessoris, &c.

63. Respondet Primò cum Scoto, quòd, ut quis benè operetur, non sufficit, quòd agat illud, quod aliis videtur rectum, sed debet agere illud, quod sibi rectum videtur; ergo Confessarius, inquit Author, non potest rectè sequi opinionem pœnitentis sibi contrariam.

64. Sed contra, quia non per hoc evacuatur, illos Antiquos contrarium docuisse; & sic restat hæc Veritas, quòd Doctrina Nostra sit Antiqua, quod pro nunc nobis sufficit. Tum quia nunquam videmus, Scotistas rejicere pœnitentes Thomistas; & tamen Confessor Scotista scit, pœnitentes Thomistas facturos opera, quæ per ipsum sunt peccata mortalia. Nec obligabit illum, ut Circumstantias aggravantes fateatur, quamvis judicet ipse, esse sub præcepto confitendas.

65. Respondet Secundò, & in summà dicit, quòd si pœnitens judicet suam opinionem moraliter certam, & secundùm illam operatus fuerit, tunc illa operatio non est mala. Verbi Gratia, quis judicat esse moraliter certam opinionem dicentem, jejunium sub obligatione incipere anno vigesimo primo; hic

hic solùm tali anno incępit jejunare, & hic non peccavit excusatus ab ignorantia invincibili; & hunc non peccasse debet quoque judicare Confessarius, licèt aliàs sequeretur opinionem Alensis docentis jejunium incipere anno decimo octavo; Nam pænitens operatur non ex cognitione Confessarii, sed sua; sed credit suam operationem esse bonam; ergo operando bene operatur; & taliter debet judicari à Confessario, & à quolibet alio, ut est evidens. Si autem pænitens, subdit Fogarinus, non sit moraliter certus de sua opinione, sed habeat vel formidinem de opposita, vel probabilitatem, tunc Confessor non potest, se accommodare pænitenti, sed illum rejicere, si non vult mutare opinionem.

66. Sed contra, & concedo Primam partem, tanquam evidentem, quæ tamen non est contra me. Et pro nunc transeat etiam secunda pars, quamvis sit falsissima, præcipuè quoad id, quod dicit de formidine; At non solvit casum, quem posui de eo, qui non vult reiterare pænitentiam in peccato mortali factam. Pœnitens judicat non teneri, sive certò, sive probabiliter, parùm pro me refert, ad reiterandam pænitentiam. Confessor verò est in opposita opinione. Juxta Antiquos, si Confessor judicat certam suam opinionem, nequit absolvere hunc pænitentem, nisi reiteret pænitentiam; si verò suam opinionem teneat, sed non ut certam, tunc potest secundùm omnes, & secundùm aliquos debet, absolvere hunc pœnitentem, quamvis illam nolit iterum facere. In hoc casu utique pœnitentes opinionem sequitur, vel certam, vel probabiliorem; At Confessor absolvens, quam opinionem amplectitur? Certè non quam judicat probabiliorem; quia sic illum non absolveret; ergo amplectitur illam, quam minùs probabilem judicat. Hæc porro est etiam minùs tuta.

67. Confirmatur juxta Doctrinam illorum Antiquorum, qui concedunt Ordinarium posse, & debere absolvere in hoc casu, & negant de Delegato. Si hi Antiqui crederent, Confessarium in hoc casu sequi opinionem probabiliorem, nullam haberent rationem, cur hoc concederent de Ordinario, & negarent de Delegato, cum ipsi universaliter concedant, nos posse sequi opinionem probabiliorem. Ergo hi Antiqui credunt, Confessarium sequi in hoc casu opinionem minùs probabilem, quæ aliàs est minùs tuta, ut suppono.

68. Hìc obiter colliges contra dictum Patrem Fogarinum, non teneri pœnitentem ad sequendam opinionem moraliter certam; nam per hos Antiquos potest Confessarius in absolvendo sequi opinionem incertam; non enim est moraliter certus, quòd non reiterare pœnitentia in peccato mortali factam nullum sit peccatum, cùm ipse ut probabilius oppositum teneat; ergo nec pœnitens tenetur sequi opinionem moraliter certam. Præterea si quisquam habet fundamentum credendi suas opiniones moraliter certas, sunt Thomistæ, & Scotistæ. Si concedatur hoc; ergo Thomista Confessarius numquam absolvet Scotistam pœnitentem, si sequatur opinionem benignam, & vice versa idem dico de Confessore Scotista. Consequentia probatur, quia per omnes Antiquos, quando Confessor certus est, utique etiam moraliter, quòd aliqua opinio sit falsa, & favens libertati, nequit absolvere pænitentem sequentem opinionem hanc faventem libertati.

69. Sed audiamus Patrem Fogarinum sic loquentem num. 44. Quodsi Pœnitens dicat, se non peccavisse tali actione, quia communiter Theologi docent eam esse licitam, & ipse bona fide illam elicuit, nec illam eliciendo ullo modo dubitavit, se peccare; ideoque petere, ut absolvatur ab aliis peccatis. Respondetur, interrogandum esse pœnitentem, an audiverit, & noverit dari alios Theologos, qui dicerent, illam actionem esse illicitam, & illos consuluerit, & an quæsiverit consilium à pluribus; sequaverit alios, & non invenerit ullos, qui

qui oppositum ei dicerent, sed omnes illum certificaverint, quòd non peccaret, absolvi potest, quia fecit, quod potuit. Si audierit dari, qui oppositum docerent, & eos noluerit, licèt potuerit, consulere, peccavit, & non potest absolvi, nisi doleat, & promittat, de futuro se non operaturum similiter, & si sit actio circa usuram, *nisi promittat se restitutionem facturum*. Hucusque Fogarinus. Quæ profectò mihi satis scrupulosa videntur, & contraria Antiquis allatis, qui absolvebant pœnitentes, si tamen sequuti fuerint opinionem toleratam ab Ecclesia; & Angelus dicebat Ver. *Confessio* 4. num. 3. *Si diversitas esset inter Doctores*, an scilicet talis actio esset peccatum, *& pœnitens ex aliqua rationabili causa vult adhærere uni opinioni, non est sibi deneganda absolutio, sed sua Conscientiæ relinquendum.*

70. Hìc observa, Angelus, quia est diversitas inter Doctores, relinquit pœnitentem suæ conscientiæ, & ipsum absolvit. Fogarinus verò, quia pœnitens non consuluit oppositum sententes, ipsum non vult absolvere, nisi mutet opinionem, unde non relinquit ipsum suæ conscientiæ. Pono casum in terminis: Quidam tempore necessitatis extremæ accipit victum à Paulo; devenit ad pinguiorem Fortunam, quærit à Scotistis, an teneatur restituere, Hi certificant, illum, non teneri; Audit tamen adesse alios Doctores oppositum asserentes, & illos non consulit. Juxta Fogarinum peccat, & debet promittere restitutionem; At si accedit ad me, qui oppositum teneo contra Scotum debeo juxtà Angelum judicare non peccare, & suæ Conscientiæ ipsum relinquere; si habeat tamen *causam rationabilem adhærendi suæ opinioni*, ut loquitur Angelus. Hæc tamen causa rationabilis non potest intelligi, ut habeat rationem, per quam moveatur ad credendum suam opinionem esse certam, quia Angelus satis obscurè loquutus fuisset. Tum quia, si pœnitens habet motivum, per quod judicat suam opinionem probabiliorem, hoc motivum est causa rationabilis adhærendi suæ opinioni; ergo Confessor juxta Angelum debet relinquere pœnitentem suæ Conscientiæ; Præcipuè cum Confessor non teneat suam opinionem rigidam ut certam, sed ut solùm probabiliorem; & juxta Angelum ibidem non debet Confessor asserere esse mortale, de quo non est certus. Ergo Confessor sequens opinionem rigidam ut probabiliorem non debet dicere pœnitenti, sic facere esse peccatum mortale, sed ipsum suæ Conscientiæ relinquere.

71. Dices ex eodem disput. 3. par. 2. sect. x. num. 233. quando Antiqui concedunt, Confessarium posse Absolvere sequendo opinionem pœnitentis, quam ipse Confessor putat minùs probabilem hoc non concedunt, quia judicent Confessarium tunc sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, sed ex alio capite, & hoc patet in Conrado, qui solùm concedit de Ordinario, non de Delegato; & ideò concedit Ordinario, quia aliter faciendo se exponeret periculo violandi Justitiam, qua tenetur dare Sacramenta suis subditis. Hæc autem ratio non habet locum in Delegato, *quia non Ordinarius, ex quo mera libertate audit, & absolvit, ideo contra proprium judicium non licet ei agere.* Ita ex Conrado Fogarinus, qui ita subdit ibidem: ex quibus clarè deducitur, & confirmatur nostra sententia; Si enim liceret sequi minùs probabilem libertati faventem, *Confessario etiam non Ordinario liceret absolvere talem pœnitentem, quod negat Conradus.* Ita Fogarinus.

72. Si ita res se habet, quòd Doctor concedens Confessori non Ordinario ut absolvat pœnitentem in casu allato, hoc concedit sequendo opinionem minùs probabilem faventem libertati, & sic minùs tutam; Sequitur evidenter, cum plures Antiqui hoc concedant, ut vidimus, quòd Doctrina Probabilitatis juxta Patrem Fogarinum sit Antiqua.

73. Præterea quando Conradus dicit, Ordinarium posse absolvere pœnitentem in casu, *vel facit contra proprium Judicium, vel non facit.* Si non facit; ergo nec

nec etiam non Ordinarius facit; Quòd enim ego sim Parochus, vel Delegatus non facit mihi mutare opinionem; Ver. Gr. antequam essem Parochus tenebam dari præceptum de Circumstantiis aggravantibus. Evado deinde Parochus, non proinde muto opinionem. Ergo si absolvo pœnitentem sequentem opinionem oppositam, sive sim Parochus, sive non sim Parochus, semper vel faciam contra proprium judicium, vel numquam. Præterea per ly *proprium judicium* vel intelligitur Conscientia, & hoc non, quia sic nec Parochus posset absolvere, quia facere contra propriam conscientiam est intrinsece malum, ut dicunt Theologi, & ædificat ad Gehennam ex d. c. *litteras* de restit. spoliat. Vel intelligitur *propria opinio*; & tunc Conradus debet monstrare caput, per quod agere *contrariam opinionem*, sit malum. Et etiam dato, quòd hoc in se sit malum, posset fieri bonum, quia Parochus obligatur ad ministranda Sacramenta; nec enim justitia obligat ad faciendum, quod aliàs est malum in se.

74. Ulteriùs. Si Justitia, qua tenetur Parochus ministrare Sacramenta, reddit licitum agere *contra proprium Judicium*, cur Charitas, qua tenemur amare proximum, non reddet licitum agere contra proprium judicium? Ergo saltem, quando Delegatus ex charitate tenetur audire Confessiones, tunc poterit, & debebit agere contra proprium judicium, & pœnitentem in casu absolvere. Tum quia dato, quòd Delegatus audiverit Confessiones, videtur non posse negare absolutionem, ex charitate saltem. Denique vel pœnitens cum illa sua opinione est rite dispositus, vel non est rite dispositus. Si est rite dispositus; ergo quilibet Confessarius poterit ipsum absolvere. Si non est ritè dispositus; ergo nec Parochus poterit ipsum absolvere. Nec potest dici, non tot requiri dispositiones ad recipiendum Sacramentum à Parocho, quàm à Delegato; Nam hoc est prorsùs voluntarium, & contra Tridentinum, qui necessaria tradens sess. 14. pro Sacramenti Susceptione nihil distinxit inter Parochum, & Delegatum.

75. Sic etiam voluntariè ibidem dicit Conradus, *quòd Ordinarius debet sequi Judicium Ecclesiæ. Modò Ecclesia nondùm damnavit illum actum, igitur nec ipse debet ita damnare, ut deneget absolutionem. Sed non Ordinarius ex quo ex mera libertate audit, & absolvit; ideò contra proprium Judicium non licet ei agere.*

76. Vellem hìc, quòd Conradus assignaret rationem, cur Parochus debeat sequi Judicium Ecclesiæ, non verò Delegatus. Tum quia, si Parochus non debet damnare illum actum denegando absolutionem, cur debet illum damnare Delegatus? Ad summum, si Delegatus ex libertate audit, & absolvit, sequitur, quòd possit non absolvere, non verò quòd non debeat absolvere. Si Ecclesia non damnat, cur debet ipsum damnare? Et hoc puto esse Argumentum satis validum pro Probabilitate: Ecclesia non damnat opiniones minùs probabiles libertati faventes; ergo nec nos damnare debemus; Antecedens constat, quia nullibi reperitur tale Decretum.

77. Ut meum sensum aperiam, quid Conradus teneat in hoc casu, puto, quòd asserat Confessarium Ordinarium debere opinionem minùs probabilem sequi, quia expressè dicit Ordinarium debere absolvere pœnitentem sequentem opinionem, cuius oppositam judicat Probabiliorem ipse Ordinarius. Insuper hæc opinio est etiam periculosa, cum possit esse contra legem. Suppono enim pœnitentem sequi opinionem benignam. Ergo Confessarius Ordinarius juxta Conradum sequitur opinionem minùs probabilem, & quæ potest esse contra legem; Intantùm autem hoc concedit, quia credit simul intervenire periculum faciendi contra legem in sequendo partem oppositam; Credit enim, quòd Ordinarius in hoc casu habeat præceptum ex justitia emanans ministrandi Sacramentum. Igitur Ordinarius juxtà Conradum-

factum, si non ministrat Sacramentum, facit contra Justitiam, si ministrat, facit contra Virtutem Religionis præcipientis, ut Sacramenta debitis requisitis ministrentur. Cum ergo utraque pars sit periculosa per Conradum, intrat regula illa, de duobus malis minus est eligendum; Cum verò non ministrare Sacramenta sit contra Justitiam, quæ strictiùs obligat, quàm reliquæ Virtutes, ideo Ordinarius debet eligere potiùs agere contra alias virtutes, quam contra Justitiam. Tum quia Conradus judicabat ut certum, non ministrare Sacramentum in hoc casu esse contra Justitiam. Erat verò dubius, an ministrare esset contra præceptum. Patet autem esse potiùs fugiendum periculum certum, quàm incertum. Ita sensisse Conradum mihi videtur certum; Unde in rei veritate explicitè in hoc loco non favet nobis.

78. Attamen admittit hic duo principia, quæ maximè Probabilitati patrocinantur. PRIMUM est, quòd Ordinarius in ministratione Sacramenti non debet sequi suum Judicium, sed Judicium Ecclesiæ, quæ cum non damnet illum actum, sed permittat, ita debet facere Ordinarius. Ast ego assero, ut dixi, quòd si Ordinarius debet sequi in ministratione Sacramenti judicium Ecclesiæ, ita debet, vel potest sequi judicium Ecclesiæ Delegatus; nec potest assignari disparitas. SECUNDUM est, quòd per Conradum Ordinarius licèt probabilius credat, Ver. Gr. contractum hunc esse usurarium, dari obligationem confitendi circumstantias aggravantes; debere iterari confessionem informem, &c. adhuc tamen debet absolvere subditum Thomistam non confitentem circumstantias aggravantes, & non iterantem illam Confessionem informem. Ex hoc ego infero; ergo potest quis tenere unam opinionem ut probabiliorem, & tamen in praxi oppositum operari, & facere oppositum non esse contra conscientiam, Si enim tale facere oppositum esset contra Conscientiam, numquam liceret, quia facere contra Conscientiam est evidenter malum, & contra primum principium practicum. Si autem concedatur, quòd liceat facere contra opinionem probabiliorem, quæ aliàs potest esse contra legem, & hoc non sit facere contra Conscientiam, jam Adversarii recedunt à principali, imò unico fundamento propriæ opinionis de sequenda probabiliori.

79. Dices, licere facere contra propriam opinionem in hoc casu ad fugiendum majus malum; si enim non faceret contra, incideret contra Justitiam.

80. Sed contra est, quia facere contra Conscientiam est evidenter, & intrinsecè malum, & contra prima principia, & per se nota; Ergo nunquam licitè potest fieri. Ergo, si operari contra propriam opinionem est operari contra Conscientiam, ut volunt Adversarii, nunquam hoc licebit; Ergo, si licet operari contra propriam opinionem, debemus dicere, quòd operari contra propriam opinionem non sit operari contra conscientiam.

81. Pater Natalis Alexandri objicit contra nostram opinionem: Judex tenetur sequi opinionem probabiliorem; sed Confessor est Judex ex Trident. sess. 14. cap. 6. ergo nequit se accomodare opinioni pœnitentis, quam judicat minùs probabilem, & minùs tutam; sic enim Judex non errans sequeretur judicium errantis Rei, & illum absolveret, quem ligatum in cœlo novit.

82. Respondetur, majorem esse veram in foro externo, non verò in foro pœnitentiali. Disparitas est, quia Judex in foro externo debet judicare juxta jura litigantium; ergo, qui est potior in jure, Judex pro ipso debet ferre sententiam. In foro pœnitentiali Judex, inquiunt Antiqui, debet sequi Judicium Ecclesiæ, quæ cum non damnet illum actum, nec ipse illum debet damnare. Præterea Confessor assimilatur Judici in criminalibus, non autem in civilibus, quia in civilibus nullus damnatur ad pœnam, sicut fit in foro pœnitentiali. Cum ergo Judex in criminali non possit damnare reum, nisi probetur Reus aper-

apertissimis documentis , & indiciis luce clarioribus ex c *sciant cunct.* 2 quæst. 8. ergo etiam Confessor non poterit condemnare pœnitentem, nisi sit certus, quòd sua opinio sit mala, ut dicebant Antiqui. Nec opinio minùs probabilis est *errans*, ut dicit Pater Alexandri, quia, ut toties dixi, ex Probabilioritate unius opinionis non infertur falsitas alterius; cum sæpe falsa sint veris Probabiliora ex Arist. 1. Æthic. cap. 3. Absolveret quidem illum, quem probabilius ligatum in cœlo novit; At hoc per Antiquos non est absurdum. Solùm hoc fieri nequit, si *certo* cognoscatur, Pœnitentem esse ligatum in cœlo.

83. Objicit iterum: Medicus tenetur dare remedia probabiliora; porrò ex D. Najanzeno Confessor est minister *divina medicina*. Ergo tenetur sequi opinionem probabiliorem. Minor poterat efficaciùs probari ex c. *omnis utriusque* de pœnit. & remiss.

84. Respondetur ex toties dictis, Medicum spiritualem sanare ægrotum, si det remedia, quæ ex parte objecti sunt falsa, & ab ipso esse tuta invincibiliter ignorentur. Non sic verò accidit de Medico Corporali. Ergo in ordine ad habendum intentum, strictiùs debet procedere Medicus Corporalis, ac Medicus Spiritualis. Hinc Confessarius Thomista medens Animam juxta regulas D. Thomæ sanat ipsam certissimè, quamvis possint esse falsæ. Medicus verò medens corpora juxta regulas Hippocratis, ipsa forsan non sanabit, non alia ratione, nisi quia possunt esse falsæ. Videbatur, Patrem Alexandri debere nobiscum sentire in hac materia, cum nostra opinio clarè sit D. Antonini, & deducatur ex principiis D. Raymundi, quos Doctores ipse profitetur velle sequi in præfatione suæ Theologiæ contra lassos Modernos.

85. Peculiarem objectionem, quæ forsan prima facie videtur militare contra Doctrinam hanc Antiquorum, quòd Confessarius possit absolvere pœnitentem sequentem opinionem probabilem suæ libertati faventem oppositam opinioni strictiori, quam ipse Confessarius sequitur; Peculiarem, inquam, objectionem hìc solvere puto necessarium, & sumitur ex prima propositione damnata ab Innocentio Undecimo, quæ sic se habet: *Non est illicitum in conferendis Sacramentis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore*, ergo, quando Confessarius confert Sacramentum pœnitentiæ, non debet sequi *opinionem probabilem relicta tutiore*; ergo, quamvis illi Antiqui oppositum docuerint, non possumus illos sequi.

86. Ante solutionem, audi Historiam, quæ mihi successit cum quodam Patre Sacræ Theologiæ Regente, aliàs Doctissimo in Theologia speculativa; qui tamen valde à Scrupulis agitatus vivebat. Exposuerat pro publicis Thesibus Canonicis quidam Amicus meus sub titulo *de Temp. ordin. & qualit. ordin.* hanc propositionem: *Ad validam ordinationem probabiliùs putamus, non requiri materia physicum contactum.* Me invitens Pater Regens peramicè mecum egit priùs de prædicta propositione tanquam proscripta ab Innocentio XI. Ego illum amicè pariter admonui, Pontificem non damnare propositiones speculativas in materia Sacramentorum, sed practicas; loquitur enim *de Conferendis Sacramentis*. Amicus autem meus in sua Thesi non loquebatur de praxi, sed de speculatione; quærebat enim, quænam essent de validitate, hoc est de essentia Sacræ Ordinationis; Subjungebam autem ego, qui tenet hoc non requiri ad validitatem, non per hoc concedit, statim posse uti illa opinione *in Conferendis Sacramentis.* Sic est certissimum, posse validè consecrari panem ante consecrationem Vini, quamvis in hoc aliqui Antiquiores oppositum tenuerint; & tamen non per hoc sequitur, posse licitè consecrari panem sine Vino; & quia Pater Regens sequebatur adamussim doctrinam Scoti addebam, esse probabiliorem doctrinam Scoti dicentis ad validam consecratio-

nem

nem Calicis non exigi omnia Verba formæ; & adhuc nemo Scotistarum dicit, nec dicet, *in conferendo Sacramento Eucharistiæ* posse uti illa opinione Scotistica. Audiens Pater Regens exemplum hoc clarum, & forsan videns se convictum, altiùs prorumpens ait, *se negaturum Authoritatem Scoti, & aliorum doctorum*, si animadverteret, propositionem aliquam Scoti damnatam esse à Pontifice. Bene, & rite loqueris, reposui tunc; nam etiam *ubi invenerit quis doctrinam in Augustino; clarè fundatam, illam absolutè non poteft tenere respiciendo ad aliquam Pontificis Bullam*, utique oppositum clarè decidentem, inquit Alexander Octavus num. 30. & Magnus Hieronymus relatus in c. *hac est* 24. qu. 1. . . . dicebat, quòd si sua Confessio comprobaretur à Sede Petri, quisquis oppositum dixerit, *se impium, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, sed hæreticum comprobabit.* Bene ergo, Pater Regens, ais, *nihil valere authoritatem Scoti contra firmitatem Sedis Apostolicæ;* At debes ponderare, opiniones Scoti defensas fuisse, & esse à viris acutissimis, quos errare non est probabile. Ergo potiùs debes credere, te decipi, & Scotum non esse damnatum, & consequenter nec Amicum illum meum, & posse adhuc, nedum ut probabilem, sed ut probabiliorem sustineri, quod ad validitatem Sacræ Ordinationis non requiratur contactus physicus; quam opinionem ut probabilem sustinet Doctor Angelicus alibi relatus.

87. Si ergo inspiciatur Propositio damnata ab Innocentio Undecimo, evidenter patet, loqui de illis opinionibus, quæ tangunt valorem Sacramenti, & insuper tendunt ad praxim: *In Conferendis Sacramentis*, inquit Pontifex. Ergo propositiones probabiles, quæ non tendunt ad collationem Sacramenti, non continentur sub hac damnatione: *De Valore Sacramenti*, subdit Pontifex; ergo, quæ non tangunt validitatem Sacramenti, non subduntur huic Decreto. Et jure merito non damnantur propositiones probabiles, quæ solùm agunt de licito usu Sacramenti; Aliter damnarentur propositiones Divi Thomæ, & Scoti. Divi quidem Thomæ, qui sustinet, dari Sacramẽtum Pœnitentiæ validum, & informe; & non esse necesse confiteri circumstantias aggravantes; & Confessarium posse absolvere pœnitentem à peccatis non reservatis, & pro reservatis remittere ad Superiorem. Scoti autem, qui benignè quidem, & forsan contra communiorem, docuit satisfactionem impositam à Confessario factam in peccato mortali non esse de necessitate iterandam, uti dicebam num. 1.

88. Ne ergo dicamus, damnatas fuisse opiniones tantorum Doctorum, debemus fateri propositionem damnatam non includere propositiones, quæ ad Valorem Sacramentorum non pertinent. De quo puncto videatur Pater Joannes Cardenas in opere posthumo, quod super propositiones damnatas ab Innocentio XI. fecit, Dissert. 2. per totam, & præcipuè cap. 1. num 4. ubi tanquam certam asserit nostram Doctrinam.

89. Ex his patet responsio Clara, & certa ad prædictam novam objectionem; nam constat, quòd nostra Doctrina ponens in praxi opinionem illam Antiquorum non versatur circa valorem Sacramenti; siquidem qui non vult v. g. confiteri circumstantias aggravantes ex opinione probabili, quòd non adsit præceptum de illis confitendis, habet confessionem, & dolorem de peccatis confessis, & Sacerdos habet jurisdictionem, & voluntatem absolvendi; ergo tunc Sacramentum est certò validum. Tum quia dicere omnia peccata non est requisitum ad validitatem Sacramenti, sed ad licitum usum. Hinc in necessitate possumus recipere validè, & licitè Sacramentum absque integra materialiter Confessione; ergo multò minùs Confessio circumstantiarum spectat ad validitatem Sacramenti; Pertinebit ergo ad solum licitum usum; ergo opiniones, quæ versantur circa circunstantias, non versantur circa valorẽ Sacramẽti, sed tãtùm ad licitũ usũ.

90. In-

90. Interea amicè hortor Patrem Regentem, ut Palinodiam canat inspecta tam clarè veritate, & imposterum adeo sibi non fidat, nec aliorum opiniones damnet, memor, neminem esse damnandum juxtà leges, & Canones nisi probationes sint luce clariores l. fin. C. *de probat.* c. sciant cuncti. 2. quæst. 8. ut sæpius notavi Et Innocentius Undecimus in Decreto condemnatorio 65. propositionum severè prohibuit, ne quis damnet illas opiniones, *quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur.* Meminerit etiam illius moniti aurei Antiquorum approbati etiam ab Astensi lib. 8. tit. 3. art. 2. quæst. 9. *In his casibus, quia non sunt* omnino *expressi à jure, non est præcipitanda sententia, nec alterum est pertinaciter asserendum.* Nota illa verba *omnino expressi*, & videbis, tunc uni esse adhærendum omnino, & aliud damnandum, quando casus est clarè expressus in jure. Non obliviscantur umquam Adversarii Doctrinæ antiquæ, & tam necessariæ.

CAPUT XXXVII.

An Subditus possit obedire Superiori sequendo opinionem minùs Probabilem, & minùs tutam.

1. DOctor subtilis tenet, posse baptizari infantes Infidelium invitis parentibus Divus Thomas oppositum docet. Si Superior Scotista præcipiat, ut baptizentur hi pueri invitis parentibus, poterit subditus Thomista obedire? Hic observa, quòd opinio Scoti est periculosa, quia potest esse contra præceptum naturale de non subtrahendo Filio à suo Patre.

2. Divus Thomas 3. part. quæst. 83 art. 6. ad. 4. asserit, iterum consecrandam esse utramque materiam à Sacerdote, qui sumpto corpore advertit consecrasse aquam; Scotus autem tenet in 4. dist. 8. quæst. 3. §. *alio modo* esse solùm consecrandum vinum. Utraque opinio est periculosa, quia utraque potest esse contra præceptum divinum de perficiendo Sacramentum. Si ergo Superior præcipiat juxta suam opinionem, poterit subditus sequens opinionem oppositam obedire Superiori? Sic etiam subditus probabilius judicat, bellum illatum à Rege esse injustum, poterit, vel debebit nihilominus obedire? Si subditus in his casibus probabiliorem reputet opinionem strictiorem, vel æquè periculosam; ergo oppositum faciendo operatur juxta opinionem, quam ipse reputat minùs probabilem, quæ aliàs est minùs tuta, vel æquè periculosa.

3. Quæstio est decidenda juxta principia, & dicta Antiquorum, quia provinciam assumpsi tractatum hunc componere ex his principiis.

4. Igitur lego Divum Augustinum lib. 22. contra Faustum cap. 84. relatum in c. *quid culpatur* 23. quæst. 1. § fin. sic dicentem: Ergo Vir justus, si fortè etiam sub Rege, & homine Sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, si vice pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, *vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est, Ita ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Glossa Verb. *Iniquitas* notat, quòd, si superior peccet in præcipiendo, non peccat subditus in obediendo, *& quod in dubiis semper est obediendum*; eadem habet c. *ad aures* de tempor. ordin. V. *obedientiam*, & c. *dilecta* de major. & obed. & addit, quòd propter bonum obedientiæ subditus obediens excusatur, licèt faciat aliquod, quod in se sit malum.

5. Efformo nunc Argumentum: qui incertus est, rem jussam esse contra præceptum Dei, debet obedire per Divum Augustinum; sed Probabiliùs judicans rem esse illicitam est incertus, an sit contra præceptum Dei; ergo probabiliùs judicans rem esse illicitam debet obedire. Argumentum est in forma, unde consequentia est inevitabilis. Major est expresè Divi Augustini in illis

verbis : *Vel utrum sit*, (scilicet contra Dei præceptum) *certum non est.* Minor Argumenti, quæ sola videtur probatione indigere, probatur. Nam Probabilioritas non importat certitudinem rei ex toties dictis. Vide num.38.

6. Audiebam ego quosdam, qui se pro Probabilioristis venditabant, ut saltem severi in Doctrina apparerent, cum in moribus tales esse vel non possent, vel nolent; Audiebam, inquam, hosce dicentes, Probabilioritatem quidem physicè esse incertam, esse tamen certam moraliter.

7. Scio per Aristotelem in princip. Ethicor. ut observat præcipuè Antoninus 1.par. tit.3. cap.10. fin. quòd disciplinati est in unaquaque re quærere certitudinem juxta exigentiam materiæ; æquè enim vitiosum est, persuadentem quærere Mathematicum, & Moralem demonstrantem. Hanc Doctrinam scio, & illam Colligo etiam ex eodem Aristotele 2. Metaphis. cap 3. tex.15. & 16. & fateor, dari propositiones, quæ moraliter sunt certæ, & physicè incertæ. Hinc hæc Propositio, *Roma est*, tametsi potest esse falsa absolutè loquendo, & physicè; adhuc moraliter certa judicatur, & moraliter nequit aliter se habere. Ast ego non possum judicare, Probabilioritatem alicujus Doctoris, quamvis Magni, esse moraliter certam; Nam, quod est moraliter certum, non potest judicari à sapientibus ejus oppositum esse verum; Certitudo enim in sua linea importat falsitatem in opposito; Cum ergo, quòd probabilius videtur uni, oppositum videatur alteri probabilius, sequitur, quod Probabilioritas unius non debeat esse ipsi moraliter certa. Tum quia quomodo Scotista potest Judicare moraliter certam opinionem, cujus oppositum docent Thomistæ? Idem dico de opinionibus Thomistarum oppositis opinioni Scotistarum. Tum quia videmus in quot erraverit Glossator, qui fuit Maximus Vir. Ergo Probabilioritas Glossatoris non est moraliter certa; & sic multò minùs Probabilioritas alterius Doctoris non adeo Famosi. Tum quia Probabilioritas est de genere opinionis, quæ ex c. *à nobis* el 2. de senten. excomm. sæpe fallit, & fallitur.

8. Adverte hìc, quando dico opinionem probabiliorem non esse moraliter certam, me intelligere de ipsa propositione directa, non de reflexa, quæ supra ipsam directam fundari potest. Hinc dico, quòd hæc propositio : *Circunstantiæ non sunt Confitendæ sub præcepto*, est probabilior, & incerta, & adhuc affirmo esse certam moraliter, hoc est, esse bonam regulam morum, quia in Moralibus, quando res est obscura, non tenemur sequi id, quod est verum in se, sed quod nobis apparet verum; Et ita intelligo, quod subdebat Divus Antoninus ibidem, nempe certitudinem moralem consurgere ex probabilibus conjecturis *grossis*, & *figuralibus magis ad unam partem*, *quàm ad aliam se habentibus.*

9. Igitur credo, dictum Divi Augustini esse intelligendum de incertitudine fundata in eo, quòd non sit contra principia certa; unde, sicut Antiqui ex eo dicebant, nos posse variè opinari de Trinitate ante percontationem, per quam *rem videmus*, & *scimus*; ita possumus, & tenemur obedire in rebus incertis, hoc est in rebus, de quibus *nec videmus*, *nec scimus Veritatem.* Et sicut docendo opinionem oppositam probabiliori, non possumus dici, quòd erremus, & opinionem erroneam teneamus, ut alibi docui ex Doctrina Antiquorum, ita in praxi obediendo Superiori præcipienti aliquod, quòd mihi probabilius apparet malum, non errabo, idest malum non faciam. *Ità ut*, inquit Augustinus, *fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi*, *Innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.*

10. Hìc obiter notabis, ignorantiam excusare subditum, si propter obedientiam faciat aliquod, quod non est certum esse malum, & tamen *in veritate est malum*, inquit Glossa. Et hanc doctrinam puto valere etiam in jure naturali, quia Glossa loquitur universaliter; Et hinc patebit Vendrochium loquutum

tum fuisse contra Glossam, dum non admittit ignorantiam in jure naturali excusare.

11. Nec dicas, Glossam loqui in casu de præcepto *dubio*, accipiendo ly *dubio*, in sensu rigoroso, prout distinguitur ab opinione. Nam, si legantur illæ Glossæ, illa vox, *dubio*, opponitur ly *Certo*; atque adeo idem significat, ac vox *incertum*.

12. Beatus Isidorus Hispalensis Episcopus in Epist. epist. 5. ad Claudium Ducem num. 1. scribit: in dubiis etiam in præceptis pravis Prælatis obediendum est, quandiu eos Ecclesia toleraverit. . . In præceptis manifestè malis nullatenus est obediendum, etiam bonis Prælatis: Cum Sanctus Doctor dubio opponat *manifestè bonum*, sequitur, quòd pro dubio malo intelligat idem, ac incertum, & sic etiam probabilioriter judicans aliquod esse malum tenebitur obedire.

13. Eandem Doctrinam habet Beatus Bernardus *de præcept. & obedient.* cap. 12. Lector illum adeat. Ego solùm hanc lineam affero: Quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, *quæ non sunt apertè contra Deum, audire debemus*. Ergo, Probabiliorista, quia tua opinio non tibi facit apparere rem *esse apertè contra Deum*; proinde sequere monitum Bernardi, nec tuos Probabilioristas audias; obedi Superiori, & benedic *Probabilitati*. Eadem habet Beatus Bernard. de modo bene vivendi serm. 19. de obedientia fin.

14. Nunc videndum est, an Doctores Antiqui docuerint idem, ac Divus Augustinus, & Doctor mellifluus Divus Bernardus.

Circa Scolasticos quidem, agitant ipsi quæstiones de obedientia in 2. distin. Ult. sed pauca attingunt, & dicunt cum Augustino de natur. boni relato à Magistro cap. ult. Potestati ergo hominis, vel Diaboli tunc resistamus, cum aliquid contra Deum suggesserit; In quo Dei ordinationi non resistimus, sed obtemperamus; sic enim præcipit Deus, ut *in malis nulli potestati obediamus*. Beatus Albertus art. 4 dicit, quòd *in peccatis non debemus* obedire; & Divus Thomas art. ult. dicit, quòd quilibet tenetur non obedire *in illis, quæ Divinæ Legis regulæ contrariantur, quam debet inviolabiliter observare*. Et Divus Bonaventura art. 3. quæst. ult. ait, quod Sanum consilium est, ut Religiosi obediant in omnibus, *quæ non sunt contra Deum*. Hi textus, meo judicio, sunt intelligendi, quando res præcepta est clarè contra legem; Facere enim illud, quod est sub opinione Doctorum, non potest absolutè dici, quòd *in peccatis, quòd in malis* obediamus, & quòd contrariemur divinæ regulæ, quam debemus *inviolabiliter observare*. Numquid est peccatum, reticere in confessione circumstantias aggravantes? Numquid inviolabiliter observanda est Confessio de circumstantiis? Si hoc esset verum, væh opinioni Divi Thomæ. Igitur solùm in rebus, quæ clarè sunt mala, non debemus obedire; Et sic in incertis debemus parere, & in dubiis, quia *perfecta obedientia*, inquit Divus Bernardus de præcep & dispen. cap. 9 *legem nescit, terminis non arctatur*. Et juxta Divum Benedictum laudatum à Divo Thoma art. citato ad 2. Si Abbas, etiam impossibile præcipiat, *tentandum impossibile est*.

15. Alensis par. 3. quæst. 47. memb 3. art. 2. §. 1. refert textum D. Augustini ex can. *quid culpatur*, unde jure est pro me. Vide Henricum quodlib. 8. qu. 16.

16. Transeamus ad Summistas, & primus sit D. Raymundus Lib. 1. de juram. & perjur. §. *de officialibus*, dicit, quòd officialis, si *certò scit* condemnatum esse innocentem, non potest obedire Superiori præcipienti executionem, posset verò obedire, *si dubitatur*; ly *dubitatur* accipitur, ut oppositum ly *certò scit*; ergo dubium accipitur pro incertitudine. Lib. 3. tit. de sentent. præcept. &c. §. 2. sic scribit: *Si tamen dubitat subditus*, utrum sit contra Deum, vel non, illud, quod præcipitur, debet, obedire; nisi esset tale quid, in quo nullo modo esset excusabilis ignorantia, *puta*

ta contra Articulum fidei , precepti , vel prohibitionis , vel generale statutum Ecclesiæ. Ecce solùm subditus non debet obedire, quando præcipitur contra legem.

17. Sit secundus ejus Glossator. Hic lib.4. *de matrim.* §. 11. V. *debet* ait: Prælatus non habet jus imperandi subdito aliquod illicitum, etiam de quo dubium est, an sit illicitum; *subditus tamen debet ei obedire in dubio illicito* &c. *hoc jus* habet Prælatus in eo, *licèt non habeat jus imperandi; sed peccat imperando in hoc casu* 23. quæst. 1. quid culpatur. 27. quæst. 2. *omne itaque.* Cum Doctor allegat pro se Canonem, *quid culpatur*, qui clare loquitur de præcepto, quod est incertum, an sit malum, debemus dicere; quòd ipse quoque pro *dubio* intelligat incertitudinem; & sic clare pro me erit.

18. Tertius sit Joannes de Friburgo in Summ. Confess. lib 3. tit.33. quæst. 5. qui scribit: dicit Glossa, quòd Inferior non solùm obedire non debet, cum præceptum Superioris est injustum, sed etiam cum est inhonestum. Concordat etiam Raym. §.2. *Virtus*; & addit, si tamen *dubitat Subditus*, utrùm id, quod præcipitur, sit contra Deum, vel non, debet obedire, nisi esset tale quid, in quo nullo modo esset excusabilis ignorantia, puta *contra Articulum Fidei, Præcepta, vel Prohibitiones, vel Generale statutum Ecclesiæ*, quale est illud 17. quæst.4. *Si quis suadente* &c. multa alia. Aliàs bonum, sine quo potest esse salus, debet dimittere interdum propter bonum obedientiæ, ut expressè dicitur 11. q.3 quid ergo: Idem Thomas, & Gosfredus. Hic ergo Textus continet doctrinam nedum Joannis, sed D. Raymundi, & Divi Thomæ, & Gosfredi, quod bene nota.

19. Quartus sit Summa, quæ *Destructorium Vitiorum* dicitur. Hic par. 6. c 69. fin. ita docet: Modus obedientiæ sic tenendus est, ut bonis in malo non consentias, nec malis in bono contradicas, hæc B. August. Unde, sicut dicitur in Florario Bartho. tit. *de Obedientia*: Modus obedientiæ sic tenendus est, *ut Bonis in malo scienter non obedias, nec malis in bono contradicas. Et licet Subditus dubitet, an sit bonum, & licitum, quod à Superiore mandatur, vel non; nihilominus obedire debet.* Nam, etsi fortasse reum faciat Superioris iniquitas imperandi, innocentem tamen inferiorem ostendit ordo serviendi. Sed quod dixi, in dubio esse obediendum intellige, nisi *dubitatio sit Crassa, & supina, quæ non excusat*, ut si Superior præcipiat aliquod, quod sit contra Articulos Fidei, aut contra præcepta, vel prohibitiones Legis Divinæ, sive contra Generale Statutum Ecclesiæ, *quia in talibus non excusaret dubitatio, nec ignorantia.* Et si non pertineat ad officium Prælati, quod præcipit, non est in hoc obediendum; Si verò pertineat ad officium suum, obediendum est; si illud, quod est malum, non faciat Subditus contra conscientiam suam, licet iustum videatur Prælato hoc, quod præcipit. Hæc Hugo de duodecim abusionibus, & ponitur in Florario Bartho. tit. ubi priùs. Hucusque hic Doctor; ubi vides hanc Doctrinam esse etiam Bartho. & Hugonis.

20. Observa Regulas obediendi traditas ab hac Summa, ab Hugone, & à Bartho. in malo *scienter* non obedias; in dubiis, an res præcepta sit bona, vel mala, obedias; Si tamen dubium sit *crassum, & supinum*, non obedias. Hinc, si Superior jubeat, quòd non credas, Christum descendisse ad inferos, quòd non honores parentes, vel fornicationem facias; Si, inquam, talia jubeat, licèt Superior credat, talia non esse peccata, non obedias, quia si dubitares, propter imperium Superioris talia non esse mala, esset dubitatio Crassa, & Supina; & sic quam potes, & teneris depellere, &, si Articulos Fidei, & Præcepta, & Prohibitiones aspiceres, veritatem scires. Hinc, si obedias, *in malo scienter obedis*; & sic non excusaris, sicut nec excusareris, si talia ex ignorantia faceres. Hic obiter observa, ut ignorantia non excuset, debere esse con-

tra veritatem claram. v. g. *contra Articulos Fidei, contra Præcepta, vel Prohibitiones Legis Divinæ.*

21. Dices, etiam illud, quod probabiliùs judicatur esse contra Articulos Fidei, vel contra præcepta, est contra Articulos Fidei, & contra præcepta; ergo talis dubitatio est Crassa, & Supina; ergo, si obedit, non excusatur.

22. Sed contra, quia dubitatio Crassa, & Supina potest depelli, sicut ignorantia Crassa, & Supina; Dicitur enim Crassa, & Supina sumpta derivatione ab homine Crasso, & jacente, qui nihil agit; Unde hæc dubitatio, & ignorantia est indirectè volita, quatenus scilicet non ponit diligentiam debitam, de qua agit Divus Thomas 1. 2. quæst. 6. art. 3. quæst. 19 art. 6. Unde, si poneret diligentiam debitam, dubitationem, & ignorantiam depelleret. At in casu, in quo quis dubitat (sumo hìc dubitationem pro formidine) ob opinionem probabiliorem, tunc impossibile est, quòd hujusmodi dubitationem depellat, quia Probabilioritas cum sit in linea opinionis, impossibile est, quòd possit omnem dubitationem, seu formidinem deponere; hoc enim munus est scientiæ. Hinc si quis dubitet, hoc est, incertus est, an teneatur dicere circumstantias mutantes *specie*, & aggravantes, dico, primam dubitationem esse crassam, & supinam; quia ponat diligentiam, & legat Tridentinum, & certam Fidei veritatem attinget; & dico etiam, secundam dubitationem non esse Crassam, & Supinam, sed esse pro nunc invincibilem, & insuperabilem, quia adhuc non est inventum principium certum determinandi hujusmodi dubitationem.

23. Quintus sit Astensis. Hic in Sum. lib. 6. tit. 52. art. 4. quæst. 1. Si præcipiat, inquit, Superior aliquid contra Deum, non est ei obediendum, quia tunc Deo magis, quàm homini est obediendum .... si etiam præcipiat aliquid, quod non pertinet ad ejus officium, non est ei obediendum 7. quæst 1. quia Episcopus secundùm Hostien. Sed quid, si subditus dubitet, an sit licitum, vel non, quod à Superiore mandatur? *In dubio obediet.* Nam, etsi fortasse reum faciat Superiorem iniquitas imperandi, innocentem inferiorem ostendit ordo serviendi, ut dicitur 23. quæst. 1. *quid culpatur* in fine. Et quod dixi in dubio obediendum, intelligit Goffred. nisi dubitatio esse crassa, & supina, quæ non excusaret, ut si Superior mandet aliquid, quod sit contra Articulos Fidei, contra Præcepta, & Prohibitiones, vel contra Generale Statutum Ecclesiæ, in talibus non excusaret dubitatio, quia nec ignorantia, ut 16. quæst. 1. Si cupis, *qui enim Dominum nesciunt à Domino nesciuntur.* Unde, si quis ignorat, ignorabitur, ut di. 38. qui ea. Ita Astensis. Concordant Rainerius. V. *Bellum.* cap. 2. fin. & Monaldus. V. *obedientia.* Nota hìc, quomodo isti Summistæ se sequātur, & unus verbatim trāscribat aliū.

24. Sextus sit Joannes Nider, qui in suo Præcept. præcepto 1 cap. 22. ante litteram B. sic scribit: Ergo si aliud Imperator, aliud Deus jubeat, illo contempto obtemperandum est Deo. Ray addit: si tamen dubitat subditus, utrùm id, quod præcipitur, sit contra Deum, vel non, *debet obedire*, nisi esset tale, quod in quo nullo modo esset excusabilis ignorantia, puta contra Articulum Fidei, Præcepta, vel prohibitiones, vel Generale Statutum Ecclesiæ.... Infra litter. E: ita docet: Alia sunt contra Regulam, ut quorum opposita ibi præcipiuntur, vel prohibentur. De his distinguendum est, quia quædam sunt, in quibus Prælatus potest dispensare, quædam, in quibus non potest dispensare, eo quòd Regula, vel Constitutio prohibet. Aut ergo certum est Religioso, quòd Prælatus non potest dispensare, & tunc non debet obedire; aut dubium est, an possit, & tunc ratione dubii dico simpliciter, quòd tenetur obedire. Hæc Petrus de Tharantasia in quodl. Hucusque Nider. Hìc nota, quòd Doctor iste cum Petro de Tharantasia distinguit solùm duos casus, & dicit: Aut Subditus certus est, Prælatum non posse dispensare in eo, quod jubet; & sic

certus est, rem præceptam esse malam; aut subditus dubius est, an possit dispensare; & sic an res præcepta sit illicita. In primo casu nequit obedire, in secundo debet obedire. Hos solùm duos casus distinguunt alii Summistæ relati, ut supra.

25. Prosequitur Nider litter. E: In dubiis etiam obediendo alteri, præsertim Superiori, quis multipliciter excusatur. Primò secundùm Ray in Summa: Subditus, qui movet bellum, Domino suo sibi mandante; quando enim subditus *dubitat probabiliter*, an Dominus habeat justum Bellum, excusatur ibi subditus propter bonum obedientiæ, licèt fortè peccet Dominus contra Deum mala præcipiendo. Unde Augustin. contra Manicheum: Vir justus, si fortè sub Rege Sacrilego militet, rectè potest illo jubente militare, vel bellare; Si quod jubetur, vel non esse contra præceptum Dei, certum est; vel utrùm sit, certum non est, ita ut fortasse reum faciat iniquitas imperandi, Innocentem autem militem ostendat ordo serviendi. Sed intellige secundùm Guil. quandò dubitat miles, an adsint Conditiones requisitæ ad bellum justum, videlicet Persona, Res, Causa, Animus, & Authoritas. Item secundùm Hostien. intellige *probabiliter dubitantem*, quandò *inquisivit*, *quantum potuit*, *& peritiores Consuluit*, & semper dubius remansit, ne in Conscientia sit affectator ignorantiæ. Unde in rebus dubiis homo pro illuminatione sui laborare debet, ut docet Augustinus lib. 83. quæstionum, & habetur dist. 27. §. fin. dicens: Non omnis ignorantia immunis est à pœna; Ille enim ignorans potest excusari à pœna, qui, quod disceret, non invenit; Illis autem ignosci hoc non poterit, qui habentes, à quo discerent, operam non dederunt. Hucusque Nider.

26. Hìc notabis, hunc Doctorem accipere dubium pro incertitudine; & hoc debent fateri Adversarii, qui credunt, apud Antiquos terminum, *Probabiliter*, accipi pro eodem, ac *Probabilioriter*. Nider autem loquitur expressè *de dubitante probabiliter*, & de eo, *qui inquisivit*, *quantum potuit*; & sic habuit cognitionem, quanta haberi potest. Adhuc tamen iste probabiliter, idest probabilioriter dubitans debet obedire; & sic, licèt ex parte objecti faceret, tamen excusatur, quia, *quod disceret*, *non invenit*.

27. Septimus sit Beatus Bernardinus, qui tom. 1. Dominicæ IV. Quadrag. serm. 33. art. 2 cap. 1. litter. E. sic scribit: In secundo verò casu cum scit, vel probabiliter credit, quia rationem credendi habet, bellum esse injustum, restituere obligatur, quia tenetur plus obedire Deo, quàm hominibus. *In tertio autem casu* (dum scilicet dubitat, bellum esse injustum) *non tenetur* restituere, excusatur enim propter obedientiæ bonum, licèt fortè peccet Dominus contra Deum 23. quæst. 1. quid culpatur. Ita Beatus Bernardinus, qui suam Doctrinam confirmat authoritate R. . . & Hostien. cujus Doctrinam retulit ex Nider. In rei veritate Sanctus Doctor tenet, quòd qui vel scit, vel qui probabiliter credit, bellum esse injustum, nequeat obedire, sed solùm, dum dubitat; unde sumit hìc dubium strictè, prout distinguitur à cognitione probabili; Unde per ipsum probabilius judicans bellum esse injustum, non debet obedire. Quia tamen per Adversarios judicans utramque partem esse æquè probabilem est propriè, & in rigore dubius, immo & principaliter, ideo juxta ipsos talis debet obedire.

28. Idem Beatus Bernardinus tom. 3. in fine in dialogo de obedientia, ubi loquitur ipse B. Bernardinus. §. *Tres inquam.* Sic scriibit: Tres sunt limites Evangelicæ obedientiæ, & non plures, nec pauciores. Primus *est manifestum Peccatum*; Secundus *est manifestum Periculum*; Tertius est *manifestum Contagium*. Certè, quod probabilius est illicitum, non est *manifestè peccatum*; nec est *manifestum periculum*; Nam in §. *secundus autem limes* assignavi exemplum de manifesto periculo ait: Si Frater

ter inclinaretur sic, quòd dubitaret, ne caderet in peccatum carnis, & ob hoc nollet audire Confessiones Fœminarum, secundùm quatuor Magistros Prælatus non *potest ipsum cogere audire tales Confessiones.* Ex hoc exemplo liquet, quòd *per periculum manifestum* Divus Bernardinus intelligit periculum *de manifesto peccato*; Peccatum enim Carnis est *manifestè peccatum.*

29. In §. *Primus limes est*, litter. B: docet cum Bernardo, in rebus per se malis, & purè malis non esse obediendum; Mox sic scribit: Sciendum tamen, quòd ubi subditus rationabiliter dubitat, an, quod præcipitur, sit peccatum, an non; tunc profectò obedire debet; Unde 23. quæst. 1. in c. *quid culpatur* in fine Augustinus contra Manicheos ait: Vir justus, &c. Hìc affert verba Augustini illius Canonis à nobis supra relata. Tum subdit: Dubium autem rationabile voco, *aut ratione perplexitatis materiæ*, quæ faciliùs in Venialibus, quàm in mortalibus contingit; aut ratione Sanctitatis Prælati præcipientis; aut ratione simplicitatis ipsius subditi .... Si autem hoc dubium irrationabile esset, *utpotè si dubitetur de eo*, quod apud omnes constat esse mortale, vel veniale peccatum, *hujusmodi dubietas, cum ex ignorantia juris proveniat*, non excusat ad minùs à toto .... nec dico à subditis mandata Superiorum dijudicanda, ubi nihil deprehenditur juberi divinis contrarium institutis; Sed necessariam assero & prudentiam, qua advertatur, si quid adversatur, & libertatem, *qua ingenuè contemnatur.*

30. Sicut dixi, Textum ex primò Tomo solùm loqui de eo, qui propriè dubitat; & sic non loqui de Probabilioriter judicante, ita hunc Textum puto clarè loqui de Probabilioriter judicante. Primò, quia loquitur cum Divo Augustino de dubio, quod est idem cum incertitudine; Incertitudo autem stat simul cum Probabilioritate. Secundo, quia loquitur de dubio proveniente *ex perplexitate materiæ*; licèt autem quis reputet unam opinionem esse probabiliorem, adhuc materies est perplexa, & intricata, & sola certitudo reddit intellectum firmum, & extricat materiam; & quamvis Scotista judicat suam opinionem probabiliorem, debet tamen fateri versari in materia perplexa, & satis intricata, ne dicamus Thomistas esse ridiculos non agnoscentes hujusmodi firmitatem, & certitudinem, & intricantes materiam extricatam. Tertiò, Sanctus Doctor tunc dubium esse irrationabile dicit, & sic non esse parendum, si dubitetur de eo, *quod apud omnes constat esse mortale, vel veniale peccatum*; ergo, quando materia est sub diversitate opinionum dubium ex tali diversitate proveniens est rationabile, & sic est parendum; Sed Probabilioritas non tollit diversitatem opinionum; ergo habens *Probabilioritatem* habet dubium rationabile. Quartò, ut non pareamus, debemus habere prudentiam, qua advertamus, quòd adversatur Divinis Institutis, ut illud *ingenuè contemnamus.* Ego autem non video, quomodò subditus Scotista probabiliorem judicans opinionem Scoti possit prudenter contemnere præceptum fundatum in opinione Doctoris Angelici.

31. Octavus sit Supplementum Pisanellæ. Hìc Doctor Verb. *Obedientia*, 1. quæst. 3. sic discurrit: quid si dubitat subditus, utrùm, quod præcipitur, sit contra Deum, vel non. Respondeo, secundùm Ray debet obedire, nisi esset tale, in quo nullo modo excusaretur ignorantia, putà contra Articulum Fidei, Præcepta, vel Prohibitiones Dei, vel contra Generale Statutum Ecclesiæ, aliter enim in dubiis obediendum est de tempor. ordinat. ad aures .... Concordat Thomas, & Goffredus: *Dicitur, quòd generaliter quotiescunque subditus non potest per convenientem inquisitionem certificari, debet obedire*: & obediendo excusatur, etiamsi dubitet circa præcepta Dei, *idest utrùm, quod sibi mandatur, sit contra Dei præcepta 23. quæst. 1. quid culpatur.* Hìc adverte

hunc textum usque ad illa verba inclusivè : Concordant Thomas , & Goffredus , esse Bartholomæi Pisani , qui est, Summa Pisanellæ. Hinc patet , illius Doctrinam esse Ray , Divi Thomæ , Goffredi , Pisanellæ , & Supplementi. Ibi ergo expressè dicitur, quòd in omni dubio subditus debet obedire , *nisi esset tale , in quo nullo modo excusaretur ignorantia.* Nunc inquiro , si damnaretur aliqua opinio Scoti , v. g. illa de Redintegratione Sacrificii , an Scotus , & Scotistæ usque modo excusarentur ob ignorantiam , & procul dubio affirmativè est dicendum ; ergo sequitur , quòd dubitans in tali materia per illos Doctores debet obedire. Et sic patet dubium hic accipi pro incertitudine.

32. Hinc colligo , bene Supplementum de suo addidisse explicando Doctrinam antedictam , *quod subditus quotiescumque nequit* per inquisitionem certificari, *quamvis dubitet , quòd illud , quod præcipitur, sit contra præcepta Dei, debet obedire* ; & hanc Doctrinam esse juxta Canonem *quid culpatur.* Ego subsumo : Sed probabiliùs judicans rem esse illicitam non certificatur de re, ut est evidens; ergo hic debet obedire.

33. Nonus est Beatus Antoninus, qui quamvis non in uno loco tractet de obedientia , tamen ad propositum duas lineas habet in 3. par. tit. 9. cap. 12. ante §. vers. *Obedientia autem* , & dicit , quòd in dubiis debet obedire. Et tit. 16. c. 1. §. 9. vers. *Secundo modo* scribit , quòd, si Superior præcipiat aliquid contra ordinationes suæ Regulæ , vel contra constitutiones , non debet obedire , *In hujusmodi tamen dubio debet obedire* ; arg. 23. quæst. 1. c. *quid culpatur.* Cum autem sciamus juxta hunc Sanctum Doctorem par. 1. tit. 3. cap. x. §. 9. quòd dubitatio est motus in utramque partem contradictionis per æqualia media , sequitur , quòd sequens utramque partem æquè probabiliter debet obedire juxta Divum Antoninum.

34. Decimus est Angelus de Clavasio. Hic Ver. *Obedientia* num. 6. scribit : Subditus dubitans an id , quod præcipitur , sit contra Deum , vel non , tenetur obedire , immo excusatur , ut in c. quid culpatur 23. quæst. 1. . . . *debet tamen subditus , quantum potest , in tali inquirere.* Cum hic Doctor alleget pro se Canonem *quid culpatur* , sequitur , quòd pro dubio intelligat idem , ac incertitudo ; & sic tenet, etiam probabiliùs judicantem aliquod esse illicitum debere obedire. Quòdsi velimus intelligere de dubio strictè accepto , ipse Ver. *dubium* , definit dubium , quòd sit æqualitas rationum contrariarum ; hinc judicans utramque partem æqualiter probabilem debet obedire.

35. Ludolphus Carthus. in Vita Christi par. 2. cap. 37. post princ. dicebat, quòd Prælatis , & *Doctoribus* bona docentibus est obediendum , *nisi in his , quæ manifestè sunt contra Deum.* Similia habet Tostatus in lib. 1. Judic. cap. 9. quæst. 56. in lib. 2. Reg. cap. 24. quæst. 11. & in lib. 1. Paralip. cap. 21. quæst. 9. ubi dicit , quòd , *licèt magis credatur esse peccatum , quod præcipitur , non peccabit , si quis obediat.* Hi duo Doctores sũt clarè pro nobis. Concordat Rosella. V. *obedientia* n. 10.

36. Placet hìc referre paucos Canonistas , & primus erit Hostiensis , qui in Sum. tit. de major. & obed. num. 6. dicit, quòd propter obedientiam nunquam malum est committendum . . . . aliàs in dubio obediendum est. 23. quæst. 1. quid culpatur . . . . quid si dubitetur ? Obediat , nam , etsi fortè reum faciat Superiorem iniquitas imperandi , tamen inferiorem innocentem ostendit ordo serviendi. 23. quid culpatur in fine. Sic potest peccare Superior præcipiendo , & subditus mereri in eodem facto obediendo. Sic 33. quæst. 5. *Manifestum.* Quid si mandet contra Fidem ? Non obediet , quia nec in talibus ignorantia excusat. 16. quæst. 1. *Si cupis.* Imo in talibus ignorans ignorabitur. 38. dist. qui ea : Hucusque Hostiensis.

37. Goffredus Tranensis est secundus, qui tit. de *major. & obed.* num. 4. ita docet: Si subditus dubitet , an sit licitum, vel non , quod à Superiore mandatur , obediat ; & si fortasse reum faciat Supe-

riorem iniquitas imperandi, innocentem ostendit ordo *serviendi*, ut 23. qu. 1. *quid culpatur.*

38. Albericus de Rosate est tertius Summista Canonicus. Hic in Dictionario Juris Ver. *Obedientia* num. 1. scribit: Quid si dubitet subditus, an præceptum illud sit contra Deum, an ne? Dicit Ray, quòd debet obedire, nisi esset tale præceptum, in quo nullo modo excusaret ignorantia, puta contra Articulum Fidei, vel Prohibitionis Dei, vel generalem scientiam Ecclesiæ; Aliàs enim in dubiis obediendum est de tempor. ordin. *ad aures.* Immo etiam bonum, sine quo potest esse salus, debet dimitti propter obedientiam, xı. qu. 2. Quid ergo. Concord. Thomas, & Goffred. & vide de hac materia per omnes Summistas, & maximè Hostien. de major. & obed. Si Episcopus mandet Sacerdoti, quòd Excommunicet aliquem, & *notorium sit* eum esse innocentem, non tenetur obedire. Aliàs in dubio obedire tenetur. 23 quæst 1. quid culpatur. Vide Summ. Confessor. de Senten. præcept. & excomm. quæst 6. Ita Albericus. Et tu subsume, sed licèt subditus probabiliùs judicet, aliquem esse innocentem, non est notorium esse innocentem, ut est evidens; Ergo subditus judicans taliter est dubius; & sic debet obedire. Concordat Archidiac. in c. qui justus 13. quæst. 3. num. 2. Bellamera in c. *nervi* 13. Dist. num. 3. & 6. Turremata in. c. quòd culpatur. 23. quæst. 1. Et Joannes Imola c. Capellanus de fer. fin. scribit: Nota bene ex glossa. 3. quòd non peccat faciens contra legem præcepti, *si super illa sint opiniones*, & sequatur alteram earum. Facit, quod notatur in cap. 1. de postul. pralat. in 6. Ex hoc infero, quòd subditus obediens juxta minùs probabilem non peccet, quia verificatur, quòd in illa materia sint opiniones. Addo, evidenter hunc textum facere pro opinione æqualiter probabili, quia tunc propriè dantur opiniones. Nota bene. Adversarii dicunt, solùm nos excusari facientes contra legem, si sequamur opinionem probabiliorem. Joannes verò de Imola, ut excusemur, solùm requirit, quòd in illa materia sint opiniones; ergo opponuntur huic Antiquo. Tu sequere ipsum, & lege Glossam ab eodem allegatam, quæ clarè favet.

39. Addere juvat tres Summistas, qui juxta Vendrochium antiqui censendi sunt.

40. Tabiena Ver. *Obedientia* num. 11. Sic scribit: Quid, quando subditus dubitat, utrùm teneatur obedire? Respondetur secundùm Ray, quòd debet obedire, nisi esset tale, in quo nullo modo excusaret ignorantia, putà contra Articulum Fidei, contra Præcepta, vel Prohibitiones Dei, vel contra universale Statutum Ecclesiæ; *aliter enim in dubiis obediendum est.* c. ad aures de tempor. ordin. quin etiam bonum, sine quo potest esse salus, debet dimitti propter obedientiam xı. quæst. 3. quid ergo: & generaliter, quandocumque subditus non potest per convenientem inquisitionem certificari, debet obedire, & obediendo excusatur, etiamsi dubitat circa præceptum, idest utrum, quod sibi præcipitur, sit contra præceptum Dei. 23. quæst. 1. *Quid culpatur.* Similiter, si dubitat, utrùm Prælatus possit dispensare, debet obedire, quia, quando potest dispensare, tenetur obedire. Sic Tabiena in Opere, quod intitulatur *Summa Summarum.* Et in hoc puncto verè omnia summavit, quæ alii ante scripserunt.

41. Sylvester Ver. *Obedientia* num. 2. Scribit: dicit Ray, quòd generaliter in dubiis subditus tenetur obedire. c. *ad aures* de tempor. ordinat. & excusatur à peccato 23. quæst. 1. *quid culpatur*, nisi sit in iis, in quibus ignorantia non excusat, puta contra Articulos Fidei, Præcepta Dei, vel generale Statutum Ecclesiæ juxta ea, quæ dicta sunt supra Ver. *Ignorantia.* §. 7. *&* *Concordant Sanctus Thomas, & Goffred. habentes regulam, quòd quoties subditus convenienti inquisitione certificari non potest*, obedire debet, & obediendo excusatur, etiamsi dubitet, an agat contra præceptum Dei, nec ne. Nota maximè Divum Thomam

mam habere regulam, quòd subditus debet obedire, *quoties certificari non potest*, quòd præceptum sit illicitum.

43. Bartholomæus Fumus Verb. *Obedientia* num.4. breviter dicit: quòd, si Prælatus præcipiat contra Constitutiones suæ Ecclesiæ sine rationabili Causa, quia tunc non potest dispensare, non debet subditus obedire; Si autem est dubium, obediat, arg. in c. *quid culpatur* 23. quæst.1.

44. Nunc efformo iterum Argumentum. In dubiis per Antiquos est obediendum; sed tenens utramque partem æquè probabiliter per Antiquos, & per Adversarios est dubius; ergo tenens utramque partem æquè probabiliter per Antiquos debet obedire. Adversarii, nisi negent authoritatem Antiquorum, nequeunt huic Argumento aliquod respondere.

45. Conficio aliud Argumentum: Qui remanet incertus de veritate post inquisitionem convenientem, debet obedire; Sed tenens probabilius rem præceptam esse illicitam remanet incertus de veritate; ergo tenens probabiliùs rem præceptam esse illicitam debet obedire. Ego puto majorem erui ex omnibus Antiquis relatis, excepto primo textu Divi Bernardini, & præcipuè ex illis, qui expresè dicunt, quòd subditus debet obedire, *quoties convenienti inquisitione certificari non potest*. Relege Textus. Minor autem Argumenti ex dictis est manifesta.

46. Subdo tertium Argumentum. Subdito licet operari ob præceptum contra propriam opinionem probabiliorem, & tutiorem; ergo operari contra propriam opinionem probabiliorem, & tutiorem non est operari contra propriam conscientiam. Consequentia probatur, quia operari contra Conscientiam est peccatum juxta illud Apostoli; *quod non est ex Fide, peccatum est*; quod est adeo verum, ut credens levare festucam esse peccatum mortale, si levet festucam, peccet mortaliter, ut colligitur ex Divo Thoma 1.2. quæst.19. art.5. & nemo negare potest. Et tamen ex parte objecti est evidenter falsum; Ergò, si facere contra propriam opinionem probabiliorem, & tutiorem est facere contra Conscientiam, erit majus peccatum, quàm levare festucam; Consequentia probatur, quia in utroque casu per Adversarios fit contra conscientiam, & in secundo Casu potest etiam esse contra legem Dei, quod in primo casu esse nequit. Tùm quia dictamen Conscientiæ, etiam erroneæ, plus obligat, quàm præceptum Prælati, ut colligitur clarè ex Divo Thoma in 2. dist. 39. quæst.3. art.3. ad.3. Ergo, si facere contra propriam opinionem esset facere contra Conscientiam, Prælato opposītum præcipienti non tenemur obedire; ergo, si tenemur obedire, facere contra propriam opinionem formaliter non est facere contra Conscientiam. Et sic corruit præcipuum fundamentum Adversariorum, quòd ideo non possumus operari juxta minùs probabilem, & minùs tutam, quia non operamur ex fide, idest *ex Conscientia*.

47. Nostrum hoc Argumentum vidit Adrianus, unde, ut refert Vasq. 1. 2. disp.62. cap.6. num.28. negavit quodl. 2. punct. 3. Subditum posse obedire Superiori contra propriam opinionem probabiliorem, & tutiorem; & ideo hoc negavit, quia universaliter asseruit, non posse aliquem agere contra propriam opinionem probabiliorem, & tutiorem. Tum quodl.2. punct.2. ad 2. Argumentum, ut refert idem Vasquez num. 33. dixit, dubium non posse obedire Superiori. In quo puto manifestè decipi, & opponi Canoni *Quid Culpatur*.

48. Hoc Argumentum Magnum negotium facessit Probabilioristis; & in rei veritate est validissimum. Adhuc tamen conantur respondere; Unde Pater Tyrsus Gonzalez dissert. 14. num.91. dicit, quòd subditus debet obedire in rebus omnibus, in quibus non cernitur manifestè peccatum, quales sunt illæ omnes actiones, de quibus est controversia inter Doctores Catholicos, an sint licitæ, vel illicitæ; Et hanc Regulam vocat certam ex Scripturis, &

P-

Patribus. Subdit tamen, quòd Authoritas, & ratio Superioris obligat subditum, ut deponat illud judicium probabile, quo judicabat rem illam esse malam, quia illi hæc pars repræsentata fuerat tanquam probabilior, quàm pars opposita, quam Superior sequitur; Neque enim potest obligare subditum ad executionem illius rei, dum retinet judicium opinativum prudens, quo sibi persuadet rem esse malam.

49. Sed contra: Impossibile est, quòd Authoritas Superioris reddat mihi opinionem illius probabiliorem; Unde, si centum Superiores jubeant, ut ego perficiam Sacramentum Consecrando utramque materiam in casu, in quo cum Scoto teneo, esse unam tantùm conservandam, nunquam mutabunt in mea mente vim, quam habent intrinsecè argumenta meæ opinionis oppositæ. Nam experior, me æquè moveri post illa præcepta, ac antea. Tum quia illa præcepta non magis illuminant meum intellectum; ergo ita se habet, ac antea. Ergo, si intellectus manet eodem modo post præcepta, non mutat opinionem.

50. Quodsi dicatur, objectum quidem non illuminari, & sic ratione principiorum intrinsicorum intellectum ita se habere post præceptum, ac ante erat; illuminari tamen intellectum extrinsecè; Unde ob authoritatem extrinsecam Superioris debet judicare rem præceptam esse licitam, si priùs judicabat esse illicitam.

51. Contra, quia objectum intrinsecè non debilitatur; ergo ita movet, sicut ante. Ergo ex una parte objectum ob suam Virtutem intrinsecam me movet ad judicandum rem esse illicitam; ob Virtutem verò extrinsecam præcepti me movet ad judicandum rem esse licitam. Quæ ergo Virtus superabit aliam? Utraque in suo ordine movet probabilioriter. Tum quia si Authoritas Divi Thomæ, & Thomistarum non me movet ad tenendam, & censendam veram opinionem Divi Thomæ, me movebit ad illam authoritas Superioris minùs valdè docti? Tum quia, quòd opinio sit mihi probabilior, non est in mea potestate; aliter quilibet posset facere, quòd opinio benigna esset sibi probabilior: atque adeo quilibet posset sequi omnem opinionem benignam probabilem. Tum quia præceptum habet quidem vim obligandi ad faciendum aliquid, non verò ad constituendum aliquid in linea veritatis.

52. Fateor equidem, juxta principia supra posita voluntatem posse movere intellectum quoad exercitium in rebus obscuris, & opinativis, non tamen quoad specificationem. Hinc voluntas quidem potest imperare intellectui, ut assentiatur parti minùs probabili, & suspendat assensum probabiliori; At nequit imperare, quòd judicet partem minùs probabilem esse probabiliorem, hoc etenim dependet ab objecto, non voluntate. Tum quia, quamvis Superior jubeat, quòd ego operer juxta talem opinionem, non prohibet tamen, quòd in Scholis doceam oppositum. Ergo eodem tempore doceo unam opinionem, & operor juxta aliam; & sic eodem tempore utrique parti assentior. Ergo non implicat habere assensum probabilem utrique parti eodem tempore, quod negant Adversarii.

53. Instat Gonzalez num. 105. fieri non posse, ut subditus quærat rationes, & non inveniat sufficientissimas, ut Sententia Superioris appareat sibi verisimilior, quàm propria, quam ante præceptum Superioris sequebatur. Nam, ut inquit Divus Ignatius in epist. de Virtut. obedientiæ num. 9. *vis intellectiva animi, tametsi non ea, qua voluntas pollet, libertate prædita est, atque ipsa natura fertur ejus assensus in id, quod sibi veri speciem præbet, tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognita veritatis evidentia vim illi non infert, potest voluntatis pondere in hanc potiùs, quam in illam partem inclinari; quæ res cum incidunt, debet, quisquis obedientiam profitetur, inclinare se se sententiam Superioris*: ita Pater Gonzalez ex Sanctissimo suo Parente Divo Ignatio.

54. Sed

54. Sed contra. Vel voluntas semper potest cogere in rebus obscuris intellectum ad inveniendas has rationes probabiliores, vel voluntas non semper potest. Si PRIMUM, sic dabimus Probabilistis id, quod finaliter prætendunt, quod est dare libertatem hominibus, ut in rebus obscuris possint sequi opinionem benignam, & quam volunt; & solùm erit hæc differentia, quòd per Patrem Gonzalez debebit priùs voluntas cogere intellectum ad inveniendas has rationes probabiliores, quas tamen semper inveniet juxta hanc responsionem; Per Probabilistas autem non est necesse, quòd voluntas cogat intellectum ad inveniendas hujusmodi rationes. Si Pater Gonzalez vellet talem Doctrinam amplecti, credo, quòd Probabilistæ faciliter mutabunt opinionem, & ego Primus ero ex illis. Si SECUNDUM; ergo tunc in illo casu non poterimus obedire Superiori; & tamen Divus Ignatius expressè universaliter dicit: quòd, *quando incidunt hæ res*, (in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert) *debet, quisquis obedientiam profitetur, inclinare se se in Sententiam Superioris.* Ecce Doctrinam Universalem: *qui non cogitur ab evidentia, profitens obedientiam debet se inclinare in sententiam Superioris.* Ergo sive deponat opinionem propriam probabiliorem, sive non deponat, debet inclinare in sententiam Superioris, quia adhuc retenta opinione propria probabiliori non cogitur ab evidentia, quæ sola cogit intellectum, ne flectatur in oppositum à voluntate juxta Divum Ignatium.

55. Tum quia, si est necesse, ut obediamus Superiori, sequi ejus opinionem ut probabiliorem, & nostram deponere, hoc non valebit in hominibus doctis, qui per plures annos insudarunt in ponderandis motivis pro utraque parte, & omnibus justè pensatis judicarunt, partem strictiorem esse probabiliorem; Et si omnia, saltem principaliora, non perpenderunt, malè se determinarunt ad illam partem.

56. Igitur vel Scotista ante præceptum Superioris Thomistæ per tot annos rectè expendit omnia expendenda, vel non. Si PRIMUM; ergo præceptum Superioris nequit illum obligare ad operandum juxta partem oppositam, quia juxta cursum naturæ non dantur motiva, quæ possint trahere Scotistam in opinionem Divi Thomæ. Si SECUNDUM; ergo Scotus, & Scotistæ usque modo plenè non satisfecerunt quæstioni, dum præceptum Superioris Thomistæ facit invenire rationes probabiliores pro opinione Divi Thomæ, quas ante præceptum non perpenderant. Tum quia si præceptum habet tantam efficaciam, sequitur, quòd si Generalis Scotistarum esset Thomista, destrueret Scholam Scotisticam quoad opiniones oppositas Divi Thomæ; posset enim jubere, ut omnes sui subditi operarentur juxta opiniones Divi Thomæ, si essent morales, vel illas docerent, si essent speculativæ. Et sic videres Thomistas, & Scotistas consentientes virtute unius præcepti; cum per plura sæcula nunquam potuerint convenire. Rursus, quia posset oppositum jubere, videres Scholam Scoti resurgere, & intetire Scholam Thomisticam.

57. Igitur apparet evidenter, præceptum Superioris non habere virtutem faciendi invenire rationes probabiliores pro opinione ejusdem Superioris, quia supponitur, quòd subditus doctus adhibuerit inquisitionem debitam, ut certificaretur de re, ut loquuntur expressè Antiqui; post hanc autem debitam inquisitionem intellectus se determinaverat pro parte A; ergo Præceptum Superioris non habet virtutem faciendi invenire rationes probabiliores pro parte B. & hinc homo doctus post talem inquisitionem non teneretur obedire Superiori præcipienti oppositum, si ad talem obedientiam requiritur depositio propriæ opinionis; & hinc solùm homines indocti, & ignorantes in tali casu tenerentur obedire, cum ipsi vel nesciant judicare benè motiva opinionum, vel si sciant, non bene judicarunt ante præceptum.

58. Hic

58. Hìc tamen non nego, imo concedo, quòd aliquando præceptum Superioris tollat aliquam circunstantiam moralem, v. g otiositatem à verbo; & sic potero ex imperio Superioris dicere verbum, quod aliàs esset otiosum, ut supponit Bernardinus in dicto Dialogo de obedient: §. *primus limes est.* Et si imperium non tollat otiositatem, tunc nec potero obedire, ut patet ex dictis, & ibidem Bernardinus expressè affirmat.

59. Urget idem Pater Gunzalez num. 105. Unusquisque prout est affectus, judicat; ergo, si subditus concipiat desiderium conformandi se judicio Superioris, occurrent motiva, quæ illam partem reddent ipsi verisimiliorem.

60. Sed contra, quia si ex affectu sequitur inventio probabilioritatis; ergo variando affectum variabitur opinio; ergo ex affectu favendi meæ libertati inveniam Probabilioritatem in opinione benigna; & sic sequar partem benignam, quando affectu ad illam me convertam. Igitur si quis præcisè judicet ex affectu, illud judicium erit malum, quia intellectus non debet regulari à voluntate, sed è contra. Tum quia nos loquimur in casu, quo vir doctus posuit diligentiam debitam ex affectu inveniendi veritatem; ergo expendit omnia motiva; atque adeo, quamvis velit se conformare cum Superiori, non inveniet motiva mutandi opinionem; & si post præceptum invenit motivum judicandi opinionem Superioris ut verisimiliorem; ergo antea illud motivum non expenderat; & sic exactè difficultatem non agitaverat. Nos autem hìc loquimur cum Antiquis de subdito, qui post diligentem inquisitionem certificari non potest; Et sic loquimur de subdito, qui expenderit omnia expendenda; ergo frustra hic aliam diligentiam apponet. Præterea si præceptum Superioris habet vim inveniendi rationes probabiliores; ergo Prælati faciant præceptum suis subditis de attingenda veritate, & postquam diligentiam debitam apposuerint pro investigatione veritatis, tunc vel omnes subditi concordant, vel discordant. Si discordant, quomodo idem præceptum faciet invenire media probabiliora pro utraque parte? Si concordant, & illa pars sit strictior, Superior non poterit deinde oppositum imperare, quia imperium non habebit virtutem faciendi invenire motiva probabiliora pro illa parte; Si enim præceptum primum non habuit talem Virtutem, cur secundum illam habebit?

61. Subdit deinde Pater Gonzalez: Motivum conformandi se judicio Superioris non esse sumendum ex ejus sapientia, sed ex munere superioris, ut dicebat Divus Ignatius in sua epist. nu. 3. *Cum enim Deus jusserit, ut pareamus Superiori, etsi absolutè falli possit Superior, tamen id non est unquam in particulari præsumendum, nisi de eo constet, eò quod singulari modo à Deo dirigatur, ut potè ab ipso ad alios in via salutis dirigendos constitutus.* Hæc autem ratio non militat in quolibet alio Theologo privato ex opinione sua probabili sudente ut licitum, quod tamen ex aliorum opinione probabilius judicatur esse illicitum; unde nullibi reperitur dictum à Patribus, quòd sine disquisitione credatur rectum, quod ut tale traditur ab aliquibus, quando alii Sapientia pares, vel majores dicunt esse malum. E contra Patres universim asserunt, subditum debere credere licitum, quod præcipitur à Superiore, quamvis ipse subditus non videat, quomodo id bonum, & expediēs sit. Evidens ergo est præceptū Superioris habere magnam vim, ut probabilius appareat subdito, quod ante minus probabile apparebat, quia, ut notat Suarez de Instit. Societatis lib. 4. cap. 15. num. 21. ipsa authoritas Superioris probabilitatem alterius partis multùm auget. Unde deceptus est Terillus, dum in Tomo de Regula morum 1. par. quæst. 2. num. 124. pag 38. palam dicit: *Præceptum Superioris minus docti non posse efficere, ut probabilius appareat subdito id, quod antecedenter ad præceptum apparebat minus probabile.* Hucusque Pater Gonzalez.

62. Sed

62. Sed contra, quia, si ideo debemus, judicare rem præceptam esse licitam, quamvis proveniat ab homine potente fallere, *eo quia singulari modo a Deo Superior dirigatur*. Sequitur, quòd nedum à subdito, sed etiam à non subdito posset illa opinio probabilior judicari, quin, ut possemus secundùm illam operari, sufficeret, quòd sciremus rem illam esse præceptam, & esse in materia obscura; Sequella probatur, quia intantùm subditus judicat rem præceptam esse licitam, quia præsumitur Superiorem dirigi à Deo. Si autem in instanti A. præsumitur Superiorem dirigi à Deo, in instanti B. & aliis posterioribus valebit dici, Præsumitur Superiorem directum fuisse à Deo. Si autem est licitum, quòd præsumitur dirigi à Deo, erit etiam licitum, quòd præsumitur fuisse directum à Deo; & sicut in tempore præsenti præsumitur rem præceptam esse licitam, si Superior jubeat, & res manifestè non sit mala, sic in tempore futuro præsumitur, rem nunc præceptam fore licitam, si res præcepta fuerit, & manifestè non erit mala. Præterea vel est verum, quòd Deus dirigat Superiores, vel non est verum. Si secundum, Authoritas præcipientis nihil de speciali habet ad rem præceptam. Si Primum, quilibet debet sic judicare, & non solus subditus; Quilibet enim debet res judicare, uti sunt ex Divo Thoma 2.2. quæst. 60. art. 4. ad. 2. licèt enim authoritas sit in ordine solùm ad subditum, veritas tamen authoritatis est in ordine ad omnes. Et inde sequitur, quòd etiam non subditus poterit deponere suam opinionem strictiorem ex imperio facto subdito; Et sic semper sequi opinionem benignam, si aliquando factum fuerit præceptum de ipsa.

63. Ulteriùs fateor equidem, de ratione Superioritatis esse obligare ad faciendam rem præceptam; Si enim definiatur, quid sit Superior, ponetur in definitione talis virtus obligativa. Vide D. Raym. lib. 3. de sentent. præcept. §. 2. At, quòd Superior habeat virtutem augendi Probabilitatem, ut dicebat Pater Suarez, non video, quomodo probari possit hoc dictum. Imo ex absurdis supra relatis, quæ sequerentur, si hoc esset verum, debemus tenere pro certo, Superiorem ut talem non augere probabilitatem rei præceptæ. Hinc malè Pater Gonzalez arguit Terillum docentem præceptum Superioris non augere Probabilitatem.

64. Pater Fogarinus disput. 3. par. 4. sect. 6. num. 46. sibi objicit hanc rationem de subdito, qui tenetur obedire contra propriam opinionem probabiliorem, & tutiorem; ergo saltem subditus potest sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. Objicit, inquam, hanc rationem, & ante solutionem ponit decem distinctiones, & Prima est de Superiore præcipiente aliquid in lege Divina, vel etiam humana facta à Superiore; unde ipse præcipiens nequit in illa dispensare.

65. Inde num. 55. dicit, quòd subditus habens opinionem verè probabilem, quòd aliquid sit contra jus naturale, vel legem alicujus Superioris majoris, si illud sibi præcipiatur à Superiore indocto, vel habente solùm opinionem probabilem oppositam, non tenetur obedire, sed durante tali judicio probabiliori, aut æquè probabili peccat obediendo. Hìc inquiro à Patre Fogarino, quomodò subditus cognoscet Superiorem habere solùm opinionem æquè probabilem? Cur non debet credere Superiorem habere opinionem probabiliorem, vel moraliter certam? Debetne Superior ante præceptum disputationem instituere, & subditum illuminare?

66. Sed contra, quia Antiqui allati dicunt, nos debere obedire Superiori, si per inquisitionem *certificari non possumus*, rem præceptam esse illicitam; Sed qui habet opinionem verè probabilem rem esse illicitam, etiam durante hac opinione, non est certus rem esse illicitam, quia Probabilitas non est certitudo, ut est evidens; ergo, qui habet opinionem verè probabilem rem esse illicitam, durante hac opinione per

per Antiquos allatos debet obedire. Hinc patet, Patrem Fogarinum hac sua doctrina opponi directè Antiquis.

67. Denique num. 70. dicit, quòd subditus dubitans, an Superior possit dispensare, si cognoscat Prælatum etiam dubitare, an possit dispensare, tunc ipse non potest uti tali dispensatione. Si verò ignoret, an Prælatus dubitet, tunc potest ex ejus Authoritate dubium deponere, & uti tali dispensatione. Loquor tamen, inquit Author, de subdito non docto, sive non habente rationes graves persuadentes Prælatum non posse dispensare.

68. Sed contra, quia vidimus ex Nider, & Petro de Tharantasia, quòd subditus debet simpliciter obedire, *quando dubium est*, an Prælatus possit dispensare, & hoc *ratione dubii*. Per Antiquos autem intellectus est dubius, quando etiam habet rationes æquè probabiles pro utraque parte. Tum quia Antiqui solùm ponunt duos Casus, Unum, in quo subditus est certus de illicito præcepto, & Alium, in quo est incertus, seu est dubius. In Primo dicunt, non posse obedire; In secundo asserunt debere obedire; Si autem dictum Patris Fogarini esset verum, vel Antiqui regulam adæquatam non dedissent in re adeo necessaria, vel falsam tradidissent.

69. Corduba in suo Quæstionario lib.3. quæst.9. tenet quidem, subditum contra propriam opinionem posse, & debere obedire Superiori, & hanc dicit esse communem opinionem contra Adrianum in Quodlib. 2., & Fratrem Barnabam de Rosalibus in tract. *de varietat. opinion.* fol 94. Subdit tamen, quòd subditus debet sibi formare bonam Conscientiam, quòd licitè operetur in tali casu. Format autem sibi hanc bonam Conscientiam ob aliquam rationabilem causam. Assignans verò vers. *probatur quartò* has rationabiles causas dicit, quòd Judex contra suam propriam opinionem singularem potest sibi bonam Conscientiam formare juxta aliorum opinionem judicando, & hoc propter *Cavendum temeritatem suam, vel aliud certius malum justitiæ, vel inobedientiæ, vel dissentionis, vel ut suo satisfaciat officio*, vel ut aliis se conformet, *vel tandem ut securiùs agat.* Subdit etiam exemplum de Confessore, qui potest absolvere pœnitentem, & de Medico, qui potest mederi contra proprias opiniones conformando se opinionibus aliorum. Sic etiam idem dicendum est de subdito.

70. Sed contra evidenter, nam sequitur, quòd agere contra propriam opinionem per Cordubam non est agere contra Conscientiam, quia cum opinione, quòd res sit illicita, stat simul bona Conscientia. Ergo Adversarii malè arguunt: Vos Probabilistę facitis contra opinionem, quam dicitis esse probabiliorem; ergo facitis contra Conscientiam; & sic peccatis. Malè, inquam, arguunt, nam totum Argumentum potest retorqueri juxta hanc Doctrinam Cordubæ, qui aliàs est Probabiliorista. Et Nota diligenter causas, ob quas secundùm Cordubam Judex potest condemnare innocentem, sed reum juxta allegata, & ipse Judex tenet non posse licitè condemnare talem innocentem. Nota illas duas *propter cavendam temeritatem suam*; vel *ut aliis se conformet.* Prima Causa est, quia sapit *temeritatem* nole operari juxta opinionem aliorum, quasi quòd sit falsa. Secunda est, quia licitè quis potest se aliis conformare, seu imitari exempla aliorum. Ita ego explico illa verba Cordubæ: *propter cavendam temeritatem suam.* Vel *ut aliis se conformet.*

71. Nunc instruo Argumentum: Juxta Cordubam Judex tenens opinionem, quòd damnare innocentem, sed reum juxta allegata, sit illicitum, *Potest*, hac propria opinione non obstante, *formare sibi bonam Conscientiam*, & talem innocentem condemnare; formabit autem bonam Conscientiam propter *cavendam temeritatem*, idest, ne, si operetur juxta propriam opinionem, videatur temerarius damnando de falsitate opinionem

nionem oppositam, quam præstantissimi Viri sequuntur. Vel formabit sibi bonam conscientiam volendo *se conformare exemplis aliorum oppositum facientium*. Ex hoc ego infero; Ergo etiam, quamvis ego teneam ut probabiliorem opinionem, v. gr. quòd hic contractus sit illicitus, tamen mihi formabo bonam conscientiam *propter temeritatem vitandam*, idest ne videar damnare opinionem Virorum sustinentium, illum contractum esse licitum; & illum contractum celebrabo, *ut me conformem aliis.* Si negetur consequentia, vellem scire, cur Causæ *cavendæ temeritatis*, *& sequendi alios* possint ingerere bonam Conscientiam Judici damnandi aliquem ad mortem contra propriam opinionem, quamvis in hoc facto possit esse periculum auferendi injustè vitam, non possint autem ingerere mihi bonam conscientiam faciendi aliquem contractum contra meam opinionem, licèt in hoc facto possit esse periculum auferendi injustè rem Proximo. Numquid ad conservanda bona Proximi debemus strictiori jure procedere, quàm ad conservandam vitam?

72. Dices, in antecedenti incurri periculum de faciendo contra leges; est enim probabilis Sententia asserens, quod Judex in illo casu teneatur ad talem damnationem, in consequenti autem nullum est periculum faciendi contra Legem.

73. Sed contra, quia dictum est verum, sed non est ad propositum Cordubæ, quia ipse quidem admittit hanc causam ad formandam sibi bonam conscientiam, ut legenti suum textum supra allatum apparebit; at admittit etiam alias in Judice, & sunt illæ duæ, *Ad cavendam temeritatem*, vel *ut aliis se conformet*; Quæ secunda Causa clarè elucet in Consequenti. Igitur per Cordubam nedum periculum incurrendi in peccatum est causa rationabilis, ut possimus sequi opinionem minùs probabilem, & in particulari etiam Judex, quòd difficilius videtur, & his temporibus videtur non esse verum ob propositionem damnatam ab Innocentio XI. num. 2. Sed etiam per ipsum dantur aliæ causæ rationabiles supra allatæ, quarum una continetur illis Verbis *Vel ut aliis se conformet*, & illa particula, *Vel*, habet virtutem disiungendi ex sua natura, ut patet ex Barbos. in tract. de dict. Usufreq. V. *Vel* num. 3. Hinc ut præstet suum effectum non est necesse, ut alia concurrat; hinc ob motivum solum *se cum aliis conformandi* possumus sequi opinionem nostræ oppositæ; & sic opinionem minùs probabilem, aliàs minùs tutam.

74. Hic Doctor solvit omnes objectiones contrarias, & si me mens mea non fallit, ejus Doctrina clarissimè salvat nedum subditum, sed quemlibet posse sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. Illum audiamus.

75. Objicit ergò sibi secundò: Impossibile est, quod quis opinetur tale quid esse illicitum speculativè, vel absolutè secundùm suam opinionem, & quòd simul opinetur id esse practicè sibi licitum secundùm aliorum opinionem . . . . . quia, si ipse de facto hoc, vel illo modo secundùm suam opinionem judicat esse in se, vel sibi illicitum; ergo de facto hoc sibi videtur probabilius, quàm oppositum; alioquin non sic judicaret, nec opinaretur. Nullus enim opinatur, nisi quod sibi verum, vel probabilius apparet, sed potiùs dubitaret. Si autem credit, vel judicat, id esse in se, vel sibi licitum secundùm aliorum opinionem, quam judicat esse veram, & ex consequenti se decipi in sua opinione, jam ergo credit, ac opinatur, quòd aliorum opinio sit probabilior.

76. Hæc est objectio secunda, quam Corduba opponit suæ opinioni, qua vult, quòd subditus possit, & debeat obedire contra suam opinionem probabiliorem, & tutiorem. Et hæc objectio meo Judicio est majus fundamentum Probabilioristarum contra Probabilitatem. Audiamus responsionem Cordubæ, quæ est unum ex primariis fundamentis, à quibus Probabilitas fulcitur.

77. Igi-

77. Igitur in hæc verba respondet, negando esse impossibile, & ad primam probationem conceditur, quòd, ut ibi dicitur, non stat, quòd quis de facto, vel actualiter credat, vel opinetur, suam opinionem esse veram simul, & oppositam, & se decipi, ut ibi probatur; neque quòd judicet speculativè, aliquid esse illicitum, & licitum, neque practicè sibi simul illicitum, & licitum secundùm hanc, vel illam opinionem aliorum; bene tamen stat, quòd judicet aliquid opinando esse speculativè illicitum, & ex consequenti judicet oppositam opinionem esse falsam; simul & judicet idem esse sibi practicè licitum, ut ait illa opinio, *quam credit esse falsam*, *quam ex causa rationabili licitè vult sequi*; videlicet *ut caveat periculum temeritatis*, *dissensionis*, *vel inobedientiæ*, & hujusmodi, *ut supra dictum est*.

78. Hoc verbum, *hujusmodi*, dicit relationem ad alias causas ab ipso supra assignatas, quarum una erat *Vel ut aliis se conformet*, pro quorum majori declaratione, subdit Corduba: nota, ibi tria esse Judicia. Primum est, quo judicat, illud esse absolutè illicitum, & suam opinionem hanc esse veram. Secundum est, *quo judicat*, *oppositam opinionem esse falsam*, vel minùs probabilem Tertium est, quo judicat, se licitè facere sequendo illam opinionem, *quam opinatur esse falsam*, idque ex causa rationabili supradicta. Prima duo judicia sunt formaliter speculativa; Tertium est formaliter practicum, neque ullo modo repugnant, sed compossibilia sunt

79. Eamdem doctrinam habet infra vers. *ad tertiam respondeo*, dicit enim, quòd tunc non utor mea opinione speculativa tanquam regula agendi, sed potiùs alia aliorum opinione, vel judicio, sive præcepto; neque facio contra conscientiam, sed secundùm eam, ex quo facio secundùm judicium, *quo practicè* judico, id mihi licitum esse, *etiam contra meam speculativam opinionem facere*.

80. Ecce clarè, per hunc Authorem, aliàs Probabilioristam, posse aliquem tenere unam opinionem, & oppositum facere, nec hoc esse *contra Conscientiam*, *sed secundùm eam*, *ex quo facio secundùm judicium*, *quo practicè judico*, *id mihi licitum esse*, *etiam contra meam speculativam opinionem facere*. Nota insuper illud Tertium judicium, quo mens judicat, se licitè facere sequendo illam opinionem, *quam opinatur esse falsam*. Discant Adversarii, per hunc Antiquum Doctorem Probabilioristam fundari veritatem practicam in opinione speculativa falsa. Ex hac Doctrina corruunt illa, per quæ Pater Gonzalez non admittit illam distinctionem intellectûs dubii in speculatione, & certi in praxi.

81. Nostri Moderni Probabilistæ admittunt hoc tertium judicium, & super ipsum fundant *molem Probabilitatis*, ut dixi. Differunt solùm, & omnino rationabiliter, quòd per ipsos hoc judicium est fundatum non in opinione falsa, *sed minùs probabili*. Siquidem opinio opposita *Probabiliori* non est falsa. Nec enim bene arguitur: Probabiliores sunt opiniones Divi Thomæ; ergò oppositæ Scoti sunt falsæ; esset enim irridendus talis Argumentator. Legitima ergo consequentia est; ergo opiniones Scoti sunt Probabiles, *sed minus*; Tota enim Philosophia clamat, quòd comparatio supponit formam Comparationis in utroque extremo.

82. Colligitur, ut alibi dicebam, ut quis possit sequi opinionem minùs tutam contra propriam opinionem tutiorem, requiri aliquam causam rationabilem, v. gr *ut caveat temeritatem*, *vel ut aliis se conformet*. Hinc Thomista vivens cum Scotistis, ut se conformet illis, poterit uti opinione Scoti opposita suæ. Et hæc Doctrina est juxta illud effatum Poeticum quidem, sed verum.

Dum fueris Romæ, Romano vivito more;
Sique alibi fueris, vivito sicut ibi.

CAPUT XXXVIII.

Probatur Argumentis Theologicis, Nos posse sequi opinionem minùs Probabilem, & minùs tutam, relicta Probabiliori, & tutiori.

1. EX duobus præcedentibus capitibus eruuntur, ut ibi notavi, duo efficacissima Argumenta pro hac conclusione; & sicut in hoc, quòd Confessor potest absolvere pœnitentem sequentem opinionem oppositam illi, quam amplectitur Confessarius, nec hic Confessarius facit contra conscientiam, nec peccat. Sic etiam Subditus obedit Superiori licitè contra propriam opinionem probabiliorem, & tutiorem, & tamen non facit contra conscientiam, nec peccat; sic sequitur, quod facere contra propriam opinionem formaliter non est facere contra Conscientiam, nec peccare. Ego puto, quòd omnia Argumenta, quæ afferunt Adversarii contra Nos, infringantur clarè hisce exemplis de Confessario, & de Subdito; ut notavi cap. anteced. num 80.

2. Probatur ulteriùs PRIMÒ. Probabilioritas unius partis non tollit Probabilitatem in opposita opinione; ergo opinio minùs probabilis est verè probabilis. Sed Probabilitas est bona regula morum ex dictis; ergo opinio minùs probabilis est bona regula morum. Antecedens primi argumenti, licèt apud me sit evidentissima, adhuc tamen probatur Primò ex Divo Thoma Quodlib. 12. art. 20 ubi dicit, quòd *Vinum*, *Rex*, *Mulier*, & *Veritas* non sunt comparabilia, *quia non sunt unius generis*; tamen si considerentur per comparationem ad aliquem effectum, concurrunt in unum; *& sic possunt comparari.* Hic patet evidenter, ut plura possint comparari, oportet, quod illa habeant *Unum*, in quo fiat Comparatio. Ergo, ut duæ opiniones comparentur in *Probabilitate*, oportet, quòd ambæ habeant Probabilitatem. Ergo, si de una dicitur, quòd sit *Probabilior* altera, oportet, quòd hæc alia habeat *Probabilitatem*, ut in ordine ad hoc unum opinio prima dicatur Probabilior. Tum quia cur illa quatuor *Vinum*, *Rex*, *Mulier*, & *Veritas* in esse non sunt comparabilia, benè verò in effectu secundùm Angelicum? *quia non sunt unius generis*; & sic non habent aliquam unitatem in esse; ideo in esse non sunt comparabilia. Quia verò illa in effectu possunt convenire, unde possunt mutare cor hominis; hinc ab Angelico Præceptore, Divo Thoma, ibidem jure quæritur, quodnam illorum sit fortius.

3. Confirmatur ex Durando in 3. dist. 30. quæst. 2. num. 4. qui dicit, quòd dilectio Amici excludens dilectionem inimici non potest dici magis meritoria dilectione Inimici; & assignans rationem hujus doctrinæ ait: quia comparatio secundùm Magis, & minùs supponit utrumque esse tale. Ergo comparatio secundùm Magis, & minùs meritorium inter aliqua supponit utrumque esse meritorium; sed dilectio Amici excludens dilectionem Inimici non est meritoria; ergo nulla potest esse comparatio inter ipsam, & dilectionem Inimici, quæ sit magis meritoria, quia altera nullo modo est meritoria.

4. Sed omnino illud Antecedens convincitur ex Arist. 7. physicor tex. 24 & seqq ubi Tria requirit ad Comparationem, quorum primum est, quòd comparabilia non sint æquivoca; & propter hanc rationem dicit, quòd, quamvis Stylus, Vinum, & Corda Citharæ dicuntur acuta; tamen unum non est acutius alio, eò quòd ly *Acutum* æquivocè dicitur de illis tribus. Secundum requisitum ad comparationem est, quòd eadem natura, nedum sit in rebus comparatis, sed quòd recipiatur in primo subiecto susceptivo ejusdem. Hinc in textu 27. dicit, Equum, & Canem esse comparabiles inter se in Albedine, & unum esse *Albiorem* altero, quia in illis primum, & immediatum susceptivum

vum albedinis est superficies; e contra quamvis magnitudo eadem sit in voce, ac in aqua, tamen aqua nequit dici major Voce, quia magnitudo in aqua immediatè recipitur in substantia, in voce verò recipitur primò, & per se in sono, qui est qualitas. Videantur Divus Thomas ibidem lect.7.& Maurus ibidem, qui præcipuè clarè demonstrat, comparabilia debere convenire univocè inter se in forma, in qua fit comparatio.

5. Confirmatur evidenter. Potestne dici, quòd Divus Thomas sit doctior rustico? Scotus subtilior Grammatico, Nix candidior igne, & Ignis rubicundior Platano? Certè, si quis loqueretur ita, nedum irrideretur à Philosophis, sed etiam à Grammaticis, & Rhetoricis, quamvis ipsi non adeo rigorosè procedant in suis propositionibus.

6. Ex his sequitur evidenter, quòd una opinio nequeat dici probabilior alia, nisi hæc alia sit pariter probabilis. Dicat quis, Probabilius est dari præceptum de Confessione, & potiùs adhærendum est huic opinioni. Nonne argueretur de errore, & veluti supponens, quòd opposita opinio esset probabilis, & defensibilis? Sic poterant loqui Viri sapientes, & Religiosi viventes tempore Gratiani, ut ipse narrat de pœnit.dist. 1. fin. quia tunc utraque opinio probabilis judicabatur. Ast nunc, post Tridentinum præcipuè, malè loquens judicaretur, qui diceret minùs probabile est, non dari præceptum de Confessione.

7. Respondet Gonetus tom 3. dissert. de opinion. probab. art. 2. num. 43 licèt opinio minùs probabilis secundùm se, & dum non apparet alia probabilior, sit probabilis, tamen comparatione facta ad probabiliorem non manet probabilis, sed falsa, & improbabilis censetur, sicut quodlibet bonum verè bonum est amabile secundùm se sumptum; tamen comparatione ad majus bonum non est amabile, nec bonum; Unde voluntas nequit amplecti minus bonum in comparatione ad majus bonum. Hinc Divus Thomas, ait Gonetus, par. 1. quæst. 50 art.1. ad 1. ex Arist. dicebat, medium comparatũ cum uno alterum extremum videri, v. gr. Tepidum comparatum calido videtur frigidum, comparatum frigido videtur calidum; ex qua Doctrina infert Angelicus, Angelos quantùm ad nos dici immateriales, & incorporeos, quantùm verò ad Deum dici corporeos, & materiales. Cum ergo opinio minùs probabilis mediet inter improbabilem,& probabiliorem, si comparetur cum probabiliori, erit improbabilis, si cum improbabili confertur, erit probabilis.

8. Miror, quomodo Theologus utitur hoc argumento, quod responsionem multiplicem, & evidentem patitur. Igitur dato, quòd Angelicus suam doctrinam hauriat ex Aristotele, quod certè in allegato textu non facit, dico, quòd Angeli dicuntur corporei respectu Dei, non quasi quòd habeant aliquam rationem formalem corporis, sed quatenus carent majori spiritualitate; unde in proprietate sermonis non debent dici corporei, cum excludant rationem formalem, & constitutivam corporis. Sed debent dici, *sunt minùs immateriales Deo.* Sic etiam calidum ut quatuor comparatum cum igne debet dici, *est minus calidum.* In rei tamen veritate nequit dici *frigidum*, cum supponam nullum gradum frigoris habere. Illud exemplum de tepido, dato, quòd in rei veritate dicatur frigidum respectu calido, dico hoc ideo esse, quia Tepidum constat ex frigido, & calido. Hinc respectu diversorum potest sumere denominationem & calidi, & frigidi, quia, utramque formam habet; At si supponeremus à corpore tepido separari omnem gradum frigoris, & remanere gradus remissos caloris, certè illud Corpus comparatum cum calido non diceretur frigidum, cùm nullum gradum frigoris habeat, sed diceretur minus calidum.

9. Applicando Doctrinam dico, opinionem minùs probabilem comparatam cum probabiliori non dici improbabilem, sed minùs probabilem; Nec enim

minor Probabilitas est quoddam mixtum ex Probabilitate, & Improbabilitate, sicut tepidum est mixtum ex calore, & frigore, sed est simplex qualitas, & impermixta. Ergo nequit subire denominationem ab improbabilitate. Sic hæc Veritas: *Homo est animal rationale*, est minùs certa, quàm ista: *Deus est Trinus*, & tamen non per hoc prima debet dici incerta ex eo, quòd certitudo metaphysica est simplex qualitas, nec constat ex incertitudine. Igitur Medium constans qualitatibus extremorum diversimodè comparatum subit diversas denominationes positivas, quæ veniunt ab illis qualitatibus; Medium verò, quod non participat qualitates extremorum, non potest habere diversas denominationes, quæ habentur à qualitatibus extremorum, quia denominatio provenit à forma juxta Philosophos. Cum ergo minor Probabilitas non participet qualitatem improbabilitatis, quia est solùm Probabilitas in gradu remissa carens ulteriori gradu Probabilitatis, sicut minor calor est calor in gradu remisso carens ulteriori gradu caloris, sequitur, quòd minùs probabile nequeat dici improbabile, quia nullum gradum improbabilitatis habet.

10. Hæc Doctrina confirmatur ex Divo Thoma 3. par. in Suppl. quæst. 34. art. 5. qui, fatente ipso Goneto in tract. de Ordine disp. 2. art 2. num. 43. sustinet ut probabilius, & tutius requiri ad Sacram Ordinationem Tactum physicum; adhuc tamen oppositum *ut probabile admittit*. Ecce evidenter Gonetus fatetur, Divum Thomam *admittere opinionem ut probabilem* contra oppositam *probabiliorem*, & tutiorem. Ergo per Gonetum secundùm Divum Thomam opinio comparata cum probabiliori remanet probabilis, nec debet dici improbabilis. Nec dicas, Divum Thomam loqui in materia speculativa, nos verò in materia morali; nam divisio probabilitatis in speculativam, & Moralem non est divisio generis in species; & sic alia requiri ad unam, alia ad alteram; sed est divisio formæ in subjecta. Tum quia nequit assignari ratio, cur Probabilioritas moralis tollat probabilitatem ab opposito, non verò Probabilioritas speculativa.

11. Præterea quomodo Gonetus probat, minùs Probabilitatem esse medium inter Probabilioritatem, & Improbabilitatem? utique nullum affert argumentum; & sic voluntariè loquitur; Atque adeo negandum est.

12. Præterea minor Probabilitas vel est in linea, & genere Probabilitatis; & sic implicat in terminis dicere, quòd admittat Improbabilitatem. Vel est in linea Improbabilitatis; & sic nunquam erit Probabilis; Vel est mixtum ex Probabilitate, & Improbabilitate, ut est Tepidum; & hoc non, quia falsum, & verum nequeunt coalescere in unum Tum quia linea Probabilitatis est simplex qualitas, & solùm constat ex gradibus, non verò ex oppositis rebus. Tum quia medium ex Aristot. 10. Metaphys. cap. 8. num. 11. proprijssimè dicitur, quod æquè distat ab utroque extremo; *Sed* minus Probabile magis distat ab Improbabili, quàm probabili; ergo proprijssimè non est medium inter ipsa. Minor probatur ex ipso Goneto, qui fatetur minus probabile extra comparationem cum Probabiliori esse Probabile, & solùm dici Improbabile in ordine ad Probabilius. Ergo minus Probabile per ordinem ad sua intrinseca, & in seipso consideratum est in linea Probabilitatis, & solùm per comparationem ad aliud est Improbabile, & sic juxta Gonetum intrinsecè est in eadem linea cum Probabiliori, & extrinsecè in linea cum improbabili; atque adeo minus Probabile magis distabit ab Improbabili, quàm à Probabiliori.

13. Quando verò Gonetus ex paritate de minùs bono, quod est malum respectu majori bono, conatur probare intentum, nihil facit; nam assumit rem omninò incertam; etenim Mastrius cum de Anima disput. 7 num. 129 ait, oppositum communiter sustineri, & esse opinionem Henrici, Richardi, Scoti, Rubion, Bassol, Gabrielis, & aliorum

rum Antiquorum, quam sententiam puto evidenter Probabiliorem. Legantur Mastrius ibidem, & alii Recentiores communiter asserentes, Voluntatem seipsam determinare, ut potè dominam suorum actuum, ad differentiam aliarum potentiarum; nec determinari à judicio rationis, ut prætendit Gonetus. Addo, ejus argumenta ad summum probare, quòd minus bonum reduplicativè, & prout præcisè importat carentiam majoris boni, dicat rationem mali; & sic nec posse appeti; non verò, quòd minus bonum specificativè, & prout importat suum esse absolutum. Sic enim importat propriam bonitatem; & sic propriam appetibilitatem.

14. Pater Tyrsus Gonzalez dissert.3. cap 3. § 3. respondens allato argumento affert Textum Augustini, & vocat *insignem*, quem habet lib.3. contra Crescònium cap.73. & sic se habet: *tanquam victor exultas, quod non possem dicere traditionem probabilius nos vobis objicere, nisi vos nobis eam* probabiliter *objicere confiterer*; *Si enim vos*, inquis, *probabilius*; nos ergo *Probabiliter*, *quia gradus iste, quod ante positum est, auget, non, quod dictum est, improbat.* Divus Augustinus cap.74. respondens huic objecto sic scribit: Considera tamen diligentiùs, ne fortè invenias in Latinæ locutionis Authoribus, quibus Grammaticorum artificialia serviunt, *non semper istum, quod ante positum est, augere, sed aliquando contrario superferri*; Cujus interim locutionis exemplum mihi ex Apostoli Epistola occurrit ad Hebræos: *Confidimus*, inquit, *de vobis, Fratres Carissimi, meliora* &c. Attendis certè, quomodo hic *meliora* dixerit, non quia bona erant, quæ supra dixerat, &c. Quid si & ego dixerim *Probabilius*, Comparativum ponens pro Positivo, non quia vos *probabiliter*, sed magis, quia *Improbabiliter*; sicut illa meliora, non quia bona, sed magis, quia mala?

15. Prosequitur eidem Augustinus ca. 75. Quamquam nec secundùm Grammaticos in verbo me errasse reprehenderes, si saltem verborum ipsorum authores vel attendere, vel memoriter recolere voluisses. Pueriles habent litteræ sed non à puero imperito dictum,

Dii meliora piis, errorem que hostibus illum &c.

quomodo ergo meliora piis, quasi bona essent istis, & non potiùs magna mala, qui *discissos nudis laniabant dentibus artus*? Sic & ego potui dicere, traditionem *probabilius* vobis objicimus, quamvis eam vos nobis non *probabiliter* objiceretis. Hactenus Augustinus.

16. Confirmat Gonzalez ex Fagnano in c. *ne innitaris* de constit. num.273. ubi dicit: Vix reperies Classicos Canonistas in moralibus, & spectantibus ad salutem Animæ unam sententiam sequutos fuisse, & asseruisse oppositam esse probabilem, & ad praxim deduci posse. Et quamvis sæpe affirment aliquid esse *probabilius*, seu *verius*, non tamen licet inde inferre, ut senserint, contrarium esse probabile, aut verum, quemadmodum perperam deducunt aliqui ex Recentioribus; quinimò per ea verba censentur approbare opinionem, quam dicunt Probabiliorem, & contrariam refellere, ut per Joann. Andream in c. litteras colum.2. in ver. *Melius*, & in Gloss. eod. ver. *de restitut. spoliat.* & probatur in Clement. . . . . fin. de Summ. Trinit. ubi Glossa ver. *dirigendam*, (corrige *Eligendam*) & Doctores communiter dicunt, illam Sententiam, quam ut probabiliorem Canon amplectitur, esse ab omnibus tenendam, & contrariam rejectam censeri. Hucusque Fagnanus.

17 Sed contra evidenter, nam textus Divi Augustini non probat aliquid. Nemo negat, quòd verbum Comparativum aliquando, ut dicit Sanctus Doctor, non supponat Positivum in alio. Qui Grammaticæ, & Rhetoricæ studuerit, hoc scire potest; *Utimur*, inquit Quintilianus lib. 9. institut orat. cap.3. litter I *Utimur vulgo & Comparativis pro Absolutis, ut cum se quis infirmiorem esse dixerit*; quod notarunt Thesaurus linguæ Latinæ, & Calepinus

nus Octolinguis Ver. *Comparativus*, & consentit Priscianus lib. 3. post med. Ast nunc nomen Comparativum non accipitur pro comparativo, nec stat comparativè, sed accipitur pro Absoluto, ut dicit Quintilianus, seu pro Positivo, ut inquiunt Priscianus, Thesaurus Linguæ Latinæ, & Calepinus locis allatis. Unde tunc non accipitur in propria significatione, sed aliena, & loquimur figuratè, & modo Rhetorico, ut dicit Quintilianus. Ergo, si comparativum accipiatur in propria, & naturali significatione, semper debet supponere positivum in utroque extremo, ut in ipso utrumque extremum comparari possit, quod in Sententia Aristotelis negari nequit, ut ex dictis patet; Quin apud ipsos Rhetoricos hoc est omnino compertum, Unde Pater Pajot Jesuita in suo Tyrocinio eloquentiæ definiens locum Rhetoricum à Comparatione ait: Comparatio est oratio, qua duæ, pluresque res in aliquo tertio, *quod sit utrisque Commune*, conferuntur.

18. Patet ergo, quòd Comparativum, ut Comparativum supponit Positivum in utroque extremo. Cum ergo Philosophi, & Theologi loquantur in proprietate sermonis, & Figuras, & loquutiones improprias Rhetoricis, & Poetis relinquant, sequitur, quòd Philosophi, & Theologi, dum unam opinionem dicunt esse Probabiliorem altera, debeant fateri, hanc alteram esse Probabilem; Et sic Divus Augustinus, ut se defenderet à Cresconio, debebat fateri, se in illo loco figuratè loquutum fuisse, & accepisse Comparativum pro positivo. De reliquo non credo, quòd Divus Augustinus diceret: *Probabilior est Fides Catholica Fide Paganorum*, si intenderet propriè loqui, & comparativè. Et hoc tandem fassus est ipse Sanctus Doctor illis verbis: *Quid si & ego dixerim probabilius, comparativum ponens pro positivo, non quia vos probabiliter, sed magis quia improbabiliter?* Ecce Augustinus quòd ponit Comparativum pro positivo, & propter hoc negat in propositione Cresconii reperiri Probabilitatem. Ergo, si quis accipiat comparativum, ut comparativum, & sic accipiat terminos secundùm propriam, & naturalem significationem, debet supponere in utroque extremo positivum. Cum ergo Philosophi, & Theologi loquantur in proprietate rei, ut dicebam, si dicunt unam propositionem esse alia Probabiliorem, debent supponere hanc aliam esse quoque Probabilem.

19. Ad Confirmationem ex Fagnano Respondeo, Nil mirum, si Canonistæ Antiqui nihil attigerint de præsenti controversia; Cum enim hæc sit decidenda ex principiis primis Scientiæ moralis, & Theologicis, superat sphæram Canonistarum, ad quos ex Divo Thoma Quodlib. 9. artic. 13. spectat solùm de jure positivo Ecclesiastico tractare; Hinc meritò celeberrimi illi Canonistarum Coriphæi noluerunt, in messem alienam falcem mittere. Tum quia aliqui nobis favent, ut ex dictis patet; Tum quia Theologi ipsi Antiqui paucissima tradiderunt in hac materia, & pauci de eadem meminerunt.

20. Quòd verò Canonistæ, dum unam opinionem ut Probabiliorem sequuntur, censeantur reprobare aliam oppositam, dico esse hanc existimationem ipsius Fagnani; Et si isti Canonistæ credant, dum Canones dicunt unam opinionem esse Probabiliorem, ex hoc inferri, damnatam esse oppositam, & oppositam jure ut falsam reprobandam esse, falluntur, & hic est error manifestus, nam in C. *Litteras* de restit. spoliat. Pontifex sequitur unam opinionem, adhuc tamen expressè Canon dicit: *Nos autem ad præsens nullam de prædictis sententiis reprobamus, nec cuiquam earum aliquod præjudicium ex nostra responsione volumus generari.* Ergo manifestè infertur, quòd sequella unius opinionis non infert necessariò reprobationem alterius. Fagnanus dicit, quòd ideo in allato C. *Litteras*, non reprobatur opposita, dum unam amplectitur, *quia hoc expressè declaratur. Ergo oppositum est dicendum, cum Canon expressè non declarat, se non damnare sententiam*

tiam contrariam; *sed simpliciter eligit unam tanquam probabiliorem juxta terminos Clementinæ de summ. Trinitat.*

Sed contra, Nam ex dicto capite, *Literas*, evidenter patet, quòd sequella unius opinionis formaliter, & ratione sui non infert damnationem oppositæ. Ergo, ut sequella unius opinionis inferat præjudicium oppositæ, requiritur aliquid aliud; Ergo, si Pontifex sequitur unam opinionem ut Probabiliorem, & nihil aliud facit, non damnat per hoc oppositam.

20. Confirmatur. Stat simul sequella unius opinionis ut probabilioris cum expressa declaratione Pontificis non intendentis damnare oppositam. Ergo sequella unius Opinionis ut probabilioris necessariò non infert falsitatem in opposita; si enim inferret falsitatem, tunc Pontifex sibi contradiceret, & se haberet sicut ille, qui ignem applicaret domui Petri, & diceret, se nolle illam comburere. Ergo, si necessariò non infert falsitatem in opposita, ut opposita falsa judicetur, debet expressè hoc declarari.

21. Nec suffragatur Fagnano dicere, quòd Glossa, & Doctores communiter censent, quòd, quando Canon amplectitur unam opinionem ut Probabiliorem, existimetur oppositam esse rejectam; Non suffragatur, inquam, quia, si Fagnanus intelligit de communi opinione Theologorum, ad quos unicè hæc materia attinet, verum non dicit, nam Ocham in 4. quæst. 3. litter. R. observat, quòd, licèt *Ecclesia reputet illam opinionem Probabiliorem*...... tamen contrariam opinionem non damnat. Et Major in 4. distin 4. quæst. 1. concl 2. ait: *Sicut definitio Pontificis Maximi, ubi non constat de opposito, est inconcussè tenenda, ita sententia*, quam Probabiliorem existimat, debet censeri Probabilior. Cum quo tamen stat, quòd licet cuipiam tali determinationi contraire. *Multa autem Authoritates oppositum &c.* Certè Fagnanus nequit negare, quòd hi Theologi ipsi opponantur. Immo Major est pro nobis, quia expressè asserit, quòd stante adhuc opinione probabiliori Pontificis Maximi possumus, oppositum sustinere. Opinio autem opposita probabiliori utique erit minùs probabilis.

22. Nec Glossa, & Joannes Andreas à Fagnano allegati debent attendi, quia suum dictum nullo Canone probant; atque adeo gratis loquuntur; & sic gratis negantur. Glossa in Ver. *Eligendam* hæc habet: *Ergo illam sequi tenemur, de hoc eodem titulo c. unic. in 6. in sexta Glossa.* Hæc duo Verba habet, prætereaque nihil. Huic consequentiæ illatæ à Glossa ex eo, quòd Canon dicit esse eligendam hanc opinionem *tanquam Probabiliorem*, dico, quòd, nisi Glossa afferat textum pro hac consequentia, Adversarii dicent, Canonistas nihil probare, si sine lege loquantur. Igitur juxta Ocham, Major, & alios Antiquos non sufficit pro damnatione oppositæ opinionis, & necessaria sequella unius, quòd Ecclesia unam opinionem ut Probabiliorem amplectatur, sed aliud requiritur. Legi Glossam allegatam Ver. *Docuit* in c. un. de summ. Trinit. in 6. & ibi dicit, quòd nos debemus sequi id, quod sequitur, & docet Ecclesia Romana, quod fateor. Quod ergo Ecclesia Romana facit, & docet, nos debemus sequi juxta. c. *nolite* 11. dist. At si faciat, & non præcipiat esse servandam hanc consuetudinem, tunc sumus liberi, ut notat Glossa in dicto c. *nolite* Ver. *& docere.* Sic etiam fateor cum eadem Glossa Sexti, quòd in his, quæ sunt de Fide Catholica, & ejus Articulis, necessariò debemus tenere, quod tenet, & sequitur Ecclesia Romana; *sed in aliis non habemus necessario sequi, & tenere, quod sequitur.* Ita illa Glossa. Cum ergo, quod Ecclesia tradit ut probabilius, nondum declaret ut Fidei Articulum; juxta Doctrinam Glossæ non cogimur illud sequi Hinc, quia Ecclesia Romana in d. tex ex lib. 6. volebat dare Doctrinam tenendam ab omnibus, damnat expressè oppositum.

23 Quantum attinet ad Joannem Andream, qui Verbum, *Melius*, explicat pro *Bono*, & subdit, quòd aliud sentire est malum; dico ipsum non posse asserere esse malum, quod Ecclesia expressè

dicit, *Je nolle reprobare.*

25. Fagnanus num. 274. dicebat, quòd Divus Thomas adductis hinc inde Argumentis *semper* ultimo loco docet, quid tenendum, & respondet objectis, idemque *fere* observant reliqui Graviores Theologi. Sed & Patres ubique docent, quid nos tenere oporteat, nec unquam in spectantibus ad mores memini, me legisse eos relinquere libertatem eligendi opinionem, quam maluerimus. Ita Fagnanus.

26. Attuli hunc textum Fagnani cap. 27. num. 4. Lege illud caput à num. 2. usque ad num. 13. & videbis Fagnanum opponi D. Hieronymo, & Augustino. Lege etiam caput 4. num. 12. & caput 33. à num. 5. Quod spectat ad Theologos, ex dictis toties adeo patet, ipsos opponi Fagnano, ut quisque de hoc posthac dubitare non poterit.

27. Dices iterum; Quamvis ceteræ qualitates possint esse in pluribus extremis; hoc tamen nequit dici de veritate; quia sic possent verificari duo contraria, vel etiam duo Contradictoria, quod est absurdum. Minor patet, quia Probabilitas posset esse in propositionibus oppositis.

Sed contra, quia hoc dictum nimis probat; nam repugnat tam in speculativis, quam practicis, quòd duo contraria, vel duo contradictoria verificentur. Si ergo Probabilitas utriusque partis infert in moralibus veritatem duorum contrariorum, vel contradictoriorum, inferet etiam in speculativis. Sed nemo potest negare Probabilitatem utriusque partis in speculativis; ergo nemo posset negare in speculativis verificari duo contradictoria, vel duo contraria. Igitur ex dictis patet, veritatem objectivam, seu speculativam, quæ sistit in conformitate propositionis cum re ipsa, ut est in se, non posse esse in oppositis, quia duo contradictoria nequeunt esse vera, vel duo contraria. Veritatem autem, quæ sistit in conformitate intellectus cum re, non quidem prout est in se, sed prout apprehenditur secundùm motiva rationabilia, posse esse in oppositis propositionibus. Unde opiniones oppositæ Sanctorum Patrum, & Scholasticorum Divi Thomæ, Scoti, &c habent hanc veritatem. De hoc satis egi cap 3. num. 49. 52. & 53. Vide etiam cap. 5. num. 44.

28. Probatur secundò conclusio. Opinio probabilior est eligibilis à prudentia pro moribus, quamvis sit minùs tuta; ergo etiam & minùs probabilis; Consequentia probatur, quia objecta, quæ specie non differunt nequeunt causare actum specie diversum; ergo si probabilior specificat actum bonum, etiam minùs probabilis talem actum specificabit, quia magis, & minùs non variat speciem; ergo prudentia debet judicare utrumque esse bonum, & eligibile, sed unum melius, & eligibilius.

29. Confirmatur, quia Probabilitas non est recta regula ratione graduum, sed ex sua natura specifica; unde multiplicitas graduum auget virtutem specificam, non verò dat novam specie virtutem; Hinc calidum ut septem non habet virtutem specie diversam à calido ut quatuor, sed eamdem prorsus, quamvis magis intensam. Ergo probabilioritas nequit nisi augere virtutem suæ speciei. Ergo probabilioritas faciet quidem magis rectam Regulam, non verò simpliciter constituet regulam rectam, sed hanc habebit à sua natura. Sed minùs probabile est probabile ex toties dictis; ergo minùs probabile est bona regula morum. Tum quia si recta regula in probabilitate dependeret à gradibus, difficiliter quis posset esse securus de sua regula, quia difficiliter possumus noscere multiplicitatem graduum alicujus cognitionis.

30. Dices, Probabilioritas debet aliquid operari; ergo in præsentia minùs probabilis ipsa movebit intellectum; Tum quia fortius vincit minus forte; Sed probabilioritas est fortior; ergo vincet minus forte, ut est minus probabile; Tum quia majus bonum est eligendum, non verò minus bonum; Sed probabilioritas est melior; ergo est eligenda.

31. Respondetur ad Primum, ex dictis Probabilioritatem actu non movere intelle-

tellectum ante actum voluntatis; Unde quantum est ex se, allicit intellectum, & hoc efficacius, quam minor probabilitas. Cum hoc tamen stat, quòd voluntas potest imperare, ut intellectus assentiatur minùs probabili; Sic vidimus, quòd Divus Thomas voluntariè sustinuit dictum Alberti quoad illam quæstionem, An requiratur tactus physicus ad Sacram Ordinationem, & illud dictum Alberti judicat minùs probabile.

32. Ad secundum, valet illud dictum in contrariis physicis, quæ ad invicem agunt, & reagunt; fortius enim destruet minus forte; Non verò valet in objectis; cum siquidem unum objectum nequeat impedire, quin aliud proponatur intellectui; hinc nequit impedire, ne alliciat ipsum; & si objectum est obscurum, tunc requiritur Imperium voluntatis, ut actu intellectus feratur in idem objectum, & cum hoc imperium nequeat impediri ab objecto, sequitur, quòd in objectis obscuris intellectus possit assentiri, & minus probabili, & probabiliori. Vide cap.5. num.35.

33. Ad tertium. Scio quidem, Vasquez par.2. tom.1. disp. 44. voluisse, nos teneri sub peccato mortali amplecti majus bonum, relicto minori bono, cæteris paribus, quem sequutus est Gonetus, ut supra retuli. Sed hanc scrupulosam sententiam ipsis relinquimus libentissimè cum Mastrio, & communi sententia, ut etiam ibidem notavi, & dicimus physicè, & licitè nos posse sequi minus bonum relicto majori bono; Unde homo potest non fieri Religiosus, & Matrimonium inire, &c. absque peccato aliquo. Et Argumenta contraria ad summum probant, non posse, nos sequi minus bonum, ut minus est, & ut importat negationem majoris boni; Sic enim habet rationem mali; Nullam autem vim habent ad probandum, quòd non possimus sequi minus bonum, ut simpliciter bonum est; sic enim est in linea objecti formalis voluntatis, ut supra etiam dixi, & sic ex hac paritate sequitur, quòd possimus sequi opinionem minus probabilem, non qua minus est, sed quatenus ipsa quoque est probabilis. Hæc Doctrina de re minus bona est Henrici quodlib.1. quæst.16. vers. ultim.

34. Probatur tertiò, quod argumentum attuli etiam pro æquali probabilitate num.9. Possumus sequi in materia speculativa Sacra, & dependente à scriptura opinionem minùs probabilem, vel, ut cum Antiquis loquar, in materia Fidei ante decisionem Ecclesiæ, & ante pertractationem scientificam possum sequi quamcunque opinionem ex pluribus; ergo etiam in materia morali. Consequentia probatur, quia per Augustinum 1. de Trinit. cap.3. error periculosior est, qui accidit in materia de Sanctissima Trinitate, quàm in qualibet alia materia; ergo, si in materia de Sanctissima Trinitate licet opinionem minùs probabilem sequi, licebit etiam in materia morali. Et per Textum Augustini infringitur Responsio Adversariorum conantium assignare disparitatem inter materiam speculativam, & moralem, quia, inquiunt, in morali incurritur periculum frangendi legem, quod non incurritur in speculativa. Infringitur, inquam, siquidem ad summum valet de materia speculativa philosophica, non verò Theologica, præcipuè quando agitur de Sanctissima Trinitate, in qua materia Augustinus expressè, & explicitè dicit, errorem esse periculosiorem aliis, & hoc dicit omninò rationabiliter, quia Trinitas est objectum Infinitum, & noscitur sola revelatione Divina; ergo error in hac materia est turpissimus, utpotè oppositus veritati Infinitæ.

35. Quodsi dicant, in rebus speculativis, etiam Sacris, nos non obligari ad veritatem noscendam, nisi quando veritas est manifesta; In moralibus autem obligamur, etiam in dubiis; unde in dubiis tutior pars est eligenda.

36. Contra est, quia do exemplum. Divus Petrus epist. 2. cap.1 dixit, Nos fieri Divinæ Naturæ Consortes per justificationem. Dicitur pariter Luc. cap.11. *quod superest, date eleemosynam.* Quoad Primum speculativum quæritur, an illud Consortium Divinæ Naturæ sit physicum,

ficum, vel morale; Qu ad Secundum Practicum quæritur, an, quod superest, sit dandum in communibus necessitatibus in eleemosynam. Utrumque dubium est in materia revelata. In Primo dubio possumus sequi utramque partem, licèt unam cognosceremus esse minùs probabilem, nec tenemur sequi veritatem, ita ut, si deinde hæc opinio detegeretur falsa, adhuc hisce temporibus nulla injuria fit revelationi Divinæ, si illam sequamur, quia nunc est probabilis, & nulla culpa incurritur; Ergo etiam in Secundo dubio possumus sequi utramque partem, licèt unam cognosceremus esse minùs probabilem; quòd si deinde hæc opinio detegeretur falsa, adhuc hisce temporibus nulla injuria fit revelationi Divinæ, si illam sequamur, quia nunc est probabilis, & nulla culpa incurritur. Consequentia sequitur, quia revelatio est eadem sive in materia speculativa, sive practica. Et hinc Fides est unus speciè atoma habitus. Ergo in materia revelata, sive speculativa, sive morali non tenemur scire veritatem, quando res est obscura, & dubia.

37. Illud Axioma: *In dubiis tutior pars est eligenda*, non probat, nos obligari ad sciendam veritatem in dubiis moralibus; Nam tutioritas stare potest simul tam cum veritate, quàm cum falsitate. Hinc dicebat Gabriel in 4. distin. 15. quæst. 13. art. 2. litter. K. licèt securius sit, lucra alearum ludo acquisita restituere, vel pauperibus erogare, *non tamen securior est opinio tenens restitutionem, vel erogationem lucri esse necessariam ad salutem.* Ecce evidens distinctio inter tutioritatem, & veritatem opinionis, & unum stare sine alio. Tutius enim est restituere illa lucra, non tamen propter hoc verius est, nos teneri ad talem restitutionem; Ergo tutioritas in tali casu potest stare cum falsitate, quòd teneamur ad talem obligationem. Igitur in dubiis, sive sint speculativa, sive practica, non tenemur scire veritatem, immo impossibile est, quòd sciamus tunc veritatem.

38. Probatur modò ratione Antecedens nostri Tertii Argumenti, quòd scilicet in rebus Sacris speculativis liceat sequi opinionem minùs probabilem. Nam opinio opposita probabiliori non est error, ut est evidens; Non est temeraria, quia contra probabiliorem dantur fundamenta gravia; unde Major dicebat, aliquem posse per rationes *Fortes* sustinere opinionem oppositam illi, quam Concilium ut probabiliorem sequebatur; Et supra probavimus, opinionem minùs probabilem habere fundamenta probabilia. Qui autem redarguit dicta Doctorum probabili ratione fretus non debet dici temerarius juxta Geminianum in c *negare* num. 2. & Præpositum num. 4. 9 distin. Tum quia Argumenta Probabiliora non convincunt, nec cogunt intellectum; sola enim certitudo tantam efficaciam habet, ut pluries supra demonstravimus. Tum quia possunt esse falsa; ergo contra probabiliorem possunt dari Argumenta gravia, quæ probent eius falsitatem. Item illa opinio non est improbabilis, vel non probabilis, quia malè, & pessimè argueret Scotista: Opinio Scoti est probabilior; ergo opinio opposita Divi Thomæ est improbabilis, vel non probabilis. Pariter illa opinio non est tenuiter, & leviter probabilis; Nec est de genere suspitionis, ut videtur dicere Altisiodor. in 2. tract. 30. cap. 3. quia, licèt Divus Thomas sit majoris Authoritatis, quàm sit Scotus, non inde sequitur, Scotum esse tenuis, & levis Authoritatis, etiam comparatus cum Divo Thoma; Unde uterque est Magnus, sed major Doctor Angelicus. Item Albedo Nivis est major Albedine Mulieris; tamen Albedo Mulieris non est tenuis, & levis, sed magna. Et universaliter intensum ut Octo est magis intensum, quàm ut sex, & tamen intensum ut sex non est leviter intensum. Restat ergo dicere, quòd opinio minùs probabilis speculativa non habeat conditiones, quibus aliqua opinio nequit defendi; ac proinde erit defensibilis. Hinc vidimus supra, Divum Thomam expressè sustinuisse opinionem speculativam in materia de Sacra Ordinatione ut minùs probabilem, quod nec potuit negare Gone-

Gonetus, & hoc idem præstiterunt Divus Bonaventura, D. Augustinus, & plures ex Scholasticis Antiquis, ut supra retulimus cap. 33.

39. Pater Gonzalez dissert. 14. cap. 4. num. 27. refert fundamenta Bartholomæi Medinæ, quorum primum erat: Opinio probabilis in speculativis ea est, quam possumus sequi sine periculo erroris; ergo opinio probabilis in practicis ea est, quam possumus sequi sine periculo peccandi. Hoc Argumentum est idem cum hoc nostro.

40. Respondens eidem num. 29. ait, quòd, sicut ad opinionem speculativam non requiritur, ut omnes Sapientes illam possint sequi, quia potest apparere falsa multis sapientibus, qui illam proinde nequeunt defendere, *ut patet in sententiis, in quibus Thomistæ, & Scotistæ opponuntur.* Ita in practicis ad opinionem probabilem non requiritur, ut omnes illam possint sequi sine periculo peccandi in omni eventu, *sed satis est ad opinionem probabilem, quòd eam aliquando possimus sequi sine periculo peccati, nimirum quando nobis proponitur eo modo, quo proposita fuit suis Authoribus, quibus apparuit verisimilior; Cuicumque autem sic apparet, is illi prudenter assentitur.*

41. Sed contra primò, quia (ut dixi cap. 37. num.... ipse Pater Gonzalez potest præcipere Lectori sibi subdito secundùm propriam opinionem, & hic tenetur statim obedire; Nec hic Lector potest in illa brevi morula sibi persuadere, opinionem Patris Generalis esse probabiliorem, cum ipse Lector multis annis contrariæ adhæserit exquisito Studio; Unde divinare est, & gratis loqui, quòd Præceptum Superioris habeat vim adeo magnam, quòd plus illuminet mentem, quàm studium intensum v. g. Viginti annorum; Et si hoc est verum, Superiores levi negotio possent reddere doctissimos suos subditos, jubendo scilicet, ut operentur secundùm illam opinionem, de qua est difficultas urgentior. Tum quia ille Lector facto, quod jussum illi fuerat à Patre Gonzalez, statim petit Scholam, & legit eadem Scripta, & docet suos discipulos eamdem opinionem, quam tenebat ante præceptum. Et si Pater Gonzalez hæc mihi negaret, & hoc esset necessarium pro defensione suæ opinionis; ego ex hoc solo capite, utpotè opinio innixa fundamento opposito experientiæ, illam ut evidenter falsam rejicerem. Nunquid replicabit, durante præcepto durare illuminationem pro illa opinione, & illo ablato evanescere illustrationem hujusmodi?

42. Contra tertiò. Peto, An Pater Gonzalez velit dicere, quòd Scotistæ nequeant defendere Sententias Divi Thomæ oppositas Scoto? Si sic est; ergo Scotistæ judicant indefensibiles opiniones Divi Thomæ. Ergo illas judicant improbabiles, vel saltem non probabiles. Ergo Confessarius Scotista non absolvet pænitentes Thomistas, cum ipse Confessarius non possit prudenter judicare Thomistas vitaturos omnia mortalia, cum sciat illos esse imposterum operaturos juxta opiniones Thomisticas, quas non probabiles, vel improbabiles ipse Confessarius judicat. Quis autem hoc credere poterit? Quinam Confessarius Scotista ausus est, monere pænitentes Thomistas, ut operentur imposterum juxta Scoti opiniones? Si Scotista nequit defendere opiniones Divi Thomæ; unde illas judicat indefensibiles? ergo judicat suas opiniones Certas; quia solum opinioni oppositæ certæ veritati non possumus assentiri, ut tenet Henricus quodl. 10. quæst. 11. Opinioni autem, & probabilibus rationibus possumus dissentiri, ut ex eodem notavit Carthusianus in 3. distin. 24. quæst 1. §. *Præterea idem Doctor.* Et Probabilitati, quantacunque sit, possumus negare assensum per Parisien. tract. de Fide, cap. 1. cui subscribit Nider in consolat. timor. conscient. par. 3. cap. 19. ut sæpius notavi.

43. Præterea cap. 5. probavimus, in rebus obscuris posse voluntatem flectere intellectum ad hanc potiùs opinionem, quàm illam. Hinc dicebamus cum Divo Ignatio ex eodem Patre Gonzalez eadem dissertat. num. 105. quòd, licèt intel-

intellectus non polleat eadem libertate, ac voluntas, *tamen multis in rebus*, in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, *potest voluntatis pondere in hanc potiùs, quam in illam partem inclinari.* Ecce per Divum Ignatium sola evidentia veritatis vim infert intellectui.

44. Igitur dicimus, quòd Opinio probabilis reduplicativè ut talis potest esse in oppositis; & sic intellectus opinans, ut opinans potest defendere utramque partem; Nam opinio potest aliter se habere; ergo probabilitas unius partis non tollit potentiam ab opposita; ergo opposita potest esse vera, & sic oppositam potest intellectus defendere; Quodsi aliquando intellectus opinans nequit defendere oppositum, non proveniet ex vi ipsius opinionis, sed defectu intellectùs non bene advertentis utriusque rationes, vel etiam proveniet ex temeritate, ratione cujus judicabit rem certam, quæ in rei veritate est solùm incerta, & probabilis. Igitur contra Patrem Gonzalez sequitur, quòd opinio ex sua ratione formali debeat posse defendi ab omnibus Sapientibus, & solus ille Sapiens non defendet aliquam materiam, quæ aliàs erat opinabilis, qui inveniet rationem certam. Hinc Divus Augustinus relatus, cap.5. num. 52. ut aliquis ex quatuor Opinionibus de Anima unam solùm amplecteretur, exigebat,ut ille inveniret vel textum,vel rationem certam.

45. Probatur quartò. In rebus obscuris non tenemur aliqua lege scire veritatem; ergo, si aliqua opinio esset falsa, sustinens illam non peccat. Consequentia est evidens, quia peccatum est transgressio Legis; ergo ubi nulla est Lex, ibi nullum est peccatum. Probatur Antecedens: In rebus obscuris aliqua lege non tenemur habere opinionem, quæ sit conformis cum objecto prout est à parte rei; Nam, si hoc dicatur, sequitur, quòd Sancti, & Scholastici Doctores Antiqui, qui sequuti sunt opiniones taliter non conformes, peccaverint; Et si materia erat gravis,peccaverint mortaliter. Peccavit ergo mortaliter Divus Hieronymus relatus in c. *Unius* 26. dist. qui tenuit non esse Irregularem Viduum accipientem post baptisma aliam Uxorem. Peccaverunt mortaliter Divus Cyprianus, & Octuaginta tres Episcopi Africani Rebaptizantes Baptizatos ab Hæreticis. Peccavit mortaliter vel Divus Thomas, vel Divus Bonaventura, vel Scotus, qui in multis gravibus sibi opponuntur; atque adeo aliquis illorum opiniones diformes objecto à parte rei docuit Igitur contra Vendrochium tenendum est pro certo, in rebus obscuris, si opinio sit in se falsa, nos excusari, & illam ignorantiam esse invincibilem, juxta illam Maximam Divi Thomæ, Illam Ignorantiam esse invincibilem, *cujus veritatem scire non possumus, vel non tenemur.*

46. Restat ergo difficultas, an tenear sequi in casu obscuro id, quod est mihi probabilius, ita ut, si sequar opinionem minùs probabilem, & hæc opinio sit falsa, mihi imputetur ille error, & illa ignorantia sit vincibilis; Et prima facie videtur,esse errorem vincibilem,& ignorantiam culpabilem, cum dicatur in c. *Inspicimus* de Regul.Jur.in 6. *Inspicimus in obscuris*, quod est verisimilius, *vel quod plerumque fieri consuevit.* Ex alia parte dicitur ibidem c. *In obscuris:* In obscuris *minimum* est sequendum; Unde Glossa, ut notavi alibi, dicebat ex jure esse decisum, quòd vovens starium frumenti, & legans quendam nummum tenetur dare starium minus, & nummum inferioris valoris. Et cum opinio probabilior adhuc relinquat rem obscuram; ergo etiam tunc minimum est sequendum.

47. Igitur dicendum, in rebus in jure obscuris nos non teneri ad sequendum id, quod probabilius videtur. Ratio est, quia probabilius, & minus probabile sunt ejusdem rationis, & differunt penes Magis, & minus; Unde omnia prædicata, quæ de uno dicuntur, debent de alio affirmari cum sola differentia *Magis*, & *Minus* Si ergo opinio probabilior involvit ignorantiam invincibilem, involvet quoque opinio minùs probabilis, & solùm

solùm erit cum differentia, quòd opinio Probabilior dicit Ignorantiam Magis Invincibilem; & minùs probabilis minùs invincibilem; Dicere enim, quòd [illegible] probabilior habeat *Ignorantiam Invincibilem*, & opinio minùs probabilis habeat *ignorantiam vincibilem*, est dare illis prædicata specie differentia, quod est absurdum; *cum Probabilius, & minùs Probabile* specie non differant, sed tantùm gradibus.

48. Quoad illam Regulam Canonicam, & Legalem: *Inspicimus in obscuris, quod verisimilius est, vel quod plerumque fieri consuevit*, assero valere in dubio facti, ut colligitur ex illis Verbis, *vel quod plerumque fieri consuevit*. Tum quia in Glossa afferuntur exempla illorum Canonum, ex quibus desumitur prædicta Regula, & omnia sunt exempla de factis. Tum quia, si perpendantur illa exempla, constabit illud Verbum, *Verisimilius*, non sumi *Comparativè*, ut nostra quæstio procedit, *sed Positivè*. In primo dicitur, quòd mulier corrupta post longum tempus à contracto Matrimonio petit dissolutionem Matrimonii dicendo, quòd Vir est impotens ad copulam; Vir autem asserit se potentem; Inspecto autem Corpore Viri apparet prima facie, quòd sit potens; Quid præsumemus? Respondet Glossa: *Præsumemus, illum cognovisse uxorem, quia in obscuris præsumitur, quod est verisimilius.* Et ego corrigo Glossam, & dico, præsumemus illum cognovisse uxorem, quia in tali obscuritate *unicè verisimile est*, quòd illam cognoverit. Quo enim fundamento potest, dici oppositum? Si inspecto Corpore Viri apparet potentia Copulæ, qui poterit negari factum? Expressis verbis assero, quòd, qui tali modo verisimiliores cognoscit opiniones Scoti, hic nequeat ullo modo defendere, & amplecti ut verisimiles, & probabiles opiniones oppositas Divi Thomæ. At quando hoc erit? Nos ergo loquimur de probabilioribus eo modo, quo Divus Thomas ut probabilius judicabat requiri ad Sacram Ordinationem tactum physicum; cum qua tamen Probabilioritate sustinebat oppositum ut probabile, ipso fatente Probabiliorista Goneto, ut dixi num. 10.

49. Dices Primò: In rebus obscuris, & quandò res nequit per Scientiam cognosci, nos teneri ad amplectendum id, quod tutius est. Christus enim ait, se esse veritatem, & solam veritatem salvare.

50. Ex hac nostra ratione quarta, & ex alibi dictis manifestè constat, hanc doctrinam non esse veram; ut dicebam enim, sequitur Doctores omnes, etiam Sanctos, qui falsas opiniones contra præceptum sequuti sunt, peccavisse mortaliter. Christus quidem est veritas, & ipse semper dicit veritatem, ut est de fide, sive loquatur moralia, sive speculativa, At ejus sermo obscurus licitè potest glossari probabiliter per varias interpretationes, *quia ita ejus obscuritas patitur*, ut dicebat Augustinus à me cap. 33. allatus. Hinc non sola veritas objectiva, & realis salvat quoad ea, quæ obscura sunt, & spectant ad merè præcepta; sed etiam veritas formalis, & sic Probabilitas; quia tam Thomistæ, quàm Scotistæ ibunt in Cœlum; & tamen vel illi, vel isti in multis falsitatem realem, & objectivam habent, cum in multis, etiam moralibus, in materia gravi opponantur.

51. Dices secundò. Qui sequitur Probabiliorem, & errat, excusatur quidem, quia fortiora motiva, ad judicandum opinionem esse magis veram, quàm falsam, habet; At nequit excusari, qui sequitur opinionem minùs probabilem, cum habeat motiva, quibus potest judicare, esse potiùs falsam, quàm veram.

52. Sed contra, quia simul habet motiva, quibus potest respondere hisce motivis fortioribus, & illa motiva non sunt levia, sed gravia, & quæ continentur intra eamdem lineam ex dictis, hinc Richardus, & alii voluntariè amplectebantur opiniones minùs probabiles.

53. Probatur quintò, seu potiùs referun-

feruntur conditiones, quæ requiruntur, ut opinionem minùs probabilem licitè in praxi sequamur; Illas autem refero ex Joanne Nider in Consolat. timorat. Conscient. par. 3. cap. 13. fin. qui ita scribit: Secundùm Philosophum, falsum sæpè est apparenter probabiliùs, quàm verum. Quid est ergo, quod aliqui, &c. Ex premissis duobus sequitur Capitulis, quòd inter contrarietatem opinionum eligens unam partem, tunc securus esse videtur in Conscientia, Primò si opinio, quam sequitur, non est evidenter contra Sacram Scripturam, vel determinationem Ecclesiæ. Secundò, si sciat per se, *vel per alium, cui credit, probabiliter rationes contrarias solvere, quas videt, aut sciat eas alios prudentes contemnere, aut abjicere*, ut latiùs docebitur infra cap. 18. Tertiò, si contentatur in certitudine Civili, vel Morali, ut infra tangetur. Quartò, si mentem habeat, quòd determinationi Ecclesiæ in casu, quo declaretur per eam, velit acquiescere, & in materia, quæ est præjudicialis, tunc restituere, vel satisfacere. Quintò, sibi pro tali opinione format pro posse bonam Conscientiam. Hactenus Nider.

54. Pro majori intelligentia notandum quoad secundam, tertiam, & quintam conditionem; (Prima enim, & quarta per se patent, & ex dictis sunt manifestæ) notandum, inquam, ut quis possit sequi in praxi aliquam opinionem, non esse necesse, quòd sciat per se solvere rationes contrarias, sed sufficit, *si sciat per alium, cui credit*; hoc est, quòd sciat illas solvi ab alio, cui credit, *Nam hoc Argumentum non est bonum*, dicit idem Nider cap. 19. ex Matthæo de Cracovia in lib. de ration. divin. oper. *Nescio solvere dubium, quòd circa hanc Conclusionem occurrit; igitur debeo de ea dubitare; ratio est, quia magna dubia occurrunt circa conclusiones Geometricas, & infallibiliter demonstratas; item similiter circa Fidei conclusiones.*

55. Notandum secundò cum eodem Nider cap. 18. ex Gerson. tractat. de contract. quòd *probabilis certitudo sufficit in moralibus*, ut non exponat se quis periculo, sicut dicunt Doctores de celebrante Missam, & similibus, ubi requiritur Status Gratiæ, *quòd sufficit ad hoc probabilis conjectura*, quia certitudo alia sine revelatione non habetur; prout in moralibus dicit Arist. *sumendam esse certitudinem grossè, & figuraliter, quæ certitudo non removet in una parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis*, licèt declinet magis ad istam, quàm ad aliam, quòd sufficit; Ita verbatim Nider ex Gersone, quibus adhæret Divus Antoninus par. 1. tit. 3. cap. 10. fin. Eamdem Doctrinam habet Nider in Præcept. 1. præcept. cap. 5. litt. F. Hic observa, per Aristotelem juxta Nider, & Gersonem utramque propositionem esse probabilem, & contineri in linea Probabilitatis, & opinionis; si enim certitudo moralis unius partis non removet ab alia *omnem probabilitatem, vel opinionem*; ergo in alia adest *aliqua probabilitas, vel opinio*; ergo per hos Doctores Probabilitas stat in utraque parte; Si autem stat in utraque parte, modò stabit æqualiter, modo inæqualiter; ergo etiam opinio minùs probabilis erit verè, & propriè probabilis. Quia verò in moralibus per eosdem Doctores sufficit *certitudo probabilis*, sequitur, quòd certitudo habita in opinione probabili, licèt minùs probabili, sufficiet in moralibus.

56. Confirmatur: Certitudo Moralis, *licet declinet magis ad istam, quam ad aliam partem*, non tamen removet in una parte *omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis*; Ergo opinio minùs probabilis est verè, & propriè probabilis. Si enim nullam *propriæ Probabilitatis* rationem haberet, jam certitudo, *quæ magis declinaret ad hanc partem, tolleret omnem probabilitatem ab alia*, quod est manifestè, & expressè contra textum Nider, & Gersonis.

57. Notandum cum eodem Nider cap. 19. cum Parisiens. in tract. de Fid. cap. 1. & retuli cap. 33. num. 18. quòd *Probabilitas, quantacumque sit*, non ingerit credulitatem, seu fidem *ex necessitate* be-

hominibus intelligentibus, & exercitatis.) Hinc qui in re probabili certò assentitur, se demonstrat non esse intelligentem, & exercitatum.) *Cum ipsi certi sint*, non omne, quod videtur verum, esse verum. Unde *Voluntarium simpliciter est, & liberum de omni probabili, ut ei quis credat, vel non credat*. Ex his ego infero; ergo *Probabiliori*, quantumcumque sit Probabile, *mihi voluntarium, & liberum est credere*; ergo potero *minùs Probabili* liberè, & voluntariè credere; atque adeo *pro tali opinione formabo bonam Conscientiam pro posse*, ut dicebam ex eodem Nider.

CAPUT XXXIX.

Ex eo, quòd opinio de opinione minùs Probabili, & minùs tuta, sit Nova, probatur, esse sequendam.

1. EX Tribus Capitibus solent Adversarii exagitare Probabilitatem.

Primum ex eo, quòd sit Doctrina Nova, & quæ solùm inceperit tempore Bartholomæi Medina, qui primus fuit, & Author gloriosus Probabilitatis, scilicet qui agitans quæstionem expressè, Probabilitati expressè, & formaliter adhæsit.

Secundum, quia ex Probabilitate videntur sequi opiniones, quæ in rei veritate sunt absurdæ.

Tertium, quòd ex ipsa sequuntur in rei veritate opiniones, quas Probabilioristæ judicant ingentia absurda. Nos priùs de Novitate, postea de aliis agemus.

2. Fagnanus ergo in c. *ne innitaris* de constit. num. 23 ait, quòd *ex hoc solo redditur valde suspecta doctrina Probabilitatis, quod sit Nova*, & à consuetudine Ecclesiæ exorbitans. Et num. 119. dicebat, Doctrinam hanc de libera Electione opinionis probabilis esse *Novam* in Ecclesia; quocirca non possumus Doctrinam Recentiorum approbare. Hinc num. 43. fin. vocat Authores Probabilitatis *Novatores Probabilitatum*.

3. Gonetus tom. 3. dissert. de Probabilitate frequenter vocat Probabilitatem *Novorum* Casuistarum dogma; & num. 58. contra Caramuelem cum Hieronymo epist. 65. exclamat: *Cur post quadringentos annos, dicamus nos mille sexcentos*, inquit Gonetus, *docere nos niteris, quod ante nescivimus? Cur profers in medium, quod Petrus, & Paulus edere noluerunt? Usque ad hunc diem sine ista Doctrina mundus Christianus fuit. Illam senex tenebo fidem, in qua puer natus sum.* Ecce quantùm abhoreat *Probabilitatis Novitatem*, dum illam comparat cum Novitate Hæreticorum contra Fidem Catholicam blaterantium.

4. Xantes Mariales in sua Bibliotheca Theologica tom. 1. controv. prolegom. cap 3. adeo acriter invehitur contra Doctrinas *Novas*, ut, cum nequeat negare, posse tradi opiniones *Novas*, & Antiquitati inauditas, asserit in fine illius capitis, non esse expediens *Novitatibus* attendere, quia talis attentio causat lapsum in hæresim, ut accidit Origini.

5. Hìc obiter hunc Doctorem interrogo, an in sua illa Bibliotheca afferat pro Doctrina Sancti Thomæ solùm ea, quæ dicta sunt à celeberrimis suæ Scholæ Proceribus, vel dicat alia non priùs allata ab illis? Si hoc secundum dicatur; ergo ipse de facto sequitur Novitatem, & in sua schola conatur illam introducere. Quare ergo illam vituperat in aliis? Si primum respondeat, credo, quòd poterat jure labori parcere, nec prælum torquere; etenim Schola Thomistica opus non habet ut *eamdem Crambem* sui Doctores recoquant. Indiget aliis, & aliis Authoribus, ut *novis* argumentis, & *novis* responsionibus *novos* hostes impugnent.

6. Pater Tyrsus Gonzalez dissert. 13. cap. 2. §. 1. num. 9. fin. mutuatus verba Fa-

Fagnani dixit : *Unde illa sua Novitate suspecta est,*(Doctrina Probabilitatis) *& ejus falsitas hinc valdè ostenditur.* Et num. 11. scripsit : quare ex eo , quòd nulla mentio hujus doctrinæ de licito usu opinionis minùs tutæ in concursu tutioris , & operanti ipsi Probabilioris apud Patres reperiatur , nec à Sanctis Doctoribus Scholasticis, qui à Patribus suam Doctrinam acceperunt , neque à Theologo ullo ante præteritum sæculum scripserit , sit tradita , *confitentur manifestè, illam esse Novam* , & ignotam in Ecclesia usque ad finem decimisexti sæculi. *Hinc autem elicitur illam esse falsam* , quia incredibile est , Deum per tot sæcula occultasse Antiquis Theologis Doctrinam Veram adeo proficuam ad facilitandam Cœli Viam, &c.

7. Novissimè Illustrissimus Clerus Gallicanus in libello,in quo damnat aliquas propositiones,in §.*de usu opinionum probabilium* invehitur in Probabilitatem , ut retuli cap.33. num.2. tanquam in rem *novam* , *inauditam* , *& postremo sæculo proditam.*

8. Reducendo hæc ad formam Syllogisticam sic conficitur Argumentum : Sententia *Nova* in Theologicis est valde suspecta ; & sic rejicienda ; sed Doctrina Probabilitatis est Sententia *Nova*; ergo est valde suspecta ; & sic rejicienda. Minorem Adversarii veluti certam supponunt , & dicunt nullum Doctorem ante Medinam expresè Probabilitatem sequutum fuisse ; Major verò probatur ex Fagnano num 23. quia Apostolus ad Hebreos 13. dicebat : *Doctrinis variis , & peregrinis nolite abduci.* Ad hoc facit Textus ex Hieronymi 65. Epistola, supra allatus , sicut & c. *quis nesciat* 11. dist. c. *quod dilectio* in fin. de consanguin. & Affinit. c. *cum consuetudine* de consuet.

9. An Probabilitas sit in rei veritate res *Nova* , ut Adversarii tam confidenter exagerant, an verò sit *Antiqua* , & ex principiis Antiquorum deducta , ut in toto hoc opere nitor ostendere , Lector prudens , nec partium favore victus , poterit judicare. Sed exercitii gratia concedamus, esse rem *Novam* , & priscis sæculis inauditam.

10. Nunc utendo eodem hoc Argumento ad hominem evidenter probo Conclusionem meam : *Sententia Nova in Theologicis* est valde suspecta , & sic rejicienda per Adversarios ; Sed Doctrina Doctoris Angelici importat *Sententias Novas in Theologicis* ; ergo Doctrina Doctoris Angelici *est valdè suspecta; & sic rejicienda.* Nunc subsumo : Sed hoc consequens est evidenter falsum , & contra ipsum tota Schola Thomistica clamat ; ergo etiam est falsa Doctrina antecedens Adversariorum , ex qua hoc absurdum evidenter sequitur. Tota ergo difficultas reducitur in probatione minoris Argumenti , quæ tamen sic evidenter probatur.

11. Divus Antoninus Canonista , Theologus , Archiepiscopus , & Historicus 3.par. Histor. tit 18. cap.10. ante §. 1. scribit : Ipse , scilicet D. Thomas, de Thesauro sui cordis effudit *Nova* , & vetera. Abscondita enim in lucem produxit Mysteria Novi , & veteris Testamenti , insuper, & vetera doctrinarum philosophicarum gentilia , *Nova* documenta Theologica Sanctorum Doctorum *mirabiliter elucidavit.*

12. In §.2. ejusdem tit. sic habet: Idem Doctor fecit super quatuor Libros Sententiarum scripta quatuor . . . . opus horum stylo disertum , intellectu profundum , intelligentia clarum , *& novis articulis* dilatatum . . . . Scripsit & Librum , qui intitulatur Summa contra Gentiles . . . . & autem hoc opus stylo disertum , *& rationum novitate* ; & subtilitate profundum. In quo opere , dum scriberet, frequenter inventus est , sic ab exterioribus sensibus abstractus , ut videretur totaliter in divinis absortus . . . . Scripsit super Job ad litteram , *quod nullus Doctor priùs attentaverat*, Nam Gregorius Magnus in Moralibus expositionem fecerat Moralem potiùs , quàm litteralem , pulcherrimam. Nicolaus de Lyra post eum exposuit ab ipso multa furatus, & aliter contra eum impingens sine ratione.

13. In tit. 23. cap. 7. §. 5. prosequitur Divus Antoninus: Tantam ei Deus gratiam in labiis ejus effudit in Doctrina, ut Scholares in stuporem adduceret, & ad studium inflammaret; Erat enim in legendo *Novos* Articulos adinveniens, *novumque* modum determinandi inveniens, & *Novas* producens in determinationibus rationes, ut nemo ipsum audiens dubitaret, quin ipsum Deus *Novi* luminis radiis illustrasset. Ibi itaque claruit splendor diutiùs in ejus animo occultatus, & mirati sunt universi de iis, quæ gloriosè, & limpidè proferebat. Expleto igitur cursu bacalaureatùs in legendo Sententias Parisiis gloriosè, advenit tempus, quo erat Magisterii in Theologia Nomen, & rem, Magistralemque Cathedram accepturus, ut ejus doctrina tamquam lucerna super candelabrum exaltata fulgeret . . . . Doctrina siquidem Sancti Thomæ, quam penè totus Oriens, & Occidens amplectitur, & miratur, quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem. Quos enim Studiosos non docuit, quos protervos non corripuit, quos devios non direxit? Sic enim divina docuit, humana decentissimè, quantùm fuit expediens ad salutem hominum, pertractavit.

14. In §. 10. tandem de *Novitatibus gloriosis* Divi Thomæ sic concludit Antoninus: Cujus ingenii subtilitatem, & acumen intelligentiæ, ac rectitudinem judicii evidenter ostendunt multitudo librorum, quos edidit, & Sententiarum *Novitas*, quas invenit, sensusque Scripturarum absconditi, quos produxit in lucem.

15. Observa Lector, quot, & quantas *Novitates* invenerit Sāctus Thomas pro sua Doctrina. *Novos* confecit Articulos, *Novum* excogitavit modum determinandi, *Novas* in determinandis quæstionibus invenit rationes, ita ut Deus ad *Nova* dogmata *Novi* luminis radiis ipsum illustraverit, ut ipse limpidè tot *Novitates* proferret. Hoc reservatum erat Angelico Doctori, ut sua Sententiarum *Novitate* patefaceret in Ecclesia *Novos* Articulos, *Novas* Sententias, *Novas* Veritates Sacræ Scripturæ, *& antiquioribus Antiquioribus Doctoribus occultatum.*

16. Ex his patet evidenter probata minor propositio nostri Argumenti, quæ erat: *Sed Doctrina Doctoris Angelici importat Sententias Novas.* Hinc liceat efformare duo Argumenta evidentia pro nostra opinione: Omnis qualitas Doctrinæ Sancti Thomæ est laudabilis; sed *Novitas* est qualitas Doctrinæ Divi Thomæ; ergo Novitas est laudabilis. Hoc idem Argumentum efferamus per negationem. Nulla qualitas Doctrinæ Divi Thomæ est vituperabilis, sed *Novitas* est qualitas doctrinæ Divi Thomæ; ergo *Novitas* non est vituperabilis. Quare ergo Probabilioristæ non laudant, sed vituperant *Novitatem Doctrinæ*? Majorem propositionem horum Argumentorum nequeunt negare sine ingenti injuria Doctoris Angelici, Minorem verò sine Contumelia Divi Antonini, quin, & contra evidentiam; In rei enim veritate *Novitas* sola est apta, ut adducat discipulos in stuporem, ut adduxit Doctrina Angelica; Vetera autem non admiramur. Et quisque experitur, se ad stuporem rapi, quoties aliquod *Novum* videt, aut legit; Hinc illud triviale: *Omnia* nova *placent.*

17. Illa Verba Divi Antonini: *Ipse de Thesauro Cordis sui effudit nova, & vetera*, mihi suggerunt illa Christi Matth. 13. Omnis Scriba doctus in Regno Cœlorum similis est homini Patrifamilias, qui profert de Thesauro suo *Nova*, & *Vetera*. Scimus ex Divo Hieronymo in cap. 23. Matth. per Scribas hic intelligi Sapientes in lege. Et per Divum Gregorium Homil. 12. in Evangel. per Regnum Cœlorum sæpe intelligi præsentem Ecclesiam. Thesaurus autem Sapientis est ipsa Sapientia, & Scientia. Igitur Divus Thomas de sua Sapientia Veritates absconditas Novi, & Veteris Testamenti protulit in lucem, & patefecit; ergo ante Divum Thomam multæ Veritates Novi, & Veteris Testamenti erant incognitæ, & absconditæ.

18. Divus Augustinus in quæstionibus Evang. apud Tostatum Matth. cap. 13. quæst. 65. explicat hæc verba Matthæi, & dicit: Nomine Thesauri Sacram Scripturam intelligi; Ille autem profert de Thesauro suo Nova, & Vetera, qui scripturas veteris Testamenti sub parabolis, & ænigmatibus contentas intelligere, & explicare novit. Ego tamen non video, inhærens vestigiis Divi Antonini, quòd textus Matthæi non possit intelligi, quòd omnis scriba doctus profert de Sacra Scriptura *Veritates Novas*, quas scilicet ipse invenit; & *Veteres*, quas nempe alii ante ipsum protulerunt. Sicut enim Thesaurus Materialis importat *Monetam novam*, & *veterem*, ut observat Tostatus quæst. 76. ita thesaurus Scientiæ debet importare Veritates *Novas*, & *Veteres*. Sed plures Novas, *quia Nova abundant magis, quàm vetera*, inquit Tostatus. Confirmatur, quia v.g. loquendo de Apocalypsi juxta Hieronymum lib. 1. contra Jovinianum continet infinita Mysteria; ergo semper remanent aliæ, & aliæ veritates explicandæ. Quod dixit Hieronymus de Apocalypsi, potest etiam dici de aliis Libris Sacris. Atque adeo nullum erit absurdum dicere, quòd Moderni novas veritates inveniant, & quòd idem præstiterit Divus Thomas, & postea alii Doctores usque ad ultimum sæculum. Addo, sponso cœlesti fructus placere. Nunc fructus Doctorum sunt Libri, quos in lucem proferunt. Qui autem fructus placent? Veteres? Veteres equidem, sed simul cum *Novis*. Hinc Sponsa Cantic. 7. probè noscens genium, & ingenium Sponsi dicebat: Omnia Poma *Nova*, & Vetera, dilecte mi, servavi tibi.

19. Præterea ex Præfatione Divi Hieronymi posita ante Libros Salomonis habetur, quòd Ecclesia quidem legit Libros *Judith*, *Tbobiæ*, *Machabæorum*, *Sapientiæ*, & *Ecclesiastici*, non tamen computat inter Canonicos. Hinc nullum erat absurdum, si Antiqui Doctores aliquod contrarium illis Libris tenuerint; sicut secundùm Antiquos nullum erat Absurdum variè opinari in materia Trinitatis ante determinationem Ecclesiæ, & ante percontationem, per quam sciremus, & videremus veritatem. Nos autem post Concilium Tridentinum, eò quòd sess. 4. decret. de Canonicis Script. illos Libros ut Canonicos recepit, debemus usque ad sanguinis effusionem defendere, quicquid in illis dicitur usque ad unum Jota; & illis Antiquis opinionibus rejectis Novas invehere.

20. Nullum est ergò absurdum, novas opiniones invehere in Theologiam; quin maximè laudabile fuit in Divo Thoma; Nec objectio Mariales de Origene in hæreses per opiniones novas lapso aliquid valet, quia exemplum Divi Thomæ manifestissimum opponimus, sicut & Scoti, & aliorum Antiquorum Procerum. Numquid hi solùm antiqua scripserunt? Hinc nescio, qua ratione Laurentius Brancati de Lauræa in Præfat. ad Epitomen Canonum scripserit: *Novas enim vitando doctrinas hæreses vitabis.* Tu huic propositioni adde illam de Divo Thoma ex Beato Antonino, & videbis consequentiam pessimam; & sic colliges, hunc Doctorem non benè hic scripsisse.

21. Sed ut altiùs Adversariis occurramus, & veritatem manifestè patefaciamus, suppono in qualibet facultate, si Mathematicas excipias, duo genera principiorum inveniri. Primum est evidens, seu certum; Secundùm Inevidens, seu Incertum, & Probabile. Ex Primo Argumenta demonstrativa conficimus, ex secundo topica, & opinativa. Hoc accidit etiam in facultate Theologica; Hinc Divus Thomas 1. par. quæst. 1. articulo 8. ad. 2. scripsit: Sacra Doctrina utitur Authoritatibus (*Philosophorum*, *Poetarum* &c.) quasi extraneis argumentis, & *Probabilibus*. Authoritatibus autem Canonicæ Scripturæ utitur propriè ex necessitate argumentando. Authoritatibus autem aliorum Doctorum Ecclesiæ, *quasi arguendo ex propriis*, *sed Probabiliter*. Ecce in Theologia Argumenta necessaria; & sic certa;

ta; & Argumenta *Probabilia*; & sic opinativa, & incerta. Quia autem necessarium impossibile est, quòd aliter se habere possit; ergo Conclusiones Theologicæ deductæ ex principiis necessariis non possunt aliter se habere; atque adeo oppositum ipsis erit certò falsum. Cum autem è contra *Probabile* possit aliter se habere, ut sæpius ex Aristot. & Theologis Antiquis demonstravimus, sequitur manifestè, quòd Conclusio Theologica deducta ex principiis probabilibus possit aliter se habere; atque adeo opposita possit esse vera.

22. Ex his duobus Principiis evidenter sequitur, quòd Opinio Nova, quantùm est ex propriis terminis, non sit falsa; atque ideo non sit damnabilis. Sequella probatur, quia Novitas formaliter non importat aliquod oppositum cum necessario; quia Opinio Nova potest esse necessaria. Hinc hæc propositio: *Sanguis in Animali circuit perpetuò*, est opinio nova in Medicina contra Medicos Antiquos, & tamen est necessaria, quia cessante motu Sanguinis moritur Animal. Si ergo Novitas stat cum necessario, non est ipsi opposita; proinde potest esse vera; solùm enim, quod opponitur necessario, est ita falsum, ut nequeat esse verum. Si ergo opinio Nova potest esse vera, quantùm est ex se, nec poterit damnari, quantùm est ex propriis terminis. Erit ergo damnabilis ob alias rationes. Ergo à primo ad ultimum infertur, quòd *Opinio Nova possit esse Probabilis*. Atque adeo, si sit in materia Sacra, illa *opinio Probabilis Nova* erit *ex propriis* Theologiæ, *sed Probabiliter*.

23. Quænam ergo *Opinio Nova* in Theologia erit damnabilis? illa sola, quæ opponitur principiis necessariis Theologiæ. Quod demonstratur: solùm falsum est damnabile, sed solùm, quod opponitur necessario, est falsum; ergo solùm, quod opponitur necessario, est damnabile. Major est evidens, nam verum est appetibile. Minor verò probatur, quia, quod opponitur Probabili, potest esse Probabile; atque adeo Verum; quia Probabile non implicat esse verum; nam si implicaret esse verum, necessario esset falsum, & sic quod opponitur Probabili opponeretur necessario.

24. Confirmatur ex principiis Antiquorum: Hi tractantes quæstiones, an liceat variè opinari in materia de Notionibus Divinis, & an Discipuli sequentes diversas opiniones Magistrorum excusentur à peccato erroris. Omnes primam resolvunt, quòd liceat variè opinari ante decisionem Ecclesiæ, & ante percontationem scientificam. Secundam autem cum Divo Thoma quodl. 3. art. 10. solvunt dicendo, non excusari ab erroris vitio, si quis sequitur opinionem contra manifestum Scripturæ testimonium, sivè contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ Authoritatem.

25. Ex solutione primæ quæstionis sequitur evidenter, quòd opinio *Nova* sit licita, quandiu est ante decisionem Ecclesiæ, & ante pertractationem scientificam; ergo opinio *Nova* est licita, quandiu est ante principia necessaria; Quando enim non dantur principia necessaria, non datur Conclusio, & pertractatio scientifica.

26. Quoad solutionem secundæ quæstionis decisio quidem formaliter est negativa, & in hoc verum dicit Vendrochius; tamen, uti alibi dixi si nolumus facere Mancum Doctorem Angelicum, & alios Antiquos hujusmodi quæstionem ventilantes, debemus dicere, quòd virtualiter sit affirmativa. Nam, ut hi Doctores satisfaciant quæstioni propositæ, debent assignare Conditiones, & principia saltem abstrusiora, & cognitu difficiliora, quæ requiruntur, ut opinio non sit error. Ergo assignando, quòd talis opinio non debeat esse contra manifestam Scripturam, & contra id, quod publicè tenetur ab Ecclesia, debemus credere, quòd assignaverint principia sufficientia ad quæstionis dissolutionem; & ex ipsis desumitur hoc principium, ut ille excusetur ab erroris vitio, qui tenet opinionem, quæ non est contra princi-

pium certum. Et jure merito delimitur hoc principium, nam frustra non posuerunt illa verba *Manifestum*, & *Publicè*; Unde, si hi Doctores credidissent, non posse excusari ab erroris vitio, qui tenet opinionem quomodocunque contrariam, vel Scripturæ, vel Ecclesiæ, non posuissent illa verba, *Manifestum*, & *Publicè*, sed dixissent absolutè: qui tenet opinionem *contra Scripturam, vel contra Ecclesiam* non potest ab erroris vitio excusari. Apposuerunt autem illam limitationem de necessitate, ut excusarent ab erroris vitio omnes Doctores, qui in rebus dependentibus à Sacra Scriptura, & Ecclesia variè opinantur. Hinc Divus Antoninus par.3 tit.5. §. 9. cap.2. dicit: Aliqua sunt, quæ aliquandò fuerunt in varia opinione Doctorum, antequam per Ecclesiam fieret determinatio; *& pro illo tempore potuerunt excusari, qui unam, vel contrariam tenebant.* Igitur evidenter patet, quòd *opinio Nova* erit inexcusabilis solùm, quandò est contra decisionem Ecclesiæ, vel contra Manifestum Scripturæ testimonium; & sic contra alia principia similia; de similibus enim idem debet esse judicium. c. *Cum secundum* de præben. & aliis juribus. Hæc autem alia principia similia sunt principia certa.

27. Dices: Si quis non habeat rationes pro aliqua re, & de illa opinionem eliceret, hic procul dubio esset damnabilis, quia sine ratione procederet; & tamen non haberet opinionem contra principia certa. Item potest dari Casus, quòd una opinio habeat rationem Probabilem, & ejus opposita nullam rationem habeat. Si quis autem hanc oppositam teneret, hic malè opinaretur; & tamen non haberet opinionem contra principia certa; ergo potest dari opinio damnabilis, quæ tamen solùm sit contra principium opinativum.

28. Dicebam alibi cum Geminiano in c. *negare* 9. dist. num 2. & Præpos. ibidem num.4. quòd non debet adscribi ad temeritatem, si quis *probabili ratione* contradicat opinioni alterius; Hinc è contrario sensu esset temerarium, si quis contrairet opinioni alterius, si sine *probabili saltem ratione* contrairet; & ratio est, quia ita se habet opinio in materia topica, sicut scientia in materia necessaria. Sicut ergo Scientia est Conclusio deducta à principiis necessariis, ita opinio est Conclusio deducta à principiis Probabilibus. Igitur propositio, quæ à nulla ratione procedit, non est opinio, sed temeritas sicut Conclusio deducta à principiis non necessariis non est Scientia, sed oppositum Scientiæ vide cap.3. num.34.

29. Igitur Propositio, quæ à nulla ratione procedit, nec est principium, est damnabilis, non quia sit nova; si enim esset antiqua, adhuc esset damnabilis; sed quia à nulla ratione procedit, nec ipsa est principium, seu ratio prima movens intellectum. Si autem illa propositio sit Conclusio deducta à ratione, seu à principiis, tunc illa Conclusio est solum damnabilis, si opponatur principiis necessariis, & certis. Hinc Divus August. alibi relatus li.2. de Bapt. contra Donat. c.8. scripsit: sed quia non extiterant, nisi qui ei consuetudinem opponerent; *defensiones autem ipsius Consuetudinis non tales afferrent, quibus illa talis Anima* (Divi Cypriani scilicet) *moveretur*, noluit Vir gravissimus (Divus Cyprianus) *rationes suas*, & si non veras, quod eum latebat, *sed tamen non victas*, veraci quidem, sed tamen *nondum asserta* Consuetudini cedere. Ecce quòd Divus Cyprianus nolebat à sua opinione discedere, quia consuetudo, quæ opponebatur ipsi, *nondum erat asserta.* Quid significat quæsò illud verbum, *Asserta*? Vidimus alibi Assertionem apud Antiquos sumi pro cognitione certa; unde, & dicebant, quòd de Divinis Notionibus licebat variè opinari, non tamen *asserere.* Ergo quia Divo Cypriano non constabat certò consuetudinem Ecclesiæ opponi suæ opinioni, ideo nolebat hanc relinquere. Et nota, quòd objiciebantur quidem *Consuetudinis defensiones*, tamen ab is defensionibus (utique probabilibus) quin, *& ve-*

& veris, quamvis hoc Cyprianum lateret,) Vir ille Magnus non movebatur, & quare non movebatur? quia consuetudo *nondum erat asserta*.

30. Sequamur ergo hanc regulam fundatam in exemplo Cypriani, nec reprobatam ab Augustino. Si habeamus aliquam opinionem in Jure Divino, quæ habeat magna fundamenta; Si objiciantur tamen multa, quæ quidem *non sint asserta*, hoc est, non sint certa, potes nolle discedere à tua opinione. Et licèt postea tua opinio sit Hæresis declarata, non per hoc malè fecisti, operando juxta illam tuam opinionem; loquendo tamen semper ante talem damnationem; & hoc patet exemplo Cypriani manifestè. Requiritur tamen, ut sequamur Cautelam ejusdem Sancti Doctoris, qui apud Augustinum lib.5. cap.3. ubi supra dicebat: Non tamen quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est, cum magis Sapientibus, & Deum timentibus congruat, *patefacta, & perspecta veritati* libenter, atque incunctanter obsequi, quàm pertinaciter, atque obstinatè contra Fratres, & Consacerdotes pro Hæreticis reluctari. Ita ergo debemus adhærere nostræ opinioni, ut quando *patefacta, & perspecta Veritas fuerit*, relinquamus talem opinationem, ne, si aliter faciamus, contra Fratres pro Hæreticis reluctemur.

31. Hic duo notatu digna contra Adversarios memoriæ mandabis. Primum, nos posse *voluntariè* permanere in nostra opinione, usque tamen tunc permanebimus voluntariè, quandò certa veritas non habebitur; Hinc Divus Cyprianus *noluit*, & sic voluntariè permansit, & noluit *à sua opinione discedere*, quia veritas nondum erat *asserta*. Vide cap. 4. & 5. Secundum, quando res est obscura, dari in materia juris divini ignorantiam invincibilem, ut exemplum Cypriani, & suorum Coepiscoporum, liquidò demonstrat.

32. Igitur ego per omnia sequens exemplum Magni Cypriani meam opinionem defendo, quæ quamvis non habeat Authoritatem Concilii Provincialis, ut illa Cypriani, nil tamen obest, quia habet Authoritatem, & Episcoporum plurium doctissimorum, & plurimorum Theologorum, & quidem præstantiorum sui temporis; & Authoritas Concilii Provincialis non est necessaria, sed tantùm Probabilis. Quia verò Cyprianus erat in ea dispositione, ut demonstrat Divus Augustinus, ut sequeretur oppositum, si hoc *à plenario Concilio*, & sic cui præesset Summus Pontifex, & ipsum approbaret, *decideretur*. Sic ego iterum, iterumque repeto, & repetam, sum paratissimus oppositum meæ opinioni firmissimè adhæsurus, si Pontifex nedum in *Concilio plenario*, sed etiam extra, & solus per Bullam hoc deciderit; Per me enim certissimè est infallibilis, etiam extra Concilium. Sicut ergo Cyprianus fuit salvus, licèt postea ejus opinio ut hæretica explosa fuerit; sic etiam salvus ero, quamvis contrarium, quod non credo, decisum fuerit. Et cùm de facto à Sede Apostolica *hæc nova opinio* non sit explosa, sequitur evidenter, quòd hæc opinio, *quamvis Nova*, non sit vituperabilis, sed laudabilis.

33. Nec textus à Fagnano allati aliquid roboris habent, intelliguntur enim de illis *novis* opinionibus, quæ militant contra manifestum Scripturæ testimonium, vel contra id, quod publicè tenetur ab Ecclesia, ut Textus Hieronymi expresè loquitur, & in hoc sensu accipitur à Tridentino Sessione XIV. cap.8. fin. hic terminus, *Novatores*; Hæreticis nostri temporis attributus, non verò intelliguntur illi textus de illis *novis* opinionibus, quæ non apparent esse *manifestè* contra Scripturam, & Ecclesiæ decisionem, ut in simili loquar cum Divo Antonino par.1. titul.3. cap 10. §. 10. Vers. *Revertendo ad quartam*. Et quidem legenti Canones allatos ex Decreto, & Decretalibus hæc mea distinctio clarissimè patebit; Unde suspicor, Fagnanum illos non legisse, sed ab aliis allegatos bona fide recepisse. In illis Canonibus deciditur, quod non debemus sequi *Novitates*, quæ sunt con-

tra Consuetudinem, quia sic Populi scandala nascerentur.

34. Hinc Pontifex in allegato c. *cum dilectio* de Consanguin. interpretatus est, Indulgentiam ineundi Matrimonium in Sexto Gradu intelligendam esse, ut uterque distet in sexto, non verò unus in sexto, alter verò in Tertio; & assignans rationem hujus decisionis dicit: Unde in hac parte Consultiùs duximus multitudini, & observatæ consuetudini deferendum, quàm *aliud in dissentionem, & scandalum Populi statuendum, quadam adhibita novitate.* Ecce manifesta consuetudo; Ecce *Novitas* contra manifestam consuetudinem, & hæc *Novitas* erat talis, & tanta, ut dissentionem, & scandalum Populi induxisset. Quando ergo Fagnanus probaverit, *Novitatem* nostræ opinionis esse talem, ac tantam, tunc palmam feret, ac Victoriam.

35. Hìc subdo, quòd, si in d. c. Pontifici non placuit illa *Novitas;* unde voluit potiùs favere antiquæ severitati; postea in c. *vir, qui* eod. hujusmodi novitatem approbavit. Hinc, si in primo loco voluit, ut matrimonium esset validum, quòd uterque contrahentium æquali gradu distaret à stipite; in secundo deinde loco decrevit, hoc non esse necessarium: *Vir qui*, inquit Pontifex, *à stipite quarto gradu, & mulier, quæ ex alio latere distat quinto, secundùm regulam approbatam, qua dicitur,* quinto gradu remotiori differt à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem, *licitè possunt matrimonialiter copulari.*

(∴)

CAPUT XL.

Probatur Opinionem Novam contra Communem Antiquorum non esse ex hoc improbandam. Examinantur opiniones Antiquæ de Conceptione Beatæ Virginis, de Absolutione à Reservatis, de Sigillo Confessionis; & obiter de Iteratione Confessionis ex oblivione Pœnitentiæ, & recitatione Matutini ante Missam.

1. Dixi in cap. antecedenti, Conclusionem deductam à principiis, quæ alicui videntur saltem probabilia, non posse redargui de *Novitate*, nisi Argumenta afferantur certa in oppositum. Nunc ergo videndum est, an contra opinionem *Novam* nostram hujusmodi probationes afferantur.

2. Notatur ergo *de Novitate*, quia supponitur esse contra communem Antiquorum opinionem. Dixi, supponitur, sed in rei veritate non est, si pro opinione Communi intelligatur illa, quæ debet à Doctoribus ex professo tractari, perpendendo rationes pro utraque parte militantes, quod usque ad Conradum Summenhart, qui vivebat anno 1500. juxta Bellarminum, non est factum de præsenti difficultate, ut demonstravi cap. 18. ubi retuli Doctores Antiquos militantes pro opinione probabiliori, & hac occasione attuli, quæ, & quanta dicunt in hac quæstione. Ibidem etiam demonstravi multas exceptiones, quas patitur illa opinio Antiquorum. Lege etiam cap. 3. num. 88. & seqq. & certò cognosces, illam omnino non esse opinionem communem.

3. Sed disputationis gratia supponamus Communem opinionem Antiquorum fuisse, ut teneamur sequi opinionem probabiliorem, si quoque est magis tuta In-

Inquiro ergo, an Communis opinio Antiquorum faciat certam Fidem; an verò solùm probabilem; ac proinde esse examinandam, & in dubium revocandam; Et quæstio est in materia Sacra, nam in materia prophana est omnino-certum, esse revocandam ad regulam veritatis. Hinc, etiamsi Doctores Communiter teste Durando in 4. dist.44. quæst.9. num. 7. & 8. tenerent, partem Mundi nobis oppositam esse aquis circumfusam, undique; cui tamen justissimè maximus ille Navarchus, & longè laudabilior omnibus Antiquis Naucleris, judicavit hujusmodi Antiquam, & *Communem* opinionem esse falsam; Unde ausus est, Oceanum navibus lustrare, & Antipodas incredulis demonstrare, & novum Mundum veteri adjungere. Tum quia in hisce materiis dicebat Divus Thomas quodlib.3. art.10. valere illud Apostoli, *Quilibet abundet in proprio sensu.* Et August. in Enchiridion relatus in c. *in quibus* 22. quæst.2. scripsit: In quibus rebus nihil interest ad Capescendum Regnum Dei, utrùm credatur, an non; & utrùm vera putentur, aut falsa, in his errare, & aliud pro alio putare non est arbitrandum esse peccatum; aut si est, minimum esse, atque levissimum.

4. Igitur difficultas reducitur in Materia Sacra, quæque propria est Theologi, & à principiis Theologicis pendet. Respondeo ergo Sententiam Communem Theologorum non facere rem certam; ac proinde, quæ Communiter dicuntur à Theologis, esse examinanda, & debito fundamento posse impugnari. Hinc dato, quòd opinio de sequenda Probabiliori esset Communis, debet examinari, & debito fundamento possumus oppositum sequi, ut de facto Moderni communiter faciunt. Veritatem hanc puto clarè deduci ex Doctrina Augustini, qui lib.2. ad Vincentium Victorem, & refertur c. *negare* 9.dist. dicebat: Negare non possum, nec debeo, sicut *in ipsis Majoribus*, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt *justo judicio*, *nulla temeritate culpari*. Glossa in casu scribit: Non est mirum, dicit Augustinus, si sua opuscula culpanda sunt, *cum Majorum opuscula reprehendantur.*

5. Sed clariùs Augustinus se explicat epist.19. cap.1. & refertur c. *ego solis.* ead. ego solis eis Scriptorum, qui jam Canonici appellantur, didici, hunc timorem, honoremque referre, ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere . . . . Alios autem ita lego, ut quantalibet Sanctitate, quantave doctrina polleant, non ideo verum putem, *quia ipsi ita senserunt*, sed quia per alios Authores, vel Canonicas, *vel probabiles rationes*, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Et idem Augustinus relatus in c. *neque quorumlibet* ead. fatetur in quolibet Catholico Scriptore, salva honorificentia, se velle respuere, si aliquid à veritate devium viderit.

6. Ex his clarè elucet, Doctores Antiquos, & nostros Antecessores non habere privilegium dicendi certam veritatem; atque adeo poterimus; salva ipsorum honorificentia, ad rationis trutinam, quæ dixerunt, revocare. Adverto tamen cum Glossa in c. *noli* ead. nos debere tenere, quæ Sancti Patres in suis scriptis docuerint, cum post Augustinum sint ab Ecclesia approbata in c. *sancta* 15. dist. & omnino est tenendum, si sint unanimes in explicatione textûs Scripturæ, ut patet ex Tridentino sess. 4. in Decreto de edit. & usu Sacror. Libror.

7. Probatur iterum nostra Conclusio exemplo trium opinionum Communium tempore Antiquo. Prima erit de Conceptione Beatæ Virginis. Secunda de Absolutione pœnitentis habentis reservata. Tertia de Sigillo Confessionis.

8. Quod PRIMAM, Communis erat opinio tempore Scoti, quòd Beata Virgo fuerit Concepta in peccato Originali, & erat ita Communis, ut Marginista Scoti in 3. dist 2. quæst.1. post allegationem Divi Thomæ in pluribus locis, & Divi Bonaventura, admoneat Lectorem, ut alios Antiquos videat; Signum Clarum; quòd crediderit antecessores Scoti fuisse in hac opinione.

Et quidem Divus Antoninus 1. par. tit. 8. cap 2. allegat pro ipsa omnes Doctores Scotum antecedentes; & pro opposita Antiquior, qui allegatur ab eodem, est Scotus ipse. Scio, à nostris Modernis totis viribus tentari, ut opinio opposita Pia habuerit Scholasticos Antiquos; sed nescio, an veraciter hoc exequantur. Scio etiam, Divum Thomam 3. par. quæst.27. art.2. ad.3. narrare aliquas Ecclesias celebrare Festum Conceptionis Beatæ Virginis; sed etiam scio, Doctorem Angelicum dicere, talem celebrationem non esse de Sanctitate Conceptionis, sed de Sanctificatione ejusdem Virginis.

9. Hoc est certum, & evidens, quòd Scotus fatetur, *Communem opinionem* sustinere, quòd Beata Virgo contraxerit peccatum Originale. Et hæc Communis opinio invaluerat à tempore Divi Bernardi, quando cœpta est talis controversia usque ad Scotum, quod tempus complectitur quasi duo integra sæcula. Et hæc Communis opinio tenebatur à Scholasticis, Divo Thoma, Divo Bonaventura, Alensi, Richardo, Durando, Henrico, Ægidio; Joanne Neap: & aliis, non merè quatuor lineis suam opinionem dicentibus, ut faciunt Doctores Antiqui in materia de Probabilioritate sequenda, sed tractantibus quæstionem ex professo, ponderando Argumenta pro utraque parte, & solventibus rationes in oppositum. Unde absolutè loquendo non potest inveniri opinio Communis Antiquorum, quæ in genere Authoritatis Antiquorum aliquid majus desiderari potuisset.

10. His tamen minimè obstantibus Scotus §. *tertium est manifestum*, sic concludit: Quod autem horum trium, quæ ostensa sunt, esse possibilia, factum sit, Deus novit; *Si Authoritati Ecclesiæ, vel Authoritati Scripturæ non repugnet*, videtur probabile, *quod excellentius est, attribuere Mariæ*, hoc est, ut dicit dist. 18. §. *aliter dicitur ponendo*: quòd actualiter Beata Virgo non fuit inimica Deo ratione peccati actualis, nec ratione Originalis, *fuisset tamen, nisi fuisset præservata*. Sic Scotus.

11. Ecce evidenter in materia gravissima spectante ad Virtutem Religionis, in qua dicere mendacium est maximum mendacium, & longè fugiendum juxta Augustinum in c. *primum*. 22. quæst. 2. Scotus deserit opinionem adeo Communem, & solemnem, & illam deserit non motus à principiis necessariis, sed *probabilibus*; unde oppositum probabiliter sequitur. *Videtur Probabile*. Hæc duo verba, *Videtur*, & *Probabile*, simul juncta evidentissimè significant, Doctorem esse valde formidantem; unde evidenter Scotus sequitur hanc opinionem solùm ut merè probabilem. *Videtur Probabile*.

12. Nota etiam sub quibus Conditionibus amplectatur suam opinionem; *Si Authoritati Ecclesiæ, vel Authoritati Scripturæ non repugnet*. Et hic modus amplectendi opiniones erat Communis priscis temporibus; Unde Divus Thomas, & ex eo Summistæ dicebant discipulum excusari ab errore, si opinio Magistri *non esset contra Manifestum textum Scripturæ, vel contra id, quod publicè tenet Ecclesia*. Et communiter Scholastici Antiqui variè opinabantur de Notionibus Divinis *ante percontationem scientificam, & ante decisionem Ecclesiæ*.

13. Nos ergo ad normam Scoti sic ad propositum decidamus. *Dicitur Communiter*, quòd teneamur sequi opinionem probabiliorem, & tutiorem propter Authoritates, & propter rationes adductas; tamen *si Authoritati Ecclesiæ, vel Authoritati Scripturæ non repugnet*, videtur Probabile, *quod magis favet libertati*, esse sequendum; & hoc à fortiori, quia Doctores Antiqui sequentes opinionem rigidam, nec sunt tanti nominis, ut sunt illi, qui opinionem Communem de peccato Originali Beatæ Virginis amplectuntur, nec illam tractant ex professo, ut faciunt isti de Conceptione.

14. Sed volumus concedere Adversariis, quòd aliquis Sanctus Pater sit pro ipsis contra nos? Etiam si volumus hoc con-

concedere, quod non est verum, adhuc sequendo normam Scoti non cogimur à nostra opinione discedere. Attulerat pro opinione Communi textus ex Scriptura, & ex Patribus, hosce textus solvit quadam distinctione. Retulerat etiam pro opinione Communi Divum Bernardum hisce verbis: *Item hoc idem vult Bernardus in quadam Epistola, & probat, quia non fuit Sanctificata ante Conceptum; patet; nec in Conceptu, quia ibi fuit libido.* De hac Doctrina sic discurrit Scotus in fine quæstionis. Ad Argumentum Bernardi potest responderi, quòd in instanti Conceptionis naturæ fuisset Sanctificata non à culpa, quæ tunc non infuit, quia nulla fuit, sed à culpa, quæ tunc infuisset, nisi tunc gratia illi Animæ fuisset infusa. Et si arguatur, quòd ibi fuit libido, falsum est de Conceptione naturarum, licèt posset concedi fuisse in Conceptione, & commixtione seminum. Ecce Scotus supponit, Divum Bernardum esse in contraria opinione, & solùm curat respondere rationi illius; Nec Authoritati Bernardi conatur oppenere aliam alterius Sancti Patris. Quot clamores Adversarii in nos vibrarent, si opinionem oppositam alicui Patri sustineremus nulla suffulti authoritate alterius Patris? Nec potest dici, quòd Scotus in Argumento *sed contra* afferat pro sua opinione Augustinum, & Anselmum; Nam scimus Argumenta in tali loco allata non afferri à Doctoribus tanquam Concludentibus, nisi in corpore quæstionis iterum afferantur, & probentur. Unde constat evidenter, Scotum deseruisse opinionem Communem tractatam ex professo à Scholasticis, & quam sciebat defendi à Divo Bernardo, & hoc nulla authoritate suffultus, sed probabilibus rationibus contentus. Ergo eodem modo poterimus in nostra difficultate procedere.

15. Occasione allegationis Divi Bernardi validissimè possum instaurare argumentum nostrum *à Novitate* assumptum, In Epistola ad Canonicos Lugdunenses, quæ est 174. tractat de Conceptione Beatæ Virginis, quam ut Immaculatam *Nova* Festivitate institutam Ecclesia Lugdunensis celebrabat. Hoc audiens Mellifluus Doctor ipsius Canonicis scripsit, & eos laudat Summis Encomiis, & dicit: Præsertim in officiis Ecclesiasticis *haud facilè unquam repentinis visa est* Novitatibus *acquiescere*, nec se aliquando juvenili passa est decolorari levitate *Ecclesia plena judicii*. Unde miramur satis, quòd visum fuerit, hoc tempore *quibusdam vestrum* voluisse mutare colorem optimum, *novam inducendo celebritatem*, (scilicet colendo immaculatam Conceptionem Mariæ Virginis) *quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.* Numquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus? Periculosè præsumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. *Nec verò id tale est, quod, nisi prætereundum fuerit, Patrum quiverit, omnino diligentiam præterisse.*

16. Hæc omnia Adversarii præcipuè Vendrochius jactant in nostram sententiam. Dicunt, esse *rem novam, incognitam Patribus*; Unde nos *periculosè præsumere*, dum dicimus id, quod Patrum prudentia præterivit; *nec verò id tale est, quod, nisi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omnino diligentiam præterisse.* Hæc Scotus certè legerat in Bernardo; adhuc tamen nec curavit referre, nec refellere; Sed retulit aliud Argumentum Divi Bernardi, & eidem satisfecit. Ergo debemus supponere, quòd Scotus illa crediderit non multùm urgere; & ideò præterivit. Numquid nobis imputabitur ad piaculum, si vestigia sequendo Scoti in nostra materia transibimus eadem, quamvis ab Adversariis reputentur demonstrationes?

17. Prosequitur Sanctus Doctor, & dicit celebrandam esse Nativitatem, & Assumptionem Beatæ Virginis, & esse honorandam, quia in vita numquam peccavit. Postea subdit: *Quid adhuc addendum his putamus honoribus?* Po-

Poſtea ſolvit quoddam objectum, & confirmat aliis rationibus, Beatam Virginem fuiſſe Conceptam in Originali. Tandem concludit: Cum hæc ita ſe habeant, quænam erit *Feſtivæ ratio Conceptionis*? Quo pacto, inquam, aut aſſereretur conceptus, qui de Spiritu Sancto non eſt, ne dicam, de peccato eſt, aut Feſtus habebitur, *qui minimè Sanctus eſt*? Libenter Glorioſa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falſa induci videtur Sanctitas. *Alioquin nulla et ratione placebit contra Eccleſiæ ritum* præſumpta novitas *mater temeritatis*, *ſoror ſuperſtitionis*, *filia levitatis*. Nam ſi ſic videbatur, conſulenda erat priùs Apoſtolicæ Sedis Authoritas, & non ita præcipitanter, atque inconſultè *paucorum* ſequenda ſimplicitas *imperitorum*. Et ante quidem apud aliquos errorem compereram, ſed diſſimulabam parcens devotioni, quæ de ſimplici corde, & amore Virginis veniebat. Verùm apud Sapientes, atque in famoſa, nobilique Eccleſia, & cujus ſpecialiter filius ſum, *ſuperſtitione deprehenſa*, neſcio an ſine gravi offenſa, etiam veſtri omnium diſſimulare potuerim.

18. Divus Bernardus hìc clarè diſſimulavit errorem, dum ſolùm pauci imperiti illum ſequebantur. Non vult verò illum diſſimulare, dum apud Sapientes, & in famoſa Eccleſia eumdem deprehendit. Qui erat ergo hic error? erat proculdubio, quia colebatur ut Sancta Conceptio Beatæ Virginis. Ergo clarè Doctor Mellifluus eſt contra Immaculatam Virginis Conceptionem. Hinc neſcio, quomodò aliqui Doctores apud Franciſcum Macedo de ineff. Incarn. Myſter. collat. 6. di. 2. §. 3. conati ſint, illum gloſſare pro parte oppoſita.

19. Sed hic non eſt punctus difficultatis. Nota ſolùm, quòd Sanctus Doctor exprobrat iterum *Novitatem Sententiæ*, & hanc vocat *Matrem temeritatis*, *filiam levitatis*, *& ſororem ſuperſtitionis*. Exprobrat quoque, hanc *novitatem* fuiſſe *paucorum imperitorum*. Hanc autem *Novitatem* auſi ſunt ſequi Sapientes Eccleſiæ famoſæ, & Nobilis. Hoc accidit in noſtra difficultate. Patres fatentibus ipſis Adverſariis ſilentio illam prætererunt, ut prætererant, teſte Bernardo, Myſterium Conceptionis. Cœpta eſt quæſtio poſtea de Conceptione, & ex ſilentio Patrum Divus Bernardus, & fortaſſe Doctores alii ſui temporis arguebant, Beatam Virginem fuiſſe Conceptam in Originali. Succeſſu temporis Doctores omnes agitata quæſtione ſequuti ſunt opinionem Bernardi, maximè quia detecti ſunt quidam textus Patrum, qui pro hac opinione ſtare videbantur.

20. Tempore Bernardi Eccleſiæ Lugdunenſis oppoſitam *Novam* opinionem amplexa eſt, quamvis illam *pauci*, *&* *imperiti* ſequerentur. Eamdem Scholaſticis deſtitutam inſtauravit Subtiliſſimus Scotus. Cœptum eſt agitari, quænam opinio in re obſcura eſſet ſequenda; & Alberto viſum eſt breviter, & obiter reſolvere pro probabiliori, ſi eſſet minùs tuta; Eamdem non ità jejunè ſequutus eſt opinionem Henricus. Monaldus in prologo ſuæ Summæ narrat, ſe collegiſſe in eodem puncto plures opiniones, ut Lector illam ampleсteretur, quæ ſibi videretur *magis conſona rationi*. Hoc dictum nulla ſuffultum ratione à Monaldo amplexi ſunt bona fide alii Summiſtæ. Similia dixerat Hoſtienſis, quem ſequuti ſunt alii addentes Textum ex c. *Capellanus* de fer. Ita Proceſſum eſt in tanta re uſque ad annum 1500. quo Conradus Summenhart quæſtionem diffuſè diſcuſſit, & Antiquam Sententiam tenuit. Ab illo tempore alii eamdem opinionem Scholaſticè agitatam docuerunt. Cum ecce ab anno 1570. Bartholomæus Medina in Salamanticum Lyceũ Primarius Lector oppoſitã *Novam* opinionem firmiter invexit, quam poſtea innumeri ſequuti ſunt, etiam ex illis, qui ſuis temporibus prædicantur celeberrimi ſive in Scholaſtica, ſive in Morali; Et illam longis diſputationibus, etiam integris Libris, illuſtrarunt.

21. Opinionem illam *Novam* de Conce-

ceptione *silentio à Patribus prætermissam, & quæ principium habuit à paucis imperitis*, nostris temporibus omnes amplectuntur exceptis solis Patribus Dominicanis. Opinionem *Novam inventam à Medina*, qui non fuit Imperitus, & quam docuerunt per integrum sæculum Ducentum Famosi Doctores, cur non poterimus sequi? Maximè cum contra hanc non proferantur textus Clari Sanctorum Patrum? Hìc notabis hoc singulare in opinione Scoti de B. V. brevi tempore adeo dilatata est, ut Bacconius, qui post aliquot annos vixit, in 4. dist 2. quæst.4. art.3. dixerit, debere Ecclesiam Romanam decidere quæstionem determinando pro parte pia, quia *ubique determinatur, sanctum esse celebrare Conceptionem Beatæ Virginis.* Sic etiam opinio benigna de Probabilitate sequenda adeo brevi ampliata est, ut Salonius, qui paulò post vixit post Medinam, dixerit 22. controv. de iustit. & jur. controv.2. concl.4. art.4. quæst.63. *multos, ac gravissimos Theologos ita sentire, ac maximè ex discipulis Sancti Thomæ.* Si hæc opinio incæperat in Schola Doctoris Angelici, mirum non erat, quòd ab eadem tunc certò tantum incrementum acceperit.

22. Nunc facio Transitum breviter ad ALIAM Opinionem Communam, quæ credebatur fundata in Stylo Curiæ Romanæ.

Fit ergo quæstio: Petrus habet Reservata peccata, & non reservata; Accedit ad Inferiorem Sacerdotem, Confitetur Reservata, & non reservata. Potestne hic Inferior absolvere Petrum, ita tamen, ut illum mittat postea ad Superiorem pro Reservatis? Vel si Petrus fateatur Superiori Reservata, potestne Superior absolvere ipsum à reservatis, & pro aliis illum remittere ad Inferiorem?

23. Paludanus in 4. distinct.17. quæst. 5. artic.1. refert quinque modos circa hunc casum, quorum Primus erat, quòd pœnitens debet dicere omnia peccata Inferiori, qui remittere debet illum ad Superiorem, cui iterum debet omnia fateri; & Superior debet ipsum absolvere, vel remittere ad Inferiorem pro absolutione. Tres alii modi conveniunt, quòd Inferior potest absolvere pœnitentem, & postea illum remittere ad Superiorem pro Reservatis. Quintus modus satis confusè refertur, & satis confusè tenetur à Paludano; Prima enim facie videtur dicere, quòd & Superior potest absolvere à suis casibus, & pro aliis remittere pœnitentem ad Inferiorem; & Inferior potest absolvere à suis, & pro aliis remittere ad Superiorem; Postea verò videtur hoc negare. Lector illum adeat, & judicet, quid teneat.

24. Durandus in 4. dist. 17. quæst.15. num.8. & seqq refert quatuor modos Primos à Paludano relatos, & refellit. Num.8. dicit, Ecclesiam habere consuetudinem, quòd Inferior auditis omnibus peccatis absolvit pœnitentem, & pro Reservatis remittit ad Superiorem, qui solis Reservatis auditis ab illis absolvit pœnitentem. Num.13. dicit, multas Ecclesias credere imitari Ecclesiam Romanam, quæ quia absolvit pœnitentem à suis casibus, & pro aliis ad Inferiorem remittit, ipsæ ex hoc sumunt exemplum absolvendi à Casibus Reservatis, & pro aliis remittere pœnitentem ad Inferiorem.

25. Subdit autem Durandus, quòd istæ Ecclesiæ non bene imitantur Romanam quoad hoc, & jure merito, quia Absolutio Ecclesiæ Romanæ est quoad Excommunicationes, Irregularitates, vota, & similia, quorum quidem Absolutio potest fieri dimidiatè, quia non est Sacramentalis; unde potest fieri extra Sacramentum, & à simplici Clerico, & potest fieri per litteras. Absolutio verò Casuum Reservatorum aliarum Ecclesiarum est Sacramentalis, & est de peccatis. Ergo, sicut nequit fieri Confessio unius sine alio, sed debet esse de omnibus, ita & Absolutio, quia Confessio est propter Absolutionem. Concludit ibidem Durandus, non posse haberi circa hanc difficultatem plenam certitudinem sine decisione Sedis

Sedis Apostolicæ ; *Tamen nullum ex hoc subditis imminet periculum , qui obedienter faciunt , quicquid Superiores statuunt*

26. Per hæc Verba mihi videtur , Durandum probabiles amplecti opiniones oppositas ; approbat enim quicquid in hoc Prælati statuunt ; ergo judicat probabiles illos quatuor modos oppositos ab eodem relatos ; si enim improbabiles illos crederet , non posset approbare , quicquid statuerent hic Episcopi.

27. Bacconius in 4. dist. 16. quæst. 1. artic. 5. refert quatuor modos dicendi, qui coincidunt cum allatis , & ipse docet , quòd Inferior auditis peccatis potest absolvere , & pro Reservatis remittere ad Superiorem ; Quin addit, hoc esse verum , etiamsi Reservata haberent Excommunicationem ; & pro se allegat Divum Thomam in Quodlib: & Summam Confessor. lib. 3. de pœnit. quæst. 71. & 73.

28. Richardus in 4. distinct. 17. art. 2. quæst. 8. ad 2. dicit : quòd Pœnitens tenetur, omnia peccata Inferiori dicere , & postea Superiori tenetur solùm dicere iterum peccata Reservata. Tunc Superior priùs absolvet , & postea Inferior.

29. Divus Bonaventura dist. 21. par. 2. artic. 1. quæst. 1. fin. meo Judicio non satis clarè se explicat. Mihi videtur , quòd ita doceat : Nam videtur supponere , quòd *reservatio magis sit facta propter taxationem pœnæ , quam tali peccato debet Superior sapienter infligere , quàm pro alio , scilicet pro absolutione à tali peccato , seu culpa* ; & ideo , si talem culpam Confessus est , & pœnam pro ea à Superiore suscepit , potest illam cum aliis Inferiori integrè confiteri , & ille absolvere eum ab omni culpa. Ex hoc principio videtur necessariò sequi , quòd pœnitens possit omnia etiam reservata dicere Inferiori , & Inferior poterit ipsum absolvere , cum onere tamen , ut adeat Superiorem , non quidem ad recipiendam Absolutionem à culpa , sed ad recipiendam pœnitentiam pro Reservatis , quia in hac opinione *Reservatio peccatorum magis facta est propter taxationem pœnæ , quam propter absolutionem à culpa*. Certum est autem , quòd taxatio pœnæ potest fieri à diversis Confessariis , & Judicibus. Et nullum esset absurdum , quòd Superior sic reservaret , ut Authoritas absolvendi à culpa esset penes Inferiorem , quoad verò taxationem pœnitentiæ alicujus peccati enormis esset penes solum Superiorem.

30. Hoc mihi videtur sequi ex illo principio ; adhuc tamen subdit Sanctus Doctor , quòd qui dicit unum , vel duo peccata Superiori , non est hypocrita , & sic non peccat , quia ostendit se specialiter pro illis advenisse , & alium Confessorem pro minoribus habere , *& hoc acceptat Superior* ; Hinc *nulla est ibi deceptio*.

Per illa Verba : *& hoc acceptat Superior* , videtur innuere , quòd , si Superior non acceptaret , seu non esset contentus , tunc non esset licita illa dimidiata Absolutio à pœna. Hinc ego puto , Sanctum Doctorem non attigisse punctum nostræ difficultatis, quod est, an possit dimidiari Absolutio Sacramentalis , quæ sistit in Absolutione à culpa; cum enim effectus Sacramenti . . . . sit reconciliatio cum Deo ex Tridentino Session. 14 cap. 3. & hic effectus præcipuè dependeat à forma Absolutionis ex Tridentino ibidem ; Hinc videtur , non posse dimidiari Absolutio Sacramentalis , quia nequit dimidiari Reconciliatio cum Deo ; nam impius nequit sperare dimidiam veniam peccatorum , dicebat Augustinus in c. *Considerat* §. fin. in princ. de pœnit. dist. 5. Tenendo ergo cum Divo Bonaventura , quòd Reservatio peccatorum non sit restrictio Potestatis quoad absolutionē Sacramentalem quoad effectum ejus præcipuum , sed potiùs sit Reservatio taxandi pœnitentiam pro aliquibus peccatis, jam sequitur, quòd pœnitens poterit omnia peccata fateri Inferiori , & ab illis absolvi , & mitti postea ad Superiorem , ut pro Reservatis pœnitentiam re-

recipiat, ut bene ex illo principio arguebat Gabriel loco allegato.

31. Volui referre hosce Doctores, ut in medium afferrem omnia, quæ in hoc puncto dicta sunt. De reliquo omnes Antiquos, quos potui videre, video Concordes in concedendo, quòd inferior auditis omnibus peccatis potest absolvere pœnitentem, & pro Reservatis remittere illum ad Superiorem. Ita videtur sentire Alensis 4. par. quæstion. 18. membr. 4 artic. 5. §. 2. ad ult. Divus Thomas in 4. distin. 17. quæst. 3. artic. 4. quæst. 2. ad 4. Allegatur etiam ab Antiquis in quadam quæstione quodlib. sed hunc textum invenire nequivi. Capreol. dist. 18. quæst. 1. art 1. Henric. quodlib. 1. quæst. 29. & 30. Orbellis in 4. distin. 17. quæst. 2. §. 14. Carthus. distin. 22. quæst 2. §. *quæritur quoque* Gabriel distin. 17. quæst. 1. litter. S. Divus Antoninus 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 6. Joannes de Friburgo lib. 3. tit. 34. quæst. 73. Asten. lib. 5. tit. 18. §. *de recursu ad superiorem.* Rainerius. V. *Confessio.* cap. 33. & allegat Petrum de Tharantasia in 4. dist. 17. de Confess. artic. 6. quæst. 1. Pisanella, & ejus Supplement. Ver. *Confessor.* 1. §. 2. & 3. ubi allegatur pro hac opinione Glossa Raymundi lib. 3. de senten. Defin. Excom., &c. §. 32. V. *ad illam*, & tit. de pœnit. §. 54. Ver. *ad primum quæsitum.* & forsan ipse Beatus Raymundus. Ita etiam sentiunt Angelus Ver. *Confessio* 5. num. 9. Baptista de Salis Ver. *Confessor.* 1. §. *quid agendum cum quis.* Henricus Herp. in Speculo Aureo præcept 4. serm. 11. quæst. 3. Gerson par. 2. Alphab. 33. de potestate absolvendi fin. & clarius Alfabet. 41. litt. G. serm. in Cœna Domini apud Suar. 3. par. tom. 4. disp. 31. sect 2. Allegantur etiam alii non multùm Antiqui, nempe Major, Almain. Sylvest. Medina, Navar. Viguerius, Uterque Soto; Quibus addo Tabienam Ver. *Absolutio* 1. num. 9. Cajetanum in Summa Ver. *Confessio* Consider. 10. Fumum Verbo *Absolutio* num. 8.

32. Constat ergo fuisse communem, quin Communissimam Opinionem inquit Vasquez 3. par. quæst. 91. art. 3. dub. 9. n. 3. tom. 4. quòd Absolutio Sacramentalis possit dividi licitè, & absque peccato. Et ego assero pro certo, hanc opinionem communem Antiquorum non esse certam, sed esse revocandam in dubium, & ad lancem Veritatis examinandam.

33. Igitur duo principalia Fundamenta afferebantur pro ipsa. Primum, cui Henricus, Angelus, & Alii plures fidebant, quia hæc est praxis Curiæ Romanæ, quæ absolvit pro suis Casibus, & pro aliis remittit ad Inferiorem, & videtur colligi ex c. *Latorem* 33. quæst. 2 & c. *Significavit* de pœnitent. & remiss. Hinc, cum ita practicet Curia Pontificis, non debemus sapere, inquit Cajetanus, plusquam oporteat sapere. Tum quia iidem Doctores referunt, ita servare communem consuetudinem Ecclesiæ.

34. Secundum Fundamentum erat, quia Absolutio Sacramentalis non tollit peccatum in ratione offensæ: quia hic est effectus contritionis, unde supponitur ante Absolutionem. Absolutio ergo Sacramentalis tollit obligationem subjiciendi ulteriùs peccata clavibus Ecclesiæ, & dat Satisfactionem pro peccatis, & tollit partem pœnæ temporalis. Sicut ergo potest quis absolvi ab una excommunicatione, inquit Gabriel, alia rèmanente, ita potest absolvi Sacramentaliter ab aliquibus peccatis, ab aliis verò non absolvi.

35. Ecce in re tanta fundamenta, quæ proculdubio non sunt insolubilia, sed facilis solutionis. Et quidem, Quod attinet ad Primum, est omnino debile; non quia credam esse verum, quod dicunt Sylvester, & Suarez, his temporibus Curiam Romanam alium Stylum tenere. Caietanus enim, qui fuit Cardinalis; unde debebat scire praxim illius, dicit, ita servare Curiam; & nullum est absurdum, quòd ita servet adhuc; Cum enim casus Reservati Pontifici habeant annexam Excommunicationem, hinc bene, inquit Durandus, potest absolvere tantùm à suis; nam absolvit tantùm ab Excommunicatione, quod fieri posse est certum; Sed propter hanc rationem, quia nempe casus Papales reservantur ratione

tione Excommunicationis, non verò ratione culpæ; atque adeo, cum una Excommunicatio tolli possit, alia non ablata, possunt tolli casus Pontificii, aliis casibus remanentibus. Igitur Absolutio excommunicationis Reservatæ potest dividi, & non esse integra. Nec ex hoc arguitur bene ad absolutionem à culpa, quia, si paritas curreret in hoc, sicut Confessio potest dividi quoad excommunicationes, ita posset quoad peccata, quia Confessio est in ordine ad absolutionem; Si ergo Absolutio, quæ est finis, & perfectio Sacramenti, potest dividi, quare non Confessio?

36. Secundum Fundamentum est facilioris solutionis, quia, ut patet ex dictis, effectus, & res Sacramenti est reconciliatio cum Deo, qui effectus præcipuè dependet ab Absolutione; cum ergo nequeat dividi Reconciliatio cum Deo, nequit quoque dividi Absolutio. Tum quia nequit negari, quòd in hoc Sacramento sufficiat dolor, qui ante Sacramentũ non justificet, ut colligitur ex Trident. Sess. XIV. c. 4. Ergo tunc Justificatio fit per absolutionem; & sic corruit illud fundamentum, quod habebat vim, inquantùm Absolutio Sacramentalis supponebat, reconciliationem cum Deo haberi ante Absolutionem. Ad exemplum de divisione absolutionis excommunicationum liquet disparitas ex dictis. Vide apud Alen. par. 4. quæst. 18. memb. 4. art. 5. § 6. aliam disparitatem.

37. Ex his patet, hanc opinionem, Communissimam inter Antiquos, non esse certam ex suis fundamentis. Ergo opinio *Nova* Contraria non erit damnabilis; de qua vide Vasquez, & Suar. locis citatis; nec deferas legere Dianam par 3 tract. 4. resolut. 74. & in Coord. tom. 1. tract. 5. resolut 27. Cui magis placet nostra opinio, licèt fateatur contrariam esse Probabilem. Aliis quoque Probabilistis magis placet, & parùm videntur probare contrariam, existimantes habere fundamenta falsis suppositis nixa.

38. Dices, in hac materia posse nos sequi opinionem *novam*, quia est rigida; In casu autem de Probabilitate non posse, quia est *benigna*.

Sed contra evidenter, quia, ut pluries dixi, possum quidem operari oppositam certæ opinioni benignæ; Sic ver. gr. possum fateri peccata venialia, licèt sit certum, nos non obligari ad talium confessionem. Potest maritus quidem non petere debitum, licèt sit certum posse licitè illud petere; Non tamen possum tenere, opinionem rigidam oppositam opinioni benignæ, quæ est certa. Hinc nequeo sustinere has duas opiniones: *Teneor ex vi Sacramenti fateri peccata venialia. Maritus nequit licitè petere debitum.* Ergo etiam, si opinio benigna communis Antiquorum esset certa, quis non posset tenere opinionem oppositam, quamvis rigidam. Et ratio est manifesta, quia opinio opposita certitudini est manifestus error.

39. Dices iterum: Licèt opinio benigna esset communis Antiquis, tamen aliqui oppositum tenebant, ut patet ex Paludano, & clariùs ex Bacconio; è contra in casu de Probabilitate nullus ex Antiquis oppositum docuit. Sed contra primò, quia ex dictis dantur textus clari Antiquorum pro nostra opinione.

Contra secundò, quia fateor ita esse; sed ego non potui unquam legere unum Doctorem, qui ita tenuerit clarè. Præterea illorum opinio communiter reputabatur *dura*, & contra consuetudinem Sacerdotum; Unde Judicium illorum Doctorum parum æstimabatur. Præterea cum ipsorum opera sint incognita, non possumus illa magni facere. Tum quia forsan illi non docuerunt suam opinionem publicè, sed privatim. Tum quia, si ex hoc capite Probabilitas minus habet, habet magis in hoc, quòd non habet expressè, & clarè contra se Divum Thomam, Richardum, & Bacconium, qui sunt Proceres Antiqui Theologiæ; Et insuper non habet contra se tot Doctores, qui ex professo quæstionem instituerint. Tum quia, sicut illa materia de Absolutione dimidiata, quando cœpta est agitari ex professo, habuit communem opinionem pro benigna, & paucos, & obscuros pro rigida. Ita quandiu materia Probabilitatis non fuit agitata ex professo

fesso habuit cōmunem opinionē pro parte rigida; At agitata ex professo tunc è contra res se habuit, & communis opinio est pro parte benigna. Unde pensatis omnibus hincinde potior debet haberi opinio, quæ fundatur in discussione fundamentorum, quàm quæ bona fide accipitur non ponderatis, quæ ponderanda erant.

40. Nunc breviter discutio TERTIAM opinionem communem Antiquorum, & est in materia Sigilli Confessionis. Fit ergo Quæstio: Superior ratione Confessionis scit, subditum domo egredientem ire in lupanar; Vel esse indignum aliqua dignitate, quam habet, vel prætendit habere. Poteſtne negare licentiam egrediendi; amovere ab officio, vel negare suffragium ex indignitate solùm cognita in Confessione?

41. Circa quod Affirmativè respondet Alens. par.4. quæst.19. membr.2. artic.1. ad ult. Divus Thomas in 4. distinct. 21. quæst.3. artic.1. quæst.1. ad 3. & 4. & quodlib.5 artic.13. Divus Bonaventura distinct.21. par.2. artic.2. quæst.1. ad 4. Richardus distinct.21. artic.4. quæst.2. ad 4. Paludanus distinct 21. quæst.3. art.3. conclus. 3. Thomas Argentinas distin. 21. quæst.1. art.1. ad 2. contra 1. concl. Scotus distinct.21. quæst.2. ad 5. conclus. 4 Gabriel dist.21. quæst. uni. ante litter. K Divus Antoninus 3 par. tit. 17. cap. 22. §. 1. Astensis lib.5. tit. 20. §. *Quid si aliquis Abbas.* & Ita videtur sentire Raynerius de Confessione cap.30 casu 6. Angelus Ver. *Confessio* ult. num.12. cum Baptista de Salis Verbo *Confessionis* celatio §. 1. Ita etiam videntur sentire Pisanella, & ejus Supplementum Ver. *Confessionis celatio* §. *Quid si Abbas*, Summa Confessor. libr. 3. titul. 34. quæst.94. Albericus de Rosate Ver. *Confessio* 3. §. *Quid si Abbas.* Et ante hosce omnes Altisiodor. in 4. tract.6. cap.3. quæst.4. Ita etiam sentiunt Alii non adeo Antiqui, Sylvest. Verb. *Confessio* 3. quæst.14. Tabiena Ver. *Confessionis Celatio.* Dominicus Soto in 4. dist. 18. quæst. 4. artic. 5. ad 3. Alios referre non juvat, nec vacat, ne frustra tempus insumam. Hoc scio, quot legi, vidi in hoc concordare. Et scio Suarium 3. par. tom.4. disput.33. sect.7. num.4. hanc vocare communem opinionem. Scio pariter tradi à Magnis Theologis Modernis, qui videri possunt apud Dianam par.3. tract.4. resolut. 76 & par. 5. tract. 11. resolut. 3. & 4. & in Coord. tom.1. tract.8. resolut.15. 16. & 17.

42. Non obstante tamen hac communi Antiquorum opinione, quæ clarè, & expressè est Divi Bonaventuræ, & Divi Thomæ, quamque ex professo tractavit Angelicus Doctor, quas duas Conditiones habere communem opinionem de Probabiliori sequenda nequeunt gloriari Adversarii; Non obstante, inquam, hac communi opinione possumus oppositum docere. Hinc Clemens Octavus anno 1594 26. Maii prohibuit, ne Superiores Religionum utantur illa opinione in exteriori gubernatione. Et Claudius Aquaviva Jesuitarum Generalis anno 1590. jussit, ne sui Subditi illa uterentur in praxi, neve *illam publicè, vel privatim doceant.* Vide Dianam locis allegatis, in quibus hæc decreta reperies, sicut & Modernos hanc strenuè, & mordicus sustinentes. Nec omittas Aversam de Pœnitent. quæst.18. sect. 8. nostram opinionem egregiè tuentem. Certè ego nolem mea peccata fateri doctoribus Antiquam Opinionem sequentibus; & forsan multi Probabilioristæ, quos audio rigidos Doctores, sed non strenuos executores, refugerent talibus Confessoribus Confiteri.

43. Lego apud Scotum loco allato, quod aliquis dixerit, quòd Confessor nullo modo potest se habere aliter ad Confessum ratione Confessionis quantum ad quemcunque actum extra forum illum, quàm si penitus nihil audisset. Et in margine citatur Henricus quodlib. 8. quæst.18. Sed ibi Henricus non agit de Sigillo Confessionis, sed de merito Satisfactionis Sacramentalis. In quæst. quidem 29. ejusdem Quodlibeti tractat nostram difficultatem, & meo judicio clarè non se explicat; Sicut nec quæst.31. ubi similem difficultatem agitat. Hiquæus in 4.

in 4. distinct. 21. in fine num. 44. refert pro opinione Scoti, quam vocat veriorem, & esse Antiquorum, Henricum quodl.8. quæst.29.

44. Ecce demonstratum, ut promiseram, hisce Tribus opinionibus Communibus Antiquorum, quòd opinio communis Antiquorum non faciat certam Fidem, sed tantam, quantam merentur rationes, quibus innititur. Subdo obiter alias duas communes Antiquorum, & primam Cajetanus, & Fumus in sua Aurea Armilla Verb. *Confessio Sacramentalis* num.10. rejiciunt: Ecce Textum Fumi.

45. Tertius Casus est, quando non implevit Pœnitentiam taxatam à Confessore pro mortalibus ex contemptu, vel notabili negligentia, & illius est oblitus. Tunc tenetur reiterare Confessionem *secundùm opinionem communem Doctorum.* Cajetanus autem in Summa ibi dicit: Ex satisfactionis defectu nullum scio casum, quo rite Confessus, & absolutus teneatur reiterare Confessionem. .... Si sit oblitus pœnitentiæ non propterea teneatur iterare. .... *Hæc opinio verior videtur, alia autem securior.* Ecce expressè patet, quòd Fumus, nedum non notat de *Novitate* novam opinionem Cajetani, quin illam sequitur ut veriorem, licèt dicat, oppositam esse securiorem. Ergo etiam nos in casu de Probabilitate possumus dicere, opinionem Antiquam esse *securiorem*, opinionem verò Novam esse *veriorem*, nec illam de *Novitate* arguere.

46. Et hic notabis, quòd Cajetanus vivebat tempore Fumi, unde erat Author nedum Modernus respectu Fumi, sed Modernissimus. Adhuc tamen voluit sequi *Novam*, *Benignam*, *& Probabilem* opinionem hujus Modernissimi Doctoris contra *Antiquam*, *rigidam*, & adeo *communem* tempore Divi Bonaventuræ, ut ipse in 4. distinct 17. par. 3. in expositit. Litter. dub.4. dicat: *In hoc casu omnes concordare iterandam esse Confessionem.* Ergo etiam nos, quamvis omnes Antiqui concordarent (de quo tamen puncto non habemus Historicum referentem, ut adest in puncto de iteratione Confessionis) quòd teneamur sequi Probabiliorem; tamen possumus sequi opinionem Doctoris æquè, ac Cajetanus, Celeberrimi Bartholomæi Medinæ, qui est quidem Modernus, sed minùs, quàm erat Cajetanus respectu Fumi, & tenere, quòd nulla sit obligatio sequendi partem Probabiliorem.

47. Circa obligationem recitandi matutinum ante Missam pars affirmativa erat adeo communis apud Antiquos, ut nullum invenerim repugnantem. Inveni hujusmodi opinionis Gloss. Raym. lib. 3. de Sacram. non iter. §.13. V. *pro defunctis.* Hostien. in Sum. disti: 2. §. *& qualiter num.*14. Joan. de Fribur. lib. 3. tit. 24. quæst. 130. Durand. de Ritib. Eccles. lib. 3. cap.24. num.13. Asten. lib.4. tit.14. ar.3. quæst.2. Albericum de Rosate V. *Missa* §. *Missa qua hora.* Guidon. de Monte Rocherio in manipul Curat. de Euchar. cap. 6. fin. Palud. in 4. dist. 13. quæst.2. art.2. concl.2. Pisanellam, & ejus Supplem. V. *Missa* quæst.4. D. Antonin. par. 3. tit.13. cap.6. §. 4. Angel. V. *Missa* num.42. Biel. lect.13. super Canon. Baptis. de Salis Verb. *Missa* quæst.14. Joan. Burchar. in Ordine Missæ princ. Tenent etiam hanc opinionem Armilla V. *Missa* num. 31. Tabien. num.7. Pelbar. §.4. Apud Sylvestrum V. *Missa* 1. quæst.6. §. 4. dicitur, ita tenere Vervec. & communiter *omnes* Summistas. Hi Doctores narrant, hanc opinionem esse juxta consuetudinem *Generalem* Ecclesiæ.

48. Lego, Sylvestrum allegari & pro communi illa opinione, & pro opposita. Certè ipse refert, se audivisse *Viros Doctissimos* negantes illam generalem *consuetudinem*, & clarè dicit, *non esse verissimile, Legislatorem voluisse ad hoc sub præcepto ligare istum privatum, ubi repente occurreret aliqua necessitas, cui non posset obviari; puta quia monasterio imminet scandalum grave, aut aliquid tale.*

49. Dominicus Soto de Justit. & jur. lib.10. quæst.5. art.4. concl.2. quamvis viderit, apud Sylvestrum Summistas *omnes* sic tenere, & talem esse *consuetudinem*; non

non tamen propter hoc iit in hujusmodi communem sententiam Antiquam, sed expressè scripsit: *Hoc absque ullo jure, & rationis fulcimento dictum est; nec consuetudo censenda ullo pacto est, tale praeceptum involvere.*

50. Nos exemplum Soti, qui est unus ex Probabilioristis Vendrochii, sequamur, & opinionem illam de Probabilioritate, dato etiam quòd esset Antiquis *communis*, deseramus absque scrupulo, utpotè nullo jure, & rationis fulcimento innixam. Si enim Soto Probabiliorista deseruit opinionem *omnium* Antiquorum Summistarum, quamvis consuetudine munitam; Probabilistæ non poterunt derelinquere opinionem Antiquam, quæ non est *omnium Summistarum?*

CAPUT XLI.

Refellitur Opinio Antiquorum circa Baptismum Puerorum in Utero.

Hinc probatur, nostram Opinionem de Probabilitate non esse rejiciendam, quia est Nova.

IN cap. antecedenti probavi clarissimis exemplis opinionem nostram de Minori Probabilitate sectanda non esse improbandam ex eo, quòd sit contra communem opinionem Antiquorum. In præsenti hoc idem demonstrabo alio exemplo adeo claro, ut spero, Adversarios cogendos fore deserendi imposterum illud fundamentum tanquam oppositum experientiæ.

1. Non credo inveniri posse opinionem in Theologia, quæ vel ob multitudinem Doctorum, vel ob exactam discussionem, vel ob longitudinem temporis possit jure dici communior inter Antiquos, quàm illa de Baptismo Puerorum in uteris maternis existentium. A tempore Magistri Sententiarum usque ad Gabrielem Biel, quod Spatium amplectitur tria Sæcula cum dimidio, nunquam dubitatum est de parte negativa.

2. Gabriel Primus fuit, qui dubitavit; sed suum dubium adeo parùm invaluit, & neglectum est, ut Sylvester, qui post plures annos vixit Ver. *Baptismus* 4. quæst. 1. dicat, *ita omnes sentire.* Sic etiam Victoria, qui quasi per integrum Sæculum vixit post Biel in Summ. de Sacramen. de Baptism. num. 31. dicit, Omnes Doctores affirmare esse expectandam Nativitatem ex utero pro Baptismo, ut habetur de Consecr. distin. 4. c. *qui in maternis.* Verùm, si timeatur de ejus morte, & manu obstetricis posset realiter mitti aqua, & verba dici, esset verus Baptismus. Etiam hic Doctor solùm dubitativè loquitur, & fatetur omnes stare pro negativa. Denique Dominicus Soto in 4. dist. 5. art. 11. ait: de conclusione hac *nemini hæsitare licet;* sanè cum Sacris Canonibus sit definita, ut de consecr. dist. 4. c. *si ad Matris, &* c. *qui in maternis*, & ratio est *manifestissima*, quia aqua Baptismi ad illum puerum pertingere non valet plusquam, si Baptizaretur conclusus in Arca, cujus latera aqua penetrare nequiret.

3. Nunc ergo recenseo Doctores Antiquos, quos omnes ipse legi, excepto Petro de Tarantasia, quem, quamvis, summa diligentia conquisitum, nunquam potui habere. Qui omnes partem negativam docuerunt, & sunt Magister in 4. dist. 6. cap. 2. Albertus art. 9. Divus Thomas quæst. 1. art. 1. & dist. 23. quæst 2. art. 2. quæstiunc. 1. ad 1. & 2. & ad Anibal dist. 6. art. 1. & par. 3. quæst. 68. art. 11. Alensis par. 4. quæst. 8. membr. 7. art. 1. §. 2. Divus Bonaventura dist. 6. par. 2. art. 1. quæst. 1. apud quem Petrus de Tarantasia dist. 6. quæst. 5. & 6. Richardus art. 2. quæst. 1. Paludanus quæst. 1. Hærveus quæst. 1. Durandus quæst. 1. Scot. dist. 4. quæst. 3. Baccon. dist. 5. quæst. 2. Antonius Andreas dist. 4. quæst. 3. Rubion. quæst. 1. art. 2. Petrus de Aquila quæst. 1. §. *dico igitur.* Aureolus dist. 5. quæst. 1. conclus. 4. Thomas Argentinas quæst. 1. art. 4. Mayron dist. 4. & 5. quæst. 1. Stephanus Bru-

 lifer

lifer dist.6. quæst.7. Dionysius Carthusianus dist.6. quæst.1. Marsilius Inguen. in 4. quæst.4. art.4 dub.4. Holchot quæst. 1. art.4. Nicolaus de Orbellis distinct.4. quæst 1. Henricus Gorichen dist 6. qu.2. & forsan etiam Nicolaus Gorichen, seu Gorram. Hi sunt Scholastici Antiqui, idest qui usque ad annum 1494. floruerunt, & hanc opinionem sequuti sunt.

Ex Summistis eamdem amplexi sunt Joannes de Friburgo lib.3. tit.24. quæst.31. Rainerius de Baptismo cap.5. casu primo Astensis lib.4. titul. 6. §. *circa secundum* quæst.5. Guido de Monte Rocherio Manip. Curat. de Bapt. cap.5. Pisanella, & ejus Supplementum Verb. *Baptismus* 4. quæst. 1. Albericus de Rosate in Diction. Verb. *Baptismus* 4. Gerson Sum. Theolog. lib.4. quæst. 6. Antoninus 3. par. tit. 14. cap.13. §. 1. vers. *Immersio in Aqua.* Angelus Verb. *Baptismus* 6. num.1. Baptista de Salis Verb. *Baptismus* 4. quæst.2. Henricus Herp in Specul. Aureo præcep 1. serm. 13. quæst. ult. Hanc videtur supponere Nider in Præcep. præcep. 3. cap.3. litter. E. quatenus dicit, quòd in periculo, etiamsi solùm manus, aut pes nascitur, baptizandus sit puer.

4. Ex Canonistis eamdem sequuntur Gratianus c. *qui in maternis* de consecr. dist.4. Glossa in c. *si ad Matris* de Consecr. distinct.4. Ver. *si ad Matris.* Joannes Andreas in c. *debitum* de baptis. Boic. c. *majores* eod. Archidiaconus c *Baptizari* 5. dist. & c. *qui in maternis* de consecr. dist.4. Bellamera ibidem, Zabarella in Clement. Fidei §. *ad hoc.* Geminianus c. *Baptizari* 5. dist. num.2. Præpositus ibid. num.1. Turrecremata; c. *qui in Maternis* de Confecr. dist 4.

5. Legi plures alios Scholasticos, Summistas, & Canonistas, sed hanc difficultatem non enodarunt. Pro illa verò opinione negativa non refero Scholasticos, Summistas, & Canonistas, qui floruerunt ab anno 1500. usque ad 1590. qui possent dici Antiqui per Adversarios. Non refero, inquam, quia tot Doctoribus, & tantis, & ex professo quæstionem agitantibus superfluum est alios addere; maximè cum Sylvester, & Soto asserant, ita *omnes sentire.* Ita autem hi Doctores tenebant suam opinionem, ut viderentur illam certam habere; unde Divus Bonaventura supponendo illam ut veram, solùm quærit rationem suæ Veritatis.

6. Gabriel in 4. distinct 4. quæst.2. art. 3. dub. 2. litter. N. Primò dicit, *quod Puer in utero Matris non potest Baptizari, licèt possit in eo Sanctificari*; adhuc tamen infra ait: *Sic etiam si ablui posset in utero Matris sua debita forma verborum, reciperet verum baptisma.* Adhuc paulo post subjungit: Si verò, ut aliquibus placet, *puer adhuc latens in utero Matris*, quamvis Matri conjunctus aqua corpus ejus contingente ablueretur, vel aspergeretur cum debita intentione, & forma, *verè puer baptizatur, & Salvaretur, ut innuit Beatus Thomas reddens rationem quare Mater scindi non debet. Si tamen mortua Matre præsumeretur puer vivere, aperienda esset Mater, & puer baptizandus.*

7. Hìc patet, quòd Gabriel crediderit, secundùm mentem Divi Thomæ baptismum fore validum, si in utero puer posset ablui, ita etiam sentit Valentia tom. 4. disput.4. quæst.1. punct.2. Versu, *Tertio sequitur.*

8. Circa hoc ego pro certo puto, Divum Thomam nullo modò suspicatum fuisse, quòd puer existens in uteris maternis posset per artem ablui; nam in textu ex par.3. dicit: de necessitate baptismi est, quòd corpus baptizandi *aliquo modo aqua abluatur*; cum baptismus *sit quadām ablutio*; corpus autem infantis antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua, *nisi forte dicatur*, quòd ablutio baptismalis, qua corpus Matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat. Ecce infans in utero *aliquo modo nequit ablui.* Huic propositioni negativæ opponit solùm unicum ablutionis modum, & est: *nisi fortè dicatur, quòd ablutio Matris ad filium in ventre existentem perveniat.* Certè, si Doctor Angelicus suspicatus fuisset, quòd infans posset ablui in utero per artem, hoc sibi objecisset, cum hæc obje-

ctio

ctio immediatè falsificaret suam propositionem negativam universalem. Tum quia, si Divus Thomas suspicabatur, infantem in utero posse ablui per artem, quomodo sine mendacio dicere poterat, nullo modo posse ablui? Certè habuisset duplex cor; atque adeo mentitus fuisset. Arg. c. *ne quis* 22. quæst. 2.

9. Concedo quidem, quòd Divus Thomas in respons. ad 3. dicat: Si tamen mater mortua fuerit vivente prole in utero, *debet aperiri, ut puer baptizetur.* Unde clarè cognoscit, posse ablui puerum in utero. At hic non est casus noster. Difficultas est, an Divus Thomas cognoverit infantem posse ablui, dum matris uterus est integer, nec per artem cæditur in duas partes. Et dico, quòd Angelicus nullo modo suspicatus est, posse per artem ablui, quia expressè dicit: *quòd Corpus infantis antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua.* Et, quod magis est, apponit unicam, & quæ nihil urgebat, limitationem, *nisi fortè dicatur, quòd ablutio matris pertingat ad puerum.* Sic etiam in aliis textibus ex libris Sententiar. dicit: *Puer quandiu est in utero matris existens, non potest subjici operationi ministrorum.* Ergo secundùm Divum Thomam nunquam puer existens in utero Matris integro potest ablui, seu subjici operationi ministrorum. Tum in respons. ad 1. in quæst. 68. artic. 11. 3. par. ait: quòd Pueri in maternis uteris existentes nondum prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant; unde non possunt subjici actioni humanæ, ut per eorum ministerium Sacramenta recipiant ad salutem; *possunt tamen subjici operationi Dei, apud quem vivunt, ut quodam privilegio gratiæ Sanctificationem consequantur, sicut patet de Sanctificatis in utero.* Ecce negat Divus Thomas, quòd pueri in utero possint justificari per Sacramenta, *quia nequeunt subjici operationi humanæ*, nec cum aliis vivunt. Concedit, posse Sanctificari à Deo, quia apud ipsum vivunt, & ipsius operationi subjiciuntur; & concedit posse Sanctificari, *sed quodam privilegio.* Certè hic Divus Thomas docet clarè, magis subjici hos pueros Dei operationi, quàm operationi hominum; Si autem suspicatus fuisset, quòd possent per artem ablui, tunc æqualiter operationi humanæ fuissent subjecti. Immo magis hominibus fuissent subjecti, quia *non quodam privilegio*, seu extraordinariè, & per miraculum, & præter legem communem, sed ordinario modo, & secundùm artem naturalem; Unde his temporibus, in quibus Medici, Chirurgi, & Obstetrices nos certificarunt, quòd aliquando hi pueri naturaliter possunt ablui, debemus dicere, quòd plus subjiciuntur operationi humanæ, quàm Divinæ, quia subjiciuntur hominibus naturaliter, Deo verò *quodam privilegio*, & præter legem communem.

10. Tum quia in 3. objecto Angelicus sibi opposuerat, quòd, si puer in utero Matris viventis nequit baptizari, cum minus malum sit mors corporalis, quàm æterna, in hoc casu melius esset, quòd Mater aperiretur, *& puer vi eductus baptizaretur*, quàm quòd puer æternaliter damnaretur absque Baptismo decedens. Respondet huic objecto, quòd, cum occidere Matrem sit malum, ideo quis non debet occidere Matrem, ut baptizet puerum; quia non sunt facienda mala, ut veniant bona. Si tamen Mater mortua fuerit vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur. Eamdem Doctrinam habet in textu distinct. 6. ex 4. sentent. Ecce evidenter, quòd Divus Thomas viva Matre non agnoscit casum, in quo puer existens in utero possit baptizari, quia viva Matre agnoscit solùm posse baptizari, *si aperiatur uterus*, idest cædatur in partes à Chirurgo.

Tum quia in respon. ad 4. concedit, quòd, si caput *ex utero egrediatur*, potest baptizari, sicut si qua libet alia pars. Hinc patet, quòd Divus Thomas requirit, ut possit baptizari existens in utero Matris viventis, quòd saltem aliqua pars egrediatur. Igitur puto evidenter demonstratum, quòd Divus Thomas nesciverit, nec suspicatus fuerit, quòd

posset ablui puer existens quoad omnes suas partes intra uterum Matris viventis.

11. Difficultas est, an, si Divus Thomas scivisset à Medicis, quòd puer existens totaliter in utero Matris viventis possit physicè ablui, sicut nos scimus, concessisset, illam ablutionem esse baptismum. Illi Doctores, qui tenent Angelicum approbare Argumentum, quòd ponere solet in §. *Sed contra*, quando illi non respondet, dicere debent, quòd illa ablutio non sit Baptismus, quia in Argumento, *Sed contra*, Doctor Angelicus affert Augustinum epistol. 57. ad Dardanum dicentem, *nemo renascitur, nisi primò nascatur*; Ergo non debet aliquis baptizari, *priusquam ex utero nascatur*.

Ex alia parte videtur, quòd concederet esse baptismum, quia, dum negat puerum posse baptizari, hoc ideo negat, *quia nequit subjici operationi humanæ*, ut patet ex omnibus ejus textibus. Ergo à contrario, si concederet, quòd subjiceretur operationi humanæ, concederet etiam, posse baptizari. Præterea in Resp. ad 3. dicebat: Si tamen Mater mortua fuerit vivente prole in utero, *debet aperiri, ut puer baptizetur*. Ecce ut baptizetur infans, exigit, ut aperiatur uterus, non tamen dicit, quòd puer extrahatur ex utero.

12. In Contrarium est, quòd in textu ex Sentent. ad Anibaldum expressè asserit, quòd *puer in utero* Solùm *divina operatione per privilegium gratiæ potest renasci*. Nota illam particulam, *Solùm*, quæ est exclusiva; unde facit sensum, quòd puer in utero potest renasci per privilegium media operatione Divina, non verò media operatione humana. Ergo si posset ablui ab homine, adhuc puer non renasceretur per illam ablutionem. Tum quia Doctor Angelicus semper sequitur Augustinum; Cùm ergo Augustinus clarè exigat ad Baptismum Nativitatem ex utero, ut patet in textu allato à Divo Thoma, & in aliis, Divus Thomas non concederet puerum in utero totaliter existentem, quamvis aqua ablutum, baptizari.

13. Tum quia in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad primum dicit, quòd generatio spiritualis præsupponit naturalem sibi correspondentem; & ideo generatio spiritualis, quæ fit per ministerium hominum in baptismo præsupponit nativitatem *ex utero*, qua homo in notitiam, & Societatem hominum prodit; Sed regeneratio, quæ fit divinitus, *non præsupponit de necessitate, nisi nativitatem in utero*. Ecce regeneratio Spiritualis humana differt à regeneratione Spirituali Divina, quia præsupponit *nativitatem ex utero*. Regeneratio verò Spiritualis habita à Deo necessariò non supponit nativitatem ex utero. Ergo Secundùm Divum Thomam nequit dari regeneratio spiritualis per hominem, nisi supponat *nativitatem ex utero*. Per hunc textum præcipuè existimo, quòd Divus Thomas non concederet, puerum existentem totaliter in utero matris viventis, quamvis aqua ablutum, posse baptizari.

Nec Argumenta in Contrarium probant aliquid. Non quidem PRIMUM, quia in materia Legis Divinæ non semper valet Argumentum à Contrario sensu. Sic non valet In Sententia Divi Thomæ: Infans infidelis nequit ordinari Episcopus; ergo Infans Fidelis potest ordinari Episcopus; Nam Secundùm Divum Thomam etiam Infans Fidelis nequit validè suscipere Episcopatum. Sicut ergo ultra Fidelitatem per Angelicum requiritur in homine lumen rationis; Sic etiam, ut quis Baptizetur per Divum Thomam, requiritur *nativitas ex utero*; nam regeneratio Spiritualis habita per hominem supponit, ad differentiam regenerationis Spiritualis habitæ per Deum, supponit, inquam, *nativitatem ex utero*.

14. Nec valet SECUNDUM; Primò, quia si Concederemus in illo casu de incisione uteri, quòd Puer posset baptizari absque eo, quòd extraheretur ex utero, non per hoc idem deberet dici in casu nostro; nam in primo tangitur ab homine; Et cum lucem videat, potest dici

dici aliquo modo prodiisse in lucem; unde aliquo modo vivit cum aliis hominibus, quæ sunt conditiones requisitæ ad actionem humanam, per quam homo debet baptizari ex Divo Thoma ad. 2. in art. ex 3. par. In nostro autem Casu nec videtur, nec tangitur ab homine, & adhuc potest ablui ab homine; ergo ablutio in hoc casu non esset baptismus.

15. Secundò non valet Argumentum. Nam, licèt expresè non dicat, quòd aperiatur uterus, *&* *Extrahatur*, & posteà baptizetur, subintelligitur illa conditio, *Extrahatur*, quia in illo articulo agens de Baptismo facto in capite, & in aliis partibus, loquitur de partibus, quæ sunt egressæ ex utero. Tum quia regeneratio Spiritualis facta per homines juxta Doctorem Angelicum supponit nativitatem ex utero.

16. Plures sunt Moderni, qui sequuntur opinionem oppositam, sed etiam Plures sequuntur opinionem Antiquam. Unde opinio nova Modernorum nec numero, nec qualitate Doctorum æquat Antiquam; quin longè Superatur, & quod magis est, Moderni Antiquiores Victoria, Valentia, Toletus, Lessius, Bonacina. quos vidi, non illam sequuntur absolutè, sed conditionatè, nempe quòd infans baptizaretur, *si posset ablui*.

17. Non possum, non altè conqueri de his Doctoribus, quòd in re tam facili, & tam obvia plenam, & certam cognitionem non attigerint de illa Experientia, an Scilicet Infans in utero materno possit ablui. Nonne hæc experientia pendet à Medicis, à Chirurgis, ab obstetricibus, à fœminis gravidis? Cur ergo illos, & illas non interrogare? Nunquam audierunt à Gravidis, ab obstetricibus, quòd ante partum egreditur ab utero humor aqueus in magna copia? Si egreditur; ergo & ingredi poterit, quia eadem est via Thebis Athenas, & Athenis Thebas, dicebat Aristoteles 3. physic. tex. Si humor ingreditur in uterum ergo infans abluetur.

18. Præterea Theologi, Canonistæ, & Legistæ nonne sciunt ex l. *temporibus* ff. de inspic. Ventr. quod, quandò dubitatur, An mulier sit gravida, tunc sunt adhibendæ obstetrices, quæ ventrem inspiciant, & referant veritatem? Cur ergo non adhibere etiam in nostro casu obstetrices ad probandum, an possit ablui? Nunquid major sollicitudo adhiberi debet de vita temporali, quàm de Spirituali? Præterea nonne in celeberrimo c. *Fraternitati* de Frigidis, & Maleficiat: & c. *proposuisti* de probat: legunt ad sciendum, an mulier sit cognita à Viro, & sic an Matrimonium sit validum, quòd adhibentur honestæ mulieres ad inspiciendum ventrem? Cur ergo ad sciendum, an uterus gravidæ possit ablui, & sic an baptizari possit infans, non adhibentur honestæ mulieres ad inspiciendum ventrem? Nunquid major cura debet haberi pro determinatione Matrimonii, quàm Baptismi? aut majus est negotium, ut generentur filii Mundo, quàm Cœlo?

19. Sed quid dicendum de iis Doctoribus, qui nec dubitaverunt de hac experientia, & tamen vixerunt in tempore, quo jam invaluerat hæc dubitatio? & quid de illis, qui scripserunt, postquam alii Moderni non dubitando, sed affirmando ut certum, posse infantem aliquando ablui existentem totaliter in utero materno, & tamen de hac experientia non meminerunt?

20. Nunquam desinam mirari, quòd Pater Natalis Alexandri agitans hanc difficultatem tom. 1. lib. 2. c. 7. de Baptismo prop. 2. sequutus opinionem antiquam, ut Parochos inflammaret ad salutem horum miserabilium puerorum refert ibidem Regul. 2. Ordinationem Sanctissimam Divi Caroli, qua jussit ut si mulier gravida objerit, aperiatur uterus, *&* *Fœtus eductus*, si vivit, quamprimùm baptizetur. Id verò magna cautione fiat, *ut & is vivus ex utero extrahatur*; & tunc in primis cùm mater verè mortua est, *ne pro salute Filii Mater occidatur*. Subdit postea, quòd

Synodus Lingonienſis anno 1404. conceſſit 40. dies Indulgentiæ illis, qui præſtant auxilium incidendi, ac extrahendi puerum ex utero mortuæ. Ita etiam ſtatuiſſe Synodum Senonenſem anno 1524. & Pariſienſem anno 1557. narrat ibidem.

21. Nunquam, iterum dico, deſinam mirari, quòd Pater Natalis fecerit mentionem de talibus Ordinationibus, & non fecerit mentionem hujus experientiæ; & tamen illæ ordinationes ſolùm inſerviunt pro Urbibus, & Caſtellis, in quibus morantur Chirurghi, & & quidem peritiores, qui ſint apti ad incidendam matrem mortuam; non verò pro Villis, in quibus non adſunt Chirurghi, & difficiliter ob paupertatem, & ob diſtantiam poſſunt vocari ab Urbe. E contra noſtra experientia poteſt inſervire pro pueris in Villis morientibus. Sed ideo puto illam omiſiſſe, quia in Præfatione operis declarat, ſe regulas morales conſtituere non ſecundùm opinionem Modernorum, ſed juxta Divinas Litteras, Sanctos Patres, Concilia, Decreta Pontificia, & Sanctos Thomam, Raymundum, & Antoninum.

22. Ego laudo Doctiſſimi Viri zelum, & Religioſitatem; at ſubdo pro præſenti caſu, & pro aliis dependentibus ab experientia, & à Facultatibus naturalibus hæc principia non ſufficere. Noſter præſens caſus inquirit, An pueri exiſtentes *in uteris maternis* poſſint baptizari. Certè, cùm cognitio propoſitionis dependeat à cognitione terminorum, nequit bene reſolvi, niſi priùs cognoſcantur ipſius termini. Inter autem terminos præſentis difficultatis adeſt ille, *in uteris*. Ergo debet bene cognoſci hic terminus, *uterus*; Hujus autem cognitio non dependet à prædictis principiis, *ſed à principiis Medicinæ*. Ergo, ut plenè reſolvatur prædicta quæſtio, debemus recurrere ultra *ad Sacram Scripturam*, *Sanctos Patres*, *Concilia*, *Pontifices*, *Divum Thomam*, *Divum Raymundum*, *& Divum Antoninum*, etiam ad Medicos, Chirurgos, & Obſtetrices. Hinc, quia Antiqui, & cum ipſis Pater Natalis, tales non conſuluerunt, non adæquatè, ſalva ipſorum reverentia, potuerunt præſentem diſputationem diſſolvere; Et hinc dixerunt univerſaliter, & abſolutè, puer in uteris maternis nequit baptizari, *quia nequit ablui*, *neque ſubjici operationi humanæ*. Et tamen evidenter conſtat, quòd talis puer *aliquando ſubeſt operationi humanæ*, *& poteſt ablui*, quin ita poteſt ablui, ut poſſit etiam ſubmergi in utero ab aqua, ut mox patefaciam.

23. Nos ergo, ut plenè, quantum fieri poteſt, enodemus negotium, & conſulamus ſaluti horum puerorum magis miſerabilium cæterorum hominum, legamus Chirurgos, & Medicos. Igitur ſciendum ex Thoma Bartholino in ſua Anatomia Reformata lib. 1. cap 28. Uterum ſic dici ab Utre, & ſolere etiam vocari Matricem, Utriculum, & Loca muliebria.

24. Collocatur autem Uterus in hypogaſtrio, hoc eſt in infima parte imi ventris, quæ in cavitate, quæ peluis dicitur, conſtituitur ab Oſſe Sacro, & oſſibus Ilei. Ejus figura ab aliis ſtatuitur Rotunda, ab aliis Pyriformis. Hoc eſt certum, quòd uterus eſt talis figuræ, quòd una pars habet cavitatem majorem, alia minorem; Unde uterus, ut idem Author ſcribit cap. 29. conſtat ex duplici parte diſſimilari, una dicitur *Fundus*, Alia verò *Collum*, ſeu *Cervix*. Fundus habet ampliorem cavitatem, minorem Collum. Quælibet ex his in alias partes ſubdividitur, quæ diviſio ad rem non pertinet.

25. Collum cõmuniter habet longitudinẽ octo, vel ſeptẽ digitorum per tranſverſum, ut digitũ longiorem æquet. Officium Fundi eſt continere fœtum; in ipſo enim à virtute generativa fit Conceptio hominis; Unde ab Ariſtotele ſolet vocari naturæ *campus*. Facta Conceptione clauditur Fundus, & ibi clauditur ubi incipit collum, ſeu cervix. Illa pars, in qua fit hæc clauſura, appellatur Orificium uteri interius ad differentiam vulvæ, quæ Orificium exterius dicitur. Hoc

c autem Orificium tam arctè claudi- juxta Hipocr. de natura puer. nu.37. ;9. & ita vulgò creditur, ait Bartholus, ut ne specilli aciem, aut acum romittat. Aperitur autem in superatione, & in partu sive naturali, sipræternaturali.

26. Collum uteri potest dividi in tres rtes, In Orificium exterius, quod fot vocari Vulva, seu Valva, inquit artholinus cap.32. In Orificium Interius, & in partem, quæ est inter Orifia. Orificium interius est illa pars, quæ onjungitur cum fundo uteri, & clauitur in formatione fœtûs. Orificium Exterius est illa pars colli exteriùs apparens, & oculis obvia. Pars Intermedia :st illa longitudo, septem, aut octo digitorum, quæ incipit ab Orificio externo, & desinit in Orificio interno.

27 Fœtus Humanus efformatus statim involvitur à duabus membranis, quæ ita junctæ, & mutuò connatæ sunt, ut unum videantur constituere, & hoc unum dici solet Secundina, vel Secunda.

Prima Membrana *Amnios* dicitur, in qua multus, & copiosus reperitur humor, inquit Bartholinus cap.36. cui fœtus innatat, qui humor oritur ex sudore, & ex urina pueruli. Ad nostrum propositum multum refert reminisci, quòd ille humor contineatur ab *Amnios*. Secunda Membrana dicitur *Chorion*, eò quòd instar circuli fœtum ambiat. Hæc secunda membrana immediatè cingit, & ambit Primam, Unde fœtus immediatè circundatur à membrana *Amnios*, & hac mediante à *Chorion*. Usum, & cognitionem ulteriorem harum membranarum non est opus describere, utpotè ad quæstionem impertinentia.

28. Partus dicitur Naturalis à tempore, cum scilicet fit à septimo mense completo, & deinceps, & à modo egrediendi, & hic modus est unicus, cum scilicet caput priùs ab utero egreditur. Quocunque alio modo egrediatur, vel fiat, dicitur Partus Præternaturalis. Ego habeo Librum Italico Sermone compositum à Scipione Mercurio, qui vivebat anno 1571. ut testatur ipse lib.2. cap.28. Hic porrò Liber inscribitur Italicè *La Commare*, ò *Raccoglitrice*, Latinè, *Obstetrix*. Et principio Secundi Libri describuntur diligentissimè, & figuris delineantur plures Partus Præternaturales. Describuntur quoque, & Figuris delineantur à Daniele Sennerto tom.2. Operumq.3. libr.4. par.2. sect.6. c.5.

29. Instante tempore Partus tunc *ruptis membranis*, inquit Sennertus cap. 3. *aqua, ut vulgò appellantur ab obstetricibus, ex urina, & sudoribus infantis collecta effluunt; primò pauca, hinc copiosa, denique Sanguis aquosus effluunt; atque uteri orificium* (utique interius) *ad fœtum excludendum aperiri incipit.*

30. Multis autem causis etiam partûs Naturalis difficilis evadere potest, quas idem Sennertus cap.4. enumerat; Unde dicebat Hippocrates v. Aphorism. 56. *Quacunque utero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo.*

31. Causæ difficultatis sunt, vel quia Uterus est debilis, & ad expellendum non insurgit, ac dolores illi, qui ex uteri conatu expellendi fœtum excitantur, gravidam non apprehendunt. Item quia Spiritus, & Sanguis, quæ sunt Instrumenta expellendi partum, non adsunt in sufficienti copia; Item si in utero Gemelli, vel Plures adsint, & eodem tempore exitum quærunt; Aut si fœtus molam cohærentem habeat; Aut si fœtus est magnus, vel secundùm totum corpus, vel secundùm caput; Vel si vasa Umbilicalia aliquot gyris collo infantis circumvoluta sunt.

32. Sed multò difficilior Partus evadit, si sit Præternaturalis, ex eo quòd fœtus modo Naturali, scilicet capite prius egrediente, non accidat. Hi autem modi plurimi enumerantur à prædictis Doctoribus, quamvis plures, qui tamen rarius fiunt, omittantur. Et Sennertus cap. 5. narrat ex Joanne Schenchio, quòd Infans sursum abreptus usque ad Umbilicum, natus sit ex eo, quòd peritissima fœmina immittens in uterum manum singulari dexteritate retraxerit

Infantem ad locellos, & filius vivus, & vitalis ederetur.

33. Edocendo autem modum, quo Partus Præternaturales faciliter fiant, præscribunt, ut obstetrix curet, quòd infans acquirat figuram, & modum naturalem. *Si fœtus*, inquit Sennertus ibidem, *non recto situ prodeat* obstetrix manu oleo inuncta, *unguibus præcisis partim retropellendo, partim in rectum agendo, prout opus fuerit dirigere, & in meliorem, ac naturalem situm conformare debet, & omnis labor eo dirigendus, ut fœtus in cavitatem uteri reducatur.*

Ex hoc textu habetur, quòd obstetrix potest immittere *manum in Uterum*, quod est maximè pro nostro casu notandum. Hoc idem apertè idem Author cap. 3. in fine asseruerat dicens: *danda quoque opera, ut una cum infante Secundina exeant; quæ, si in utero restiterint*, manu, *calido oleo illita*, in uterum immissa extrahendæ sunt, *quæ si utero cohæreant, paulatim hinc inde circum agendæ, & tandem validiùs attrahenda, atque extrahendæ sunt.*

34. Inter Partus difficiliores Præternaturales tres sunt, qui apud Sennertum cap. 5 Decima, Duodecima, & Tertiadecima Figura repræsentantur. Sunt autem cum Infans Natibus, vel Dorso, vel Ventre, & Pectore, Orificio Interiori obversis, exire conatur.

35. Ex his omnibus, quæ apud Medicos, Chirurgos, & obstetrices sunt inconcussa, colligitur, quòd datur sæpe casus, in quo uterus, seu cavitas uteri, sit apertus, & tamen Infans secundùm omnes suas partes sit intra cavitatem uteri, & nulla sit extra, quod præcipuè accidit, si Caput sit Magnum, vel Infans pectore, & ventre, vel dorso egredi conetur. Potest etiam dari casus, quòd Infans secundùm aliquam partem sit extra cavitatem uteri, & illa pars sit in media parte colli uteri, nec pertingat ad Orificium exterius, unde adhuc extra nihil appareat, quod præcipuè accidet, si uterus, & Infans sint debilis virtutis, & defatigati ob longam moram in egrediendo. In his ergo duobus Casibus potestne Infans Baptizari?

36. Secundùm ergo opinionem Antiquorum, de qua per plusquam Tria Sæcula nihil dubitatum fuit, Respondendum est negativè. Pro hac Conclusione afferuntur Textus, & rationes, & prior Textus desumitur ex Divo Augustino epist. 57. ad Dardanum, cujus mentionem facit Magister in 4. distin. 6. cap. 2. ubi sic scribit. Nec renasci quisquam potest, antequam natus sit. . . . Hoc ergo excepto lapide Angulari, non video, quomodo ædificentur homines in Domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum; *nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse, antequam nati*. . . . illa Sanctificatio, qua efficimur & singuli Templa Dei, & in unum omnes Templum Dei, *non est nisi renatorum, quod nisi homines nati esse non possunt.* Nullus autem vitam, in qua natus est, bene finiet, nisi renatus antequam finiat. Quòdsi quisquam dicit, jam esse natum hominem, etiam cum adhuc est in utero Matris, testimoniumque adhibet ex Euangelio Luc. 1. quia, dictum est ad Joseph de prægnante Virgine Domini Matre, Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est; Nunquid nam huic Nativitati accedit Secunda Nativitas? Alioquin non erit jam Secunda, sed Tertia. Dominus autem cùm sic loqueretur, nisi quis, inquit, renatus fuerit denuo, *eam scilicet computans Nativitatem, quæ fit Matre pariente, non concipiente, atque prægnante, quæ fit ex ea, non quæ fit in ea.* Neque enim renatum dicimus hominem, quem Mater peperit, tanquam iterum natus sit, qui jam semel natus fuerat in utero; *Sed illa nativitate non computata, qua gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex Aqua, & Spiritu.* Secundùm quam ex Matre nativitatem etiam ipse Dominus in Bethlehem Judæ dicitur natus. *Si igitur homo regenerari per Gratiam Spiritùs in utero potest, quoniam restat illi adhuc nasci, renascitur ergo, antequam nascitur, quod nullo modo fieri potest.*

37. In hoc Textu Sanctus Doctor nedum

suam opinionem explicat, sed simul bat illa ratione, quia impossibile est, d quis renasci per Baptismum possit, *prius sit natus.* Nec dicas, sufficere ivitatem in utero, nam sic, dum is ex utero nasceretur, deberemus il- n vocare *renatum, cum antea natus t in utero.* Tum quia *si in utero per etiam Spiritùs regeneratur; Ergo rena- tur, antequam nascitur, quod nullo odo fieri potest.* Ecce quòd Divus Au- stinus refellit Argumentum opposi- um; unde pertractat hanc difficultatem professo afferendo rationem pro sua pinione, & refellendo opposita.

38. Secundus Textus desumitur quo- que ex Divo Augustino lib. 6. contra Ju- ianum cap. 5. ubi scribit: Si ad Matris corpus id, quod in ea concipitur, per- tinet, ita ut ejus pars deputetur, non baptizaretur Infans, cujus Mater baptiza- ta est aliquo mortis urgente periculo, cum eum gestaret in utero. Nunc verò, cum etiam ipse baptizetur, non utique bis baptizatus habetur, non utique ad maternum corpus, cùm esset in utero, pertinebat. His duobus Texitibus uti- tur Pater Natalis Alexandri, qui pote- rat addere, Secundum Textum Canoni- zari in c. *si ad Matris* de consecr. di- stinct. 4.

39. Tertius Textus desumitur quo- que ex Divo Augustino de Baptis. par- vul. & refertur c. *si baptizata* ead. Sa- cramentū Baptismi est *Sacramentum rege- nerationis;* Quare, sicut, qui non vixe- rit, non potest mori, ita, qui natus non fuerit, non potest renasci; Ex quo con- spicitur, neminem in suo parente potuisse renasci, *cum nondum sit natus.*

40. Quartus Textus est Divi Isidori lib. 1. sentent. cap. 22. & refertur in c. *qui in Maternis* de consecr. distinct. 4. ubi di- citur: qui in maternis sunt uteris, ideo cùm Matre baptizari non possunt, quia, qui natus secundùm Adam non est, se- cundùm Christum regenerari non po- test; neque enim dici in eum regene- ratio potest, quem generatio non præ- cessit.

41. Ratio verò, quam Soto *manife- stissimam* appellat, pro hac conclusione est, quia Infans in tali statu positus ne- quit ablui; Cum autem Baptismus sit quædam ablutio, ut omnes fatentur; Ergo, si infans in tali statu nequit ab- lui, nec etiam baptizari poterit, nisi fortè dicatur, Infantem ablui, quate- nus Mater abluitur, quod non sufficit, ut patet ex Divo Thoma, & Augusti- no; quin clarè colligitur ex Tridentino sess. 5. in Decr. de Originali peccato. In hac ratione præcipuè se fundat Angeli- cus, & plures Theologi. Præterea hi pueri cum aliis vitam non ducunt, nec sunt noti Ecclesiæ; ergo nec sunt capa- ces Sacramentorum cæterorum homi- num, & Ecclesiæ. Probatur ab aliis hæc Conclusio aliis Argumentis, sed re- ctè impugnantur à Divo Thoma, & Scoto; atque ideo illa omitto.

42. His tamen minimè obstantibus, sed salva honorificentia, quæ tot, tan- tisque Theologiæ Proceribus, præcipuè tamen Divo Thomæ, & Bonaventuræ debetur, oppositam opinionem tan- quam Probabiliorem, *& magis piam, & magis faventem extrema, ac ultimæ necessitati harum miserabilium Persona- rum, & adeo miserabilium*, ut nullo mo- do possint per proprios actus sibi prodes- se, *debemus omnino sustinere.* Si Cha- ritatem, pietatem, & misericordiam his parvulis non impendimus, quibus impendemus? Sed pro clariori solutio- ne.

43. Dico PRIMÒ, debere esse certum, quòd hi Pueri, antequam secundùm ali- quam partem exeant à Collo Uteri, vel à cavitate Uteri, & sic antequam secundùm aliquam partem nascantur ali- quo modo, sed sint totaliter in cavitate uteri, & in utero, possunt physicè ablui. Hoc autem accidit instante tem- pore partùs, quo tempore aperitur Ute- rus, & quia partus fit in tempore, & sic successivè, ideo in omni partu datur tempus, in quo est apertus Uterus, & infans secundùm omnes partes est in ca- vitate Uteri; & hoc tempus est longius, ut duret per plures dies, & præcipuè in partu Præternaturali. Hoc est evidens ex

ex dictis supra, & quilibet pro certo habebit, si Medicos, Chirurgos, & Obstetrices interrogabit, quibus personis tanquam peritis in propria arte ex Legibus, & Sacris canonibus est credendum. Præterea si quisque interrogabit gravidas, hæ respondebunt, quòd ante partum à suis Uteris egrediatur aqua: ergo & in Uterum poterit ingredi aqua, quia eadem est via, dicebat Aristoteles, quæ Thebis Athenas it, & Athenis Thebas.

De hac ergo conclusione non est dubitandum, nec revocandum in dubium, sicut nunc non est ampliùs dubitandum, an dentur Antipodæ, & Oceanus sit navigabilis, quamvis Antiqui plurimi de hoc dubitaverint, & plurimi hæc negaverint.

44. Remanet ergo sola difficultas in assignando modum, quo talis ablutio debeat fieri. Hanc porro describo ex Patre Georgio Gobat de Sacrament. tract. 2. n. 57. ubi ex Scildere sic docet: Ordinariè facile est aquam usque ad Infantem, aut secundas digito madefacto immittere, aut potiùs per infusionem factam tubo aliquo, aut instrumento, quo Chirurgi solent ad sanandam Matricem affectam aquas medicas expurgationi inservientes in eam infundere. Quo Instrumento etiam, quando infans digito attingi non potest, immitti possunt aquæ baptizando fætui inservientes; nam etiam tunc spes est (corrige, *Est certum*,) quòd ad infantem, vel ad Secundas eum circumdantes perventuræ sint...... Semper autem cavendum est, ne aqua adhibeatur alia, quàm calida, eò quòd Immissio Frigidæ sit mors matris. Adhibendus etiam tum ratione honestatis, tum ob peritiam Chirurgus, vel obstetrix, si fieri possit. Ita Gobat. Ego addidi, quòd si per tubum, vel per clysterem, seu per aliud instrumentum iniiciatur aqua in Uterum, *certò* Infans abluatur; Ratio est, quia infans occupat totum Uterum, & propter hoc crescente Infante dilatatur uterus; ergo injecta aqua in uterum debet omninò Infans madefieri.

45. Ego, dum fit ablutio mediis digitis, & manu, adhiberem parvam spongiam bene madefactam; quia sic certior fieret ablutio. Si Collum Uteri esset amplum, facerem ablutionem per manum, quia sic certiùs fieret in parte certò apta baptismo, Ver. grat. in capite, in pectore, &c. Si verò collum esset angustum, ut accidit in primò parientibus, in junioribus, in pinguibus, &c. tunc uterer Instrumento. Quòd verò per Instrumentum possit certò iniici humor in Uterum, non debent de hoc dubitare Theologi; Sufficit, ut consulamus Medicos, Chirurgos, & Obstetrices de hac experientia. Hinc Sennertus lib. 4. par. 1. sect. 2. c. xi. fin. hydropem Uteri curat per Clysteris injectionem in uterum. Sed de hoc, ut dicebam, ambigendum non est. Decet autem omninò ob modestiam, & honestatem in hac ablutione, quòd adhibeatur obstetrix, & postea Chirurgus; & hæc praxis est juxta Leges, & Canones supra allatos. Sed reminiscendum, quòd agitur de re, quæ forsan potest evehere ad Regnum Cœleste Infantem, qui aliàs certissimè pœnam damni subiret.

46. Quòd Pater Gobat dicat, quòd aqua saltem perventura sit ad Secundinam circundantem puerum, videtur supponere, quòd aperto utero remaneat ordinariè loquendo puer sic amictus, quod non est verum, vidimus enim supra oppositum contingere. Infans siquidem se solvit ab illis membranis, & hinc ipse prior egreditur ex utero; aliquando tamen Infans non se solvit, sed ab illis coopertus egreditur, & ille partus nuncupari solet *Galeatus*.

47. Dico Secundo, quando Uterus non est apertus, quod accidit in toto tempore, quo mulier gerit in utero, & præcedit tempus pariendi, (quando enim aperitur in superfætatione, quod accidit ob delectationem in copula carnali, non inservit pro nostro casu, cum finita copula iterum claudatur) tunc physicè nequit infans ablui, quia uterus est clausus, ut patet ex dictis juxta

›rincipia medica. Si autem Infans uit ablui, certissimè nequit baptizà- quia Baptismus est ablutio quædam; st definitum in c. *si ad matris*, quòd tizata matre non baptizatur infans, olligitur, ut supra dixi, ex Tridenо sess. v.

48. Dico TERTIO, salva iterum totæ ıtiquitati debita reverentia, probabi.s est, illam physicam ablutionem, ıa infans in tempore assignato abluere-r in utero totaliter existente, esse saamentum Baptismi, & Infanti prodes-, &c, si moreretur, Cœlum peteret, ıia, ut Fides docet, Baptismus Januam œli aperit.

49. Probatur 1. quia, quamvis dicaar sæpe per Baptismum parvulos *renasci* uxta illud Joannis 3. *Nisi quis renatus uerit*, &c. tamen simul, ac semel diciur *regenerari*. Hinc Paulus ad Titum ap. 3 dicebat: Secundùm misericordiam suam salvòs nos fecit *per lavacrum Regenerationis*; & forsan ad hoc respexit Divus Petrus in 1. Epist. cap. 1. dum dixit: *Regeneravit nos in spem vivam.* Hinc Divus Dionysius de Ecclesiastica Hierarch. c. 2. definit Baptismum, quòd sit principium Sanctissimorum Mandatorum Sacræ actionis ad aliorum divinorum eloquiorum, & Sacrarum Actionum susceptivam opportunitatem formans animales nostros habitus ad supercœlestis quietis anagogem nostrum iter faciens, *& Sacra, ac divinissimæ nostræ regenerationis traditio.* Et Divus Damascenus lib. 4. cap. 1. ait: Baptisma est, per quod primitias spiritus Sancti accipimus, & principium alterius vitæ *fit nobis regeneratio*, & Sigillum. Et Beda lib. 1. in Luc. c. x. dicebat, Aquas ablutas per carnem Christi peccati nesci m Baptismi jus induisse, *& vim Regenerativæ concepisse Sanctificationis.*

50. Eodem modo loquuntur Origenes in Joan. tom. 8. in explic. illius textùs. Ego quidem baptizo vos in aqua. Joan. Grysostomus homil. 23. in Joan. Cirillus Alexandrinus in Joan. c. 3. vers. 3.4. & 5. Theophilactus in Joan. c. 3. §. *dicit ad eum Nicodemus* Rupertus Abbas in Joan. lib. 3. in explic. textùs, *nisi quis renatus fuerit* &c. Beda iterum in Joan. cap. 3. De Divo Augustino est plusquam manifestum legenti ejus indicem V. *Generatio*, *Regeneratio*. Quin in primo ejus textu relato ab Adversariis pro sua opinione clarè Sanctus Doctor dicit, in Baptismo hominem *Regenerari*. Idem patet de Isidoro ex textu allato.

51. Hoc idem pluribus in locis asserit Divus Thomas, ut superfluum sit omnes textus referre; sufficiat illum ex 3. par. quæst. 62. art. 2. ubi ait: Baptismus ordinatur ad quandam *spiritualem regenerationem*; & Alium ex quæst. 65. art. 2. ubi sic scribit: *Manifestum est*, quòd Baptismus, *qui est spiritualis regeneratio*, est priùs. Lege cap. 59. lib. 4. contra Gentiles. Mihi est certum apud Sanctum Doctorem sæpius tribui Baptismo nomina *Regenerari*, *&* *Regeneratio*, quàm *Renasci*, *&* *Renativitas.*

52. Hæc etiam veritas est manifesta ex c. *qui in maternis*, & c. *si baptizata* de consecr. distinct. 4 ut patet ex verbis horum Textuum allatis supra. Et in c. *debitum* de Baptis. Sicut ergo in Carnali generatione, qua proles nascitur ex viro, & fœmina, alius est, qui carnaliter gignit, & alius, qui carnaliter gignitur, *sic & in Sacramentali generatione*, qua Soboles ex Spiritu Sancto, & Aqua renascitur, alius debet esse, *qui spiritualiter generat*, & alius, *qui spiritualiter generetur.*

53. In c. *quoque. cum Martha.* §. quæsivisti Baptismus appellatur *Sacramentum Regenerationis*. Et in Trident. sess. 5. dicitur, quòd *Regenerationis lavacro* necesse sit expiari..... ut in eis *regeneratione* mundetur, quod generatione contraxerunt. Et sess. 6. cap. 4. quæ quidem translatio in statum gratiæ post Evangelium promulgatum *sine lavacro regenerationis*, aut ejus voto fieri non potest. Ex his rectè Catechismus Romanus potuit definire Baptismum, quòd sit Sacramentum *Regenerationis* per lavacrum aquæ in verbo vitæ; Primus textus Tridentini importat formalia verba Innocentii primi decernentis contra Pelagium

lagium, *parvulos* ex muliere baptizata natos eſse baptizandos. Vide Breviarium Romanum die. 28. Julii.

54. Suppoſito ergo, quòd proprium ſit Baptiſmi regenerare ſpiritualiter, ſic Argumentum inſtruitur: Genitus naturaliter poteſt regenerari ſpiritualiter, & ſic baptizari; Sicuti natus naturaliter poteſt renaſci ſpiritualiter; ſed infans totaliter exiſtens in utero Matris eſt genitus naturaliter; ergo infans totaliter exiſtens in utero Matris poteſt regenerari ſpiritualiter; & ſic baptizari. Minor probatur, cujus veritas dependet præcisè à principiis Philoſophicis, & ejus cognitio ad ſolos Philoſophos ſpectat.

Igitur ex Ariſtot. 5. phyſicor. cap. 2. tex. 7. datur duplex generatio, ſimpliciter, & ſecundùm quid. Prima eſt, per quam ex non ente fit ens ſimpliciter, ideſt ſubſtantia. Secunda eſt, per quam fit ens ut tale, vel tantum, &c. ideſt per quam producitur accidens.

55. Sed adhuc generatio, ſeu productio ſubſtantialis preſſiùs ſumi poteſt, ideſt pro generatione viventium; & ſic *generatio ſignificat*, inquit Divus Thomas 1. par. quæſt. 27. art. 2. *Originem alicujus viventis à principio vivente conjuncto, & hæc proprie dicitur nativitas.* Hinc, quando Equa producit mulum, propriè dicitur illa actio, Generatio, & Nativitas. Denique Generatio propriiſſimè ſumi poteſt, & eſt, quando terminus vivens productus poteſt dici genitus; & ſic Divus Thomas addit illi definitioni hæc alia: *Secundùm rationem ſimilitudinis in natura ejuſdem ſpeciei.* Hinc Thomiſtæ hanc propriiſſimam generationem definiunt: *eſt origo viventis à vivente principio vita conjuncto in ſimilitudinem naturæ.* Eamdem Doctrinam habet Scotus in 3. diſtinct. 8. quæſt. unic. §. *ad quæſtionem.* Et in 1. diſtinct. 13. quæſt. unic. ad 1. princ. unde Scotiſtæ hanc generationem definiunt, ut videre licet apud Maſtrium de Generatione diſput. 8. qu. 1. num. 1. quòd *ſit productio naturalis viventis à vivente ſimilis producentis in natura.* Et in hac definitione rectè ponitur ille terminus *Naturalis*, quia dicebat Ariſtoteles de Anima lib. 2. cap. 5. num 2. eſſe *naturaliſſimum viventibus, generare ſibi ſimile ad conſervandam ſpeciem.* Ex quibus verbis videtur, Divum Thomam, & Scotum Theologos deſumpſiſſe ſuas definitiones de Generatione Viventium.

56. Ex his ēvidenter probata manet Minor noſtri Argumenti; nam hìc per genitum intelligimus hominem per generationem ſubſtantialem productum. Patet autem, quòd Infans in utero totaliter exiſtens eſt productus per generationem ſubſtantialem quacunque ex tribus definitionibus allatis de generatione. Et quando ex utero egreditur, tunc non habetur aliquid de generatione, ſed perſona, quæ aliàs erat genita, & erat homo, egreditur ab uno ad alium locum, & per illam nativitatem ex non ente non fit ens ſimpliciter, nulla enim de novo ſubſtantia habetur, quæ antea non erat; ſed ex non ente fit *tale ens*, ſcilicet fit ens extra uterum, quæ eſt generatio accidentalis ex Ariſtot. & ſic non poteſt dici tunc, *homo generatur.*

57. Major noſtri Argumenti, ſcilicet *quod genitus naturaliter poteſt regenerari ſpiritualiter*, videtur per ſe nota, & vera ex terminis. Quid enim aliud requiri poteſt ad regenerationem ſpiritualem, quàm generatio Naturalis? Poſt Primam generationem utique ſequi poteſt ſecunda, & poſt generationem naturalem poteſt ſequi ſpiritualis, cum ſpiritualis fundetur in naturali, gratia enim fundatur in natura. Tum quia natus poteſt renaſci; ergo genitus poteſt regenerari. Tum quia ex c. *qui in maternis* dicitur, non poſse aliquem regenerari ſecundùm Chriſtum, qui nondum eſt genitus; ergo, qui eſt genitus, poteſt regenerari ſecundùm Chriſtum.

58. Confirmatur: Si Mater nequeat effundere ex utero infantem; unde neceſse ſit, ut inciſionem patiatur, & puer exeat partu Cæſareo, tunc ille puer eſt in rigore Filius, ſicut cæteri, ſuæ Matris, & ſui Patris; & Phyſica illum recenſet tanquam productum per generationem naturalem; ergo eſt propriiſſimè

mè genitus. Consequentia liquet, quia Ratio Filii essentialiter importat rationem Geniti, ut fatentur etiam Theologi par. 1. quæst.27. art.2. Et in 1. dist.13. ubi tractant illam quæstionem, quare Spiritus Sanctus non sit genitus, bene verò Filius. Ergo generatio naturalis datur sine nativitate ex utero.

59. Probatur secundò. Ad Baptismum non requiritur necessariò *Nativitas ex utero*, sed sufficit *Nativitas in utero*. Duplex etenim datur Nativitas, In utero, & ex utero juxta Albertum in 4. distinct.6 art.9. & Angelicum Doctorem in 3. distinct 3. quæst.1. art.1. fin. Sed Infans in utero existens totaliter est natus in utero, ut est evidens; Unde de Jesu noviter Concepto dicit Scriptura Matth. cap. 1. d. num. 20. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*; Ergo Infans in utero totaliter existens potest baptizari.

60. Sola Major indiget probatione. Probatur tamen multipliciter, quia Nativitas in utero est propriè Nativitas, nam *est origo viventis à principio vivente conjuncto*, quæ ratio *propriè est Nativitas*, inquit Divus Thomas par. 1. qu. 27. art.2. Tum quia, qui exit ab utero partu Cæsareo, propriè non est natus. Hinc Ecclesia die 31. Augusti celebrans festum Beati Raymundi, illum vocat *Nonnatum*, quia præter communem naturæ legem *è mortua Matris dissecto latere* in lucem eductus fuit. Et quidem omnino rationabiliter talis infans nequit dici *Natus*, nam Nativitas est actio naturalis partim virtute uteri, partim virtute ipsius pueri prodiens. E contra partus Cæsareus fit per actionem violentam; quia cæditur venter infimus, & uterus. Unde illa actio est tota ab extrinseco, & passum nihil confert, quin repugnat; & sic est actio violenta. Violentum autem, & naturale nedum sunt unum, & idem, sed maximè *opponuntur. Ergo Partus Cæsareus non est natus.* Adhuc tamen Partus Cæsareus est baptizandus, ut factum fuit de Beato Raymundo, & fatentur Divus Thomas 3. par. quæst.68. art.11. ad 3. & Concilia illa Provincialia Gallica supra relata, quæ Indulgentias concesserunt iis, qui curam ponerent ad extrahendum puerum ex utero Matris mortuæ, ut baptizetur.

61. Confirmatur: Nativitas ex utero requiritur ad Baptismum non per se, & ratione sui, quia nullum habet motivum speciale, propter quod Christus voluerit alligare virtutem regenerativam spiritualiter tali Nativitati. Requiritur ratione alterius, quia scilicet subjicit puerum operationi humanæ, per quam solam conferuntur Sacramenta. Hinc, quia extractio violenta Pueri ex utero habet etiam hunc effectum; ideo puer sic violenter extractus potest baptizari. Cum ergo etiam in utero existens per artem possit subjici operationi humanæ, etiam in utero existens poterit baptizari.

62. Dices: per illam extractionem violentam ab utero puer ponitur in statu, in quo cum aliis hominibus vivit, & est notus Ecclesiæ: & sic Ecclesia potest illi sua Sacramenta conferre; quæ rationes non verificantur de puero existente totaliter in utero.

Sed contra est, quia ille puer potest tangi ab obstetrice, ut patet ex dictis; ergo est notus Ecclesiæ. Tum quia nullo jure exigitur ad Baptismum requiri, quòd puer immediatè per aliquem sensum ab Ecclesia cognoscatur; sufficit enim, quòd cognoscatur mediatè, quæ cognitio haberi potest de illo puero, ut est evidens. Sufficit ergo, quòd Ecclesia certò sciat, subjectum esse hominem habentem peccatum originale. In nostro autem casu certi sumus, illam Fœminam gerere in utero animal, cum se moveat, nec esse animal irrationale, quia homo nequit generare brutum per se loquendo, & ordinariè, & insuper ille homo habet peccatum originale, ut Fides docet; Nam *in peccatis concepit me Mater mea*, dicebat David. Ergo in hoc casu Ecclesia habet notitiam sufficientem ad Sacramenti administrationem.

63. Confirmatur. Quando Christus Joann. 3. dixit, Nisi quis *renatus fuerit*

ex aqua, & spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei, illud Verbum, *Renatus*, non dicit relationem ad Nativitatem ex utero, ut supponunt Adversarii; ergo nullo ex capite ad Baptismum exigitur nativitas ex Utero. Consequentia liquet, quia ex unico hoc textu fundant Doctrinam illam, quòd ad Baptismum requiratur Nativitas ex Utero. Probatur Antecedens, quia, si quis legat Evangelium, cognoscet quidem, quòd Nicodemus intelligebat illum Textum in sensu Adversariorum, unde dicebat: quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ *iterato introire, & renasci*? At ex verbis Christi hoc nequit argui. Subdit Christus: dico tibi, nisi quis *renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, non potest introire in Regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est, *& quod natum est ex spiritu*, Spiritus est. Ecce quòd ille, qui dicitur *renasci* ex spiritu, dicitur etiam *nasci*. Quod *natum est ex spiritu*. Certum est autem, quòd Nativitas ex spiritu non supponit nativitatem ex Utero, ut patet in Sanctificatis in utero.

64. Confirmatur ulteriùs, quia ubi nostra lectio vulgata dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*; Aliæ Versiones variant; Nam Tertullianus lib. de Baptism. cap. xi. legit: Nisi *natus ex aqua quis erit, non habet vitam*. Syriacus, Divus Nyssenus orat. de Baptis. & Eutimius legunt: *Nisi quis genitus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*. Divus Anastasius Sinaita lib. v. Hexamer. Goffred. Abbas serm. de Resurrect. vertunt: *Nisi quis fuerit generatus ex aqua, & Spiritu*.

65. Ecce secundùm hos Patres quòd hic textus non habet vim in ly *Renasci*, ut necessariò debeat significare, & dicere ordinem ad Nativitatem ex utero; sed significat generationem, & nativitatem spiritualem simpliciter; quæ spiritualis generatio definitur à Tridentino dicta sess. vi. cap 4. quòd sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum Gratiæ, & adoptionis Filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum. Et hæc definitio loquitur de illo statu injustitiæ, quam homines, dùm propagati per Adam concipiuntur, contrahunt, ut dicit Tridentinum cap. 3. Unde ly *Nascitur* debet sumi per *Nascitur in Utero*, non *ex Utero*. Tum quia in utero Sanctificatus dicitur generari Spiritualiter, & tamen non est natus ex utero; ergo Generatio spiritualis non dicit ordinem necessarium ad Nativitatem ex utero.

66. Confirmatur tandem, quia in Baptismo idem est renasci, ac regenerari ex dictis; ergo idem debet esse nasci, ac generari; Sed Nativitas ex utero non est generatio ex dictis; ergo Nativitas ex utero non est illa Nativitas, quam renascentia in Baptismo de necessitate supponit.

67. Probatur III. Valet Argumentum à Definitione ad definitum, quod verum est nedum apud Metaphysicos, & Physicos, sed etiam Legistas, quia bona definitio debet converti cum suo definito l. 1. ff. *de dolo malo*. Bertachinus, & Tuschus, Ver. *definitio* alios Legistas afferentes. Sed Puer in utero totaliter existens potest recipere definitionem Baptismi; ergo & ipsum Baptismum. Minor Probatur. Definitur Baptismus à Magistro in 4. dist. 3. cap. 1 quòd *Sit Ablutio Corporis exterior facta sub præscripta forma Verborum*. Et hæc definitio coincidit cum illa Augustini in Joan & cap. 4. ex tract. 15. Est intinctio in aqua verbo vitæ Sanctificata. Hanc definitionem Theologi amplectuntur in 4. d dist. 3. ubi Divus Thomas Herveus, Divus Bonaventura, Paludanus, & alii Theologi, quibus accedunt Summistæ Albericus de Rosate, Hostiensis in Summa, Pisanella, & ejus Supplementum Ver. *Baptismus* 1. Rosella Ver. *Baptismus* num. 1. allegans Directorium Juris, & alii, quos superfluum duco singillatim recensere. Sed Infans in utero totaliter existens potest suscipere hanc definitionem; quia ex prima conclusione liquet, quòd possit aqua

aqua physicè ablui, & dum abluitur, possunt dici Verba formæ baptismi; ergo etiam potest suscipere definitum, scilicet baptismum.

68. Scotus in 4. dist. 3. quæst. 1. dat duplicem definitionem baptismatis. Prima est: Baptismus est Ablutio hominis aliqualiter consentientis facta ab alio in aqua simul, verba certa cum intentione debita proferente, significans efficaciter ex Institutione Divina ablutionem animæ à peccato. Secunda est: Baptismus est Sacramentum ablutionis animæ à peccato consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis. His definitionibus accedit Rubion dist. 3. quæst. 1. art. 1. fin. licèt alia ratione ductus.

69. Si istæ definitiones verificantur de Infantibus extra uterum, verificantur etiam de Infantibus in utero. Et si dicatur de Infantibus in utero non verificari, quòd efficaciter significet *ablutionem Animæ*, debent Adversarii assignare rationem, cur Ablutio, & prolatio verborum facta ab alio cum debita intentione sit in uno efficax signum gratiæ, non verò in alio.

70. Divus Bonaventura d. dist. 3. par. 1. art. 1. quæst. 1. ponit duas baptismi definitiones. Prima est Hugonis lib. 2. par. 6. c. 2. *Baptismus est aqua abluendis criminibus Sanctificata.* Secunda verò est illa allata ex Magistro.

Primam verificari de nostro Infante patet; aqua siquidem Sanctificatur pro *abluendis criminibus*; Cum ergo noster infans habeat crimen Originale; ergo etiam pro nostro Infante *aqua est sanctificata.*

71. De secunda definitione dictum est supra. Sanctus Doctor ibidem affert duas alias definitiones; sed quia non sunt de Baptismo, sed de ejus effectu, ideo illas pertranseo. Easdem quatuor definitiones referunt Alensis par. 4. quæst. xi....... Divus Thomas ubi supra, & 3. par. quæst. 66. art. 1. & Richardus distinct. 3. artic. 1. quæst. 3.

72. Cæteras definitiones aliorum Doctorum omitto referre, quia ut advertit Gabriel dist. 3. quæst. unic. princ. Differunt solùm in verbis, non verò quoad rem significatam.

Unicam aliam referam, quam ponit ipse Gabriel: est autem hujusmodi: Baptismus est lotio hominis viatoris non dissentientis facta in aqua elementari fluida ab alio simul formam debitam cum intentione debita proferente. Brulifer definitionem non dissimilem habet dist. 3. quæst. 1. Hæc quoque definitio tota, quanta est, verificatur de nostro Infante, ut consideranti patebit. Idem Gabriel subdit, quòd huic definitioni possent addi hæc alia verba: *Ex institutione efficaciter significans ablutionem à peccatis.* Adversarii negabunt has particulas de nostro Infante; at ipsi, ut dicebam, debent reddere rationem, cur verificatis aliis particulis definitionis de infante extra uterum verificantur hæ quoque, non verò verificantur de Nostro. Instamus ergo: Priores particulæ causant in infante extra uterum signum efficax ablutionis Animæ; ergo etiam debent causare hoc signum in nostro Infante; ubi enim est causa, ibi quoque est effectus. Tum quia, si assignabunt aliquam differentiam, tunc hæc dedebat poni in definitione, quia in definitione debet poni causa immediata effectùs, & proprietatis primariæ rei definitæ; Et in nostro casu debet poni in definitione fundamentum proximum, in quo Deus decrevit collocare virtutem significandi effectum Sacramenti, ut sic sciamus, quandonam faciamus Sacramentum.

73. Probatur. IIII. Psalm. 129. dicitur: *Copiosa apud eum Redemptio.* Et Divus Paulus ad Rom. v. scripsit: *Non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt,* multò magis Gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi *in plures abundavit.* Si Gratia Christi in plures abundavit, quàm delictum; ergo Infantes in utero existentes sunt capaces alicujus gratiæ; sed alterius Gratiæ non sunt

sunt capaces, nisi regenerationis ad statum Gratiæ, quæ regeneratio habetur per baptismum. Ergo &c. Nec effugies Argumentum, si dicas, posse Santificari in utero, ut accidit Divo Joanni Baptistæ, & Hieremiæ; Nam Divus Paulus loquitur de Lege communi, & de gratia, quæ datur juxta providentiam Ordinariam, non verò Extraordinariam, & per Gratiam specialem. Unde, sicut valet dici, quòd Primus Adam omnes suo delicto infecit, ita Secundus Adam pro omnibus remedium instituit; & sicut Primus Adam suo peccato inficit Infantem in instanti, in quo existit, ita Remedium Secundi Adæ est validum semper, quotiescumque applicetur. Hinc magis redundat in Gloriam Christi, si dicamus Baptismum posse Sanctificare Infantem nondum extra Uterum positum, quàm si hoc negemus.

74. Confirmatur. Baptismus Ordinatur principaliter ad delendum peccatum Originale, quamvis etiam de Fide sit in Baptismo omnia peccata ante facta deleri ex Tridentino sess. 5. Ergo Infans eo ipso, quòd habet peccatum Originale, habet morbum curandum à Baptismate. Quare ergo, si applicentur omnia præscripta à Christo, debemus dicere, quòd ille morbus non expellatur? Dicebat Innocentius in c. *Majores* de Baptis. *Absit, ut Universi Parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.* Quid, quæso, dicturus esset Pontifex illi, qui assereret, quòd Christus pro illis pueris, qui in utero moriuntur, nec sunt pauci, nullum procuraverit remedium ad salutem, & tamen est ille idem Christus, qui neminem, & sic nec illos miseros parvulos vult perire? Quid si adderet, quòd, licèt fierent omnia circa illos pueros, quæ fiunt circa pueros extra Uterum, tamen illa actio esset profutura his, non vero illis? Nunquid alii sunt magis digni, aut alii minùs miseri, & magis indigni?

75. Teneamus ergo tanquam Christo magis honorificam, & miserrimis personis magis faventem opinionem benignam, paucorum quidem Modernorum, relinquendo illam rigidam Antiquitatis. Quia tamen est durum dicere, quòd tanta Antiquitas *certò erraverit*; ideo fatendum est, opinionem Antiquam esse Probabilem, sed minùs. Quia autem in conferendis Sacramentis debemus sequi opinionem tutiorem, ubi agitur de valore Sacramentorum juxta Decretum Innocentii Undec. num. 1. Ideo conferemus Baptismum his parvulis sub conditione: *Si sint capaces.* Sic enim injuriam Sacramento non faciemus, si esset invalidum, & succurremus necessitati illorum parvulorum, quantum possumus. Tum quia, cum Baptismus est dubius, debet dari sub conditione ex c. *de quibus* de Baptism.

76. Multò autem magis debebit dari Baptismus sub conditione, si fiat medio aliquo instrumento, quia tunc non possumus esse certi, an abluatur pars principalis v. gr. caput; Sed forsan abluetur pes, digitus &c. de quibus est dubium ex Divo Thoma 3. par. quæst. 68. art 11. fin. an sufficiant ad Baptismum. Et adhuc à fortiori Baptismus est dandus sub conditione, si infans à membranis non se solverit, quod potest cognosci, si nihil de aqua ex utero fluxerit; est enim multùm dubitabile, an infans possit validè baptizari involutus in secundinis, ut videre licet apud Layman lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 3. quamvis plures Moderni affirmativam sententiam tueantur apud Dianam par. 5. tract. 3. resolut. 4. Et in Coord. tom. 1. tract. 1. resol. 75. quibus ex Antiquis præiverunt Aureol. in 4. distinct. 5. quæst. 1. Angel. Ver. *Baptismus* 6. num. 4. Rosella Verb. *Baptismus* num. ..... Et ex non multùm Antiquis Sylvester Verb. *Baptismus* 4. qu. 1. Fumus Ver. *Baptismus* num. 27. Hic obiter nota contra Dianam par. 10. tract. 16 resolut. 19. & in Coord. tom. 1. tract. 1. resolut. 76. non esse verum, quòd puer soleat nasci in secundina loquendo de Nativitate extra uterum, quia, ut vidimus ex Medicis, raro accidit partus Galeatus.

77. Sed

77. Sed magis juvat, notare contra Theologos Antiquos, qui dicunt non esse scindendam matrem vivam, ut puer extrahatur, & baptizetur. Juvat, inquam, notare, & supponere, quod incisio matris vivæ in partu Cæsareo non sit mortalis, nec per se mortem afferat, ut sustinet Scipio Mercurius in illo suo libro Italicè dicto, *La Commare*, lib.2. cap.28 qui narrat hanc experientiam didicisse in Gallia anno 1571. & vidisse mulieres expertas hanc incisionem; & idem docuisse testatur Franciscum Rousset natione Gallum; Et hanc opinionem efficacissimè probat, quia venter ille in parte dextera, aut sinistra nullam partem habet, quæ cæsa mortem afferat. Lege ipsum. Lege etiam Sennertum ubi supra num. Nec omittas videre Patrem Gobat in sua Theolog. Experim. de Sacram. tract.2. casu 8. num.259. in Appen. qui priùs credebat, hanc incisionem matris vivæ esse omnino peccatum mortale; tamen post Lectionem Theophili Raynaudi tom. 14 tract. de ortu infan. per part. Cæsar. Mutavit opinionem convictus à rationibus, & Authoritatibus Medicorum, quibus in hoc est credendum. Et ipse Gobat affert duo exempla de Fæminis viventibus post talem incisionem. Et mihi hæc scribenti mulier fide omnino digna narrat, se cognoscere fæminam vivam, & bene se habentem expertam hujusmodi incisionem.

78. Si Theologi legent Medicos, quibus est omnino standum, statuent pro certo contra Antiquos, esse licitam hujusmodi incisionem, uti ego pro certo judico. Difficultas solùm est, quòd reperiatur Chirurgus idoneus, & doctus, quia in rei veritate est experientia admodum difficilis, & quæ supponit magnam peritiam Anatomicæ artis. Si illæ Synodi Gallicanæ largitæ sunt Indulgentias pro iis, qui adjuvant incisionem matris mortuæ, ut baptizetur Infans, nunc edoctæ novam hanc Modernorum veritatem, alias Indulgentias concedant pro iis, qui cædent matrem vivam, Hæc enim incisio est utilior, quàm incisio mortuæ; nam certiùs Infans vivus extrahetur; & mater plusquam probabilissimè vivet, quæ certissimè esset moritura sine tali incisione; dicimus sed enim incisionem matris vivæ licere solùm, quandò nulla spes affulget, quòd Filium possit parere. Et hìc universaliter moneo omnes Theologos, & præcipuè Probabilioristas, quòd, quando agitur de aliquo casu Conscientiæ, qui dependet à principiis alterius facultatis, ut legant Doctores illius facultatis, quia sic meliùs definient; & si Doctores Antiqui Medicos consuluissent in nostro casu de Baptismo pueri existentis in utero matris, forsan sic unanimiter in partem negativam non convenissent. Et certissimè adeo confidenter non dixissent indefinitè, *quòd talis puer non subjaceat operationi humanæ*. Vel si Probabilioristæ refugiunt legere extraneos Doctores, non dedignentur legere Modernos Theolgos, apud quos invenient veram Doctrinam de principiis hisce extraneis. Unde, si Pater Natalis Alexandri legisset Raynaudum, Scildere, Gobat, & alios Modernos, ipse quoque cum Antiquis indefinitè non scripsisset: *hoc est pueros non subjacere operationi humanæ*, & forsan mutasset sententiam, & pro hac cum reverentia debita deservisset onem Divi Thomæ, & Divi Antonini, quos se velle sequi universaliter professus est in Præfatione suorum operum contra Modernos.

79. Restat nunc respondere rationibus Contrariæ Opinionis, quas tamen facilè ex dictis solvemus.

Ad PRIMUM Textum dicimus, ex Scripturis, & Theologis Antiquis idem esse *regenerari*, ac *renasci* in Baptismate; & sic idem debere esse Nativitatem, & Generationem Naturalem, quæ supponuntur ante Spiritualem regenerationem, ac nativitatem. Generatio autem naturalis est nativitas in utero, non ex utero ex dictis. Tum quia secundùm diversitatem versionum Sacræ Scripturæ non possumus facere vim in ly *Renasci*, ut dicamus supponere propriam nativitatem ex utero, tunc partus Cæsa-

reus non poſſet baptizari, quod eſt falſum. Igitur renaſci, & generari ſpiritualiter ſignificat primam productionem Gratiæ Sanctificantis, quæ, cum conſtituat hominem in ſtatu ſpirituali, & ſic, ſi liceat ſic loqui, ſit natura ſpiritualis; hinc prima productio illius dicitur generatio ſpiritualis, ſicut productio entis ſimpliciter in naturalibus dicitur generatio naturalis. Patet autem, quòd Gratia Sanctificans ex ſe non exigit nativitatem ex utero, ſed nativitatem in utero, hoc eſt exigit, quòd ſubjectum ſit rationale. Nativitas autem in utero dat eſse rationale, non verò Nativitas ex utero, quæ ſolùm novum ubi largitur.

80. Quando verò Divus Auguſtinus dicit, quòd non dicimus, *Renatum hominem, quem mater peperit;* & quòd Nativitas Spiritualis non eſt Tertia Nativitas, ſed Secunda, quia Dominus dixit: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Reſpondeo, ſalva reverentia, Nativitatem ex utero non dici Renativitatem, quia actio, qua producitur homo in utero, & qua egreditur ex utero, differunt ſimpliciter, & in nullo conveniunt. Prima enim eſt productio entis ſimpliciter, & accipit eſse de novo homo, & eſt propriè generatio. Secunda eſt produ[...] entis *talis*, nam homo accipit ſolù[...] novo aliquod accidens; unde hæc Nativitas non eſt generatio. Cum ergo hæ duæ Nativitates ſimpliciter differant; hinc Nativitas ex utero non debet dici *Renativitas.* Sic enim ſonaret eamdem Nativitatem iteratò hominem ſubjiſse, quod eſt apertè falſum. Denique veriſſimè Regeneratio Spiritualis non eſt tertia Nativitas, ſed ſecunda, quia Nativitas ex utero per accidens, & ratione alterius requiritur, & aliquando, non verò ſemper, ut patet in partu Cæſareo. Unde per ſe, & neceſsariò præſupponit ſolùm nativitatem in utero, quia gratia Sanctificans, quæ eſt natura, per quam homo regeneratur medio Baptiſmate ex Tridentino ſeſs. 6. cap 4. prærequirit ſolùm, quòd ſubjectum ſit rationale; & ratione Baptiſmatis requiritur, quòd ſit ſenſibile, cui applicari poſſint Aqua, & verba. Hæc autem omnia habentur præcisè per nativitatem in utero. Quin ego dicerem, quòd, cum Regeneratio Spiritualis exigeret nativitatem ex utero, & hæc haberi nequeat, niſi ſupponatur etiam nativitas in utero, jam regeneratio ſpiritualis eſſet Tertia Nativitas. Præterea Regeneratio Spiritualis magis aſſimilatur nativitati in utero, quàm ex utero. Utraque enim producit primum eſse, & eſse ſimpliciter in ſuo genere. Non ſic Nativitas ex utero, quæ proculdubio nequit dici Generatio; Ergo Regeneratio debet dici Iterata Generatio in ordine ad Nativitatem in utero, quæ eſt verè Generatio.

81. Ad SECUNDUM Textum ex *c. ſi ad Matris* dico, ibi decidi, quòd Infans in uterò exiſtens nequit baptizari per Baptiſmum, quo ſua mater baptizaretur, ut legenti Textum patebit, & dicitur etiam in Rubro; & cum hoc adeo ſit clarum, eſt valde mirum, quòd Adverſarii pro noſtro caſu, qui eſt valde diverſus, illum afferant.

82. Ad TERTIUM Textum ex *c. ſi baptizata* dicimus, probare idem, ideſt quòd Baptiſmus Matris non proſit Proli exiſtenti in matris utero; Nam ex Tridentino ſeſs. 5. in parvulis *per regenerationis lavacrum* debet mundari, *quod generatione contraxerunt.* Ad paritatem autem ibidem aſſumptam dicimus, quòd, ſicut, qui non vixerit, non poteſt mori, ita, qui ſaltem non fuerit *natus in utero*, nequit renaſci; non vero hæc paritas valet *de nativitate ex utero*, ſiquidem Divus Auguſtinus in Enchiridion... & refertur c. *ut oſtenderet* de conſecr. diſtinct 4. dicit, quòd parvuli renaſcendo moriuntur illi peccato, quod naſcendo contraxerunt. Patet autem, quòd *per Nativitatem ex utero* non contrahitur peccatum Originale, ſed *per nativitatem in utero* ex Tridentino ſeſſ 6. c. 3. & aliter dicendo Divus Joannes Baptiſta, & Jeremias nati fuiſsent ex utero cum peccato Originali. Igitur, ſi per Baptiſmi regenerationem debet deleri peccatum, *quod nativitate contrahimus*, & hoc

hoc non contrahimus per nativitatem ex utero, sed in utero, sequitur per Divum Augustinum, & per Canonem, baptismum solùm supponere nativitatem in utero de necessitate, & indispensabiliter, non verò nativitatem ex utero.

83. Ad QUARTUM Textum ex Divo Isidoro, & ex c. *qui in maternis*, dico, decisionem illius Canonis esse, sicut & præcedentium Canonum, *puerum non posse in uteris maternis cum matre baptizari, idest cum baptismo matris*, & hoc fide credimus; rationem autem Canonis, quæ est, *ideò non posse baptizari, quia secundùm Adam natus non est*, dicimus, non esse certò veram, sed solùm probabiliter, & posse aliter se habere; Nec mirum esse debet, quòd Canones habeant decisionem certam, & rationem probabilem, quia certitudo Canonum non dependet à rationibus humanis, sed ab assistentia Spiritùs Sancti; Unde solùm, quod principaliter in ipso Canone quæritur, & deciditur, est certum, non verò cætera. Hinc in c. *cum contingat* de ætat. & qualit. Ordin. dicitur, quòd per Primam Tonsuram juxta formam Ecclesiæ datam ab Abbatibus *Clericalis ordo confertur;* Per quæ verba Glossa, & Canonistæ.... communiter asserunt, Primam Tonsuram esse propriè, & verè Ordinem; Adhuc tamen Theologi, & Canonistæ Theologi communi omnium Calculo dicunt, *Tonsuram non esse verè Ordinem.* Et ad prædictum Canonem respondent, quòd principalis quæstio ibi erat, an Abbates possent dare Primam Tonsuram, & hæc quæstio solvitur à Canone affirmativè, & hanc certissimam esse fatentur Quòd autem ibi Tonsura appelletur Ordo, dicunt per accidens sic appellari, nec hoc decidi à Canone, cum de hoc non esset quæstio. Juxta autem hanc doctrinam significant, vel quòd Pontifex appellat Ordinem Primam Tonsuram sequendo opinionem probabilem Canonistarum, vel quòd Nomen, *Ordo*, accipit *impropriè, & lato modo.* Et hæc Doctrina est ad normam Glossæ in c. *Majores* de Baptis. §. *sed adhuc* Ver. *Originale*, ubi hæc scribit: *Potest dici, quòd hæc ratio superficialis est, & prima verior est.* Ibi autem Glossa loquitur de quadam ratione, qua utebatur Pontifex in Canone pro decisione. Sic etiam in c. *cum Marthæ* de celebrat. Miss. §. *quæsivisti* approbatur opinio, *quòd aqua mixta vino transeat in Sanguinem Christi per consecrationem.* Non per hoc tamen certò approbatur, & Canonizatur ratio illius conclusionis, quæ erat, *quia aqua mixta vino transit in vinum.* Patet ergo clarè, quòd multoties Canon unum decidit, & reddit illud certum, non tamen reddit certas rationes, quæ in canone afferuntur.

84. Præterea observandum est, quòd illi canones ponuntur in Decreto Gratiani, non in Decretalibus, & sunt compositi à Divo Augustino, & à Divo Isidoro, quibus jus non erat alios obligandi ad sic tenendum. Hoc posito sic discurro: Divus Thomas 3. par. quæst. 80. art. 6. ad. 3. referens c. *Sæpe Contingit*, & c. *Si Episcopo* 2. quæst. 4. in quibus deciditur, quòd Monachi, Episcopi, & Præsbyteri per sumptionem Eucharistiæ, & Missæ celebrationem se purgent à suspicione criminis. Hi porro canones sunt cujusdam concilii Provincialis. Beatus, inquam, Thomas referens hos canones dicit, esse abrogatos per contraria documenta Romanorum Pontificum, & subdit: *In omnibus enim talibus esse videtur Dei Tentatio.*

85. Scotus in 4. dist. 6. quæst. 8. dicit, canonem *quibus* de consecr. dist. 4. non posse infligere Irregularitatem toti Ecclesiæ, quia est canon Theodori Episcopi Cantuariensis, & solus Pontifex Romanus potest obligare totam Ecclesiam. Huic doctrinæ concordat Angelus Ver. *Irregularitas* 1 quæst. 24.

86. Ex divo ergo Thoma patet evidenter, in Decreto Gratiani contineri falsa, & quæ *videntur sonare tentationem Dei*; & sic per Divum Thomam Decretum Gratiani non habet authoritatem certam. Ad hujus Doctrinæ normam dicimus, cum illi canones sint inserti in Decreto Gratiani, non habent authoritatem certam; atque adeo mirum

dum non erit, si nos à rationibus validissimis moti partem oppositam, tanquam probabilem, sequemur.

87. Ex Scoto etiam patet, & Angelo, quòd Decretum Gratiani non habet vim obligandi totam Ecclesiam, nisi canones sint Romani Pontificis. Cum ergo canones illi, *Si baptizata*, *si ad matris*, *Qui in maternis* non sint conditi à Summo Pontifice; hinc ex Scoto, & Angelo non habent virtutem obligandi totam Ecclesiam, sed solùm subditos illorum Episcopatuum. Adhuc in his temporibus acriter decertatur, an d. Decretum Gratiani habeat vim legis; & adhuc utraque opinio habet Doctores; de quo vide Suarium lib. 4. de leg. cap. 5. num. 6. Ergo utraque opinio est probabilis. Ego negativam sequor præcipuè, quia Doctores Angelicus, & Subtilis huic apertè favent. Hinc ex hac negativa opinione sequitur manifestè, nos non obligari à prædictis canonibus.

88. Dices: Est certum, quòd Divus Augustinus, & Divus Isidorus conditores illorum Textuum negant, Infantes, antequam nascantur, posse baptizari; & cum doctores per Tria Sæcula cum dimidio de hac veritate non dubitaverint, possumus dicere, esse traditionem Ecclesiæ; & sic facere certitudinem. Tum quia juxta Glossam in c. *noli* 9. dist. Ver. *in istis*, Jubetur hodie, ut teneamus omnia usque ad ultimum Jota, quæ docent Sancti Patres approbati ab Ecclesia in c. *sancta* 15. dist. in hoc autem cap. approbatur Divus Augustinus; unde Divus Thomas lib. IV. contra Gentil cap. 24. num. 5. dicebat: Habetur in determinationibus Quinti Concilii c. 16 sequimur per omnia Sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ Athanasium, Hilarium, &c. Ambrosium, *Augustinum*, &c. *& suscipimus omnia, quæ de recta Fide, & damnatione Hæreticorum exposuerunt.*

89. In rei veritate nequit negari, quòd prædicti Duo Patres ita sentiant; Tamen cum Patre Petro de Comitibus in suis disputat. Metaphys. Theologicè exagitatis (Augustinianæ familiæ doctore) lib. 2. art. 5. per totum, & præcipuè concl. 4. dicimus, *licere privatis doctoribus* aliquando *recedere ab authoritate alicujus Ecclesiæ Doctoris*; *quando illi suppetit urgens ratio in contrarium*, *& non sit sermo de rebus supra exceptis.* Hic porro doctor excipit ante primam conclusionem, & dicit, Sermonem non esse de iis rebus, quas Sancti Patres scripserunt *de Fide Catholica*, *& damnatione Hæreticorum.* In his ergo rebus à Patribus nunquam licet recedere. In aliis aliquando ab aliquo Ecclesiæ Doctore fas est recedere cum urgenti ratione. Et hoc colligitur ex Divo Thoma par. 1. quæst. 1. art. 8. ad. 2. qui dicebat, Authoritates Doctorum Ecclesiæ præbere argumenta Theologiæ ex propriis, *sed Probabiliter.* Nota dicit *Probabiliter*, non verò *Certò.* Vide etiam Abulen. in Opusc Defensor. par 2. cap. 18.

Lector volve illam disputationem, quam authoritate, & rationibus plurimis confirmat. In hoc ergo puncto de Baptismo parvulorum propter urgentes rationes adductas ad majorem Chisti decorem, & salutem miserimarum Personarum discedimus ab opinione Divi Augustini, & Isidori, salva semper tamen in omnibus reverentia illis omnino debita.

90. Est iterum apertè falsum dictum illius Glossæ, quod c. *Sancta* 15 dist. jubeat, ut omnia *usque ad ultimum Jota* teneamus, quæ scripserunt illi Patres. Legatur Textus. Ecce verba ipsius: Nunc subjiciendum est de opusculis Sanctorum Patrum, *quæ in Ecclesia Catholica recipiuntur.* Opuscula Beati Cypriani martyris, & Carthaginensis Episcopi....... Item Opuscula Beati Hilarii Pictaviensis Episcopi. *Item Opuscula Beati Augustini Hyponensis Episcopi.* Item opuscula Beati Ambrosii Mediolani Episcopi...... *Item Epistola Beati Leonis Papæ ad Flavianum Episcopum* Constantinopolitanum destinata, *cujus textum, aut Jota unum si quisquam Idiota disputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter acceperit, Anathema sit.*

Ecce

Ecce evidenter, quòd jubemur recipere usque *ad unum Jota, & in omnibus Epistolam Beati Leonis Papæ ad Flavianum destinatam.* Nonnè Textus loquitur de solo Leone Papa? quin loquitur de sola Epistola illius Pontificis missa *ad Flavianum Episcopum.* Qua ergo ratione tu ad alios Patres, vel ad alia scripta, etiam ejusdem Leonis, tantum præceptum vis extendere? Textus apertè solùm dicit de Beato Augustino, quòd ejus opuscula recipiuntur ab Ecclesia. Et de Epistola Leonis præcipitur, ut ad ultimum Jota recipiatur sub Anathemate; cur, cum Ecclesia claré diversimodè recipiat hæc opuscula, tu vis eodem modo recipere? Hinc rectè Suarez ubi supra intulit, *per vim exceptionis satis significari, approbationem aliorum operum non esse in eo sensu factam, sed solùm ut de gravissima humana authoritate illorum Patrum constaret.*

91. Igitur Concludo cum Divo Thoma ubi supra, sequimur *per omnia* Sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ Athanasium...... Augustinum, *quæ de fide recta, & damnatione hæreticorum Exposuerunt.* Hanc veritatem pro certo tenemus usque ad sanguinis effusionem. Et huic veritati consonat Tridentinum sess. 3. decret. de usu, & edit. Sacr. Libr. in quo decernitur, quòd non liceat interpretari Sacram Scripturam *contra unanimem consensum Patrum.* Quando ergo constabit cæteros Patres, aut majorem partem consentire interpretationi Divi Augustini, quòd illa verba Joannis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. intelligantur *de nativitate ex Utero*, nunc pro tunc protestor coram Deo, & jure jurando affirmo, me retractare sententiam meam, & firmiter adhærere illi interpretationi, & credere pro Parvulis ex stentibus in uteris maternis Ordinarium remedium Christum non providisse, sed solùm extraordinarium de Martyrio, & de extraordinariissimo, & omnino miraculoso, quod Beato Joanni Baptistæ, & Jeremiæ concessit, de sanctificatione.

92. Sed pro certo teneo, nunquam inventum iri Patres concordare in hac explicatione. Bellarminus in catalogo Scriptorum refert, explanasse Evangelium Divi Joannis ex Patribus Theophilum Antiochenum, Origenem, Joannem Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum, Theophilactum, Eutimium, Rupertum, & Ugonem Victorimum. Ipsos legi, excepto Theophilo Antiocheno, in locis supra allatis, & nullum inveni, qui faciat vim in ly *renasci*, quasi quòd supponat nativitatem ex utero, & conveniat cum Divo Augustino. Quin reperio, illos accipere verbum, *Renasci*, pro *Regenerari*, & verbum, *Nasci*, pro *Generari*; ex dictis autem patet, nativitatem ex utero non esse propriè generationem, bene verò Nativitatem in utero; quia *sola nativitas in utero producit ens* simpliciter. Quin puto Theophilactum, & Rupertum mihi favere. Theophilactus loco allato ait: quòd si rogas, quomodo aqua potest generare? interrogabo & ego, quomodo semen, & ipsum aquorum existens, potest in hominem transformari? Igitur sicut in corporali semine totum est gratiæ divinæ, ita est in Baptismate. Aqua subdita est, & *Spiritus omnia operatur.* Ecce evidenter quòd actio baptismatis comparatur actioni seminis, qua semen transformatur in hominem; hoc autem fit per nativitatem in utero, ut est evidens, non ex utero. Eandem comparationem facit Rupertus lib. 3. in med. Ver. *Quod enim agunt* pag. 246. colum. 1.

93. Ad id, quod additur, opinionem Augustini receptam à Doctoribus per Tria Sæcula posse dici *traditionem Ecclesiæ*, nego omnino dictum. Hæc enim esset Traditio Apostolica, si qua esset traditio, cum sit de materia Sacramentorum. Patet autem, quòd non sit hujusmodi Traditio. Audi Augustinum ipsum tom. 7. lib. 4. de Baptism. contra Donat. cap. 24. & disces caracterem Apostolicæ Traditionis: Quod universa, inquit Augustinus, tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, *sed semper retentum est, non nisi Authoritate Apostolica* *traditio*

traditum rectissimè creditur. Monstra ergo mihi, quòd opinio hæc *teneatur ab Universa Ecclesia, & semper retenta sit.* Et tunc Apostolicam esse Traditionem fatebor.

Certè, si Augustinus credidisset, opinionem suam esse Traditionem, hoc non tacuisset, sicut non hoc reticuit, dum contra Donatistas negavit, esse rebaptizandos Baptizatos ab Hæreticis. Augustino concinit Lirinensis cap. 4. Commonitorii, ubi dicit, tunc censeri aliquam Doctrinam ab Apostolis fluxisse, si Ecclesiæ Doctores, atque Magistri uno, eodemque consensu *apertè*, frequenter, *perseveranter* tenuerunt, scripserunt, docuerunt. Præterea quomodo, constat Ecclesiam sic tenuisse à tempore illorum Patrum usque ad tempus Magistri, qui incæpit tractare de hujusmodi difficultate?

94. Denique ex hucusque dictis patet responsio Argumento ex ratione petito pro opinione contraria; Constat enim experientia, non esse indefinitè verum, quòd Infans in utero materno totaliter existens *non subjaceat operationi humanæ*; Unde Soto, qui hoc Argumentum manifestissimam rationem appellat, necessariò debet illud limitare; & quia hic Author est mortuus, debet Pater Natalis Alexandri, qui est ejusdem Illustrissimæ Religionis Dominicanæ Alumnus, hoc officium præstare, & addere suæ rationi, (si tamen potiùs ipsi non placeat mutare opinionem, & nostram amplecti) quòd quidem infans in utero materno existens non subjaceat operationi humanæ in tempore antecedenti ad partum, in quo uterus est clausus; *Subjacet tamen operationi humanæ in tempore proximo ad Partum*, quando scilicet ab utero egreditur aqua; Et hanc limitationem suæ rationi necessariò debet apponere, ne, si legantur egregia sua opera à Medicis, & Chirurgis, in hoc puncto irrideantur tanquam loquentia contra Manifestissimam experientiam.

95. Paulus Comitolus in Responsl. Moral. quæst. 13. acriter tuetur opinionem antiquam propter duo Fundamenta.

Primum erat textus Divi Joannis: *Nisi quis renatus*, &c. quem textum dicit, Patres, & Theologos *Doctrinæ Gloria, & Antiquitate insignes* ita fuisse interpretatos, ut illum intelligant *de nativitate ex utero.* Concedo ego, quòd Divus Augustinus, & Isidorus explicent illum textum tali modo; at nego de aliis Patribus, & tot Antiqui, qui hanc quæstionem agitarunt, nullum alium Patrem pro sua opinione referunt. Quin ipse Divus Thomas par. 3. quæst. 68. artic. xi. ubi tractat quæstionem ex professo, firmat suam opinionem in unico fundamento, *quia Baptismus est quadam Ablutio; Corpus autem infantis antequàm nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui.*

Meminit quidem Canonis, *Si ad matris*; At Sanctus Doctor illum affert, prout potest rectè afferri, & est ad probandum, quòd ablutio matris non potest pertingere ad infantem; Et vult dicere, quòd Baptismus Matris non prodest proli in utero existenti, quia proles non est pars Matris. Non verò illum affert, ut faciunt multi Antiqui, sed malè, ad probandum, quòd infans in utero nequeat proprio baptismate baptizari, ut est difficultas præsens.

Meminit etiam illius textùs Augustini: *Nemo renascitur* &c. at meminit in argumento, *Sed Contra*, in quo loco non semper ponuntur Argumenta efficacia. Item in 4. Sententiarum fundat unicè suam conclusionem in eodem fundamento, *quia scilicet infans in utero non subjicitur operationi humanæ.* Ecce quòd non meminit illius textùs Evangelii. Et impossibile est, quòd si Doctor Angelicus credidisset illum efficacem, non meminisset illius, quando probat suam opinionem.

Quòd verò ita explicent illum Textum Theologi *Doctrinæ, & Antiquitatis gloria insignes*, solùm probat, *quòd ipsorum opinio sit probabilis*, Non verò, quòd ita necessariò sit dicendum; Non enim, quia ipsi ita senserunt, nos debemus

mus illis credere, dicit c. *Ego solis*. 9. dist. Quando ergo hi Doctores afferent alia loca Scripturæ, quæ ita nos explicare hunc textum cogent, tunc dabimus libentissimè manus. Aliàs puto hìc valere illud dictum Glossæ in c. *ad audientiam* de consuetud. Ver. *Insipientibus*: *quandoque revelatur minori, quod major nescit. C. de offic. recto: provin. l. potioris, & 95. dist. esto subjectus in fin. 24. quæst. 3. si habes.* Hucusque Glossator. Ego obsequutus monitum c. *ego solis*, conatus sum ex aliis scripturis demonstrare, quòd Verbum *Renasci* sit idem, ac *regenerari*, *generari*, *& nasci*, quæ verba exigunt quidem nativitatem in utero, non verò ex utero.

96. Secundum Fundamentum Comitoli est, quia Ecclesia non dispensat Sacramenta nisi hominibus, qui communem vitam ingrediuntur, atque in ejus foro, notitiaque versantur. At puer in uteri tenebris circumfusus non potest esse notus Ecclesiæ, sed soli Deo; Nam, licèt aperiatur uterus, quando paritura est mater, & manibus tangi possit, *cerni tamen oculis nequit*, ut mihi, inquit Comitolus, certò narravit antiqua, & experientissima obstetrix, quæ illud item affirmavit, sæpe tum parienti, tum obstetrici ignoratum esse, vivatne proles, ut ob idipsum valde periculosa sit ratio in utero baptizandi.

97. Divus Thomas negaverat principaliter, hunc puerum posse baptizari, *quia nequit ablui, & quia non subjicitur operationi humanæ.* Ipse Comitolus experientia doctus posse aliquando ablui, & subjici operationi humanæ, coactus est dicere, ad Baptismum requiri, *ut infans cerni oculis possit.* Et quidem, si ad hoc effugium non confugiebat, non poterat negare, posse infantem in utero existentem baptizari. At quæso quo fundamento dicit, ad baptismum requiri de necessitate, *quod infans possit oculis cerni?* Antiqui equidem exigebant, ut posset operationi humanæ subjici, & hoc jure exigebant, quia Sacramentum confertur sola operatione humana. At ex hoc non sequitur, quòd subjectum debeat, *posse oculis cerni*, quia, quod oculis cerni nequit, potest subjici illi operationi humanæ, per quam confertur Sacramentum.

98. Si infans extra uterum nullum colorem haberet; & sic ab intrinseco esset invisibilis, nonne adhuc posset tangi, & ablui ab aqua, & supra ipsum proferri verba cum debita intentione? Ergo subjiceretur operationi humanæ, quæ necessariò requiritur ad collationem Baptismi. Ita etiam dico, quamvis infans in utero *nequeat oculis cerni*; tamen cum possit subjici operationi humanæ, per quam immediatè confertur Baptismus; Si enim Sacerdos esset cæcus, & infans cæcus, & nullus videns existeret, adhuc Sacerdos ablueret infantem, & verba cum debita intentione proferret; ergo infans, *quamvis nequeat oculis cerni*, potest baptizari.

99. Confirmatur. Actio humana, per quam confertur Baptismus, sistit in effusione aquæ facta per manus, ordinariè loquendo, supra infantem, & in prolatione verborum facta per linguam; & in intentione, quæ est actus elicitus à voluntate. Ergo infans, *licèt nequeat oculis cerni*, potest subjici operationi humanæ, per quam necessariò confertur baptismus. Ergo non est necesse, quòd possit subjici operationi humanæ factæ per oculos; quia oculi non concurrunt ad collationem Baptismi, sed solùm simultaneè se habent; Unde, si hoc sufficeret, etiam posset alius dicere, quòd requiratur, ut possit olfieri, & audiri, quod est ridiculum.

100. Confirmatur etiam. Ad summum requiritur ad Baptismum, quòd infans habeat colores, unde in se sit objectum visibile, quod tamen nullo fundamento dicitur. Non tamen requiritur, quòd sit in aliqua luce; Unde, si nihil in nocte lucis existeret, posset ablui infans, & sic baptizari; Ergo, quamvis in utero nihil lucis habeatur, non propter hoc debet dici, non posse baptizari. Hinc Scotus in 4. distinct. 4. quæst. 3. dixit, quòd, si parvulus involveretur corio, & poneretur in aqua, *ita quod*

aqua non tangeret corpus, non esset baptizatus; sed si tangeretur aqua, bene. Ecce Scotus unicè affirmat, & negat baptismum, quia tangitur, aut non tangitur corpus; nec meminit, *quòd possit oculis cerni*, aut *non cerni*; Ergo etiam in nostro casu debemus unicè observare, an infans tangatur ab aqua, aut non tangatur; Nec debemus recurrere ad posse *cerni oculis*, aut *non posse cerni*; Et de facto nunquam memini me legisse in Antiquis Doctoribus, quòd negent Baptismum infantibus in utero, *quia nequeant videri oculis*. Ipse quoque Scotus negat præcisè baptismum his parvulis, *quia nequeunt lavari, & immediatè tangi ab aqua*. Unde Pater Comitolus nulla Authoritate, & nulla ratione exigit *hanc visibilitatem ocularem*.

101. Urgetur Authoritas Scoti. Potest dari casus, quòd hic infans in corio involutus *nequeat oculis videri*, adhuc possit ablui, & tunc per Scotum ille puer est baptizatus; inquit enim, *Sed, si tangeretur aqua, bene*; idest bene baptizaretur; ergo ad baptismum per Scotum non exigitur, quòd infans possit videri. Antecedens probatur, quia potest dari foramen, aut rima adeò parva, ut possit ingredi aqua, & nequeat infans oculis cerni; Aut potest dari Foramen tortuosum in Corio, ut collum uteri est tortuosum, unde nequeat videri, quia solùm fit visio linea recta, & adhuc tamen per illud foramen tortuosum ingrederetur aqua, & immediatè infans tangeretur ab aqua; & sic per Scotum baptizaretur infans in statu, in quo est invisibilis; Ergo Infans in utero, licèt sit in statu, in quo est invisibilis, est tamen baptizabilis juxta Doctrinam Scoti.

102. Sed concedamus Patri Comitolo, arguendi gratia, requiri ad Baptismum, quòd infans possit *videri*; assero, quòd infans in utero totaliter existens potest videri. Ad testimonium illius *perantiquæ, & experientissimæ obstetricis* asserentis non posse videri, dico, non fuisse satis expertam, nec Patrem Comitolum consuluisse omnes peritos in arte. Nunquid sola obstetrix debet facere experientiam in hoc casu? Adhibentur quidem à d. l. *temporibus* solæ obstetrices; at hoc honestatis causa, non verò, quia aliæ personæ nequeant experiri. Quando in illis partibus adsunt tumores, Scirrhi, & similes morbi, obstetrices absunt, & vocantur Chirurgi. Quando infans est mortuus in utero, & obstetrix nequit illum extrahere, vocantur Chirurgi, qui adhibito instrumento, quod vocant *Speculum Matricis*, & ipso adhibito sine morte Fœminæ speculantur uterum, & oculis totum collustrant. Potestne plura desiderare Pater Comitolus, dum etiam infans in utero potest *oculis cerni?*

103. At Pater Comitolus dicit, Infantem debere esse de foro Ecclesiæ, & ipsi notum. Quis hoc negabit? Dicat mihi, quæ Ecclesia exerceat circa Infantem extra uterum, & hæc omnia monstrabo, posse facere circa infantem in utero. Sed ego addo, Ecclesiam solùm debere habere illam cognitionem, quæ necessariò requiritur, ut ponat omnia requisita ad Sacramenta. Ad quid enim exigitur ulterior cognitio? Si Ecclesia voluntariè; & sic per actum directum à cognitione, ponit ablutionem, quæ est materia proxima Sacramenti, profert verba, quæ sunt forma Sacramenti, habet intentionem faciendi, quod Christus instituit, & hæc omnia facit in infante in utero, ac extra uterum, quare in uno erit baptismus, & non in alio? Tridentinum sess. 7 can 12 de Sacrament. in gen. Anathema dicit tenentibus, malum ministrum non conficere Sacramenta, *quamvis omnia essentialia Sacramenti servet*. Nunc autem ex Florent in Decreto Eugenii habetur, quòd Sacramenta tribus perficiantur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & Persona ministri Conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Ergo, cum hæc tria habeantur in nostro casu, habetur validum Sacramentum. Igitur Ecclesia habet cognitionem certam de ipso infante existente in utero, (nescit quidem, an sit

sit Masculus, vel Fæmina, sed hoc nihil officit, (quicquid videatur dubitare Hostiensis de Baptismo num. 10.) potest exercere omnia, quæ dicuntur esse de substantia baptismi, & quibus factis in infante extra uterum habetur baptisma, cur non habebitur in infante intra uterum?

104. Dices, hoc esse discendum à Deo, inquit Comitolus.

Sed contra, quia hæc responsio valet quidem, quando quærimus rem, quæ clarè sit revelata, v. gr. si quis quærat, cur Deus tardaverit Incarnationem. At quando res est dubia, & sub lite, & pressi Argumento respondemus, ita Deum voluisse, non est responsio digna Theologo; & implicitè est dicere, nos nescire solvere argumentum.

105. Quòd verò dicat Idem Author, Ecclesiam dispensare Sacramenta solùm iis, *qui communem vitam ingrediuntur*, videtur habere fundamentum in Divo Thoma ad 1. ex art. 11. 3. par. quæst. 68. tamen non est usquequaque verum, quia Sanctus Doctor non negat, posse hosce pueros baptizari, *quia non prodierunt in lucem*, ut cum aliis hominibus vitam ducant; Sed ex eo, quòd non prodierunt in lucem, credit, quòd non possint subjici actioni humanæ, *ut per eorum ministerium Sacramenta recipiant ad salutem*. Unde Divus Thomas negat quidem, non ducentes vitam cum aliis hominibus posse baptizari, non quidem, quia non ducunt vitam cum aliis hominibus, sed præcisè, *quia non possunt subjici operationi humanæ*, & ut dicebat in corpore quæstionis, quia *nequeunt ablui*. Cum ergo nunc Theologi consulentes peritos in arte cognoverint, hosce infantes subjici operationi humanæ, per quam homines solent præbere baptismum; sequitur clarè, quòd, licèt infantes in utero vitam non ducant cum aliis hominibus, adhuc poterunt baptizari.

Addo, immo mihi videtur hosce infantes propriissimè ducere vitam, si non cum cæteris, saltem cum sua matre, quæ est homo, nam vita infantium est simul unita cum vita matris; Unde moriente matre, si citò non extrahitur, moritur infans.

106. Denique respondens Comitolus ad Argumenta ait: facilè evertuntur contraria, si dicamus inter ea, quæ necessitate absoluta exposcit Baptismus, hoc item esse, *ut proles sit nata*, hoc est materna alvo egressa. Egrediatur autem sive adnitente, & protrudente matre, sive ex alvo educentibus, vel extrahentibus aliis, nihil interest. Namque in vitam venire, introire, ingredi, in lucem edi, aut suscipi, & nasci synonyma sunt, etiam apud Grammaticos.

Sed contra, quia licèt apud Grammaticos sint Synonyma, non tamen apud Ecclesiam, quæ Beatum Raymundum asserit, *eductum quidem fuisse in lucem*; tamen illum vocat *Nonnatum*. Ergo per Ecclesiam idem non est *nasci*, ac *educi in lucem*. Nec etiam est idem per Philosophos, & Medicos, qui distinguunt inter actionem naturalem, & violentam, & nasci est actio naturalis, ad quam concurrit natura per se. Illa verò actio, per quam partus Cæsareus venit in lucem, est violenta, & passum nihil operatur, sed solùm agens extrinsecum; hinc venire in lucem per *Nativitatem*, & per partum Cæsareum sunt actiones oppositæ, tantùm abest, quòd sint omnino idem, ut nomina illas significantia debeant dici Synonima, ut vult Pater Comitolus.

107. Hæc dicta sint pro mea opinione, quam tunc libenter mutabo, si unum ex his tribus Adversarii demonstrabunt. Primum, si invenient Patres concorditer dicentes, ad Baptismum requiri Nativitatem ex utero. Secundum, si demonstrabunt, talem puerum nunquam posse ablui. Tertium, si Pontifex decidet quæstionem. Extra hos tres casus, cum argumenta in oppositum non sint certa; hinc potero illa solvere; & sic persistere in mea opinione. Cæterùm Adversarii non dicant amplius universaliter: *Infans in utero nequit ablui*, nam hoc est contra experientiam. Ego anno 1705. die 26. Decembris hora 22. assistebam

bam cuidam gravidæ, quæ non poterat parere; unde animam agebat. Obstetrix ex tactu cognovit, infantis caput in Orificio interiori partim esse. Tunc jussi, ut madefacta tela conaretur abluere infantem, quod fecit. Insperatò postea natus est, & iterum sub conditione baptizatus fuit ob dubium, ne opinio opposita sit vera.

108. Ex dictis in toto hoc capite patebit argumentum evidens contra Adversarios, qui dicunt opinionem de Probabilitate esse rejiciendam, quia *est contra communem opinionem Antiquorum.* Argumentum igitur clarum est. Licet deferere opinionem plusquam communem Antiquorum, sive spectes quoad numerum, quia sunt adeo multi. Sive quoad Doctrinam, quia primi, quin omnes Proceres Theologiæ illam docent; sive quoad modum illã tradendi, quia ex professo agitant difficultatem. Ergo licet deferere opinionem Antiquam de Probabilioritate, dato etiam quòd esset communis, & hoc à fortiori, quia opinio Antiqua de Probabilioritate non habet tot, ac tantos Patronos, &, quòd magis est, non agitant illam ex professo, ut faciunt hanc de Baptismo.

109. Quæres hic obiter, quænam opinio sit adhibenda in praxi in nostro casu, Adversariorum, an nostram? Respondetur, nostram omnino esse ponendam in praxi. Nam per Doctores opinio, etiam singularis, est præponenda communi, si sit pia. Ergo cum nostra opinio sit pia, quin omnium piissima, cum agatur de eripiendis à damnatione æterna tot miserabilibus personis impotentibus ad sibi ipsis succurrendum, & evehendis ad Regnum Cœlorum; nostra opinio, quæ nec est singularis, erit ponenda in praxi, etiam ab ipsis Adversariis. Qui desiderat videre Doctores Antiquos præponentes opinionem faventem causæ piæ legat Sanchez de Matri. lib.1. disp.16. nu.2. & Bertac. V. *pia causa*: legat etiam Cardenas par.3. disp. 79. num. 19. Ego enim, ne longiùs progrediatur hoc caput, illos missos faciam.

CAPUT XLII.

Probatur nostra Conclusio ex eo, quòd Adversarii dicunt, ex eadem sequi ingentia absurda.

1. IN cap. 10. retuli Probabilioristas infectantes Probabilitatem ex eo, quia ex ipsa sequuntur opiniones absurdæ, erroneæ &c. Ego ad hominem argumentabar contra ipsos ibidem, & cap. 11. & cap. 12. afferendo plurimos, & plurimos perniciosos errores, quos plures Antiqui, etiam famosi, docuerunt. In præsenti capite idem argumentum efformabo cum hac differentia, quòd ibi attuli errores Antiquorum, qui olim ut tales detecti sunt, nunc afferam errores, quos beneficio sedis Apostolicæ didicimus his temporibus; Agitatis enim plenissimè his materiis à *Modernis*, Pontifex morem Prædecessorum sequens illas definivit.

2. Instruo ergo argumentum. Propositiones nunc damnatæ à sede Apostolica sunt doctrina Probabilitatis. Sed antiquitus tradebantur illæ propositiones; ergo antiquitus tradebatur doctrina Probabilitatis. Ulteriùs propredior: ergo si Doctrina Probabilitatis est antiqua, erit sectanda, & tradenda. Efformo aliter argumentum. Propositiones damnatæ à Pontificibus traditæ sunt etiam ab Antiquis; ergo vel sunt damnandi etiam Antiqui, vel, si non sunt damnandi, nec erunt damnandi Moderni; & quidem si misericordia est exhibenda, est potiùs discipulo, quam Magistro. Damnatur discipulus errans, & Magister errans absolvitur? Quæ acceptio personarum est hæc?

3. Si bene perpendatur argumentum, est adeo clarum, & evidens, ut meo judicio, Probabilioristæ convincantur omnino, & coercierunt judicandi, si eodem imposterum utantur contra Probabilitatem. Major primi argumenti est Doctrinæ

doctrina ipsa Adversariorum, & in ipsa fundant præcipuum argumentum contra Probabilitatem. Minor probabitur in præsenti capite, postquam solvero quasdam responsiones Adversariorum. Probando autem minorem simul probabo antecedens secundi argumenti.

4. Dices, quamvis Antiqui docuerint easdem propositiones erroneas, ac Moderni; tamen Antiqui non tenuerunt illas ut *probabiles*, ut faciunt Moderni. Sed contra. Errores Antiquorum vel erant Probabiliter, vel Probabilioriter, vel Certò Veri. Si Primum; ergo antiquitus dabatur Probabilitas. Si Secundum, & Tertium; ergo Probabilioritas, & Certitudo Antiquorum causabat ingentia Absurda, sicut Probabilitas. Ergo, si Probabilitas Modernorum est eliminanda ex capite Absurdorum, eliminanda quoque erit Probabilioritas, & Certitudo Antiquorum; Vel, quod est verum, tum Probabilitas Modernorum, tum Probabilioritas, & certitudo Antiquorum erit laudanda; Et excusandi erunt tum Moderni, tum Antiqui, qui non bene omnia ponderantes crediderunt, sub veste aurea Probabilitatis, Probabilioritatis, & Certitudinis tegi veritatem; cum tamen vestis illa esset tantùm apparenter aurea; Unde nil mirum, si sub ipsa latebat error.

5. Dices iterum: Propositiones erroneæ, quæ sequuntur à Probabilitate, non sunt illæ erroneæ, quas docuerunt Antiqui. Hinc propositiones erroneæ Antiquæ non inferunt Probabilitatem viguisse tempore antiquo.

Sed contra Primò. Concedo, nullā propositionem erroneam Modernorum viguisse tempore Antiquo; Unde, si meum Argumentū non valebit inferre Antiquitatem Probabilitatis, valebit inferre, regulas etiam Antiquorum esse abjiciendas tanquam causantes, ut Probabilitas, ingenta absurda.

Sed contra Secundò, & nego, quòd saltem partem propositionum damnatarum, quas docenr aliqui Moderni, non docuerint aliqui Antiqui. Hoc assumptum probo primò in generali; Secundò verò in particulari; & sic probabo minorem primi, & antecedens secundi argumenti.

6. In generali quidem est certum; Nam Alexander Septimus, in suo Decreto de anno 1665. 24. Septembris habet hæc præcisa verba: Sanctissimus D. N. audivit...... complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & Animarum perniciem inferentes *partim Antiquatas iterum suscitari*, *partim noviter prodire*. Ergo per Alexandrum Propositiones hisce temporibus damnatæ partim sunt Antiquorum, *partim Antiquatas*; Partim Modernorum, *partim noviter prodire*.

7. Sic etiam Innocentius Undecimus in suo Decreto anno 1679. 2. Martii dicit: Plurimas Propositiones partim ex diversis vel Libris, vel Thesibus, seu scriptis excerptas, & *partim noviter adinventas*, &c. Si hæ propositiones damnatæ sunt partim *noviter adinventa*; ergo alia pars non erat *noviter* adinventa; & sic restat, ut antiquitus viguisset.

Nunc remanet probandum In Particulari, quòd aliqua Propositio damnata his temporibus à Sede Apostolica, & quam Adversarii dicunt provenire à Probabilitate, fuerit tradita Antiquitus. Et hoc est facillimum.

8. Clemens Octavus damnavit hanc propositionem, *Licere per litteras confiteri Confessario absenti, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Porro hanc opinionem fuisse traditam ab Antiquis patebit legenti cap. 12. num. 10. ubi invenies sic fuisse decisum à pluribus *notabilibus Doctoribus*, inter quos in Concilio Basiliensi orta erat hujusmodi quæstio. Credo ducem hujus opioionis fuisse Paludanum in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 1. in 3. defin. ubi clarè scribit, quòd, si pænitens nequit ire ad sacerdotem, nec sacerdos ad pœnitentem, tunc *pænitentii, si vult, licet scribere, & mandare peccata, & sacerdos potest rescribere, & remandare absolutionem, &, valet absolutio, quando uterq. est infirmus, & clausus, plusquam, si fieret Laico.*

9. Decre-

9. Decretum Alexandri sept. num. 10 damnat hanc Propositionem. Non est contra Justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; Neque etiam est contra Fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam jurata, danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.

Angelus Ver. *Missa.* num. 52. nescio, an habeat aliquid simile; dicit ergo, quòd Valor particularis unius Missæ; & sic Valor, *quem Sacerdos potest dispensare*, tam valet tribus, quorum Singulis Sacerdos promiserat Sacrificium, *quam si singulo eorum singulariter eam* (Missam) dixisset....... Et sic quantum ad hoc *talis sacerdos satisfacit; quia quilibet prædictorum Trium non minus babebit de merito, quàm si pro quolibet illorum singulariter unam* (Missam) *dixisset.* Et sic intelligo opinionem illorum, qui dicunt non minùs valere unam Missam pro omnibus, *quàm si singulariter pro quolibet diceretur.* Ecce per Angelum, si Sacerdos promisit uni Missam *de Dominica*; & alteri separatim *aliam pro anima Patris, & Matris ejus*; & tertiam *pro salute sua*, & similibus, *unica Missa Celebratione satisfacio*; & sic non facio contra fidelitatem promissam trinæ promissioni factæ tribus personis. Idem Author in sequentibus videtur modificare hanc doctrinam; sed satis obscurè loquitur. Lector decidet veritatem; Non enim volo imponere errorem Authori, maximè cùm ejus Doctrina videatur fundata in c. *non mediocriter* de consecr. dist. 5. & ibi Glossa.

10. In eodem Decreto num. xi. damnatur hæc propositio: *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam Causam non tenemur in sequenti Confessione exprimere.* Franciscus Mayron in 4. dist. 17. quæst. 1. fin. refert, Unum Doctorem tenuisse Confessionem de peccatis oblitis esse quidem sub præcepto ecclesiastico, non divino. Et mox referam fuisse antiquitus opinionem, *non adesse præceptum de Confessione peccatorum interiorum.* Et sæpe retuli Viros Religiosos, & doctos asseruisse apud Gratianum *Confessionem non esse sub præcepto.*

11 In eodem Decreto num. 14. proscribitur hæc propositio: *Qui facit Confessionem voluntariè nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Legamus Paludanum in 4. dist. 17. quæst. 7. Facit quæstionem, utrùm Confitens, & non pænitens impleat præceptum de semel confitendo in anno. Refert adesse circa hanc difficultatem quinque modos dicendi. Primus erat, quòd talis implet præceptum quia Ecclesia nihil habet præcipere, circa Sacramenta, nisi ea tantùm, quæ pertinent ad exteriorem ritum, quia solùm potest præcipere actum, *cujus transgressorem potest punire.* Quintus modus erat, quòd liberatur à præcepto Ecclesiæ, ita quòd ante annum illum non teneatur confiteri, sive dicat fictionem illam, sive non; dum tamen dicat omnia peccata sua alia; quia Ecclesia *non potest præcipere, nisi actum exteriorem*, nec potest præcipere aliquam satisfactionem, nec pœnam imponere pro actu interiori; Unde, quando dicitur, quòd peccata sua omnia confiteatur, *quoad peccata Cordis est consilium*, sed quoad exteriora est præceptum.

12. Ecce per utrumque modum horum Antiquorum quis satisfaciebat *præcepto Ecclesiæ* de Confessione, qui non pœnitens, & sic fictus confitetur. Ego subsumo. Sed qui voluntariè omittit actum doloris in Confessione facit voluntariè Confessionem nullam, & adhuc per illos satisfit præcepto Ecclesiæ; ergo per Antiquos illos, *qui facit voluntariè Confessionem nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ*; quæ est ipsa Propositio damnata. Tum quia per quintum modum Antiquorum satisfiebat præcepto; & tamen peccata cordis tacebantur volũtariè. Porrò *per Confessionem voluntariè nullam*; per quam satisfiebat præcepto, intelligebant Doctores, Confessionem, in qua volũtariè relinquebatur aliquod peccatum, vel dolor, vel absolutio, ut videri potest apud Facun. de Præcep. Eccl. 2. lib. 1. cap. 4. num. 4. Ecce propositio damnat

nata intelligitur etiam, quando relinquitur voluntariè aliquid peccatum.

13. Dices; In casu, de quo loquuntur Antiqui, esse quidem Sacramentum Pœnitentiæ voluntariè nullum, non tamen ipsam Confessionem, quæ est pars hujus Sacramenti. Præceptum autem Ecclesiæ est de Confessione, non de Sacramento pænitentiæ; Propositio verò damnata est de Confessione invalida.

Sed contra. In rei quidem veritate juxta Florentinum, & Tridentinum Confessio est pars Sacramenti, non verò est totum Sacramentum. At puto evidens in c. *omnis utriusque sexus* imperari nedum Confessionem, sed Sacramentum Pœnitentiæ. Nam imperat Confessionem *omnium peccatorum fidelem*, & quòd injunctam pœnitentiam confitens *studeat implere.* Jubet insuper, quòd hæc Confessio sit facienda *proprio Sacerdoti*; Vel, si non vult confiteri proprio Sacerdote, obtineat licentiam à proprio Sacerdoti alteri confitendi, *Cùm aliter illum non possit absolvere, vel ligare.* Ecce supponitur hic, quòd confessio præcepta sit talis, ut Sacerdos debeat absolvere pœnitentem. Sed confessio peccatorum *sine dolore* non est apta ad Absolutionem; ergo confessio sine dolore non est confessio illa, quæ præcipitur à Canone; ergo, qui facit confessionem sine dolore, *voluntariè facit nullam Confessionem*, quam imponit præceptum. Præterea confessio præcepta est de *omnibus peccatis.* Quæro, an confitens, & non dolens peccet mortaliter? Si peccat mortaliter; ergo debet fateri illud peccatum, & si non fatetur, ut supponitur in hac sententia, jam voluntariè confessio est nulla. Quòd peccet mortaliter hæc sententia non negat, quia dicit sufficere confiteri *alia peccata*; ergo supponitur, quòd illâ fictio sit peccatum mortale. Non tenetur tamen illud fateri, quia est peccatum interius.

14. Præterea Doctores propositionis damnatæ non loquuntur de Confessione, quatenus est pars Sacramenti; sed supponentes præceptum esse de Pœnitentiæ Sacramento, quod apud Theologos nunc invaluit, ut vocetur *Confessio*, dicebant, Confessionem, idest *Sacramentum pænitentiæ voluntariè* nullum, *vel quia pænitens tacet aliquod peccatum, vel quia non habet dolorem convenientem, vel quia negat occasionem proximam*, ut videri potest apud Facund. de præcept. Eccl. præcept. 2. lib. 1 cap. 4. num. 4. *satisfacere præcepto*; Unde procul dubio tenendum est, quòd, qui suscipit voluntariè Sacramentum Pœnitentiæ invalidè, contineatur sub damnata propositione, sive hæc invaliditas proveniat ex defectu doloris, vel ex defectu confessionis, vel ex defectu Sacerdotis.

15. Pro præsenti propositione damnata Bordonus in Propugnac. Probabilitatis in Addit. fund. 6. nu. 27. refert Alens. par. 5. quæst. 7. num 5. art. 7. Ego puto hanc citationem esse errorem Typographi; Nec enim Alensis Summa habet quinque Partes. Igitur Alensis par. 4. quæst. 18. agit de confessione, & memb. 4. art. 5. §. 7. habet hæc verba: Ad hoc, quòd confessio sit satisfactoria, tenetur fieri in Charitate; Non autem simpliciter. Immo, (ut dicunt,) si aliquis confiteatur in mortali, absolutus est à tentione, qua fuit obligatus ex statuto Ecclesiæ. Per confessionem verò satisfactoriam intelligit confessionem non ponentem effectum gratiæ; Unde per ipsum datur Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe; nam loquitur de eo, qui confitetur non ex charitate, nec in charitate, sed ex timore. An hæc Doctrina contineatur sub propositione damnata, judicent alii. Mihi difficile est, credere tantum Doctorem in hac materia errasse.

16. Nicolaus de Orbellis in 4. distin. 17. quæst 2. §. 16. facit quæstionem de eo, qui accedit ad confessionem non attritus, etiam cum proposito mortaliter peccandi. Ponit opinionem dicentem, hunc peccare lethaliter. In §. 17. subdit opinionem negativam. In §. 18. dicit: quamvis confessio in mortali facta non valeat ad remedium, nisi dispositivè; *tamen valet ad hoc, quòd talis non est præcepti transgressor.* Pro hac opinione allegat Richar. in 4. distin. 17. art. 2. quæst. 8. ad 5.

Hu-

Hujus opinionis est Asten. lib 5. tit. 18., qui pro ipsa citat Palud. & D. Thomam in 4 distinct 17. quæst 3 art. 4. quæstiun. 1. Ita etiam tenet Gabriel in 4. distinct. 17. quæst. 1. art. 3. dub. ult. Adverte Richar. Asten. Orbellis, & Gabriel. dicere in hac opinione non haberi absolutionem. Unde per hos DD. per solam narrationem peccatorum absque dolore, & absolutione satisfiebat præcepto.

17. Hæc opinio Antiquorum, si non continetur sub damnatione, est tamen adeo indulgens, ut nihil magis concedat propositio damnata, & detinet peccatorem in peccatis æquè, ac damnata.

18. In eodem Decreto num. 16. proscribitur hæc propositio: *Qui Beneficium curatum habet, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Guido de Monte Rocherio, licèt Summista scrupulosus valde, in suo Manipulo Curat: de sacram. pænit. de confess. cap 4. Sustinet, posse Parochos confiteri peccata simplici Sacerdoti. Gabriel in 4. distinct. 18. qu. 1. art 3. litt. P. narrat, illo tempore viguisse communem consuetudinem, ut *simplices Sacerdotes* se mutuò absolverent. Eandem consuetudinem refert lect. 3. in canon. litt. C. & dicit, Doctores variare opinionem circa hanc consuetudinem, quidam enim tenent, ut valeat, requiri expressum consensum Episcopi, vel alterius Superioris. Aliis videtur, quòd sufficiat licentia tacita, ita quòd, si Episcopus scit talia fieri communiter à Sacerdotibus, & non reclamat, sed sustinet, eo ipso præsumendum est, eam tacitè approbare. Pro hac opinione affert Hostien. Guillel: Asten. lib. 5. tit. 20. corrige 15. quæst. 14. Gulielmum de monte Laudanó, Raynal. in sum. lib. 3. & Gersonem tract. de contract. propos. 16.

19. De his duabus opinionibus sic concludit Biel litt. D. *Qui vult tenere opinionem istam*, secundam scilicet benignam, *posset dicere, &c.* Respondet cuidam textui, qui videbatur obstare. Subdit Author. *Opinio secunda* (idest benigna) *est magis pia pro excusatione Sacerdotum sic sine expresso favore se absolventium mutuò. Sed prima est magis tuta; maximè quia rationes, & causæ &c.* Lector perpendet, an consuetudo antiqua, & illi Doctores invenerint Doctrinam magis benignam, quàm opinio Modernorum damnata. Obiter verò notabis, Gabrielem dare licentiam sequendi opinionem, quam volumus illis verbis: *Qui vult tenere opinionem istam, &c.* Et sic clarè hìc Doctor erit pro *æquali Probabilitate.*

20. Observa hìc notabiliter contra Adversarios, quantum hic Doctor ipsis opponatur. Opiniones faventes libertati, si ipsis non placeant, vocant *Laxas*, è contra Biel illas appellat *pias.* Audi iterum ejus verba: *Opinio secunda est magis pia pro excusatione Sacerdotum sic sine expresso favore se absolventium mutuò.*

21. In eodem Decreto num. 23. damnatur hæc propositio: *Frangens Jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat. Puta quia non vult, se subjicere præcepto.* Et Gonetus tom. 3. dissert. de Probabil. num. 135. refert eamdem opinionem circa observandos dies festos, quæ quoque damnatur ab Innoc. XI. num. 52.

22. Panormitanus in rubr. de observatione Jejunii num. 11. hæc scribit: Ultimò hic quæro, Nunquid transgrediens Jejunium solemne obligetur ad peccatum mortale? Glos. 25. distinct. in c. *unum orarium §. alias ea demum* videtur sentire, quòd sic. Sed d Card. infra cap. 2. dicit, hoc procedere *quando Jejunium omittitur ex contemptu, vel inobedientia, ut quia non vult se subjicere præcepto superioris; secus si sine contemptu*, quia tunc trangressio solùm obligat *ad veniale*, & dicit hoc tenere Arch. in d. §. *alias ea demum*. Sed Arch. ibi solùm refert opinionem Joannis de Fontana, & transit. .... Sed pro primo dicto facit notabile dictum Cal. in 1. c. *de constit.* ubi dicit, quòd transgressio canonis obligat ad mortale, quando fit ex contem ptu, seu Inobedientia, & contemptus propriè est, *quando ex sola voluntate non vult se subjicere statuto Superioris. Unde dicit, quòd iste contemptus clarè apparere non potest*, nisi

nisi post monitionem. Sed si quis transgreditur ex Concupiscentia, vel negligentia, tunc solùm obligat ad veniale. Ecce propositio damnata approbata iisdem verbis à Card. à Io de Fontana, & universaliter de omnibus Legibus Ecclesiasticis à Cal. quibus adde Angelum Ver. *Inobedientia* ante §. 1. & Gersonem 3. par. de vita spiritual. Animæ lect. 4. corol. 4. dicentem: Omissio horarum canonicarum, *Transgressio Jejuniorum Ecclesiasticorum*, & generaliter omnium Statutorum, & regularum, & Canonum nunquam est mortale peccatum, nisi pro quanto Divinæ Legi præceptivæ dissonans invenitur.

23. Richardus quodl. 1. art. 6. quæst. 1. si non eamdem, similem docuit, ait enim: tunc est Sæculari peccatum veniale non audivisse Missam die Dominico, cum hoc omiserit non ex aliqua legitima causa, sed ex aliqua infirmitate mentis, sicut *ex aliqua passione*, vel *ex aliqua pigritia*, si tamen *ad hoc consuetus non fuit.* Eadem verba habet Henricus Herp in *Specul. aureo* præcept. 3. serm. 2. ante litt. C. & pro se affert Asten. lib. 4. & Boic in c. *dolentes.*

24. In eodem Decreto nu. 29. damnatur hæc propositio: *In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Quid, quæso, dicent Probabilioristæ nostri, si apud Antiquos opinionem laxiorem inveniam? Zabarella in c. *consilium* de observ. jejun. §. *cum autem* num. 2. ita scribit: *Quæro.. si quis* in Quadragesima, *vel aliis jejuniis*, cessante necessitate, solvit jejunium comedendo plusquam semel in die, *videtur quòd* venialiter tantum peccat. 25. *distinct. §. aliàs ea demum vers. quoties cum sit. Sed Glossa intelligit ibi de jejuniis voluntariis, ex quo arguitur secus de necessariis, in quibus videtur, esse mortale. Archiad. tamen dicit ibi*, durum esse sic asserere. Concludit tamen, quòd, cum ex contemptu, mortale est, aliàs secus, *quod placet;* & sic respondi à pluribus Scholasticis interrogatus, *& de hoc etiam dixi de baret. Clemen. 2. §. secundò num. 4.* Si ergo ex facultate quis omittit, veniale tantùm est d. §. qui sic debet intelligi. *Sed si ex causa omittitur, nullum est peccatum, ut hic, & in seq. quæstione; & sic jejunium quoad comedendum semel non est in præcepto.*

25. In quæst. seq. dicit, abstinentiam à carnibus in die jejunii esse sub præcepto. Addit, quòd forsan antiquitus *in diebus Dominicis quadragesimæ carnes comedebantur.* Lector, hoc bene memoriæ manda, ut, si Probabilioristæ exagerent laxitates Modernorum in materia jejunii, possis illis objicere, fuisse multùm benignos Antiquos, qui manducabant carnes in diebus Dominicis quadragesimæ. Denique in fin. illius quæstionis sic scribit. *Usus jejunantium approbatus est* quòd solùm semel comedatur; *& sic non est ex institutione, sed solùm ex usu.* Durum autem esset dicere, *quòd si quis violat hunc usum ex facultate, & comedit plusquam semel, peccet mortaliter.*

26. Certè laxior est opinio, quæ concedit plures comestiones; quia sic possum comedere, quantum volo, quàm concedere plures quidem comestiones, sed *modicæ quantitatis.* Nota hìc Archidiacono, & Zabarellæ non placere opiniones *duras.* Hinc hi addendi sunt illis, quos cap. 29. allegavi pro opinione benigna. Ego legi Archidiaconum loco allego, sed meo judicio non bene refertur, quia ibi facit quæstionem, an hora comedendi in die jejunii sit in præcepto, & ait, quòd esset *durum* sic dicere. Nota secundò, hanc suam Doctrinam lassam Zabarellam non merè scripsisse, sed viva voce tradidisse pluribus Scholaribus; hinc nihil omisit, ut à multis in praxi poneretur.

27. In Decreto Innoc. XI. nu. 36. proscribitur hæc propositio: *Permissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Audiamus Angelum Ver. *Furtum* num. 36. *Si verò*, inquit ipse, non est necessitas extrema, sed *magna*, excusatur à tanto, sed non à toto. . . . . posset etiam excusari à toto, *quando ille, à quo accepit, abundat, ut dicam in seq. §.* In hoc loco sic scribit: posset

posset etiam dici, *quòd licèt aliquis non sit in extrema necessitate*, quòd sine peccato, & obligatione ad restituendum potest occultè, & bono modo accipere rem alterius, *quando scilicet ille ita abundat*, & *iste taliter necessitatur, quòd de præcepto sibi tenetur subvenire. Vide supra* V. *Eleemosinam* §. 1. Ibi Angelus clarè, & expressè agnoscit obligationem in divite dandi Eleemosinam in extrema necessitate, & *etiamsi non invenirentur tales, qui essent in necessitate prædicta.* Negari ergo nequit, per Angelum licere *furari* nedum in extrema necessitate, sed etiam *in magna*, credo autem ego, *magnam* necessitatem, & *gravem* esse unum, & idem.

28. Doctores Lovanienses apud Fagnanum in c. *ne innitaris* de constit. num. 339. censurant prædictam opinionem his verbis: *Furari nunquam est permissum, quia intrinsecè malum*; surripere autem alienum permissum quidem in extrema necessitate, quando aliter haberi non potest; sed illud extendere indifinitè ad necessitatem gravem, *est dare ansam pauperibus ad passim furandum.*

29. Fateor equidem, furtum esse intrinsecè malum; unde D. Thomas dicebat 2.2. quæst. 66. art. 5. *omne furtum esse peccatum*; adhuc tamen ipse Angelicus Doctor quæst. 32. art. 8. ad 1 in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 1. quæst. 4. ad 2. clarè dicit: *in articulo extrema necessitatis esse licitum furari.* Hanc quoque propositionem concedunt D. Bonaventura in 3. distinct. 39. art. 1. quæst. 2. ad ult. D. Raymundus lib. 2. tit. de furtis §. 10. & D. Antoninus par 2. tit. 1. cap. 15. §. 1. Ver. *furans ex necessitate.* Quin addo, me legendo Antiquos, invenisse concordes in hac propositione. Ex hoc tamen ego non intendo probare, quòd Antiqui tenuerint, licere furari, sumendo furtum in suo rigore, & prout prohibetur in Decalogo. Hoc patet præcipuè ex D. Thoma, qui quæst. 66. art. 7. expressè dicit, hanc acceptionem rei alienæ *non habere propriè rationem furti*; & ex D. Raymundo, qui in eo loco affirmat, illam acceptionem non esse *furtum.* Mea intentio solùm est, ut defendam Modernos quoad modum loquendi exemplo claro Antiquorum. Si illi Sancti, & Antiqui, ut exprimant in extrema necessitate licere ex re, quæ est apud alios, providere tantæ necessitati, & hoc significant illo verbo, *Furari*, cur eodem uti non poterunt Moderni? A tempore D. Raymundi usque ad annum 1650. illa propositio non fuit sugillata quoad illum modum loquendi; qua ratione quæso Moderni Doctores Lovanienses illam carpunt? Nunquid Moderni non poterunt accipere in sensu improprio verbum, *Furor*, ut fecerunt Antiqui?

30. Addo, quòd si Theologi volunt se carpere quoad modum loquendi, Alii possunt sugillare illam sugillationem Lovaniensium, dum dicunt, licere in extrema necessitate *surripere rem alienam*; nam Calepinus explicans verbum, *Surripio*, ait: *latenter rapio, seu furor*, & hoc probat authoritate Antiquorum. Ecce Lovanienses incidunt in illud, quod ipsi corrigunt. Tum quia si ipsi acciperent verbum, *Surripio*, pro *Accipio*, D. Thomas quæst. 62. art. 8. dicit: *quòd sicut accipere rem alienam est peccatum contra justitiam, ita etiam detinere eam.* Ergo etiam in hoc sensu Lovanienses malè loquuntur. Probabilioristæ carpunt Novitates in Probabilistis, sed ipsi faciunt novitates; est enim planè novum, quòd Theologi se intricent in quæstionibus Grammaticalibus, cum aliàs sunt certi de re. An Furtum, & omnia præcepta Decalogi sint intrinsecè mala, ita ut Deus nequeat illa dispensare, peculiariter quærunt Doctores; unde ex illa quæstione Lovanienses debebant videre, an Doctores propositionis damnatæ teneant aliquando licere Furtum, in ratione furti, non verò quærere occasionem suspicandi in hoc loco, an afferant, furtum aliquando licere. In hoc loco Doctores propositionis damnatæ aliud nolunt, nisi quòd Pauperi concedatur illud in *gravi* necessitate, quod in extrema permittitur.

31. Gonetus ubi suprà num. 152. refert, quòd Vasquez in Opusc. de Eleemos.

mos. & plures alii RR. teneant hanc damnatam ab Innocentio XI. Propositionem num. 12. *Vix unqua tenetur aliquis ad Elemosinam præcisè ex superfluo statûs, cum vix unquam hujusmodi superfluum in sæcularibus, etiam in Regibus, inveniatur.*

Legamus Abulensem in cap. 6. Matth. quæst. 34. ubi inquirit, An Eleemosina cadat sub præcepto, & sic incipit quæstionem. Dicunt quidam, quòd *Non*, quia Luc. 3. in Glos. super illo verbo: *Interrogaverunt turbæ Joannem* dicitur: ex verbis Joannis terrore percussi consilium quærunt, sed Joannes respondit, quòd intenderent eleemosinis; Ergo dare eleemosinam ad consilium pertinet, *& non est sub præcepto.* Item cuilibet licet uti re sua, &c. Prosequitur narrationem Argumentorum, quibus probatur hæc crudelissima opinio. Probabilioristæ desinant damnare Modernos, quia vident aliquos defecisse in aliquibus opinionibus, vel etiam damnent Antiquos, quia vident, quosdam ex illis horribiliùs errasse.

32. Fagnanus in c. *ne innitaris* de constit. num. 335. asserit, ex libera electione cujusque opinionis Probabilis prodire tanquam ex Equo Trojano ferè opiniones innumeras falsas, temerarias, Scandalosas, &c. prope finem illius numeri recitat juxta Joannem Sanc. in Select. disput 35. num. 6. & Ludovic. de Sancto Joanne in Summ. tom. 1. quæst 7. de Euchar. art. 8. differ. 3. licere Sacerdoti ministrare hostiam non Consecratam pro Consecrata mulieri, quam cogit maritus ad Communicandum, quæ sine jactura famæ non potest Communionem omittere.

33. Ego teneo cum Cardenas in propos. damnat. ab Innoc. Undec. dissert. 20. cap. 3. quòd opinio asserens posse ministrari hostiam non consecratam pro consecrata, contineatur sub propos. 29 damnata ab eodem Pontifice, in qua deciditur, non licere *simulare ministrationem Sacramentorum*, dato etiam *metu gravi.* Sed legamus antiquum Altisiod. aliàs scrupulosum, in 4. tract 5. cap. 5. quæst. 4. fin. ubi hæc habet: licèt dictum sit, quòd in Sacramento Eucharistiæ nulla debeat esse simulatio; tamen in casu aliquo *necesse est fieri simulationem.* Sicut enim Sacerdos per negligentiam suam non habet hostiam consecratam, & aliquis petit Eucharistiam, & si non det ei, valde Scandalizabitur, tunc ad vitandum Scandalum *debet dare Sacerdos simplicem hostiam*, sed non debet dicere hujusmodi verba: Credis hoc esse Corpus Christi? *& hujusmodi simulatio non est peccatum.* Ecce in casu Altisiodorensis, ne petens Eucharistiam à Parocho valde Scandalizetur, Sacerdos nedum potest, ut vult Sancius, sed etiam *tenetur*, dare hostiam non consecratam pro consecrata. Quodnam quæsò Scandalum hic potest intervenire? Mihi aliud non videtur, nisi quòd petens Eucharistiam judicaret, vel Parochum esse negligentem in suo officio, vel quòd illo die Missam non celebraverit; unde suspicio vehemens oriatur de fornicatione Parochi, vel aliud simile, &c.

34. In casu Sancii Maritus cogit Uxorem sumere Eucharistiam; Uxor sine jactura famæ nequit abstinere à Communione. Hinc juxta Sancium licet Sacerdoti hostiam non consecratam pro consecrata porrigere. Quæro, quæ Scandala oriantur, si uxor non Communicaretur in hoc casu, dum maritus judicaret uxorem malæ famæ? Ego pro certo habeo, majora Scandala ortum iri in casu Sancii, quàm in casu Altisiodorensis; & tamen adhuc Sancius non ait, *debere* Sacerdotem, ut vult Altisiodorensis Antiquus, sed solùm posse licitè dare hostiam non consecratam &c.

35. Hic obiter noto, Aliquos Modernos non bene referre Altisiodorensem in hoc casu, dum illum solùm afferunt, quasi quòd dicat, solùm in morte posse Sacerdotem hostiam non consecratam pro consecrata ministrare; nam ex verbis ipsius Doctoris à me de verbo ad verbum allatis constat, quòd Sacerdos hoc possit, quando petens Eucharistiam *Scandalizaretur*, si ipsi non daretur.

Hinc evidenter colligitur, Fagnanum

non legisse Doctores Antiquos; Si enim legisset, non notasset in hac materia Sancium, nec dixisset, hanc laxitatem oriri à Modernitate; Cum hæc lassitas jam ante quatuor sæcula vigeret. Sed nec legit Modernos Probabilistas, quia, si illos legisset, vidisset hunc errorem Altisiodorensis in ipsis; Unde vel tacuisset de Sancio, vel notasset etiam Altisiodorensem; imo magis Altisiodorensem, tanquam Authorem adeo ingentis lassitatis injuriosæ tanto Sacramento.

36. Sed nec legit ipsum Sancium; Nam, si illum legisset, vidisset in illa disputatione num.2. ab ipso afferri pro illa opinione, quòd liceat dari hostiam non consecratam pro consecrata ad vitandum scandalum petentis, ipsum Altisiodorensem loco citato; & insuper referri ex Suarez pro eadem opinione Albertum Magnum in 4. distin.13 art 20. & Divum Bonaventuram in 4. distin.9. art.2. quæst. ult. ad ult. Albertus loquitur de peccatore occulto existente in peccato mortali, & petente Eucharistiam, & dicit hoc posse fieri, sed sæpe non debere fieri. Divus verò Bonaventura hæc scribit: Non debet dare Hostiam non consecratam peccatori occulto petenti in publico Eucharistiam; nam, si daret, peccaret ille, & ipse simulando; *nisi fortassis ipse peccator hostiam peteret ob vitandam infamiam, & in Dominici Corporis reverentiam.* Hinc non debebat Sancius allegare absolutè pro hac opinione Divum Bonaventuram, sed sub formidine; dicit enim Sanctus Doctor: *Fortassis*, &c.

37. Sed graviùs imponit Fagnanus ipsi Sancio. Nam Sancius num.3. expressè asserit hæc verba: *absque gravi peccato Sacrilegii non potest ministrari hostia non Consecrata veluti Consecrata peccatori occulto, quantuncunque instet ad vitandam sui Infamiam.* Et hanc opinionem probat rationibus, & plurimis Antiquis, & Modernis Authoribus. Qua veritatis ergo specie potuit Fagnanus oppositam opinionem Sancio per summam injuriam affingere? Lector ergo benignus legendo Fagnanum in illum Canonem non fidat multum suis allegationibus, sed adeat textus allegatos, quia sæpe inveniet malè citari, ut notavit etiam Cardenas in 3. par. disp.57. cap.3. qui justè, & altè de ipso conqueritur, quòd pluries falsò citaverit Thomam Sanchez.

38. Sancius quidem disp. allata num.9. quærit, cum non possit dari Hostia non Consecrata pro Consecrata, an saltem liceat simulare, se Eucharistiam in os peccatoris prædicti immittere; Et cum distinctione procedit. Negat sine legitima causa, Concedit cum legitima causa: Ut si maritus, inquit Author, minatus esset mortem uxori, nisi Communicaret, quòd videns illam communionis participem suspicionem adversus illam abjiceret. Aut si uxori esset notum, maritum in Ecclesia illam observare, an communicet, vel minùs, ad confirmandum contra suspicionem conceptam.

Ecce quòd Sancius in loco allegato à Fagnano non loquitur de ministratione hostiæ non consecratæ pro consecrata, sed de simulatione dandi Eucharistiam, cum tamen revera ipsam non det. Legat Fagnanus, & legant Probabilioristæ Doctores, & falsò in re tanta illos non afferant, nec Gonetus ampliùs in dissert. de Probabil. num.64. dicat, In Prospero Fagnano reperiri Catalogum Propositionum Absurdarum *fideliter* Excerptarum ex Libris Casuistarum.

39. Has propositiones damnatas à Pontificibus, & traditas olim ab Antiquis aliquatenus examinavi; nunc alias subjicio, sed obiter. Ab Alexandro Septimo num. 11. damnatur hæc propositio: *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Num.25. damnat aliam in materia de confessione. Sed illa opinio Religiosorum, & Doctorum Antiquorum negantium dari præceptum Divinum de confessione erat minùs damnabilis, quàm istæ Modernorum? Vide cap 10. num. 48. & cap 12. num. 15. In eodem Decreto num. 40. damnatur hæc propositio: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem,*

nalem, & sensibilem, qua ex osculo oritur, seclusio periculo consensus ulterioris, & pollutionis. Antiquitus aderat opinio, quòd delectatio morosa non esset peccatum mortale. Vide cap. 12. num. 22.

40. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem. Sic Moderni in propos. 24. damnata ab Innoc. Undec. Quid dixerunt circa hoc Antiqui? *Ex aliqua necessitate pejerare est peccatum veniale*, dicebat Glossa Raym. lib. 3. tit. de pœnit. §. 21. Ver. *unum* Consului Calepinum, & legi, quòd verbum, *Pejero*, significat, *falso*, & *animo fallendi Jurare.* Vide cap. d. 12. num. 35. Itidem leges ex Scoto, communem sententiam tenere, quòd unicum perjurium *leve* non sit peccatum mortale. Sed adhuc hæc communis sententia non tenet illam propositionem damnatam, quia loquitur, si illud perjurium leve sit ex indeliberatione, quod bene nota.

41. Angelus V. *Confessio* 4. num. 6. scribit: Confessor *debet* habere pietatem in compatiendo peccatori benignè eum consolando, infundendo vinum, & oleum cap *omnis*, ut potiùs velit salvum in Purgatorio, quàm nimiam pœnitentiam imponendo desperatum in Inferno; nec exigat juramentum, aut promissionem à pœnitente, nisi ita jus vult; *etiamsi* videat, *quod non implebit, qua sibi imponet.* Vide quæsò propositionem damnatam. 60. ab Innoc. Undec. & compara illud verbum Angeli, *videat*, cum illis ejusdem damnatæ propositionis, *etsi emendationis spes nulla appareat.* Probabilistæ concesserunt restrictionem mentalem damnatam ab Innoc. num. 26. 27. & 28. Concessit Glossa Raym. lib. 1. tit. de mendacio §. 3. V. *mentiendum esse* nos posse licitè aliquando mentiri. Vide etiam Glossam in cap. quod ait V. *periculosissimè*. 13. dist.

Moderni voluere esse licitum abortum fœtùs inanimati, ne puella gravida occidatur, quod proscribitur ab Innoc. Undec. num 34. Paludanus, & Angelus permiserunt, posse semen ejici, ne fiat conceptio, si tamen nequeat Pater alere tot filios. Vide cap. 12. num. 19. Petrus de Bella Pertica apud Bellameram in cap. *olim causam* de restit. spoliat. num. 35. excusat famulum, qui occidit uxorem Domini adulteram, ne ipse occidatur à Domino. Potest intelligi horribilius?

42. Qui alium movet; dicunt aliqui Probabilistæ, ad inferendum grave damnum Tertio, non tenetur ad restitutionem ex propositione 39. damnata ab eodem Innoc. Antiquus Tancredus apud Panor. de *Custod. Euchar.* cap. statuimus num. 3. tenet, in foro Animæ falsum testem puniri de testimonio falso, non verò de damno sequuto. Vide cap. 12. num. 43.

43. Non potest negari aliquos Probabilistas excessisse, dum dixerunt licitum esse contractum Mohatra, etiam respectu ejusdem Personæ. Vide propos. 40. Innoc. Undec. Sed negari etiam nequit, magis excessisse Antiquos famosos, dum tenuerunt, esse licitam venditionem, & emptionem ultra, & citra dimidium. Vide cap. 12. num 23.

44. Usura non est, dum ultra sortem *aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum*, Sed solùm, si exigitur tanquam ex Justitia debitum. Ita propositio 42. damnata ab Innoc. Undec. Vide cap. 12. num. 24. & leges forsan verbatim eandem propositionem tradidisse Hostiensem. Lege etiam num. 47. & videbis, Antiquos aliquos non cognovisse usuram, si non intercederet aliquod pactum; alios verò illam expressè concessisse Hebræis cum Christianis.

45. Audivi, quosdam dicere, fuisse damnatas aliquas propositiones Doctoris Angelici: Et quidem ipse legi in fine Libri Senten. Henrici Gorrichen, & Nicolai de Orbellis plures tales propositiones. Joannes à Sancto Thoma Tom. 1. princ. disp. 2. explicat, & defendit D. Thomam à talibus imposturis, & clarè resolvit objecta. Voluissem ego, quòd explicasset hanc, quam habet 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 3. Ibi dicit, quòd quoad rationem usuræ idem est exigere immu-

tuo munus à manu, ac ab obsequio, & à lingua. Subdit postea: Si verò munus ab obsequio, vel lingua non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed *ex benevolentia*, quæ sub æstimatione pecuniæ non cadit, *licet*, *hoc accipere*, *& exigere*, *& expetere*. Certè D. Thomas loquitur expresse non de munere pecuniæ, sed de munere linguæ, & obsequii; Sed non per hoc difficultas evacuatur, quia juxta ipsum eadem ratio habetur in usura tam de munere pecuniæ, quàm obsequii, & linguæ. Tum quia propositio damnata decidit, non esse licitum exigere *aliquid* ultra sortem. Nota, dicit *Aliquid*; & sic comprehendit omne munus, quod pecunia potest æstimari.

46. Moderni aliqui concesserunt occisionem invasoris pro conservatione unius aurei, & pro conservatione propria famæ, ut patet ex Innoc. num. 30. & 31. Sed aliqui Antiqui concesserunt occisionem sui ipsius pro conservatione castitatis, & fidei. Vide cap. 12. num. 28. Ibidem videbis, Angelum asserere, esse solùm peccatum veniale, si Fœmina credat, *Trinitatem esse Fœminam*. Lector perpendet, an ex hoc sequatur esse veram propositionem damnatam ab Innoc. num. 64.

Dices, me incidere in Decreta Pontificia, dum per Antiquos defendo opiniones damnatas; vetatur autem ab Alexandro Septimo, & Innoc. Undec. defensio propositionum damnatarum.

Contra est, & nego prorsus assumptum. Probo equidem primò, & evidenter, quòd Probabilitas sit antiqua. Secundò probo evidenter, quòd propositiones damnatæ traditæ sint à pluribus Antiquis. Ex his postea ad hominem contra Adversarios probo, Probabilitatem esse bonam regulam morum. Probo etiam, Probabilistas non esse damnandos ex illo capite, quia docuerint propositiones damnatas, quia illas docuerunt ante Pontificia Decreta, sicut ob hoc Antiqui non notantur. Hæc omnia probo, sed assero, nullum ex his esse contra Pontificum Constitutiones, quas esse servandas ad unguem, etiamsi sine Concilio Generali editas, patet ex cap. 8. Poteram alias propositiones damnatas demonstrare traditas fuisse ab Antiquis. Sed brevitati studens libenter omitto.

CAPUT XLIII.

Duellum in Plurimis Casibus fuisse licitum Antiquitus; Nunc verò posse saltem admitti pro salvanda vita.

1. Fogarinus disp. 3. par. 3. sect. 2. n. 42. Simul cũ Brancato de Laurea dicit: Per probabiles rationes ferè omnia vitia Capitalia video jam excusata; & paulatim excusabuntur cætera. Notum est, multos cum quibusdam excogitatis circumstantiis excusare gulam, ebrietates, luxuriam, Furtum, *Homicidium*, &c.

Hi Doctores non explicant, in quibus casibus excusent Probabilistæ Homicidium, quod nequeat excusari. Suppono ergo, quòd teneant excusari in illis casibus, in quibus certò non liceat. Unde per hosce Probabilioristas valet hæc Propositio. *Probabilistæ multi excusant homicidium, quod non est excusabile*. Consonat huic existimationi Fagnanus num. 336. vers. *quibusdam casibus*, ubi refert tanquam evidens absurdum, quòd aliqui Probabilistæ *permittant acceptationem Duelli*.

2. Alexander Septimus num. 2. damnat hanc propositionem: Vir equestris ad duellum provocatus potest *illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*. Innocentius Undec. num. 31. proscribit hanc aliam: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*. Damnant quoque alias non minùs lapsas, & scandalosas, quas videri possunt in Decreto Alexan. num. 17. 18. 19. Innocentii verò num 30. 32. 33. & 35.

3. In hoc capite Demonstrabo antiquitus fuisse ut licitum admissum Duellum in plurimis casibus, in quibus jam

nunc

non licet illud approbare; quoq; ut licitum approbatum in aliquo casu, in quo etiam admitti debet his temporibus. Sive autem Duellum sit licitum, sive illicitum, semper evidenter arguimus pro Probabilitate contra Adversarios.

4. Efformo primum argumentum. Doctrina, ex qua seqitur Duellum, aliàs illicitum, esse licitum, est Probabilitas; Sed antiquitus dabatur Doctrina, ex qua Duellum, aliàs illicitum, erat licitum; Ergo antiquitus dabatur Probabilitas.

5. Efformo secundum argumentum. Probabilitas est eliminanda, quia ex ipsa sequuntur absurba, v. gr. Duellum esse licitum, cum sit semper illicitum; Sed Duellum non est semper illicitum. Ergo Probabilitas non est eliminanda. Major est Doctrina Adversariorum. Unde difficultas stat in probatione Minoris utriusque argumenti. Nunc de primo erit sermo, de secundo num. 29.

6. In cap. 12. n. 5. retuli historiam horribilem de duello, cujus licitus usus erat adeo frequens apud Antiquos, ut mirum fuerit, quod à DD. Catholicis fuerit ita permissus. Juvat hic eandem funestam narrationem reassumere, & illam enucleatè examinare.

7. Igitur Divus Raymundus lib. 2. tit. 3. de Duello §. 2. scribit: Consuetudo tamen generalis contra ista invaluit ferè ubique Terrarum, Unde solet quæri, an hujusmodi consuetudines generales excusent à peccato mortali; & *dicunt quidam, quòd sic*, inducentes pro se verbum Ambr. 32. quæst. 4. objiciuntur Jacob quatuor uxores, *quando mos erat, crimen non erat*. Alii distinguunt, utrùm quis offerat, an suscipiat Duellum, & cum suscipit, utrum sponte an delatum à Judice; Dicunt enim, eum, qui offert, & eum, qui spontè suscipit, peccare mortaliter; eum verò, qui suscipit Judice compellente, non peccare, quia non sponte id facit, sed invitus, cum aliter non possit evadere periculum Corporis, vel *rerum*; Quod enim quis facit ob defensionem suam, vel *suarum rerum*, licitum judicatur, *Si sit etiam Sacerdos* de homic. c. *interfecisti*. *Ego autem salvo meliori judicio primam opinionem non admitto*. Scilicèt quòd sine exceptione talis consuetudo sit licita. *Secunda tolerabilior est*, nempe, quæ distinguit inter Offerentem, & acceptantem, & inter acceptantem sponte, vel Judicis Imperio, & inter acceptantem pro se, vel pro suis rebus. *Sed nec illam admitto*, subdit Sanctus Doctor. Nota quæso, Lector benigne, corruptelam Antiquorum in genere Duellorum, quòd *ferè ubique Terrarum invaluerit consuetudo Duellandi*; Et, quod magis est, invaluerat etiam apud Indices, & quod magis est, & refertur à Glossatore tex. ver. *deponi deberet*, & ab aliis Doctoribus ibi allatis. *Episcopi, Capellani, & Abbates in Curia Regis subire duellum cogebantur, aut res Ecclesiasticas amittere*. Episcopi autem, & Abbates *offerebant, vel suscipiebant duellum, vel per se, vel per alios de speciali mandato eorum*. Potest audiri horribilius, quòd Abbates, Capellani, & Episcopi offerant, aut suscipiant duellum *vel per se, vel per alios*? Et hoc de mandato Regis? Audiant Probabilioristæ atrocitatem Antiquam. Reges, Principes, Capellani, Abbates, & Episcopi, *offerunt, & suscipiunt duellum*.

Hic quæro, debemus ne dicere, quòd Reges isti, Capellani, Abbates, & Episcopi non judicarent Duellum esse licitum pro defensione rerum Ecclesiasticarum? Quid? Debemus credere, quòd potiùs vellent certò ire in Infernum, quàm perdere res Ecclesiasticas?

8. Quòdsi Adversarii volunt dicere, quòd hi Reges, Capellani, Abbates, & Episcopi certò credebant, esse peccatum mortale, & morientes certò ire in Infernum, effugient per hoc dictum Doctrinam laxam, sed non effugient mores laxos Antiquorum; Atque adeo poterant dari mores laxi, quin laxissimi sine laxitate Doctrinæ. Ergo, licet videamus mores laxos Modernorum, ex hoc non possemus inferre laxitatem Doctrinæ Modernæ.

9. Nota insuper, quòd Sanctus Doctor refert, quòd in Duellis Sacerdotes

dabant Benedictionem Duellantibus, & Glossator Ver. *dant Benedictionem* addit, quòd Clerici deferebant Reliquias Duellantibus ad jurandum. Ecce benedicitur Duellum, & juratur, ne aliqua fraus, aut dolus fiat. Saltem nostri duellantes Moderni, qui sciunt se peccare mortaliter, non advocant Sacerdotes pro Benedictione, nec Reliquias pro juramento; Sciunt enim, non esse miscenda Sacra prophanis; Et forsan ex hoc possemus conjicere, Antiquos pugibiles tenuisse pro probabili, hæc duella fuisse licita; & ideo esse benedicenda, & juramento sanciendas leges, ut rite, & rectè fierent.

10. Sed, si Adversarii sustineant, hosce Capellanos, Abbates, Episcopos duellantes, Sacerdotes benedicentes, & deferentes Reliquias, necnon Reges cogentes ad duella tenuisse, esse peccatum mortale Duellare; tamen negare non poterunt, *quosdam* tenuisse antiquitus indistinctè Duellum non esse peccatum; alios distinxisse de offerente, & de suscipiente; alios distinxisse de acceptante vel sponte, vel Judicis Imperio; alios denique de acceptante pro defensione sui, vel suarum rerum. Hoc, inquam, non poterunt negare, cum expresè Divus Raymundus hanc funestam Historiam narret.

11. Eandem funestissimâ Historiâ ultra allatos cap. 12. num. 5. referunt Doctores pariter alii, nempe Joannes de Friburgo lib. 2. tit. 3. de Duello. Albericus Ver. *Duellum*, Abulensis tom. 2. in 1. Regum. cap. 17. quæst. 45. Pisanella, & ejus Supplementum. V. *Duellum*, Angelus Ver. Duellum num. 2. Vide etiam Glossam in cap. *Monomachiam*. Ver. Monomachia 2. quæst. 4.

12. Constat ergo evidenter juxta historiam horum Doctorum, quòd Antiquitus dabatur opinio multorum Doctorum asserentium, esse licitum Duellum, etiam ex parte offerentis, etiam in *Capellanis*, *Abbatibus*, & *Episcopis*.

Nicolaus Lyranus in 1. Reg. cap. 17. & Nider in Præcept. 1. cap. 19. litter. F. & G. dicunt, dari duo genera Duelli, Propriè, & Impropriè. Primo modo est singularis pugna duorum, ut per Victoriam unius appareat tandem ejus justitia per Judicium Divinum, & alterius Injustitia. Secundo modo est bellum singulare unius cum uno absque expectatione Divini Judicii, scilicet ut per Virtutem, artem, vel fortunam, vel omnibus istis, vel aliquibus eorum concurrentibus aliqua Controversia inter eos *Criminalis, vel Civilis terminetur.*

De primo genere Duelli dicunt, secundùm omnes Doctores esse illicitum, & hoc damnare jura can. *Monomachiam* 2. quæst. 4. cap. *cum suscepisti* de purg. vulg.

De secundo verò genere asserunt, dari discordiam, & varietatem opinionum tam inter Theologos, quàm inter Canonistas.

13. Habes ergo, quòd tempore antiquo Nider, Lyrani, & Joannis Theologi, & Canonistæ sustinuerunt ut licitum duellum impropriè sumptum, nempè pugnam ex condicto inter plures tam *pro Causa Criminali*, *quam Civili*, ut tamen non expectetur Divinum Judicium, sed ut per Virtutem, per artem, vel per Fortunam decisio habeatur. Ego credo, quòd nostri temporis duellantes hoc secundum Duellum ineant, & nostri Doctores loquantur.

14. Aliqui citant pro defensore Duelli ipsum Lyranum ubi supra. Et prima facie in rei veritate ita videtur sentire. Sed legenti totam quæstionem apparet, quòd solùm concedit, quòd Judices aliquando possint permittere Duellum. De reliquo in fine expresè dicit, quòd nullus Duellantium prædicto modo est immunis à culpa. Ulteriùs defensor Lyrani contra Burgensem expresè dicit, Lyranum solùm concedere, quòd Judex licitè permittat Duellum; Et pro ejus opinione refert, Karolum Magnum, & Sanctum Regem Ludovicum permisisse hujusmodi Duellum.

15. Aptiùs potest afferri Zabarella de Cleric. pugnat. in Duel. cap. *porro* num. 5. ubi scribit. Quid, si periculum rerum, vel personæ Clericus non potest eva-

evadere, nisi suscipiat Duellum? . . . . Quid de Laico? . . . . Alii distinguunt, an offerat, an suscipiat, & secundo casu aut suscipit sponte, aut coactus à Judice, *& hoc ultimo casu non peccat secundum Vincent. & sic aliis casibus peccat.* Ita Zabarella. Juxta communem opinionem Doctor referens plures opiniones censetur transire cum ultima. Et præcipuè noster ita est censendus ob illa verba, *& sic aliis vicibus peccat*; affirmando enim peccatum in hoc casu, negat in alio. Vide num. 34.

16. Sed videamus, an Duellum per leges Civiles liceat. Igitur lib. 2. Feud. tit. 27. de pace tenenda §. 1. vers. *Si quis hominem* hæc habentur: Si quis hominem intra pacem constitutum occiderit, capitalem subeat Sententiam, *nisi per Duellum hoc probare possit, quòd vitam suam defendendo illum occidit.* Et infrà. Si quis alium intra pacis edictum vulneraverit, *nisi in Duello vitam suam defendendo, hoc fecisse probaverit, manus ei amputetur.* Hic clarè patet, legem in his casibus approbare Duellum. Lege Gloss. Ver. *per Duellum*, quæ refert plures casus, in quibus Leges approbant Duellum, præcipuè Leges Longobardorum.

17. Si quis tamen vellet dicere, quòd hæc Lex non approbat positivè, sed permissivè Duellum, affero Leges Longobardas, quæ clarè præcipiunt Duellum in quibusdam casibus. Igitur aliis pluribus omissis observo, quasdam Leges in lib. 2. tit. 55. qui est: *Qualiter quisque se defendere debet.* Sunt autem factæ ab Ottone Imperatore, & ponuntur in fine illius tituli. De verbo ad Verbum illas reffero. Et factæ sunt istæ ad tollendum abusum perjurii, qui in tota Italia inoleverat in falsificandis scripturis; Et factæ sunt Veronæ convenientibus ibi Conrado Rege Italiæ cum *omnibus Italiæ Proceribus*, qui omnes istis legibus consenserunt. Nota, quòd in illa lege iste Otto dicitur Sanctus. Credo ego fuisse illum Ottonem, qui à Luitprando lib. 6. cap. 6. ut narrat Baronius Anno 960. *Sanctissimus* appellatur.

Ecce Leges iisdem verbis Fideliter relatę.

18. De prædiis si contentio emerserit, & utraque pars sine altera cum chartis, seu descriptionibus prædium sibi vindicare voluerit, si ille, qui falsam chartam appellaverit, *per pugnam declarare voluerit, ut veritas ita decernatur*; sin autem, secundùm priora Capitula determinetur, *edicimus.*

De Ecclesiarum rebus, *ut per Advocatos fiat, similiter jubemus.* Subintellige, ut Duellum fiat. Hinc Advocati debebant defendere res Ecclesiasticas non Legibus, sed armis; non Voce, sed pugna.

De Investitura Prædii, si contentio fuit, *ut per pugnam decernatur, dicimus.*

19. Si quis per seipsum aut per suum Nuncium quicunque alicui deposuerit, & depositum cupiditate victus negaverit, *si viginti sol. pretium fuerit, ut per pugnam decernatur, edicimus.*

Si quis dixerit, quòd per vim de prædio Chartam alicui fecerit, *per pugnam decernatur, edicimus.*

De Furto, aut Scalcho, *si ultra sex Solidos fuerit, similiter, ut per pugnam veritas inveniatur, præcipimus.* Nota hoc verbum, *Præcipimus.*

20. Quacunque Lege, sive etiam Romana, in omni Regno Italico homo vixerit, hæc omnia, *ut in his Capitulis per pugnam decernimus, observare, præcipimus*; ita tamen, ut, si eorum juvenilis, aut decrepita ætas, seu infirmitas pugnare prohibuerit, *liceat ei pro se pugnatorem ponere, & alter similiter faciat.*

Si servus propter appetitum libertatis Liberum se vocaverit, liceat domino, si sibi melius visum fuerit propter difficultatem approbationis insidiosæ, *aut per se, aut per suum Campionem dare, si morbus, aut ætas eum pugnare prohibuerit.*

Ut Ecclesiæ, seu Comites, & Viduæ lites suas de his, quæ in suprascriptis capitulis continentur, per consimiles Advocatos per pugnam dirimant.

Cæteri vero natura liberi secundùm Legem pristinam per semetipsos respondeant, & determinent.

21. Di-

21. Dices, has pugnas factas fuisse non Armis, sed *fustibus*, *& scutis*, & sic non currere paritatem de Duellis approbatis à Doctoribus Modernis. Nostra enim duella fiunt Armis; unde sæpe homicidia accidunt. Assumptum probatur, quia in eod. titulo Leg. 28. facta sub Imper: Rothari dicitur: Quibuscunque per legem propter aliquam contentionem pugna fuerit judicata, præter de Infidelitate, *cum fustibus*, *& Scutis pugnent*, sicut in Capitulare Dominico priùs constitutum est.

22. Vidimus Glossam Civilem referre Leges Longobardas tamquam admittentes Duellum indistinctè; & sic debet intelligi de Duello, quod armis initur. Præterea in Decreto Gratiani edito jussu Gregorii XIII. post cap. *Monomachiam* 2. quæst. 4. aut. 5. notatur, quòd Duellum, subintellige cum Armis, sit legitima probatio per Constitutiones *Longobardicas*, *& Capitulares*. Tum quia Lex allata Rothari Regis, si declarat pugnam esse faciendam fustibus, & Scutis, expressè excipit *de Infidelitate*; Ergo ex ipsa Lege constat, saltem ad probandum me, non esse *Infidelem* meo Principi, posse cum Armis Duellum fieri. Tum quia Duellum factum fustibus potest causare mortem, aut saltem grave malum; Nam Isidorus lib. 5. Etymol. cap. 27. fustes interpretatur, quibus Juvenes pro Criminibus feriantur, dictos ab eo, *quòd præfixi in fossis fient*, *quos palos rustici vocant*. Certè ligna, quæ palos rustici vocant, sunt apta ad inferendum grave damnum. Tum quia utebantur Scutis, utique ad tuendum se à gravi malo.

23. Tum quia fustes inter arma computantur, nam l. *idem est*. ff. de vi, & vi arm. dicitur: Arma sunt omnia tela, hoc est, *& fustes*, *& lapides*. Planè & si Unus, vel Alter *fustem*, vel gladiũ tenuit, armis possessor videtur dejectus. Plus dicitur, & si inermes venerant, si in ipsa concertatione, qui inermes venerant, eò processerunt, *ut fustes*, *aut lapides sumerent*, *vis erit armata*. Et l. *si pignore* ff. de Furt. fin. dicitur: Teli autem appellatione, & ferrum, *& Fustis*, & lapis, & denique omne, *quod nocendi causa habetur*, *significatur*. Et l. *Armorum* ff. de Verbor. significat. dicitur: Armorum Appellatio non utique Scuta, & Gladios, & Galeas significat, sed & *Fustes*, & lapides. Et Cicero pro Cecina dixit, quid igitur si glebis, aut Saxis, *aut fustibus* aliquem de fundo præcipitem egeris? Et Cæsar lib. 5. de bello Civili: *Lapidibusq; fustibusque equites repulerunt*. Et Plinius lib. 7. cap. 56. *Prælium Afri contra Ægyptios primi fecere fustibus*, quos vocant *Phalangas*. Et Juvenalis lib. 3. Satyr. 9. vers 98. Sumere ferrum, *fuste aperire caput*.

24. Patet ex his Textibus, quòd fustis potest inferre malum grave, cum possit *aperire caput*, idest *scindere*, ait Thesaurus Linguæ Latinæ, & cum Antiqui iis pro Armis uterentur in bello, & cum iisdem inferatur *vis armata*.

25. Replicabis lib. 1. titul. *de Monomachiis* l. *revolumus* (aliàs hæc Lex continetur sub titul. *de homic. hom. liber.*) dicit Luitprandus Rex, se non probare Duella, sed propter consuetudinem gentis Longobardorum *Legem impiam vetare non posse*. Ergo per Leges Longobardas non admittuntur Duella tanquam licita, sed permittuntur, quia nequeunt impediri, sicut Leges Civiles admittunt Meritricia, quia nequeunt impediri.

Sed contra, quia, si Rex Luitprandus solùm permittit Duella, quia non poterat *vetare legem impiam Duellorum*, Otho Imperator, qui certè non erat morum Impiorum, cum vocaretur illis temporibus Rex Sanctus, *de novo præcipit legem Duellorum*, & illam ponit loco Legis de juramento. Et nota Lex illa de juramento præstando, ut aliqua Charta probaretur verax, utique erat bona, & Sancta Quia tamen ipsius occasione Itali perjurabant, ponit loco ejusdem Legem *Duellorum*; Ergo Otho judicabat, hanc Legem esse per se justam; Si enim judicasset esse legem injustam, fuisset valdè imprudens, & ridiculus, dum tolleret Legem injustam solùm per accidens, & poneret Legem injustam per se.

26. Li-

26. Liquet ergo evidenter per Leges, saltem Longobardas, approbari Duellum tum quoad acceptationem, tum quoad oblationem. Repeto ergo Argumentum contra Adversarios: Probabilitas est abjicienda, quia per ipsam excusatur Homicidium, v.gr *acceptatio Duelli*; Ergo Regulæ Antiquorum sunt abjiciendæ, quia per ipsas excusati fuere Otho, & Proceres Italiæ statuendo legem de homicidio v.g. *Oblatione, & acceptatione Duelli*. Facio Argumentum alio modo· Excusatio homicidii v. gr. Acceptationis Duelli est doctrina Probabilitatis per Adversarios, sed antiquitus, etiam per Legislatores, excusabatur homicidium v.gr. *Acceptatio, & oblatio Duelli*, Ergo antiquitus dabatur *Doctrina probabilitatis*; Quomodo ergo dicitur, Probabilitatem esse novum inventum enatum in fine sæculi decimisexti?

27. Dices, Leges Longobardas non esse magni ponderis, cum vocentur à Maranta *Asininæ*, ut liquet apud Tuscum Ver. *Longobardi*.

Sed contra, quia, si his temporibus Leges Longobardæ sunt æstimandæ *Asininæ*; Ergo Moderni Doctores meliùs cognoscunt veritatem, quàm Antiqui, etiam Legislatores. Vides ergo in quot quæstionibus Moderni sunt Antiquis præferendi!

28. Præterea meus Codex Legum Longobardorum est excusus in Gallia cum privilegio Regis, & hæc Impressio est prima, quæ de his Legibus post inventam admirabilem Artem Typographi facta est; Et istæ Leges sunt Glossatæ per Nicolaum Boerium Jureconsultum Famosum. Nunquid Galli non viderunt Asinitatem harum Legum? Fateor equidem, Leges hasce approbantes Duellum esse *Iniquas, & perversas*, præcipuè cum tam sæpe, & causibus levibus illud approbent; non tamen propter hoc possumus dicere, Legislatores illarum fuisse ignorantes, & indoctos. Debemus ergo dicere, quòd tempore antiquo materia de Duello fuerit obscura; unde tunc potuit probabiliter sustineri Duellum ut licitum in quibusdam casibus, in quibus postea per studium Doctorum subsequentium re meliùs declarata Ecclesia determinavit veritatem.

29. Sed hæc missa faciamus, & referamus Antiquos, qui probabiliter loquuti sunt de Duello, & probemus per ipsorum authoritatem licere adhuc Duellum, saltem *pro salvanda vita*. Verùm hoc faciendo iterum convincam, Probabilitatem esse antiquam, nec ex ipsa ullum absurdum provenire, ut proposui probare num. 5.

30. Dari varietatem opinionum inter Theologos, & Canonistas de Duello improprio referunt Lyran., & Nider, ut dixi n. 12. Vidimus etiam supra n. 7. D. Raymundum, & plures alios Antiquos narrare hanc varietatem opinionum de ipso Duello in genere. Certū est, cursu temporis Modernos tam amplam varietatem opinionum de Duello cohibuisse, & correxisse Antiquos. Ergo in illis casibus, in quibus Moderni non corrigunt Antiquos, nos non debemus illos damnare. Ergo saltem in casu pro tuitione vitæ Duellum erit licitum, cum nihil habeatur de novo, propter quod debeamus hanc opinionem deserere. De novo quidem Tridentinum sess. 25. cap. 19. de refor. prohibet sub anathemate Duellorum abusum, sicut & Julius Secundus, Leo Decimus, Clemens Septimus, Pius Quartus hoc præstiterunt ante hoc Concilium, & post ipsum Gregorius Decimustertius, & Clemens Octavus. Has Constitutiones vide apud Gregorium Carafam de Duello tract. 2. sec. 2. Ast in his prohibitionibus nihil de novo continetur præter excommunicationem, quod non contineretur in antiquis allatis Decretis. Ergo, si antiquiquitus poterant explicare illas Constitutiones, ut non continerent casum extremæ necessitatis; ita possumus explicare nova Decreta.

31. Vidimus num. 16. Federicum Imperatorem legem sanxisse, si quis accusetur, occidisse hominem extra casum defensionis, hunc debere subire mortem, nisi Duello se defendat. Asten lib. 1. tit. 27. art. 1. refert, Legem municip.

cipalem admittere Duellum in pluribus casibus; Et Alciatus tom. 4. de singul. certamine cap. 4. ex Guido Papa quæst. 617. dicit, Philippum Pulchrum Galliæ Regem statuisse, ut, si quis occulti criminis, capitalisque reus sit, atque ita de eo constet, ut quæstioni subjici possit, condemnari non possit, *is arbitratu Accusatoris Duello experiatur.* Gregorius Carafa tract. 1. sect. 1. quest. 3. affert. historias plures, quibus demonstratur, apud alios Legislatores probatum fuisse Duellum.

32 Supponamus ergo, alicubi has leges vigere, quæso, innocens debebit sinere occidi, & cum vita honorem amittere? *Durum enim*, ait Glos. Raym. lib. 2. de Duello. V. non peccare, *videtur dicere, quòd innocens teneatur potiùs sustinere se suspendi, quàm se defendere in Duello* .... Propter hoc credo, quòd hæc opinio potiùs tenenda est, cum ratione non careat, *& sit benignior*, ne videamur damnare *omnes illos, qui se defendunt in Duellis, vel reos.* Textus clarus, & inevitabilis. Nota obiter, esse sequendam illam opinionem, quæ excusat multitudinem à peccato: *Ne videamur damnare omnes illos, qui se defendunt in Duello.* Hanc maximam, quæ est etiam Modernorum, credo esse invisam Probabilioristis; sed illam venerari debent utpotè antiquam.

33. Glossa in d. cap. *Monomachiam.* V. eod. dicit, monomachiam prohiberi à jure. cap. de gladiat. lun. lib. 11. Subdit tamen: *dicunt quidam, quod defendens potest sumere, quia cuilibet licitum, est se defendere.*

34. Joannes Andreas in cap. 1. de cleric. pugn. in Duello num. 1. glossans illud adverbium, *sponte*, ait: *hoc dicit propter inevitabilem necessitatem, quæ illum excusaret De hoc de homic. sicut dignum secundum Hostien.* Hæc verba saltem significant juncta cum textu, quòd Clericus in necessitate Duellans excusatur à pœna depositionis In fine illius capitis primò refert opinionem dicentem Duellum semper esse peccatum. Inde subdit: Alii distingunt, an offerat, an suscipiat. Et secundo casu aut suscipiat sponte, aut coactus à Judice; *Et hoc ultimo casu non peccat, sicut nec minister 23. quæst. 5. miles: in aliis peccet mortaliter Vinc.* Si est vera communis sententia, quòd Doctor referens plures opiniones, & nihil determinans censeatur sequi ultimam, patet Joannem Andream esse pro nobis. Eodem modo procedit Petrus Ancharanus ibidem; unde etiam ipse est pro nostra opinione. Vide etiam Geminianum in d. cap. *Monomachiam* ibi: nisi per inevitabilem necessitatem, *quæ bene excusaret.* Vide num. 15.

35. Antonius de Butrio de Cleric. pugnan. in Duello cap. 1. not. 1. scribit. Nota, quod coactè licitum est Clerico inire Duellum, quando hoc facit ad defensionem inevitabilem personæ de homic. cap. *significasti*, & cap. *sicut dignum.*

36. Panormitanus in cap. 1. de Cleric. pugnan. in Duello not. 2. videtur tenere, quòd Duellum sit licitum in necessitate inevitabili personæ, sicut in eadem necessitate licet suum aggressorem interficere; tamen postea expressè fatetur, Duellantem in hac necessitate peccare.

37. Prepositus in d. cap. *Monomachiam* scribit num. 3. Tu dic, quòd aut hoc fit propter inevitabilem necessitatem defensionis personæ .... *& licitum est Duellum.* Per hæc ultima verba videtur clarè hunc Doctorem esse pro nobis tamen postea videtur reprobare omne Duellum.

38. Cajetanus 2. 2. quest. 95. art 8. post med. scribit: In uno tamen casu licitum mihi videtur, acceptare Duellum; quando scilicet accusator evidenter calumniatur, & praevalet contra me innocentem ad mortem, vel mutilationem; tunc enim, ex quo accusator impetit me Judiciis gladio injustissimè, sine dubio occidet, vel mutilabit me, ego non habens aliud refugium, habeo justum bellum defensivum contra eum. Hæc clarissimè Cajetanus. Subdit etiam post pauca: Fateor tamen, quod in casu, quo pars habens justum bellum cognoscit vires suas, & quòd oportet, aut confligere, & succumbere, aut acceptare Duellum, quòd licitè

licitè accceptat Duellum; *transfert enim quasi certum casum in dubium, & in spem victoriæ utendo omnibus suis viribus;* nec solùm licitum est tali parti in prædicto necessitatis articulo constitutæ acceptare, *sed etiam provocare tale Duellum, resolvendo bellum in Duellum, quoniam ex parte sui utitur omnibus viribus suis melius in Duello, quam in bello; & propterea non peccat.*

39. Fateor, Cajetanum in hoc secundo textu non loqui de Duello privatarum Personarum, de quo est difficultas, sed duarum Civitatum habentium jus bellum indicendi. Sed subdo, hanc doctrinam probare, Duellum privatarum personarum esse licitum ex parte innocentis. Est licitum Patriæ innocenti transferre casum suum quasi certum in dubium, & in spem victoriæ. Ergo est licitum innocenti casum certissimum suæ vitæ, qui ex judicis iniqua sententia v. gr. ipsi certissimè imminet, transferre in dubium, qui reperitur in Duello. Declaratur. Si non accepto Duellum certissimè, ut supponitur, laqueo suspendor. Si accepto Duellum, forsan non moriar, ut est evidens; nam si adversarius est æqualis in fortitudine; victoria est dubia ex utraque parte. Si est fortior; adhuc victoria est dubia ex utraq; parte; quia licèt, agens naturale fortius certò superet minus forte, non sic accidit in artificialibus; quin aliquando debilius vincit fortius. Absolutè loquendo nonne magis subjaceo periculo mortis, si nullo modo me defendo, quàm si aliquo modo me defendo? Hic procul dubio valet illud poeticum: *accidit in puncto, quod non contingit in anno.* Confirmatur: Petrus traditur carnifici ligatus manibus, Religiosus condemnatur, ut gladio dimicet cum Viro peritissimo artis gladiatoriæ. Ego procul dubio assero, deterioris conditionis Petrum esse, quàm Religiosum, & ego potiùs eligerem condemnationem Religiosi, quam Petri. Ergo damnatus ad mortem eligens Duellum transfert periculum certum in dubium; atque adeo, si Princeps potest per Cajetanum eligere Duellum, ut transferat periculum certum in dubium; ita dicendum in casu nostro.

40. Ex his clarè patet, ut defendam meam vitam ab injusto invasore, licere acceptare Duellum; Duellum, inquam, non ut probem aliis meam innocentiam; quia hoc medium per se non ordinatur ad talem finem, sed ut defendam meam vitam; usus autem gladii per se ordinatur ad defensionem, & offensionem; sed in nostro casu à me ordinatur præcisè, ut me defendam. Contra hanc Doctrinam textus cap. *Monomachiam*, & alii non militant, quia loquuntur de Duello, quod sit tentatio Dei; tale autem non est nostrum, quia non sumimus experimentum de Deo, ut de ratione tentationis est ex D. Thom. 2. 2. quæst. 97. art. 1. Sed illam pugnam inimus, ut vel viribus, vel fortuna, vel utroque simul defendamus vitam nostram, quæ aliàs injustè esset perdenda.

41. Præterea Doctor Angelicus ibidem art. 2. scribit: si quis ad hoc sumat experimentum eorum, quæ ad Divinam perfectionem pertinent, non ut ipse cognoscat, sed ut aliis demonstret, hoc non est tentare Deum, cum subsit justa necessitas, seu pia utilitas, & alia, quæ ad hoc concurrere debent; sic enim Apostoli petiverunt à Domino, ut in nomine Jesu fierent signa, ut dicitur Act. 4. ad hoc scilicet, quòd virtus Christi infidelibus manifestaretur. Sic D. Thomas. In nostro casu, in quo quis est in necessitate extrema, utique erit *justa necessitas*, ut possit sumere experimentum de perfectione Divina, non ut ipse eam cognoscat, quia sibi conscius est de sua innocentia, sed ut aliis eam demonstret.

42. Præterea cap. *quæritur* 22 quæst. 2. dicitur. In hoc ostenditur, quòd *nemo debet Deum suum tentare, dum habet, quòd rationabili consilio faciat. Fecit, quod potuit, quod non potuit, Deo commisit, in quem speravit.* Canon loquitur de facto Abrahæ, qui dixit, illam fœminam esse Sororem suam, & tacuit esse suam Uxorem. Agebatur hìc de vita Abrahæ,

hæ, & de pudicitia Saræ. Abraham habebat virtutem salvandi suam vitam, non verò pudicitiam Saræ. Ipse ergo *fecit*, quod potuit; & sic falsus est illam esse Sororem suam. *Quod non potuit*, *Deo commisit*; In nostro ergo casu agitur de mea vita. Ego habeo virtutem, qua forsan me salvabo, susceptio scilicet Duelli. Ergo debeo imitari Abraham. Faciam, quod potero, & in reliquo me committam Divinæ Justitiæ, ut me protegat. Sic etiam in cap. *si nulla* 23. quæst. 8. dicitur, quòd omni tempore est bellandum pro defensione Patriæ, tum sui, *ne videlicet Deum videatur homo tentare, si habet, quod faciat.* Hic textus expressè dicit, quòd ille Deum tentat, qui expectat à Deo effectum, quem ipse potest ex propria virtute præstare. Porro in nostro casu ille innocens expectat à Deo liberationem à morte imminenti; tamen ut habeat hunc effectum, *facit*, *quod potest*; exerit gladium, & vibrat; quia verò est valde dubium, ne sua virtus sufficiat; ideo expectat à Justitia Divina, ut ipsum auxilietur ad habendum intentum. *Plane*, inquit Turrecremata in hunc Canonem fin. *tentaret quis Deum, si quis imminente tali necessitate à bello velut abstinere*, dimettendo Deo vindictam, *dum tamen habeat, quod faciat, scilicet potentiam habet, unde possit pugnare, vel consilium, quo possit sibi, & aliis consulere.*

43. Confirmatur ex D. Thoma art. 1. Ibi scribit. Quasi interpretativè Deum tentat, qui, & si non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit, vel facit, quod ad nihil aliud est utile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem, vel cognitionem; *sicut cum quis equum currere facit, ut evadat hostes, hoc non est experimentum de equo sumere; sed si equum currere faciat absque aliqua utilitate, hoc nihil aliud esse videtur, quàm experimentum sumere de equi velocitate; & idem est de omnibus aliis rebus.* Quando ergo propter aliquam necessitatem, seu utilitatem committit *se aliquis Divino auxilio in suis petitionibus, vel factis, hoc non est tentare Deum*; *Dicitur enim* 2. *Paralip. cap.* 20. *cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Verbatim rescripserunt hanc Doctrinam Rainerius. V. *tentatio.* cap. 2. Angelus. V. *tentatio*, Asten lib. 1. tit. 18. Ex hoc textu manifestè patet, nostrum Duellum non esse tentationem Dei; nam non Duellatur absque aliqua utilitate, aut necessitate, sed cum magna necessitate, & utilitate, quia per ipsum Duellum transfertur periculum certum vitæ innocentis in periculum dubium ex dictis; & insuper nullam habet aliam viam ad habendum talem effectum.

44. Alios Doctores antiquos pro nostra opinione invenire non potui; unde in rei veritate communis opinio Antiquorum est in oppositum, pro qua militant Abulensis, Raymundus, Joannes de Friburgo, Goffredus Tranensis, Astensis, Albericus, Supplementum Pisanellæ, Antoninus, Angelus, Herp, Rosella, Boic, Panormitanus, & alii Canonistæ, quos vidi, & quorum loca non juvat allegare.

45. Sed quamvis communis opinio Antiquorum sit in oppositum; adhuc tamen apud Antiquos nostra Opinio existimabatur probabilis; unde ipsi in hac difficultate sic procedebant; referebant utramque opinionem tanquam traditam à viris Doctis, & postea sequebantur rigidam. Pro evidentia hujus rei referre solum Alensem *Irrefragabilem* sufficiat. Agit de Duello 4. par. quæst. 11. membr. 2. art. 2. §. 4. quæst. 4. Dixerat, plerosq; tenere omne Duellum esse illicitum: mox subdit: Sed *durum* videtur aliis definire, quòd quando innocens accusatur de crimine ad mortem, quòd si Duellum recusaverit, statim suspendetur, quòd potiùs tenetur, se sustinere suspendi, quàm se defendere in Duello. Propter hoc dicunt quidam, quòd Duellum oblatum in Causa criminali licet suscipere, si alio modo vitæ dispendium non possit vitari. Similiter dicunt in causa Civili de rebus temporalibus ponentes, quòd, sicut Laico licet res suas defendere armis

mis, & raptorem occidere, si aliter defendere non possit, similiter licet in Duello, non quod ipse offert, sed quod à Judice offertur, vel potiùs infertur. Prima opinio securior est, & illi consentio, quòd nullo casu licet Duellum offerre, nec illatum, vel oblatum suscipere, cum Monomachia sit in lege Civili prohibita, & ejus prohibitio sit approbata à Canone. Sed sustinebitne innocens, in causa criminali se suspendi in confusionem propriam, & generis sui, & Patriæ scandalum? Credo, quòd sic in casu isto, cum confessione innocentiæ suæ, & reputatione humili se ista aliàs meruisse. Omnino ergo videtur mihi, quòd existens in voluntate, vel proposito aliqua causa committendi Duellum, eò quòd prohibitum est, & eò quòd committere causam suam sorti Duelli est Deum tentare, intendit facere, quod illicitum est &c. Hucusque Alen.

46. Sed contra evidenter, nam principes, & Ecclesia nequeunt obligare per suas leges cum periculo certo vitæ. Quia præcepta Christi non obligant adeo *durè*. Unde non teneor Baptizari, si nequeo Baptismum suscipere sine vitæ discrimine. Si Christus non posuisset sub præcepto Confessionẽ peccatorum, communiter dicitur cum Scoto in 4. dist. 17. quæst. un. art. 1. vers. *si tertium membrum, quòd Ecclesia non attentasset tam arduum præceptum* imponere omnibus Christianis. Nunquid præcepta de auditione Missæ de jejunio obligant cum periculo vitæ? Nonne valde probabilis est illa sententia, quòd Reus in Conscientia non teneatur fateri crimen semiplenè probatum, quo confesso condemnaretur ad mortem? Ergo quamvis Jus Canonicum, & Civile prohibeant Duellum, hæ leges sunt glossandæ benignè, quando non agitur de periculo Vitæ.

47. Lex humana ex cap. *erit autem.* 4. dist. debet, esse *possibilis secundum naturam, & secundum consuetudinem Patriæ, loco, temporique conveniens, necessaria, & utilis*. Concinit huic Doctrinæ Angelicus Doctor. 1. 2. quæst. 95. art. 3. Certè hæc verba: *possibilis secundum naturam*, indicant clarè, legem humanam non destruere naturam. Ergo observantia legis humanæ non importat certum periculum Vitæ. Præterea ex D. Thom. 2. 2. quæst. 120. art. 1. habetur, legem in aliquo casu deficere; dans autem exemplum ait: legem quidem jubere, ut depositum reddatur Domino ipsum poscenti; si tamen Dominus repetat gladium in furia, non est tunc reddendum. Subdit Angelicus: In his ergo, & similibus casibus malum est sequi legem positam; bonum autem est *prætermissis verbis legis sequi id, quod poscit justitiæ ratio, & communis utilitas.* Ecce lex deficit, quando agitur de periculo vitæ alterius. Ergo multò magis deficiet, quando agitur de meo periculo. Poscit justitiæ ratio, ut accusator nocens impunitus, &cum honore vivat, & innocens punitus, & infamatus moriatur? Nec juvat dicere admodum *durè* cum Alensi, quòd Innocens profiteatur *innocentiam suam.* Ad quid valet, quæso, illa professio? Nec juvat pro salvanda vita, nec pro honore; Judex enim ipsi non credit, nec Astantes. Absit ergo credere, quòd Ecclesia, quòd Princeps adeo *durè* velint obligare subditos, ut debeant amittere vitam, honorem, bona, & quicquid habent in hoc mundo. Desinant ergo Adversarii cum illis Antiquis objicere Canones Ecclesiæ, & Leges humanas, quin ipsos pudeat uti argumento adeo debili; & potiùs in oppositum arguant. Saltem aliqua præcepta Christi, alia præcepta Ecclesiæ, & Principum non obligant cum certo periculo vitæ. Ergo etiam Lex Ecclesiæ, & Principum prohibitiva Duelli non obligat cum certo periculo vitæ.

48. Addo, *apertè* falsum esse leges Civiles prohibere Duellum pro defensione vitæ, vel bonorum. Duplex lex affertur l. qua actione §. si quis in colluctatione ff. ad leg. Aquil. & l. un. C. de gladiat. lib. 11. Si attentè legatur prima lex, potiùs approbat Duellum, etiam absque ulla

ulla necessitate, quàm reprobet. Audi legem: Si quis in colluctatione, vel in pancratio, vel pugiles, *dum inter se exercentur*, alius alium occiderit, cessat Aquilia, *quia gloria causa, & virtutis, non injuria gratia videtur damnum datum.* Nota ly *se exercentur*, & ly *quia gloria causa*; hæc enim verba intelliguntur de iis, qui Duella committunt sponte, absque aliqua necessitate; adhuc tamen, quia Duellum initur non injuriæ *causa*, *sed gloria*; ideo Lex Aquilia non habet locum in Duello facto *gloria causa*. Quomodo Adversarii possunt inferre, Duellum factum salvandæ vitæ causa teneri lege Aquilia? Nunquid lex pluris æstimabit gloriam, quàm vitam? Vide glossam V. *aut si non in certamine*, sicut etiam V. *nisi domino committente*, & hoc loco reperies, quosdam tenere per hanc legem Duella esse licita.

49. Quantum autem ad illam legem Codicis, per quam prohibentur spectacula gladiatoria, prorsus est evidens nihil nobis officere; & mirum valde est, quòd Viri in jure versatissimi illa utantur ad probandum in nullo casu Duellum licere. Nunquid nulla est differentia inter gladiatorē, qui ut recreationem populo Romano præberet, & illum assuefaceret ad non pavendū, dū in præliis sanguinem effundi videret, digladiabatur, & inter nostrum Duellantem, qui solùm intendit defendere propriam vitam, quam sine Duello certò amitteret? Vide Calepinum. V. *Gladiator*. Scio fuisse etiam Gladiatores è servorum, & captivorum numero, qui deputabantur inviti ad officium illud cruentum digladiandi in arena, ut ex Antiquis refert Carafa quæst. 7. Sed adhuc magnum discrimen est inter illos, & nostrum Duellantem; quia semper illæ pugnæ non acceptabantur, nec fiebant ob salvandam vitam, sed ad ostendenda spectacula populo illo crudeli.

CAPUT XLIV.

Probatur nostra Conclusio ex eo Capite, quia ex Probabilitate sequuntur quædam Opiniones, quæ videntur Absurde Adversariis. Expenditur, an sit mortale, Voluntariè distrahi in officio Canonico, Damnatum ad mortem respuere cibum oblatum, & Jurare sine animo Jurandi.

Nunc devenimus ad tertium Caput, propter quod Probabilioristæ exagitant Probabilitatem, & est, quia ex ipsa sequuntur in rei veritate quædam opiniones, quas ipsi judicant ingentia absurda.

1. Juxta hoc Caput retorqueo Argumentum duplici modo. Opiniones A. B. C. &c. indispensabiliter per Adversarios connectuntur cum Probabilitate: Sed Antiquitas docebat illas opiniones A. B. C. &c. Ergo antiquitus dabantur opiniones indispensabiliter connexæ cum Probabilitate; & sic antiquitus dabatur Probabilitatis Doctrina. Hæc secunda Consequentia sequitur, quia dato uno connexorum datur etiam aliud, ut habetur in rubro cap. *translato* de Constitut. de quo vide Abbatem Antiquum ibidem, & alios Canonistas. Et Aristoteles dicebat, relativa esse simul natura, quæ veritas est nota ex terminis, si bene penetrentur.

2. Alio modo efformo Argumentum. Unum ex Argumentis, propter quod per Adversarios est rejicienda Probabilitas, est, quia ex ipsa sequuntur opiniones A. B. C. &c. quæ sunt absurdæ. Sed istæ opiniones non sunt absurdæ; Ergo ex hoc capite non est rejicienda Probabilitas. Difficultas stat in probatione

tione minoris utriusque Argumenti, quod tamen evidenter demonstrabo, & hinc patebit, imposterum debere Adversarios relinquere hoc Argumentum, utpotè fundatum in falso supposito.

3. Illustrissimus Clerus Gallicanus in suo Decreto de anno 1700. num. 74. damnat hanc Propositionem: Eidem præcepto (audiendi Missam) satisfit per reverentiam exteriorem tantùm, animo, licèt voluntariè in aliena, immo & prava cogitatione, defixo. Et hanc Propositionem damnat ut *temerariam*, *scandalosam*, *erroneam*, *impietati faventem*, *& illudentem præceptis Ecclesiasticis*.

4. Num. 99. autem damnat hanc aliam Propositionem ut *absonam*, *& Verbo Dei Contrariam*, & Hypocrisim inducentem: Præcepto satisfacit, qui voluntariè labiis tantùm, non autem mente orat &c. Hìc referuntur verba Caramuelis, quibus asserebat, nec esse peccatum Veniale voluntariam distractionem in recitandis horis Canonicis.

5. Fagnanus in cap. ne innitaris de Constit. num 325. damnat easdem Propositiones tanquam relaxativas Conscientiæ. Audiamus ejus verba: Alii consueverunt cum interna attentione Missam audire, atque Officium Divinum recitare; Falsi sunt omnem scrupulum deposuisse, posteaquàm intellexerunt, satisfieri præcepto Ecclesiæ Missam audiendo, & Officium recitando, etiam cum distractione voluntaria, eò quòd Ecclesia non possit præcipere, ut assistant, & recitent cum attentione, seù devotione interna, quod affirmarunt Ægidius Coninch de Sacrament. quæst. 83 art. 6. num. 291. & 297. Paulus Layman tract. 7. cap. num. 2. Henriq. in Sum. lib. IX. cap. 25. num. 3. In Gloss. litter. P. Quorum tamen opinionem nec veram, nec probabilem esse latissimè ostendi in cap. *dolentes* à num. 17. usque ad 67. *de Celebr. Miss.*

6. Easdem Propositiones tanquam *improbabiles*, *& praxi valdè periculosas* proscribit Gonetus in dissert. de Probabilitate num. 78. & 79. & reprobat ponderando Famosum cap. *dolentes* de celebrat. Missarum, & pro his opinionibus refert Caramuelem in Epist. prælimin. ad Dianam. Fateor Caramuelem exorbitare in hoc puncto, etiam in editione Romana Theolog. Fundam. num. 442. dum tenet, Attentionem internam non requiri, etiam *sub Veniali* At omnes, ait Tamburinus lib. 2. in Decalog. cap. 4. §. 2. num. 9. de Orat. esse saltem veniale supponunt. Idem repetit in Opuscul. Miss. cap. 3. num. 6. & 7. Ita etiam ego ut certum suppono.

7. Verùm enimverò in venerationem Antiquitatis, & præcipuè Divi Antonini, propugnabo ut probabile, satisfieri præcepto de horis Canonicis, & Auditionis Missæ cum voluntaria distractione absque peccato mortali. Legamus Antoninum 3. par. tit. 13. cap. 4. §. 7. Quæritur, ait ipse, septimò, utrùm Attentio in horis dicendis sit necessaria? Respondeo, *quamvis aliqui dixerint, quòd sic*, ita quòd in eis non habens Cor ad Deum, sed ad exteriora mortaliter peccet. Propter hoc in fine illius cap. *dolentes* de Celebrat. Missarum, quòd præcipitur, dici totum Officium studiosè pariter, & devotè. *Et si verbum sit durum, tamen scriptum.* Benignior tamen est Sententia secundùm Hostiensem, qui dicit, quòd in præcepto est horas dicere, *Sed alia, quæ in devotione consistunt, suadendo dicuntur.* Et hoc est, quòd Littera dicit ibi, *quantum Deus dederit, &c.* Per quæ Verba apposuit consilium fragilitati humanæ compatiendo, quasi dicat: Præcipimus, ut unusquisque de die, & de nocte dicat horas suas; *Intentionem* (corrige Attentionem) *autem, & Devotionem in præcepto non ponimus*, Sed gratiæ Dei, secundùm quod ipse dare voluerit, duximus relinquendum. *Et hunc Intellectum teneas, qui benignior est*, & quia non debet Ecclesia oneribus importabilibus alligare. 26. quæst. 7. alligant; Hostien. & Henricus. Assignat Umber. aliam rationem ad hoc, quia scilicet cum hoc sit præceptum de jure positivo,

tivo, non refertur, nisi ad ea, quæ sub judicio humano cadere possunt; Et ista sunt, quæ exercentur per actus *exteriores, non autem per interiores.* Facit etiam ad hoc Glossa super cap. *gravi* de celebratione Missar. in Clement. Ver. *fructum laborum*, ubi dicit Archid. ex hoc, quod *satis est labiis servire in Divinis horis*, licèt cor divertat ad alia.

8. Hic notabis, Sanctum Doctorem clarè docere hanc opinionem. Notabis etiam quantùm benignitas eidem arrideat, & dura displiceant. Insuper vides, suo tempore opinionem rigidam fuisse solùm *quorundam*; Ergo opinio benigna erat Cæterorum.

9. Idem Sanctus Doctor sequenti §. facit quæstionem, an requiratur attentio ad Orationem, & videtur ibi confundere Attentionem cum Intentione, & sustinere requiri attentionem Virtualem. Tamen adhuc clarè in fine stat pro opinione benigna. Ipsum audiamus: Evagatio verò, quæ est præter Intentionem, & propter occupationem præcedentem licitam, peccatum non est, secus, si propter illicitam. *Sed si Evagatio est advertenter, & solùm secundùm actum interiorem*, (licèt temeraria, & gravis foret) *non tamen mortale*, nisi propter contemptum, *quia Ecclesia non babet judicare de actionibus interioribus merè*, propter quod minister Ecclesiæ, licèt dicendo Orationem cogitet aliud, non videtur transgressor præcepti ex natura facti. Si autem Evagatio mentis sit ex hoc, quòd aliquis scienter se occupat in actu exteriori, qui non secum patiatur attentionem, videtur esse Culpa mortalis, & directè contra præceptum Ecclesiæ de celebr. Missar. cap. *dolentes*, ubi præcipitur, *quòd officium celebrent studiosè pariter, & devotè.* Hucusque Divus Antoninus. Ecce iterum clarè affirmat, *Evagationem advertenter factam*, si tamen *sit solùm* secundùm *actum interiorem, quamvis* temeraria, & gravis, non esse peccatum mortale, *nisi propter contemptum.* Potest loqui Clarius? Præterea assignans rationem hujus Conclusionis affert illud dictum, *quia Ecclesia non judicat de merè internis actibus.* Certè, si Divus Antoninus sciebat regulas bonę Argumentationis, ex illo dicto non poterat inferre, nisi quòd Ecclesia in præcepto Divini Officii non præcipit actum internum Attentionis.

10. Igitur non possumus negare, Divum Antonium amplecti clarè, & expressè opinionem benignam, & ad hanc amplectendam motus fuit, *quia est benigna, quia Ecclesia non debet alicui laqueū injicere, & quia Ecclesia non judicat de internis.* Vellem hìc audire Adversarios, quid dicerent hæc legendo adeo contraria suæ doctrinæ. Pater Natalis Alexandri quamvis proposuerit sequi opiniones D. Antonini, adhuc tamen tom. 2. lib. 2. cap. 8. art. 1. reg. 8. sententiam rigidam oppositam D. Antonino docuit. Si ipse sequitur opiniones severas Sancti Doctoris, æquum erat, ut benignas amplecteretur. Ego totum oppositum faciam. Omnes Viri Dei opiniones tradam, nisi oppositum à Sede Apostolica decisum fuerit, vel aliud principium certum de novo *Moderni detegerint.*

11. Nunc Allego alios Antiquos opinionem benignam docentes, & sunt Durandus in 4. dist. 15. quæst. 12. num. 6. his verbis: Requiritur tamen, quòd orans scienter non distrahat mentem ab Attentione, hoc enim non potest esse sine culpa veniali, vel mortali; *Si enim Evagatio sit solùm secundùm actum interiorem, licèt sit temeraria, & gravis, ex quo est à proposito*; fortè tamen non est peccatum mortale, *nisi esset contemptus; quia Ecclesia non babet judicare de actibus merè interioribus; & ideo non potest eam ponere sub præcepto* Propter quod minister Ecclesiæ, si dicendo horas scienter cogitat aliud, non videtur transgressor Præcepti Ecclesiæ, quantùm est ex natura Facti. Si autem Evagatio mentis sit ex hoc, quòd quis scienter occupat se in actu exteriora, qui non compatitur secum attentionem Orationis, tunc videtur, esse culpa mortalis, & directè contrà Præceptum Ec-

Ecclesiæ. cap. *dolentes* de Celebrat. Missarum.

12. Igitur per Durandum Evagatio in Oratione Voluntaria est vel Veniale peccatum, vel mortale. Sed quandonam est veniale? Ipsum audiamus: Si enim Evagatio sit solùm secundùm actum interiorem, licèt sit temeraria, & sit gravis ex eo, quòd est à proposito, *fortè tamen non est mortale, quia Ecclesia non habet judicare de actibus merè interioribus;* (Audi hanc aliam Consequentiam.) *Et ideo non potest eam ponere sub præcepto.* Ecce clarè Durandum pro opinione benigna.

13. Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 5. art. 2. Concl. 4. refert. eadem Verba Durandi, sed subdit. Item, sicut dicitur, quòd dare aliquid ministris Ecclesiæ est de jure Divino, & morale, sed determinare quantum erat judiciale, & nunc per Ecclesiam determinatum est illud idem, scilicet Decima, & ideo nunc Decima est de Jure Divino; Ita & cum homo sit obligatus ad orandum aliquando, & aliquo modo istud tempus, & modus videntur determinata per Ecclesiam in Ordinatis, & Beneficiatis, & Religiosis; *Unde ad horas Canonicas tenentur jure Divino, & humano. Et propter hoc tenentur attendere corde præcepto Divino, & si non humano*, quia hoc importat Oratio, quæ est ascensus mentis ad Deum.

Juxta ergo opinionem Paludani per Præceptum humanum non possumus obligari ad Attentionem in Oratione, *quia Ecclesia non habet judicare de actibus interioribus merè; & propter hoc non potest eos prohibere ex præcepto.* Quia tamen Oratio horarum Canonicarum est ex præcepto Divino, sicut est solutio Decimarum; ideo per Paludanum Clerici tenentur ad Attentionem in horis Canonicis ex præcepto Divino.

14. Cum hic Author comparet præceptum horarum Canonicarum cum præcepto Decimarum, ego subdam: Cum per omnes Theologos contra Canonistas præceptum Decimarum sit Divinum quoad substantiam, non verò quoad quantitatem; Unde per Theologos, si Populi sustentent cum minori expensa, quàm sit pars decima, ministros Ecclesiæ, tunc Populi satisfecerunt Præcepto Divino, non humano. Et hanc opinionem tenuisse Paludanum tanquam Theologum, est satis verisimile. Ita à pari debemus explicare Paludanum de præcepto horarum Canonicarum, quòd scilicet talis recitatio sit de jure Divino quoad substantiam, non verò quoad quantitatem Officii; & hinc, si voluntariè quis per totum Officium distraheretur, peccaret mortaliter contra præceptum Divinum de Orando. Sicut si quis nihil daret pro ministris Ecclesiæ peccaret mortaliter contra Divinum Præceptum de Decimis. E contra, si quis daret requisitum pro ministris Ecclesiæ, licèt non esset Decima, non peccaret contra Divinum Præceptum de Decimis, sed contra Præceptum Ecclesiasticum. Ita etiam, si quis diceret tantùm de Officio, quòd possit sustineri, fecisse Orationem jure Divino præceptam, hic non peccabit contra Divinum Præceptum, sed Ecclesiasticum. Et quia Ecclesia nequit præcipere Attentionem Internam juxta Paludanum: Ergo juxta Paludanum, si quis in toto Officio Divino voluntariè distraheretur, peccaret mortaliter contra præceptum Divinum, non tamen peccabit mortaliter, si distraheretur voluntariè in parte Officii, quia hæc pars solùm præcipitur Jure humano, quod per Paludanum nequit præcipere Attentionem Internam.

15. Astensis lib. 6. tit. 1. art. 6. quæst. 3. hæc scribit: Utrùm Clerici debeant dicere horas attentè. Respondetur, quòd sic, quod ut meliùs possint facere, debent eas dicendo ab omnibus aliis vacare, nisi aliqua necessitas cogat. Licèt dicens verba sine attentione ex sua desidia per negligentiam peccet, *non tamen peccat mortaliter*, quia iste modus orandi est tantùm ex jure positivo, scilicet Ecclesiæ, *quod non obligat nisi ad ea, quæ sub humano judicio cadere possunt; & hæc sunt actus Exteriores, non interio-*

res. Ad hæc valent supradicta in 5. lib. tit. de Oration. art. 4. Utrùm de necessitate Orationis sit, quòd sit attenta. Si non erro, clarè, & expresè. Astensis amplectitur opinionem benignam; si enim Ecclesia non obligat ad ea, nisi quæ sub humano Judicio cadere possunt, *& hæc sunt actus exteriores, non interiores*; Ergo, cum Attentio sit Actus interior, non exterior, Ecclesia non obligat ad attentionem internam, cum sit actus internus. Adhuc tamen in articulo allegato ex lib. 5. de Orat. quæst. 3. videtur satis confusè loqui, & videtur favere opinioni rigidæ. Sed Astensis est allegandus pro opinione benigna, quia clarè illam docet in hoc lib. 6. loco allegato.

16. Scrupulosus Altisiodorensis in 2. tract. 29. par. 1. cap. 3. quod est de negligentia in solut. q. explicando illa verba Jeremiæ: *Maledictus qui opus Dei facit negligenter*, habet hæc verba: Dicendum, quòd authoritas intelligitur in pluribus, Vel quando ex toto aliquis omittit opus Dei, vel quando opus Dei facit cum Accidia, sive cum murmuratione, *vel quando dicit horas Canonicas sine devotione ex consuetudine*.

Ecce per Doctorem non incurritur maledictio, & sic peccatum mortale, in dicendis horis Canonicis sine devotione, nisi hoc faciat *ex consuetudine*. Ergo saltem dicere horas Canonicas indevotè semel, vel bis non erit peccatum mortale per Doctorem.

17. In fine illius capitis hæc scribit: Item quæritur, Utrùm ille, qui dicit horas Canonicas sine devotione, teneatur eas repetere, vel reiterare. Ad quod dicimus, quòd si dubitat, utrùm dixerit eas, an non, tenetur reiterare; Sed non est ibi negligentia, *nisi sit omissio temporis*; ut si dicat ultra tempus debitum, sicut illi, qui dicunt Matutinum in hora meridiana; *vel nisi sit omissio finis*, ut quando tenetur referre ad Deum, & non refert, *quod aliquando contingit*, licèt sit difficillimum determinare, *quando hoc non contingat*. Qui dicit horas Matutinas v. gr. tempore matutino sine devotione, hic procul dubio non habet negligentiam temporis. Ergo non peccat hic indevotus per negligentiam temporis. Item hic idem indevotus in illo tempore Matutini *non semper tenetur* referre illas horas ad Deum, *quia solùm aliquando hoc contingit, & quando hoc contingat, difficillimum est determinare* Ergo hic indevotus non peccat ratione negligentiæ omittendi finem; Ergo hic indevotus non peccat mortaliter juxta Regulas scrupulosi Altisiodorensis.

18. Joannes de Friburgo in Sum. lib. 1. tit. 7. quæst. 18. hæc scribit: Quamvis autem dicens verba sine attentione ex sua desidia peccet per negligentiam, *non tamen peccat mortaliter*, quia iste modus orandi ex præcepto Ecclesiæ solùm statutus est. *Præcepta autem Juris positivi non referuntur nisi ad ea, quæ sub judicio humano cadere possunt, & hæc sunt actus exteriores, non interiores*; *ideo patet propositum*. Iste textus est adeo clarus, ut nequeat ullo modo negari.

19. Pisanella ver. *Hora Canonica* hæc pauca habet: Similiter *non peccat mortaliter*, qui verba quidem dicit, *sed illa non attendit*, quia cum de dicendo horas sit de jure positivo, non refertur nisi ad ea, quæ sub humano judicio cadere possunt, & ista sunt, *quæ exercentur per actus exteriores, non autem interiores*. Textus clarus, & inevitabilis.

20. Legamus Albericum de Rosate in suo Dictionario Juris. Ver. *Hora Canonica*. Hæc pauca, sed clarissima scribit: Similiter non peccat mortaliter, qui verba dicit, *nec ad ea attendit*, quia, cum præceptum sit de horis Canonicis de jure positivo, *non refertur nisi ad ea*, quæ sub humano judicio cadere possunt: *Illa sunt, quæ exercentur per actus exteriores*; Hæc Albericus ex Joann. Friburg. lib. 1 tit. 7. q. 18. Vide Albert. & Pisan. verbatim rescribere Friburgum.

21. Gerson par. 3. tract. de Vita Spiritual Animæ Lect. 4. Coroll. 2. ita scribit: Si fiant actus exteriores suorum jussorum, (Superiorum scilicet) etiam cum perversissimis intentionibus, & finibus

nibus occultis, non erit ibi transgressio humanæ legis, ut humana est, sed Divinæ, *& ita si dicam horas Canonicas cum quacumque mentis evagatione, & nulla attentione.* Si jejunem in quadragesima tantummodo, ut sanior fiam, vel ut postmodum voraciùs comedam . . . ago quidem malè apud Deum peccans in Legem suam, me tamen pro transgressione humanorum præceptorum nullus accusabit. Et hìc accipiunt fundamentum dicentes, quòd in casibus præmissis non teneretur aliquis horas iterare, nec aliam Missam audire. Sed sufficit de peccato in Deum commisso conteri, confiteri, & satisfacere ad arbitrium Confessoris. Hæc autem sententia mitis est pro scrupulosis circa humanorum præceptuum observationem. Corollar. 3. sic scribit: Stat simul aliquem observare præceptum humanum, & tamen peccare mortaliter. Sicut aliquis merendo apud Deum poterit humani præcepti violator accusari. *Patet primum in casibus prioribus, ubi fit actus præcepti humani ad finem perversum.*

22. Nota, quòd per Gersonem dicere horas cum quacunque evagatione, & nulla Attentione non est peccare in Legem Ecclesiasticam. Nota etiam, quòd audire Missam v. gr. *ad finem perversum, & perversissimis intentionibus* est satisfacere præcepto Ecclesiæ. Et hìc accipiunt fundamentum, qui dicunt, in his casibus non teneri ad iteratam recitationem Officii, & auditionem Missæ, & quidem rationabiliter; Si enim totum fit, quod præcipitur, quid restat faciendum? Conteri, & confiteri peccatum commissum in Deum, inquit Gerson, & sic conteri, & confiteri *perversum finem, & perversissimam intentionem.* Cum autem evagatio mentis non sit peccatum mortale contra Legem Dei, ut patet, nec contra præceptum Ecclesiæ per Gersonem; ergo hanc evagationem in Officio non tenemur confiteri per Gersonem. Juxta meam opinionem puto evidens, Gersonem esse pro opinione benigna, & ita quidem allegatur à multis.

23. Sed adhuc Suarez illum allegat pro opposita. 3. par. de Oration. par. 3. litter. E. & F. & quidem videtur benè allegari. Nunquid utramque partem probabiliter docuit, & tenuit?

24. Angelus Ver. *Hora Canonica* num. 27. refert Glossam in Clement. 1. de celebr. Missarum. V. *Fraclum* dicentem sufficere dicere horas ore, *licèt non corde*, & subdit, ita etiam tenere multos Canonistas. Fatetur tamen, alios oppositum sustinere; deinde refert per extensum Doctrinam Paludani à nobis supra allatam, quæ inter alia continet hæc verba: Vagatio, quæ est advertentis, & solùm secundùm actum interiorem, *licèt sit temeraria, & gravis fortè*, non tamen est mortale, nisi propter contemptum, quia Ecclesia non habet judicare de interioribus actibus merè. Propter quod minister Ecclesiæ, licèt dicendo Officium aliud cogitet, non videtur transgressor præcepti ex natura facti. Si autem evagatio mentis sit ex hoc, quòd aliquis scienter se occupat in actu exteriori, qui non secum patitur attentionem, sic videtur esse peccatum mortale, & directè contra præceptum. cap. *dolentes* de Celebrat. Missarum.

Per hæc Verba clarè videtur, hunc Doctorem stare pro opinione benigna, ut observat etiam Suarius tom. 2. de Relig. lib. 4. de Horis Canonicis cap. 26. num. 2. Aliqui tamen prætendere possunt, Angelum stare pro opinione rigida. Nequit tamen negari, quòd Angelus credat ita tenere Glossam, & multos alios Canonistas.

25. Baptista de Salis Ver. *Hora Canonica* quæst. 4. sic scribit: Hostien. etiam dicit, ut notat Archiep. Floren. quòd in præcepto est horas dicere, sed alia, quæ in devotione consistunt *suadendo dicuntur*; & hoc est, quod dicit tex. in cap. *dolentes* de celebrat. Missarum . . . *& hunc intellectum teneas, quia benignior est*, & quia non debet Ecclesia injicere &c. Hæc Archiep. & Henricus Boic. Idem Petrus de Palude. Nomine Archiepiscopi Florent. intelligit D. Antoninum, citans illum

sub nomine dignitatis Archiepiscopalis Florentinæ, quam habuit Beatus Vir. Nota quæso illam causalem, qua hic Author jubet, ut teneamus opinionem lassam juxta Adversarios: *Hunc intellectum teneas, quia benignior est*. Certè hæc ratio est ex diametro contraria Adversariis, qui pro indubitato supponunt, inter duas opiniones æquè probabiles esse sequendam rigidam, & extollunt rigiditatem. Benignitatem verò invidiosis nominibus appellant, V. Gr. *Lassitatem*, *Corruptelam*, *&c.* Quos, Lector, Sequeris, hosce Modernos rigidos, an Antiquos, Hostiensem, Antoninum, Ho . . . . Archidiaconum, Henricum, Salis, & alios clamantes, *hunc intellectum teneas, quia benignior est, & quia Ecclesia, non debet injicere alicui laqueum*?

26. Sed recenseamus quatuor Canonistas; cum enim quæstio præsens sit de jure Canonico; ideo est propria ipsorum materia juxta Divum Thomam quodl. 9. art. 13.

Præcedat Glossa tanquam Doctor inter Canonistas primus. Igitur Clement. I. de celebr. Miss V. *Fructum labiorum* ait: Ex hoc arguitur, quòd satis est labiis servire in Divinis Horis, licèt cor divertat ad alia, & de hoc scripsi post Innocent. & Hostiens. eodem titulo c. *dolentes*, & facit, quod de oratione dicam infra de reliqu. c. un. in gloss. de orat. in septim membr. Joannes Andreas in c. *dolentes*, num. 9. hæc scribit: Omittens Missam celebrare, vel audire, vel, si interest, non habet cor ad Deum, sed ad exteriora, *mortaliter peccat*, ut hic, & 14. q. 1. c. quod præcipitur. Et si verbum sit durum, tamen scriptum 6. q. 1. *scriptum*. cum similibus. *Vel dic*, quòd dicere est in præcepto, sed alia, quæ in devotione consistunt, suadendo dicuntur; Unde dicit infra, *quantum Deus dederit*; quasi dicat, quòd *durum esset hoc ponere in usu præcepti*, relinquimus ea Gratiæ Dei, & hoc, *quia benignum*, placet Hostiens. quia nec debet Ecclesia laqueum alicui injicere 27. q. 1. de Viduis . . . . . Nec aliquos oneribus importabilibus alligare 26. q. fin. c. alligant.

Vel dic, quòd hæc non obligant ad culpam de novo incurrendam, sed ad pœnam suspensionis, quæ potest infligi.

Ecce expresè dicit, quòd præceptum est dicere horas, at illas dicere *cum devotione* est consilium, *non præceptum*, quia esset *durum*, & poneret laqueum, quod Ecclesia non facit. Nota, quòd huic Doctori placet benignitas, & displicet severitas. Nota, quòd hanc doctrinam Joannes Andreas accipit ab Hostiens. ut dixi etiam cap. 28. num. 62.

27. Henricus Boic in c. *dolentes* in fin. de Verbo ad Verbum recitat textum allatum Joannis Andreæ, quamvis illius non faciat mentionem. Unde etiam hic Doctor amplectitur clarè benignam opinionem. Ipsum retuli c. 28. num. 62. ubi dixi esse doctrinam etiam Antonii de Butrio.

28. Ancharanus in eodem c. *dolentes* num. 7. ita scribit: Septimò nota, quòd Clerici studiosè, & *devotè* dicere debent officium, quantum eis dederit; An vero peccet mortaliter, qui hoc non facit, dicit Joannes Andreas, quòd dicere est in præcepto, sed alia, quæ in devotione consistunt, suadendo dicuntur, quod patet ibi, *quantum eis dederit, &c. Durum enim esset ponere in vi præcepti*, & mitteret Ecclesia laqueum, & alligaret onus importabile contra can. de Viduis 27. quæst. 1. Quid amplius desideramus ab Ancharano?

29. Cardinalis Zabarella in Clement. 1 de celebrat. Missarum num. 5. scribit: Quæro in eo, quod dixi . . . . quòd satis est, servire labiis in divinis, an hoc sit verum. Glo: sumptum remittit ad no. eod. titulo c. *dolentes*, & ibi dicitur, quòd non peccat mortaliter, maximè si cogitat de aliquo bono spirituali. Dic, ut ibi dixi quæst. 7. Laud. autem arguit, quòd *nullo modo peccent secundùm quosdam*. Sic etiam infra talia scribit. Dicit Lau. quòd licèt in præcepto sit, quòd quisque dicat de nocte, vel de die, *vel quod ex devotione, aut intentione, non est in præcepto*;

Sed

Sed hoc est gratia Dei, prout illam voluerit. Mihi videtur non posse negari quòd Lau. sit clarè pro opinione benigna.

30. Turrecremata in c. *Cantantes* 92. dist. quæst. 3. & 4 variè loquitur, ut observat Suarez. Nam quæst. 3. Conclus. 2. refert dictum Ulrici scribentis in sua Summa ista: Omnis autem dicens Verba sine attentione actuali mente evagata ex sua desidia, licèt peccet per negligentiam, *non tamen peccat mortaliter*, quia iste modus orandi ex præcepto Ecclesiæ solùm statutus est. *Præcepta autem juris positivi non referuntur, nisi ad ea, quæ sub judicio humano cadere possunt, & hæc sunt actus exteriores, non interiores*; & sic patet propositum. Hæc ille, maximè cum est negligentia levis, non est dicendum, quòd sit peccatum mortale. Ita Turrecremata.

Ego subdo. Si Turrecremata cum Ulrico fatetur præcepta juris positivi non referri, *nisi ad ea*, quæ sub judicio humano cadere possunt, *& hæc sunt actus exteriores, non interiores*; certè evidenter sequitur, quòd attentio intellectûs, cum sit actus interior, non præcipiatur à præcepto Ecclesiæ. Ergo voluntariè omittens attentionem non facit contra præceptum Ecclesiæ. Adhuc tamen hic Doctor in quæst. 4. Concl. 4. expressè scribit, *Quòd voluntariè distractus nihil facit, & tenetur reiterare*. Certè expressè dicit, requiri ad officium divinum attentionem. Observet Lector, an possimus dicere, quòd Turrecremata utramque opinionem probabilem judicaverit. Si Turrecremata non est pro nobis, certè antiquus Ulricus est.

31. Panormitanus in dicto c. *dolentes* quæst. ult. quærit, Nunquid Confabulantes in divinis officiis, vel non dicentes officium studiosè, ac devotè peccent mortaliter. Et quæsito sic respondet: Joannes Andreas ponit tres opiniones. Prima quòd sic . . . . . . Secunda opinio, quòd non peccant mortaliter, sed venialiter, quia dicere est in præcepto, alia verò sua 'entur. Tertia opinio, quòd ex indevotione obligantur ad pœnam, sed non ad culpam; nam hic textus præcipit sub pœna suspensionis, quòd confabulantes & indevotè celebrantes debeant suspendi ab Officio. Satis crederem quantitatem reatûs considerandam *ex qualitate, & quantitate contemptûs, & negligentiæ*. Judicabit Lector pro qua opine stet Abbas. Hoc est certum, illis temporibus viguisse tres opiniones, quarum una solùm erat rigida.

Et quidem Georgius Gobat Modernissimus Doctor in Theolog. experim. tract. 5. disp. 2. num. 795. asserit, *plerosque Antiquorum* stetisse pro benigna parte, pro qua multos ex illis affert. Affert etiam pro eadem multos modernos, sed multò plures pro rigida. Suarez pro opinione rigida allegat Gersonem, de quo nos supra dicebamus, & Gabrielem lection. 62. in Canone Missæ.

32. Ego pro Rigida expressè invenio Supplementum Pisanellę Verb. *Hora Canonica* quæst. 2. dicit enim, quòd jus positivum se extendit *ad interiora etiam* ex c. *dolentes* de celebrat. Missarum. Pro hac etiam videntur esse Innocentius in c. *dolentes*. Raynerius in Summ. Verb. *Oratio* cap 6. Alios invenire nequivi. Legi Richardum, Baccon, Scotum, Bonaventur: & alios Antiquos, sed difficultatem non attigerunt.

33. Quod attinet ad Doctores viventes tempore quasi antiquo, tres lego pro benigna.

Primus est Sylvester Verb. *Hora*, quæst. 11. num. 13. qui ex professo, & diffusè agitat quæstionem, & meliùs omnibus antecedentibus Doctoribus illam resolvit. Inter multa autem, quæ dicit, hæc rescribo: *Dico ex mente divi Thomæ*, & Petri de Palude, ut patebit particula sequenti, quòd ibi (scilicèt in c. *dolentes*) præcipitur devotio quantùm ad actum exteriorem, ut non dicantur Horæ operando manualiter opera impertinentia, aut confabulando, aut notabiliter Syncopizando, & faciendo hujusmodi, quæ hic reprehenduntur, & similiter quan-

tum ad actum interiorem, sine quo iste exterior haberi non potest, cujusmodi est *velle satisfacere præcepto Ecclesiæ*, & psallendo velle abstinere à prædictis; *Non autem Attentio, sine qua prædicta esse possunt . . . . . Evagatio autem advertenter secundùm actum interiorem solùm*, licèt sit temeraria, & gravis fortè, *non tamen est mortale nisi propter contemptum*, quia Ecclesia non habet judicare *de actibus merè interioribus*. Si verò sit ex hoc, quòd aliquis scienter se occupat in actu exteriori, qui non secum patitur attentionem, sic videtur esse mortale peccatum.

34. Notetur quæso, quòd hic famosus Summista Thomista credit, esse Doctrinam Doctoris Angelici, quòd præceptum Ecclesiæ solùm obliget ad actum exteriorem, & ad illum actum interiorem, *sine quo actus exterior præceptus haberi non potest*; assignans autem actum interiorem requisitum ad exteriorem ait: cujusmodi est *velle satisfacere præcepto Ecclesiæ, & psallendo velle abstinere à prædictis*. Postea expressè negat, attentionem esse hujusmodi; ait enim: *Non autem attentio, sine qua prædicta esse possunt*. Igitur cum quis nequeat satisfacere præcepto Ecclesiæ, nisi habeat actum internum voluntatis, & nequeat abstinere à Confabulatione, à Syncopa, &c. nisi habeat actum internum volentem hæc facere; Ideo per Sylvestrum juxta Divum Thomam præceptum Ecclesiæ obligat ad hos actus internos. *Quia verò prædicta*, idest dicere officium *sine Syncopa, sine Confabulatione, & similibus*, esse possunt sine attentione, ut est evidens; ideo per Sylvestrum juxta Divum Thomam hæc attentio non est necessaria ad officium Canonicum.

35. Secundus Doctor hujus temporis, qui militat pro opinione benigna, est Joannes Altestaig in suo Lexico Theologico Verb. *Oratio* vers. *Oratio quædam* post medium. Refert Doctrinam Paludani, quam supra attuli, in qua inter alia hæc habentur: Requiritur tamen, quòd orans non scienter distrahat mentem ab attentione; hoc enim non potest esse sine culpa mortali, vel veniali. *Si enim evagatio sit solùm secundùm actum interiorem*, licèt sit temeraria, & gravis, ex quo est à proposito, *fortè tamen non est peccatum saltem grave*, nisi esset contemptus, quia Ecclesia non habet judicare de actibus interioribus merè. Propter hoc enim non potest ea prohibere ex præcepto . . . . . Si autem Evagatio mentis sit ex hoc, quòd aliquis scienter se occupet in actu exteriori, qui non secum patitur attentionem orationis, tunc videtur esse culpa mortalis.

36. Tertius Doctor est Joannes Medina Cod. de orat. quæst. 15. qui probabiliter priùs sustinet Ecclesiam non præcipere, ut horas dicamus *ex devotione, & attentione mentis*; Sed devotionem, & attentionem mentis suadet, & attentionem, & devotionem exteriorem jubet. Postea verò probabiliter sustinet oppositum. Hoc idem præstare videtur in quæst. 16. Hìc obiter notabis hunc doctorem, qui inter morales multùm excellit, viventem in tempore quasi antiquo, apertè sequi utramque partem contradictionis.

37. Non juvat, alios hujus temporis pro hac opinione benigna doctores referre; Addo tamen in nostro moderno tempore militare pro eadem multos, & quidem celebres Authores. Pro opposita opinione rigida plures videntur militare Doctores hujus temporis, quos apud Suarez videre, quisque poterit, quibus addo Fumum. V. *Hora Canonica* num. 19. & 20. Quòd attinet verò ad nostros Doctores modernos, proculdubio plures sunt pro rigida, & pauciores pro benigna, ut videbis apud Gobatum, ut supra dicebam.

38. Colligitur evidenter, opinionem benignam debere dici opinionem Antiquorum, non Modernorum, quia ex Antiquis plures stant pro ipsa, quàm contra ipsam. E' contra ex Modernis plures sunt pro rigida, pauciores pro beni-

benigna. Unde oportet dicere, quòd Gonetus, & alii Probabilioristæ dicentes opinionem benignam esse fructum probabilitatis *noviter inventa* non legerint Antiquos.

39. Colligitur secundò, hanc opinionem benignam non posse damnari, quia contra ipsam non datur textus clarus, nec ratio manifesta. Non datur talis textus, quia non allegatur nisi c. *dolentes* de celebr. Missar. At hic fuit expensus ab omnibus Antiquis; dicere verò, quòd claritatem non viderint, non est probabile; ergo ille textus clarè non est pro rigida opinione. Insuper non datur aliqua ratio manifesta, & insolubilis; nam, quamvis Suárez habeat pro moraliter certa opinionem rigidam, ejus tamen ratio talis non est; Nam quando dicit, quòd Ecclesia jubet illam actionem externam recitandi horas, ut est oratio, & Cultus Dei, & quòd nequeat esse oratio, & Cultus Dei, nisi habeat saltem attentionem virtualem; Responderi potest, recitationem externam rerum sacrarum factam in honorem Dei absque attentione, sed cum voluntaria distractione esse orationem, & Cultum Dei. Si etenim Sacerdos eum voluntaria distractione proferat formam Extremæ Unctionis, si tamen habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, proculdubio Sacramentum est validum, & sic illa verba sunt oratio; Nam forma Extremæ Unctionis essentialiter est deprecatio, & oratio.

40. Præterea si quis cum Hæbræis in Sinagogis caneret psalmos David absque ulla attentione, si tamen hoc voluntariè faciat, hic proculdubio habet Cultum Dei more Mosaico. Ergo Cultus Dei necessariò non requirit attentionem, sed stat simul cum voluntaria distractione. Igitur ad orationem requiritur, quòd verba ex significatione referantur in Laudem Dei, & quòd quis illa dicat ob hunc finem. Totum autem hoc perficitur, si ab initio quis habeat cognitionem de verbis dicendis, & illa sic incipiat dicere, quamvis postea voluntariè de hoc nihil cogitet. Illa enim continuatio verborum est actus humanus, ut constat; est ordinata in honorem Dei virtualiter; ex vi enim prioris intentionis continuantur illa verba; Sicut si quis voluntariè intendens facere, quod facit Ecclesia, dicat Missam, licèt voluntariè distrahatur, prosequutio Missæ fit in honorem Dei virtualiter. Si ergo illa continuatio verborum voluntariè distracta fit in honorem Dei virtualiter, est proculdubio oratio.

41. Itidem, quamvis opinio benigna sit damnata à Clero Gallicano, non per hoc est certò falsa; quoniam, ut alibi evidenter probavi, Concilia Provincialia, & Nationalia non habent certam veritatem, sed solùm probabilem; nec ad ipsa juridicè spectat talia dubia decidere ex c. *Majores* de Baptismo; Sed ad solam Cathedram Petri ex Clement. de Summ. Trinit. §. 1.

42. Idem Suarez nu. 18. dicit, recitantem horas Canonicas *absque ulla attentione*, utique interna, *peccare mortaliter* ex genere suo; & pro hac conclusione allegat Divum Antoninum d. c. 4. §. 8. Sed, salva honorificentiam, legitimè non refertur Divus Antoninus, ut patet ex suo textu à nobis verbatim supra allato num. 7. & 8. Dicit enim expressè: *si evagatio est advertenter*, & solùm secundùm actum interiorem, (*licèt temeraria, & gravis foret*) non tamen mortale, *nisi propter contemptum; quia Ecclesia non habet judicare de actibus interioribus*... Ecce evagatio advertenter facta, & sic voluntaria, evagatio tamen secundùm actum interiorem, licèt temeraria, & gravis foret, non est mortale, nisi propter contemptum. Potest loqui clariùs, & expressiùs? Postea subdit Sanctus Doctor, quòd evagatio in opere externo, quod non admittit secum attentionem, videtur esse mortale, & contra c. *dolentes* de celebrat. Missarum. Constat ergo evidenter, quòd evagatio interior voluntaria in horis Canonicis, etiam gravis, & te-

Oo 4 mera-

meraria, si nihil aliud addatur, per Divum Antoninum non sit peccatum mortale.

43. Colligitur tertiò, opinionem benignam quoad authoritatem esse probabiliorem opinione rigida juxta principia Adversariorum; quia opinio benigna habet plures Antiquos pro se, & paucio res rigida, ut liquet ex dictis. Et insuper opinio benigna habet pro se Divum Antoninum Sanctitate, Theologia, & facultate Canonica celeberrimum, &, quod magis est, tractat quæstionem ex professo. Opinio autem rigida non habet Doctorem tot qualitatibus insignem.

44. Beatus Laurentius Justinianus de disciplina, & perfect. Monast. c. 17. videtur, esse pro rigida opinione; dicit enim: O' quoties mens tædio prægravata ab omni gustu cælestium Cantionum jejuna pertransit. Loquitur, & ignorat, cui; Clamat voce, nec seipsam intelligit, nec percipit, quid dicat; nam totaliter extra se evecta, atque velut amens effecta *adversum se Deum provocat vehementer*. Si mens evecta totaliter extra se provocat adversum se Deum vehementer; ergo peccat mortaliter. Ita arguit Sinnichius in Saule Exreg. cap. 107 apud quemdam libellum Italo idiomate scriptum. Ergo pro opinione rigida militat Doctor adeo insignis, ut est Beatus Laurentius.

45. Concedo pro nunc, Divum Laurentium esse nobis contrarium. At Divus Laurentius, sicut dignitate Ecclesiastica, & Sanctitate est cum Divo Antonino comparandus, ita illum doctrina Theologica minorem esse non dubito, quod omnibus notissimum erit, si utriusque opera legantur. Præterea D. Antoninus quæstionem ex professo agitat, & Ecclesiæ Canonem expendit; & sic scholasticè se gerit in nostra difficultate. E' contra D. Laurentius merè suam opinionem dicit, & insuper illam dicit in sermonibus factis Religiosis Viris, apud quos etiam peccata levia maximi æstimantur, & ut dicit Divus Gregorius, & refertur cap. fin. 5. dist. *bonarum mentium est ibi culpas suas agnoscere, ubi culpa non est.*

46. Hæc dicta sint in honorem Antiquitatis, cui magis placuit hæc benigna sententia, & ad demonstrandum Adversarios jure non procedere, dum illam damnant. De reliquo longè probabiliorem judico opinionem rigidam, quæquè magis placet Modernitati. Juxta ergo meum sensum debemus sequi in hac materia opinionem rigidam, sed non debemus præcipitare sententiam damnando benignam sequentes; sic enim obediemus Canoni, & Antiquitati.

Duas alias opiniones damnatas à Goneto hic defendam tanquam verè probabiles, & omnino securas in praxi.

47. Igitur Gonetus num. 105. in sua dissert. de Probab. tanquam unam de laxioribus Tamburini proscribit hanc propositionem: *Juste damnatus, ut fame pereat, potest oblatum panem respuere*: ita Tamburinus lib. 6. cap. 2. §. 2. num. 6.

48 Audiamus rationes damnationis: Oppositum, inquit Gonetus, docet Divus Thomas 2. 2. q. 69. art 4. ad 2. ubi sic ait: Nullus ita condemnatur, quòd ipse sibi inferat mortem, sed quòd ipse mortem patiatur; & ideo non tenetur facere id, unde mors sequatur. Tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur, quod justum est, eum pati. Sicut etiam, si aliquis sit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occultè ministratum sumat, quia *non sumere esset seipsum occidere*. Quæ ultima verba probant, taliter condemnatum non modo posse, sed & teneri cibum sibi oblatum sumere, quia citra specialem Dei impulsum nulli fas est seipsum occidere; Unde, cum per Divum Thomam *non sumere sit seipsum occidere*, planum est, talem teneri cibum oblatum sumere.

49 Confirmatur: Homo tenetur, præcepto naturali, conservare suam vitam, quoties licitè potest; sed in dicto casu licitè potest; ergo tenetur. Minor probatur, quia si quid obstaret maximè sententia Judicis; Sed hæc non obstat,

stat, quia illa non præcipit, quòd ille non comedat, *sed quod nemo ei cibos offerat*; ergo in tali casu, licitè potest conservare vitam. Sequuntur verbatim D. Thomam Joan. de Friburgo lib. 2. tit. 5. quæst. 196. fin. & Supplementum Pisanellæ. V. *accusatus* quæst. 5. Bartholomæus Fumus. Auctor Armillæ. V. *accusatio* §. 21. & V. *carcer* §. 4. ait ex Cajet. 2. 2. quæst. 69 art. 4. ad septimum dubium, quod hic condemnatus tenetur comedere, *& alii à custodibus cibum ministrantes non peccant*. Ecce Gonetus dicit, sententiam judicis obligare, quòd *nemo cibos offerat damnato, ut fame pereat*; Fumus, & Cajetanus concedunt hoc de custodibus, & negant de aliis. Cui credes magis? crede Fumo, & Cajetano tanquam antiquioribus. In primis pro nunc concedam, quòd opinio hæc sit apertè contra Divum Thomam; non per hoc tamen est damnanda, &, qui hoc infert, vapulabit à Scotistis, qui apertè testantur, se sequi oppositas Angelico Doctori, salva tamen ejus reverentia. Vapulabit etiam à Divo Thoma, qui par. 1. quæst. 1. art. 8. apertè fatetur, Authoritatem Doctorum Ecclesiæ esse probabilem, non verò necessariam; Scimus autem per Parisiensem, & alios Antiquos Probabilitati quantumque posse nos contraire; & juxta principia Divi Thomæ solùm possumus damnari, si sequamur opinionem contra principia certa. Ergo juxta D. Thomam, & Antiquos, qui sequitur opinionem oppositam D. Thomæ, non est damnandus.

50. Sed nego, Divum Thomam esse pro Goneto. Legatur Cardinalis Capizucchius, & ipse Dominicanæ Familiæ Doctor, in Controver. Theolog. Select. de Martyrio §. 10. qui Author est pro nostra opinione, & dicit, Divum Thomam esse intelligendum, *quando nullo justo motivo interveniente abstineret à sumptione cibi, cum posset*; tunc enim teneretur cibum sumere, ac proinde esset illi hujusmodi omissio voluntaria, *& ideo seipsum occideret*. Apud hunc invenies Doctores pro utraque opinione, & pro rigida ex Antiquis affert Henricum, addit Victoriam, Bannez, Fabrum, Covarruviam, Castrum, Cordubam, Arragon, & Comitolum. Et poterat referre Cajetanum in d. art. Divi Thomæ. Pro opinione verò benigna refert Major, Petrum Ledesmam, Franciscum Sylvium, Malderum, Azor. Lessium, & Soto; Et hanc fuisse communem opinionem inter Thomistas sui temporis refert Salonius 2. 2. quæst. 69. art. 4. Controvers. 4. ante Conclus. 1. his verbis: Oppositum docet Soto, *& est communis* modo opinio inter Thomistas, *licere non sumere cibum*, & sic pati mortem, qui novit justè propter sua crimina tali pœna esse damnatum. Ita Salonius, qui respondens Argumento, quod facit in sua confirmatione Gonetus, ait: *nego antecedens*; (& ego nego majorem) potest enim aliquando ex justa causa, (ut ex dictis constat) dimittere homo media necessaria ad tuendam vitam. Supra autem dixerat, quòd damnatus ad mortem, qui fugerat, potest redire ex zelo justitiæ in carcerem, ut ejus sententia executioni mandetur. Cum ergo Argumentum Goneti fuerit solutum tanto tempore ante à Sectatore Divi Thomæ, mirum est, quod Gonetus in illo tantùm fiderit. Credo verificari illud dictum cujusdam Recentioris conquerentis, aliquos damnare opiniones aliorum *ob inopiam Librorum*.

51. Angelus V. *fugere* fin. refert. d. textum D. Thomæ, & ait, quòd *videtur* sustinere, quòd ille condemnatus teneatur sumere cibum, vel fugere, si posset. Ecce quòd antiquitus non erat certum, Angelicum Præceptorem esse pro opinione Goneti, dicit enim Angelus: *Videtur tenere* &c. Verbum, *Videtur*, extra legem non importat certitudinem. Prosequitur Angelus: *Sed quòd teneatur, non credo, neque comedere ultra condemnationem, vel fugere, sed posset patienter ferre pro peccatis sui satisfactione*. Clarius Angelus loqui nequit.

52. Legi plures alias Summas Antiquorum, Sed non potui reperire casum no-

nostrum agitatum. Invenio tamen tres Doctores viventes tempore quasi Antiquo meam opinionem sectantes, & sunt Tabiena Ver. *Accusatio* 10. Sylvester V. *Fugere* num. 2. qui afferunt exemplum de Sanctis Martyribus, qui poterant aliquando fugere è Carcere, & tamen hoc non fecerunt ob motivum Martyrium obtinendi. Ita etiam sentit Fumus Ver. *Fugere.* Et hi Tres Doctores sunt ex Dominicana Familia; Unde iterum mirum est, quòd Gonetus damnaverit opinionem adeo familiarem suis Religiosis. Certè ego non video, cur ex zelo justitiæ, vel pro satisfactione peccati, ut dicit Angelus, malefactor nequeat respuere panem oblatum. Meo judicio Gonetus poterat, quin debebat, non condemnare talem opinionem, maximè cum viguerit tanto tempore in sua Religione.

53. Damnatur quoque à Goneto num. 110. Tamburinus lib. 3. cap. 3. §. 2. num. 2. eò quòd dixerit: Certum est, jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis, non esse licitum sine causa, esse licitum cum causa. Etiam ego fateor cum eodem Goneto esse illicitum, & certò malum jurare sine animo jurandi, quacunque causa existente, quia hoc est apertè mendacium. Unde damnata est hæc Propositio ab Innocentio XI. num. 25.

54. Sed malè damnatur hæc Propositio à Goneto, quatenus asserit, esse semper peccatum mortale jurare sine animo jurandi. Hinc dico cum Cardenas in explicat. hujus Propositionis damnatæ dissert. 18. num. 6. non esse peccatum mortale, si quis juret extra Judicium, & extra contractus sine animo jurandi, & verum juret. Audiamus Suarium Tom. 2. de Religione lib. 3. de juram. cap 17. num. 6. scribentem: Res verò dubia est, quando juramentum injustè exigitur, vel quoties voluntariè, & sine obligatione, & sine alio nocumento, vel injuria Tertii; Nam Cajet d. art. 7. dub. penult. censet nihilominus, illud esse in individuo peccatum mortale, quia est quædam illusio Divini Nominis, & contraria primario fini Juramenti. Et hoc sequitur Covarruvias supra num. 3. *& est probabile*, sed nimis rigorosum, *& ideo Soto contrarium tenet*, & multi sequuntur, *& mihi etiam videtur probabilius*, *&c.*

55. Suarez, qui est diligentissimus in lectione Antiquorum, ut legenti suos libros patebit, sequitur in decernendis opinionibus modum Antiquorum, qui, ut supra pluries vidimus, referunt primò opinionem rigidam probabilem, & postea dicunt, *sed quia hoc est durum*, *ideo benignius dicimus &c.* Ita facit Suarius; *Probabilem* judicat opinionem rigidam, *sed quia est nimis rigorosa*, ideo cum Soto *probabilius judicat oppositum*.

56. Sed audiamus rationes, quibus Gonetus damnat hanc opinionem. Primò probat esse peccatum jurare sine animo jurandi, de quo non dubito. Postea probat, quia dicere verba Blasphemiæ sine animo Blasphemandi est pecpeccatum mortale, quia de se illa verba tendunt in dedecus Divinum; Ergo similiter adducere Deum exterius ad testificandum falsum est de se malum, & peccatum mortale.

57. Sed Gonetus, & nescio causam, probat, quod non debet probare. In Propositione damnata non dicitur, quòd jurare falsum sine animo jurandi non sit peccatum mortale, sed præscinditur, & dicitur simpliciter, quòd jurare sine animo iurandi non sit peccatum. Igitur concedo totum Argumentum, sed non probat intentum.

58. Probat iterum Gonetus, quia cultus exterior sine animo colendi Idola est peccatum mortale, ut patet in Marcellino Pontifice, quia applicatur, cui non debetur. Ita & illud Testimonium: *Deus est mihi Testis*, quod est actus Religionis, applicare mendacio est mortalis irreverentia, ut discurrit Cajetanus apud Sotum de Justitia, & Jure lib. 8. quæst. 1. art. 7.

59. Mirum est, quòd Gonetus legerit doctissimum Soto, & non didicerit distinctionem necessariam in hac materia. Ipse siquidem Soto concedit, esse peccatum

catum mortale jurare falsum sine animo jurandi, & negat, esse mortale, si verum sit, quod juratur. Hoc enim ait, esse fortè veniale peccatum, quia est mendacium officiosum. Si ergo Soto ita clarè distinguit, & affert illud argumentum Cajetani pro sola parte distinctionis, cur Gonetus illud affert pro utraque parte? Si Gonetus legit Suarium, cur illum non legit in loco à me allegato, ubi legisset solutionem dicti Argumenti? Advertit Soto, quod quidem in casu nostro intervenit fictio; At Juramentum non applicatur ad confirmandam hanc fictionem, sed veritatem. Et sicut, qui orat sine attentione voluntariè, inquit Suarez, in vanum Nomen Dei assumit, & non peccat mortaliter, ita dices in casu nostro. Vide solutum hoc etiam argumentum à Cardenas num. 12.

60. Denique Gonetus adducit Authoritatem, & argumentum Suarii lib. 3. de Juram. cap. 19. (corrige 17.) num. 2. sic discurrentis: Talis modus jurandi est valde contrarius principali fini Juramenti, qui est firmare fœdera, & verba; Nam ex defectu hujus internæ intentionis jurandi multùm videtur enervari efficacia Juramenti; unde nisi teneantur homines gravi obligatione ad habendam talem intentionem, cum jurant, prorsus evertitur juramenti fructus, & securitas. Est ergo hæc gravis obligatio nata ex intrinseca ratione juramenti, & reverentia Deo debita; & ideo ejus transgressio est ex genere suo grave peccatum.

61. Si Gonetus legisset antecedentia, & consequentia, quæ ibi habet Suarius, cognovisset ipsum loqui in casu, in quo fictè jurans jurat ad decipiendum proximum, & falsum testificandum, in quo casu fatemur esse mortale. Difficultas autem non est de hoc, sed quæstio est, an universaliter jurare sine animo jurandi, & sic tali modo jurando verum, sit peccatum mortale, quod nos negamus, & negat ipse Suarez infra num. 6. cujus verba formalia supra verbatim retuli.

62. Legi plures Summistas, & aliquot Scholasticos Antiquos, sed nullum vidi agitantem nostram quæstionem. Attigerunt quidem difficultatem de eo, qui jurat, & non habet animum se obligandi, vel implendi; non tamen fecerunt quæstionem de eo, qui jurat exterius, non tamen interius; Quod mihi valde est mirum, quia difficultas est magis intricata, & ardua, quàm aliæ duæ.

63. Doctorem Antiquiorem, quem vidi tangere præsentem difficultatem, est Cajetanus 2. 2. quæst. 89. art. 7. prope finem Et licèt Suarius afferat Divum Bonaventuram in 3. dist. 39. art. 3. quæst. 1. & Richar art. 2. quæst. 2. tamen, salva ipsius reverentia, hi Doctores non agitant hanc quæstionem, sed illas alias duas.

64. Angelus Ver. *Juramentum* v. num. 9. ait, quòd Juramentum metu extortum non sit obligatorium, si animum non habuit se obligandi; bene verò, si habuit animum, se obligandi, & facit pro hoc Glossa in cap. *authoritatem* 15. quæst. 6. An autem peccavit sic jurando cum tali animo, dicit Panorm. in cap. *si verò* de jurejur. num. 10. quòd, si est homo perfectus, peccavit venialiter, aliàs non. Sed ego dico, quòd nec perfectus, nec imperfectus peccaverit, etiam venialiter. Et pro hoc facit, quòd in simili dicitur in cap. *ne quis* 22. quæst. 2. Intellige, ut colligitur ex dicto cap. *ne quis*, quando jurando habuit animum solùm inducendi juramentum ad reverentiam Dei, non ad obligationem suam, & in mente habuit aliquam circumstantiam debitam, qua verum jurabat, Putà promitto, quòd dabo tibi centum, cum ista subauditione, scilicet si sum tibi obligatus ex debito, & non aliter, licèt hoc non exprimat, & hujusmodi, quia sic utitur simulatione licita, quæ licet, ut in cap. *utilem* 22. quæst. 2. Secus esset, si jurando credebat se obligatum ex juramento; & tamen non intendebat observare, quia sic esset peccatum mortale.

65. Rosella Ver. *Jurare* num. 19. refert

fert opinionem dicentem, juramentum metu gravi extortum non obligare, si tamen jurans non habuit animum se obligandi; & in hoc casu perfectum peccare venialiter, imperfectum verò fortè nec peccare venialiter excusatum ob metum, ut in simili 22. quæst. 2. *ne quis.* In confirmationem affert dictam Doctrinam Panormitani. Postea subdit: Quoad primum, quando non habuit animum se obligandi, quòd taliter metum passus peccaret mortaliter perjurando, & tenent Theologi, & videtur tutius, & rationabilius. Ecce opinio admittens licitum juramentum cum animo non se obligandi.

Consideret Lector, an hæc opinio Antiqua sit magis ardua, quàm nostra, qua admittimus, esse quidem illicitum jurare sine animo jurandi, non tamen esse peccatum mortale. Sanè mihi videtur valde difficile credere, quòd sine peccato mortali possit quis jurare sine animo se obligandi, cum hic animus opponatur directè juramento, quod de sua natura exigit hujusmodi obligationem.

66. Glossator Raym. lib. 3. de Pœnit. & remiss. §. 17. V. *quos potest* scribit, quòd Superior in illo casu, in quo ob instantiam partis debet innovare excommunicationem contra alium, contra quem in rei veritate non est innovanda; in illo, inquam, casu, ait Author, *utatur verbo Sophistico, vel æquivoco modo; dum videtur innovare sententiam, & nullo modo intendat illum ligare, quæcunque verba proferat.* Ecce possumus juxta hunc Antiquissimum Doctorem ex justa causa lingua proferre verba ligantia, & animo possumus intendere non ligare. Et hæc Doctrina valet in Judice, dum judicialiter profert Sententiam. Lector judicet, an inserviat pro Doctrina damnata à Goneto.

CAPUT XLV.

An res possint defendi cum occisione Invasoris.

1. Montaltius Epist. 14 clarè damnat Jesuitas sustinentes in nostro casu opinionem affirmativam, & in Lessium hoc docentem, etiam respectu Clericorum, & Religiosorum, ita invehitur. *O projectam hominis audaciam! Interfectores furum, qui vitæ non insidiantur, plectit lex Moysis, eosdem absolvet Evangelium? Ergone legem destruit Christus, non adimplet?*

Fagnanus in cap. *ne innitaris* de constit. num. 335. inter scandalosas, & non tolerandas opiniones hanc reponit: Clericus, si res ei subreptæ excedant valorem, trium, quatuor, aut quinque Ducatorum, potest sine peccato, & incursu irregularitatis occidere furem cum dictis rebus fugientem, & infra hanc aliam damnat: *Posse occidi, qui bona nostra eripit, etiam fugientem, dummodo pretiosum quid auferat.*

2. Vendrochius in Epist. 14. Sect. 2. §. 1. affert plures Patres tanquam sustinentes, nos non posse defendere nostram vitam cum morte invasoris; hinc juxta ipsum opinio nostra erit à fortiori contraria Patribus.

3. Illustrissimus Cætus Gallicanus num. 36 damnat hanc propositionem. Non solùm vitam, sed etiam bona temporalia, quorum jactura esset damnum gravissimum, licitum est defensione occisiva defendere . . . Fatemur rariùs licitum esse Ecclesiasticis . . . si tamen aliquando futurum contingat tale malum, (idest gravissimum damnum) *etiam ipsis licitum erit cum occisione furis defendere.*

Pater Natalis Alexandri in Paralipomenis altè conqueritur de quodam Anonymo, qui promulgavit, ipsum sustinere illam propositionem damnatam. Hinc

Hinc clarè fatetur, illam opinionem esse meritò à Clero Gallicano proscriptam *tanquam Legi Dei, & Ordini Charitatis Divinitus instituto contrariam.* Postea subdit suam opinionem, quæ talis est: Homicidii reus non est, qui servato moderamine inculpatæ tutelæ interficit aggressorem illum mutilare volentem; *aut magni momenti bona temporalia, quæ aliter defendi, vel recuperari non possunt;* Et ex quibus vitæ, statùsve conservatio, & sustentatio pendet, *illata vi rapientem.* Addit deinde hanc propositionem tradi à D. Antonino 3. par. tit. 4. cap. 3. Sylvestro. V. Homicidium. Dominico Soto libr. 5. quæst. 1. art. 8. Cajetano, Bannez, Navarro cap. 17. num. 4. Silvio 2. 2. quæst. 64. art. 7. quæst. 8.

4. In propositione damnata à Clero Gallicano non adsunt illa verba: *servato moderamine inculpatæ tutelæ.* Sed nullum Catholicum his temporibus docere, quòd liceat defensio occisiva, etiam pro vita, *sine moderamine inculpatæ tutelæ*, pro certo habeo. Quotquot legere potui, omnes hanc conditionem ponunt. In propositione damnata adsunt illa: *Licitum esse Ecclesiasticis*, quæ non ponuntur à Patre Alexandri. Puto tamen, quòd hæc subintelligantur, nam propositio Patris Natalis est universalis. Discrimen ergo evidens inter propositionem damnatam, & illam Patris Natalis est in illis verbis: *Et ex quibus vitæ, statusve conservatio, & sustentatio pendet.* Nota illam particulam, *&*, quæ est copulativa. Vult ergo Doctor, ut liceat defendere bona temporalia cum occisione invasoris, debere ista bona esse necessaria ad *Vitæ conservationem.* At si particula, *&*, est copulativa, est etiam copulativa illa particula, *Ve*; unde videretur per Patrem Alexandri, ut talis occisio non sit peccaminosa, exigi, quòd illa bona & sint necessaria ad conservationem vitæ, & statùs, quod videtur valdè rigidum; nam, si Petrus haberet in Hispania decem mille scuta, & hic in Italia haberet solum panem, quo nunc vitam sustentaret, utique posset defendere illum panem occidendo invasorem illius Panis; & tamen panis non est necessarius pro conservatione statùs, sed solius vitæ. An Pater Alexandri legitimè referat Doctores, videbimus mox rescribendo formalia verba ipsorum.

5. Ex his Probabilioristæ conficiunt argumentum contra probabilitatem: Doctrina, quæ afferit, licere defensionem occisivam pro conservandis rebus est absurda; sed Probabilitas admittit hanc defensionem; ergo Probabilitas admittit doctrinam absurdam. Ego in contrarium arguo. Doctrina Antiquorum non est absurda; sed defensio occisiva pro rebus est doctrina Antiquorum; ergo defensio occisiva pro rebus non est absurda. Hic suppono majorem; nam Adversarii inculcant, Modernos relaxasse conscientias; ergo ante Modernos non dabatur doctrina laxa &c. Suppono etiam, res illas esse magni momenti; sed non me restringo vel ad quatuor, vel ad centum, vel ad mille aurea. Excludo pro certo unum aureum, quem *regulariter* non posse defendi occidendo invasorem determinat Innocentius undec. num. 31. Suppono pariter, hìc me non facere difficultatem, an possim ita defendere res, ut occisio invasoris sit medium per se volitum. Igitur dico, eo modo, quo possum occidere invasorem meæ vitæ, eodem modo possum occidere invasorem rerum magni valoris, quamvis *istæ res non sint necessariæ vel ad vitam, vel ad statum conservandum.* Suppono ultimò, quòd istæ res nequeant salvari sine occisione, & nequeant recuperari per Judicis officium V. Gr. in casu, quo nullus testis adesset hujus furti; sic enim explico illa verba requisita ad justam defensionem: *cum moderamine inculpatæ tutelæ.*

6. His suppositis probatur conclusio: ex. c. *dilecto* de senten. excom in 6. ibi Pontifex dicit loquens de Decano-quoniam adversùs ejus nimiam potentiam sufficiens temporalis defensio sibi fortè non aderat, potuit se etiam spiritualiter, gladio videlicet utendo Eccle-

siast-

siastico, defensare . . . . . *Licuit pro ecto* ipsi Decano proprio sibimet subvenire subsidio, & suammet temporalem injuriam sua propria spirituali defensione tueri; sicque utrumque quodammodo gladium, *& temporalem*, & Ecclesiasticum, alterum videlicet altero adjuvare; maximè quia hic duo gladii consueverunt, exigente necessitate, sibi ad invicem suffragari, & in juvamen alterius subventione mutua frequentiùs exerceri. Hactenus sacer textus. Glossa in figuratione casùs not. fin. & V. *suffragari* observat, Ecclesiam non posse uti gladio temporali *in modum justitiæ*, bene verò in modum *defensionis*, *quo gladio cuilibet* privato licet uti. Nota etiam, injuriam hanc, contra quam Ecclesia uti poterat gladio temporali, fuisse realem, nam quidam Balivus, ait textus, bonis suis mundanis injuriosè Decanum spoliare, vel ea violenter occupare præsumpserit. Nunc dico, si Ecclesia potest uti gladio pro defensione rerum, ille usus nonne potest causare mortem invadentis? Per Glossam potest uti gladio Ecclesia ad defensionem, non *ad Justitiam*. Ergo debes assignare, ad quid inserviat in defensione, ad quod uti nequeat ad Justitiam. Gladius potest perforare, cædere, & mutilare. Ergo, si Ecclesia potest uti gladio, potest perforare, cædere, & mutilare Adversarium, ex quibus deinde sequi poterit mors.

7. Dices, gladium posse etiam percutere, & ictus Adversarii reparare. Sed contra; quia Vir quidem nobilis edoctus artem gladiatoriam ictus poterit gladio reparare, non tamen Vir Ecclesiasticus. Præterea gladio quidem percutere possumus, ast hic usus non est proprius Gladii, sed fustis. Ergo, si aliquis dicat alteri, *adhibe gladium*, procul dubio intelligitur, quòd perforet, cædat, & mutilet. Ergo, si Ecclesiæ permittitur ex d. c. *dilecto*, quòd adhibeat gladium pro defensione *Bonorum Temporalium*, permittuntur actus, quorum gladius est proprium instrumentum.

8. D. Thomas 2. 2. quæst. 64. dicit, se tractaturum primò de peccatis, quæ committuntur circa involuntarias commutationes; committuntur autem peccata circa involuntarias commutationes per hoc, quòd aliquod nocumentum proximo infertur contra ejus voluntatem, quod quidem potest fieri dupliciter, scilicet facto, & verbo. Facto quidem, cum proximus læditur *vel in persona propria*, *vel in persona conjuncta*, *vel in propriis rebus*. De his ergo considerandum est, & primò de homicidio, per quod maximè nocetur proximo. Hactenus Sanctus Doctor in Præambulo illius quæstionis. In articulo postea septimo quærit, utrùm *liceat alicui occidere aliquem se defendendo*. In corpore quæstionis dicit juxta Cajetanum, quòd Persona privata non potest intendere occidere, ut seipsum salvet, sed potest intendere salvare seipsum, non destiturus à sui defensione, etiamsi alterius mortem ex sua defensione oporteat sequi; *& sic iste non occidit, nisi per accidens.* Sic Cajetanus explicans rectè mentem Angelici Præceptoris.

9. Objicit sibi D. Thomas primo loco auctoritatem D. Augustini epist. 154. ad Publicolam post medium, & refertur c. *de occidendis* 23. quæst. 5. Ne ab eis quisquam occidatur, *non mihi placet consilium*, nisi fortè sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis accepta legitima potestate.

10. Objicit sibi secundo textum ejusdem August. tom. 1. de Libero arbitrio lib. 1. c. 5. prope finem, ubi dicitur: quomodo apud Divinam Providentiam à peccato liberi sunt, *qui pro his rebus*, quos contemni oportet, humana cæde polluti sunt? subdit Angelicus, eas autem res dicit esse contemnendas, quas homines inviti amittere possunt, ut ex præmissis patet. Horum autem est vita corporalis. Ergo pro conservanda vita corporali nulli est licitum hominem occidere.

11. Respondet Angelicus Præceptor his verbis: Ad primum dicendum, quòd Auctoritas D. Augustini intelligenda est in eo casu, quo quis intendit occidere homi-

hominem, ut seipsum à morte liberet, in quo etiam casu intelligitur auctoritas inducta ex Libero Arbitrio; unde signanter dicitur *pro his rebus*, in quo designatur *intentio*, & per hoc *patet responsio ad secundum*. Certè Angelicus Doctor clarè dicit, quòd Augustinus, quando videtur negare, nos posse occidere hominem pro defensione *Vitæ*, vel *harum rerum, quas contemni oportet*, & sunt illæ juxta D. Thomam, *quas inviti amittere possumus*, debeat intelligi non absolutè, sed limitatè, & solùm in casu, in quo quis *intendit occidere hominem*, ut se à morte liberet, vel illas res contemnibiles tueatur. Hanc porro responsionem colligit ex illis verbis Augustini, *Pro his rebus*. Nota, quòd nedum pro vitæ defensione licet debito modo occidere invasorem, sed etiam pro defensione harum rerum, quas contemni oportet. Nunc peto, quænam sint juxta D. Thomam hæ res contemnibiles? In secundo objecto ait, esse illas, *quas inviti amittere possumus*; *ut patet ex præmissis*. Hæc verba, *ut ex præmissis patet*, in margine dicitur, referri ad ea, quæ habentur in divisione quæstionis. In divisione verò quæstionis, ut patet num. 8. fit mentio de persona propria, de persona conjuncta, *& de rebus propriis*. Cajetanus refert illa verba non ad textum D. Thomæ, sed D. Augustini, & ait, quòd Augustinus loquitur ibi & de *vita hominis, de pudicitia, & de libertate*, & de aliis, *quæ inviti perdere possumus*. Certè Augustinus in eo loco loquitur de vita hominis, de pudicitia, de libertate, & de aliis, quæ inviti perdere possumus.

12. Ex his ergo liquet, per D. Thom. liberè occidi posse invasorem Personæ propriæ, Personæ conjunctæ, *& Propriarum rerum*, cum bona tamen intentione, ita ut intendamus defendere res proprias, non occidere invasorem. Nec Augustinus est contrarius, quia solùm negat, nos posse occidere hominem, *intendendo ipsum occidere*, non verò absolutè, & cum quacumque intentione.

13. Vendrochius, ut dixi num. 2. affert plures Patres, negantes nos posse occidere invasorem nostræ vitæ. Inter hos enumerat D. Augustinum, & ipsum tribus locis affert, duos à D. Thoma allegatos, & alium lib. 22. contra Faustum c. 70. sed non debebat, sic absolutè referre D. Augustinum, sed cum limitatione D. Thomæ. Juxta dictam limitationem explicabitur textus ex lib. contra Faustum; & sic etiam poterunt explicari alii Patres, quæ explicatio omnino accomodari potest pro defensione rerum, ut facit Cajetanus de textu Doctoris Angelici, & D. Augustini.

14. Pater Natalis Alexandri, ut vidimus num. 3. allegat pro sua opinione Cajetanum; sed salva reverentia, credo esse pro mea, nam. §. *ad hoc dubium* tenet, nos posse occidere invasorem *suarum rerum*, & assignans rationem ait, quia plus tenetur quis curam habere suarum rerum, quæ sunt adminicula vitæ suæ, *& virtutis, atque fœlicitatis*, quàm alienæ vitæ. Quod probatur. Cuilibet imminet curam rerum suarum in ordine præcipuè ad virtutem, *non autem cura alienæ vitæ*, nisi in casu necessitatis; constat autem, quòd plus tenetur quis, providentiam habere eorum, quorum cura sibi imminet simpliciter, & absolutè, quàm eorum, quorum cura non sibi imminet, nisi in casu. Et manifestatur hoc amplius ex supra dictis art. 8. quæst. 35. quòd scilicet non tenetur homo in speciali singulos proximos diligere ex charitate, neque secundùm actum interiorem, neque secundùm actus exteriores. Si igitur non teneor diligere in particulari invasorem, nulla mihi cura est de illius vita commissa; de adminiculis autem vitæ propriæ, *& virtutis*, constat, oportere, me curam habere. *Quòd simus extra casum necessitatis ex eo patet, quòd invasor seipsum sponte in tali casu ponit inferendo talem injuriam proximo, quam ille non potest evadere, nisi occidendo.*

15. Cajetanus ergo præponit suas res Vitæ proximi, quia de suis rebus debet habere curam simpliciter, & de vita Proximi *solùm in casu*; sed ego debeo habere curam simpliciter nedum de meis rebus,

bus, quæ sunt necessariæ ad vitam, & ad meum statum, sed etiam, quæ sunt superfluæ; præcipuè cum sint instrumenta *virtutis* eleemosinæ, & liberalitatis; ergo juxta Cajetanum possumus præponere has res Vitæ proximi, qui non est in casu *necessitatis*, in quo solùm debeo habere curam de Vita proximi juxta Doctorem; sed *est in articulo iniquæ voluntatis*.

16. Confirmatur, quia Cajetanus dicit, quòd textus Augustini, in quo asserit esse culpabiles, qui pro his rebus, quas contemni oportet, & inviti perdere possumus, occidunt invasorem; dicit, inquam, intelligendum esse de illis, *qui intendunt occidere pro salvandis rebus, &c.* sua verò doctrina intelligenda sit de his, *qui non intendunt occidere, sed salvare res, & occisio se habet consequenter, & per accidens*. Ecce Auctor loquitur de illis rebus, *quas contemni oportet, & quas inviti perdere possumus*, & ibi vocat *divitias*. Ergo loquitur etiam de rebus nostris quidem, sed superfluis; quæ propriissimè constituunt hominem *divitem*. Loquitur de rebus in universali, & solùm limitat, *& glossat* quoad modum occidendi, ut scilicet *non intendatur*, sed consequenter, & per accidens eveniat.

17. Beatus Raimundus l. 2. de raptor. §. 18 affert opinionem sustinentem; quòd si quis se defendendo moderamen excedit, & non ex proposito, *non tenetur*, Scilicet ad aliquem satisfactionem. *si ex proposito, tenetur*. Subdit Sanctus Doctor: Hanc opinionem approbo, & fere ab omnibus tenetur; in hoc tamen ultimo verbo, quantum ad sententiam excommunicationis concordo cum eis, ut, si aliquis defendendo se contra Clericum excessit modum, incidat in excommunicationem, si illud fecit ex proposito, aliàs non; sed quantùm ad satisfactionem de excessu, vel etiam quantùm ad pœnitentiam, & irregularitatem, si fortè propter illam repercutionem mors secuta est, tutius credo, quòd teneatur, *habita tamen consideratione ad propositum, & non propositum*. Patet, quòd Beatus Raymundus concedit cum tertia opinione quòd tam Laicus, quàm Clericus potest occidere invasorem suæ vitæ. Tenet etiam, quòd, si absque *proposito* excedit modum defensionis, & percussus sit Clericus, percutiens non incidat in excommunicationem; tenetur tamen ad pœnitentiam de illo excessu ad satisfactionem, & ad irregularitatem, si fortè mors sequuta est. Incidet etiam in excommunicationem, si hæc fecit ex proposito. Deveniens postea ad decisionem nostræ quæstionis sic scribit. *Si vis infertur rebus, & illatam, & inferendam licitum est repellere, sed potius, idest potissimè illatam: dum tamen incontinenti, idest quàm citò scit vim illatam, priusquam divertat ad contrarium actum, ut c. olim causam, &. c. significasti de restit. spoliat. & l. continuus. ff de verb. obligat: in princ. & si fortè, dum ille vult expellere sic hostem de possessione sua, quam injustè, & malè occupaverat*, aliqui vulnerentur, vel occidantur, credo, quòd teneatur secundùm modum propositum supra in defensione personæ, & per eadem jura, & hoc intellige de imperfectis; *perfectis enim non licet repercutere*. Glossator explicans illa verba, *in defensione personæ*, ait: *ubi distinguendum est, utrùm defendens se excedat modum, vel non ex proposito, vel ex proposito*. Ecce clarè, quòd permittitur eadem defensio *pro rebus, ac personis*. Ecce, quòd quis potest recuperare *incontinenti res ablatas*, & in tali recuperatione si aliqui *occidantur, vel vulnerentur*, tunc considerandum est, an excedat, vel non excedat, & si excedat, an ex proposito, an ex non proposito. Si ergo conceditur defensio cum occisione pro defensione personæ, idem est dicendum pro defensione rerum. Explico doctrinam fingendo casum. Petrus abstulit res meas, & illas reposuit in sua domo. Postea ego scio factum; habita tali scientia pergo statim cum armis ad recuperandas res meas. Hæc sunt clara in textu. Dum conor autem recuperare illas res, occiduntur, vel vulnerantur aliqui. Hæc pariter sunt clara;

ra. Quid juris? Teneorne ob talem occisionem? Si sum perfectus, teneor; si imperfectus, teneor, si excedo; non teneor, si non excedo. Eandem Doctrinam verbatim habet Joannes de Friburgo lib. 2. de bellis tit. 5. quæst. 52. addit tamen, ita etiam sentire Ulricum.

18. Glossator Raymundi clarissimè est pro me. Igitur lib. 2. tit. de Duello. §. 1 V. *non peccare* ita scribit: *Cum Laico res suas liceat armis defendere*, & eas defendendo raptorem occidere, *si aliter defendere non possit; quare eas defendere non potest in Duello, non quod ipse offert, sed quod à Judice ei offertur, vel potiùs infertur?* Propter hoc credo, quòd hæc opinio potiùs tenenda est, *cum ratione non careat, & sit benignior*, ne videamur damnare omnes illos, qui se defendunt in Duello, *vel res suas.* Textus clarus, & ineluctabilis, & probans clarè nedum licere defensionem cum occisione pro rebus, sed etiam acceptationem Duelli pro defensione rerum, quod plus est. Videatur etiam in eodem lib. tit. 1. §. 3. V. *se, & sua.* §. 4. V. *pertinebat*, & §. 5. V. *sed H. dicit.*

19. Durandus in 3 dist. 29. quæst. 2. num. 16. scribit: *Videamus, quòd homo exponit se licitè contra rapientes injustè bona sua temporalia, quæ tamen non diligit plusquam se, imo minùs; quare etiam, quando exponit se pro defensione Reipublicæ, non est argumentum sufficiens, quòd diligat eam, plusquam se.* Ecce quis, ut servet bona sua temporalia contra injustè rapientes, *exponit se licitè*, idest licitè ponit in periculo suam vitam, ut defendat bona temporalia invasa ab alio injustè; ponit autem se in tali periculo armis defendendo illa; nam propter hoc invasor armis intentat contra defendentem; si enim defendens armis non uteretur, nulla ratio adesset, quare invasor invaderet vitam defendentis. Illa verba: *Homo exponit se licitè contra rapientes &c.* Coincidunt cum illis Glossç Raym. *cum Laico res suas liceat armis defendere &c.*

20. Astensis lib. 1. tit 25. art. 2. quæst. 7. §. *sed quid de Clericis* refert tres opiniones. Prima tenet, nemini licere, occidere invasorem Vitæ; Secunda simpliciter affirmat. Tertia distinguit. Concedit Laicis, sed non Clericis, & dicit, *quòd Laicus potest Patriam*, & Res suas defendere, *& hostem etiam prævenire. C. unde vi l. 1. & 23. quæst. 2. Dominus Deus.* Subdit postea, secundùm Alexandrum Anglum per naturam non dari hanc distinctionem Clerici, & Laici, & *illud præceptum* esse ex lege naturæ; ideo si prohibeantur Clerici, in casu Laicis concesso, occidere, hoc non erit ex prohibitione præcepti, sed ex institutione Ecclesiæ. Ecce per tertiam opinionem licet Laicis defendere Patriam, & *Res suas* cum occisione invasoris. Nec potest dici, hanc opinionem intelligi de defensione Rerum simul cum defensione Patriæ, quasi quòd illa particula, *&*, faciat sensum copulatum; nam sic posset intelligi, quòd non liceret defendere Patriam sine defensione rerum. Igitur illa particula significat, quòd & licet defendere Patriam cum morte invasoris, & licet defendere *res suas* cum morte invasoris. Vide num 50.

21. Addit Astensis, quòd secundùm legem fas est occidere furem nocturnum, secus est de diurno, quia de diurno discerni potest, quòd ad furandum, non ad occidendum venit. Idem tamen intelligitur de nocturno, & diurno, si se cum armis defendat, & pro periculo personæ. *Ratio etiam est, quia, si nocturnus cum rebus recedat, eum postea non cognoscam.* Secus est de diurno; unde eum postea accusare potero; *ideo non tam facilè occidi potest.* Hæc verba: *Ratio etiam est, quia, si nocturnus &c.* Important aliam rationem, propter quam licet occidere furem nocturnum, non verò diurnum, & est, quia *fur nocturnus* nequit cognosci; & sic nequeo illum accusare apud Judicem, ut ipsius ministerio accipiam rem meam; hinc fur nocturnus occidi potest, *Secus est de diurno*, quia illum possum cognoscere; unde eum postea accusare potero; & sic per Judicem recuperabo res meas; *ideo fur*

diurnus non tam facilè occidi potest. Nota hæc ultima verba. Astensis non negat absolutè, ut faciunt Adverſarii, nos poſſe occidere invaſorem rerum, ſed cum illo addito, *Facilè.* Ergo juxta Asten: *non facilè*, ſed difficulter occidi poteſt Fur diurnus, quia difficulter in die auferri poſſunt res meæ, ita ut ego nequeam cognoſcere furem.

22. Confirmatur: Per Asten: ex duplici ratione fur nocturnus poteſt occidi. Primò, quia diſcerni nequit, an veniat ſolùm ad furandum, an verò etiam ad occidendum. Secundò, *quia si fur nocturnus recedat cum rebus, eum postea non cognoscam; & sic per Judicem non potero recuperare res meas.* Ego ſubdo, licèt prima ratio non valeat in fure diurno, valet tamen ſecunda, non quidem facilè, & ſæpe, ſed *difficilè*, & raró. *Ideo non tam facilè occidi potest.*

23. Infra tit. 29. artic. 2. quæſtiun. 1. ſcribit *quid si fortè ille, cui vis infertur* (in rebus,) vult hoſtem expellere de ſua poſſeſſione, quam acquiſiverat injuſtè, & malè, aliqui occidantur, vel vulnerentur? Reſpondeo. Credit Ray n. quòd tenetur ſecundùm modum poſitum in defenſione perſonæ, ubi ſcilicet diſtinctum eſt, utrùm defendens ſe excedat à propoſito, & per eadem jura. Ecce clarè Asten: concedit eandem defenſionem pro rebus, quam concedit pro defenſione *Persona.* Sed Author pro defenſione perſonæ concedit occiſionem invaſoris in eodem art. ante illam quæſtiunculam Ita & taliter, *ut per legem liceat occidere insidiantem, & occidere volentem.* Ergo juxta hunc Doctorem licet occidere invaſorem mearum rerum. Doctor affert Doctrinam Raymundi, quam refero num. 17. & dicit, ita etiam ſentire Tranenſem. Subdit pariter: *Si quis tamen defendendo se moderamen excedat, non tamen à proposito, non tenetur ad aliquam satisfactionem, nisi ad cautelam ff. ad leg. Aquil. si ex plagis §. tabernarius.*

24. Goffredus Tranenſis, qui forſan eſt ille, qui allegatur ab Asten, in Sum tit. de homic. num. 7. ſic docet: Si illi injuria inferatur rebus, licitum eſt illatam repellere, & propulſare inferendam. Quòd ergò dicitur vim vi repellere licet, ſic intelligendum eſt, ut ſcilicet tria, in hoc requirantur, ut hoc fiat defendendo, non *ulsciscendo*, ar 23. quæſt. 1. quid culpatur, ff. ad leg. aquil. l. *scientiam*, & cum moderamine fiat defenſio de reſtit. ſpoliat. *olim causam* fin. ſi quis tamen moderamen excedat, & non ex propoſito, videtur non teneri, ut ff. ad leg. aquil. l. ſi ex plagis §. *tabernarius.* Sed contrarium velle videtur Decretalis illa *Olim causam*, infra eodem. cap. *significasti nobis* fin. Item incontinenti debet quis vim repellere de appellat: *significaverunt.* Hæc tria membra intelliguntur ex l. una. Cod. *unde vi.* l. 1. Hactenus Author. Si hæc defenſio non intelligitur etiam cum occiſione invaſoris, non video ad quid exigatur illa conditio, quòd non fiat *ulsciscendo.* Vel poſſum lædere perſonam in hac defenſione; & ſic potero etiam occidere. Vel non poſſum lædere perſonam; & ſic nulla dabitur vindicta, id eſt malum pro malo, ſed mera conſervatio rerum mearum, quæ certè nullum malum affert aliis.

25. Author Summæ Piſanellæ, & ejus Supplementum. V. *Bellum.* 1. § 1. ſcribunt: Utrum ſine Principis authoritate per aliquod particulare bellum liceat injuriam repellere. Reſpondetur, de jure naturæ poteſt quilibet vim vi repellere, dum tamen incontinenti, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec ſit ad ſumendam vindictam . . . Et ſi quidem vis, ſeu injuria ſit in perſonam, tunc poteſt vis repelli, antequam ſit illata, nam licitum eſt occidere inſidiantem, & eum, qui vult occidere, ſi aliter non poteſt quis ejus manus evadere. ff. ad leg. Aquil. l. 4. & 5. . . . . Si autem vis inferatur in rebus, tunc & illatam, & inferendam licet repellere; ſed potiùs illatam, dum tamen incontinenti, id eſt quàm citò ſit illata vis, priuſquam divertat ad alium actum. Nota, quòd concedunt eandem defenſionem pro rebus, quam concedant pro vita; nam in utroque caſu ajunt, vim vi poſſe repelli, &

& explicando quid intelligant pro hac repulsione in primo casu, loquuntur de occisione invasoris. Ergo, si conceditur, ut pro defensione rerum repellamus vim, debet intelligi de repulsione occisiva. In §. sequenti concedunt, cum Innocentio, & Hostien, ut *per bellum, vel violentium propria authoritate liceat* rem jam ablatam, vel invasam *recuperare, incontinenti tamen;* non verò ex intervallo, *nam tunc debet adiri Judex raptoris, & ejus authoritate recuperare.* Eadem verbatim habet Albericus de Rosate. V. *bellum* princ. Unde in hac quæstione Summistæ antiqui se ad invicem sequuntur, ut avis aliam sequitur.

26. Divus Antoninus par. 3. tit. 4. cap. 3. princ. scribit: Nota primò regulam juris naturalis, & positivi. ff. de just. & jur. l. ut vim, scilicet, quòd *vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ, & incontinenti.* Pro cujus declaratione communiter dicunt Doctores, quòd moderamen inculpatæ tutelæ est illud, quod æquivalet illatæ violentiæ in qualitate armorum, in concursu temporis, & in ipso actu violento . . . Sed utrùm, cum ille, qui est fortis, vult me percutere cum pugno, qui sum vilis, idest debilis, & non possum resistere, *& liceat mihi, defendere me cum ense*, dubitatur, & Jacob: de Aret. distinguit, quia aut quis vult propulsare violentiam illatam personæ, aut illatam rebus. *Primo casu licet cum armis*, & qualitercunque, si res aliter reparari non potest. c. de appella. l. si quis. *Nam si possum occidere furem, ubi non cognosco, & non potest in rebus furatis provideri per Judicem*, ut ff. ad l. Cornel. de Siccar. l. *furem, multò magis licet occidere, ubi persona aliter salva esse non potest.* Nota illa verba: *Nam si possum* occidere furem, *ubi non cognosco*, & non potest in rebus furatis *provideri per Judicem*, & videbis clarè D. Antoninum asserere licitam occisionem furis in casu, quo res aliter salva esse nequit. Nota etiam, quòd loquitur absolutè de rebus, nec exigit illam conditionem, quòd sint necessariæ *ad status, & vitæ conservationem*, ut dicebat Pater Alexandri. Observa ulteriùs, in hac Doctrina fundari illam distinctionem Modernorum asserentium, posse occidi furem *diurnum* pro rebus, *si fur non noscitur;* negativè verò, *si noscitur.* Pondera illa verba: *Ubi non cognosco.* Denique vide, has Doctrinas habere fundamentum *in l. furem. ff. ad l. Cornel. de Siccar.* Adde hæc omnia tradi nedum à D. Antonino, sed etiam à Jacobo Aretino.

27. Sanctus Doctor prosequitur, & textum retuli cap. 11. num. 34. Ipsum lege, & certè negare nequibis hanc propositionem per D. Antoninum esse veram: *Quando aliter res salva esse non potest*, nec potest per Judicem reparari, possumus illam defendere, *etiam personam occidendo.* Paulo post dicit, illud verbum, *incontinenti*, quod requiritur, ut defensio sit licita, ita explicari quoad defensionem rerum, ut valeat etiam post fragrantiam facti, dummodo non divertat ad actus contrarios . . . & sic non facta diversione ad actus extraneos, *etiamsi amicos quærat*, & redeat, ut recuperet rem ablatam, dicitur incontinenti, *& sic intellige moderamen in concursu temporis. Joan. de Lygnano.* Hanc Doctrinam dicit etiam esse Jacobi Aretini, & Petri. Et ego addo esse communem Summistarum Antiquorum. Recole textum D. Raym. Vide etiam alios Antiquos locis allatis. Observa etiam, quòd Raymundus dicit, non committi peccatum, si, dum redeo ad recuperandam rem ablatam, aliqui occidantur, & vulnerentur.

28. Assero alium textum D. Antonini dicto cap. 11. num. 35. ipsum ibi lege. Addo alium ex par. 2. tit. 5. cap. 6. fin. ubi docet, Fœminam posse se defendere, ne violetur; & si se defendendo casu occideret, non ob vindictam, nec homicidium intendens, puta *vibrat gladium contra eum*, non peccaret, quia vim vi repellere est de jure naturæ dist. 1. cap. *jus naturale.* Et si licet non solùm se, *sed & bona sua defendere*, ne capiantur à latronibus, quare etiam, ne pudicitiã,

& honorem suum amittat, & ne maximæ tentationi exponatur? Sic Antoninus. Observa, quòd, ut Antoninus probet, licitam esse defensionem pudicitiæ, etiam *cum casuali occisione*, assumit pro probatione, quòd licet defendere *bona sua*. Ergo antiquitus, ut saltem probabile concedebatur, esse licitam defensionem rerum; & intelligitur de defensione occisiva, casuali quidem, & præter intentionem; Si enim non intelligeret de defensione occisiva, malè inferretur defensio occisiva pro defensione pudicitiæ.

29 Nota, quod D. Antoninus in §. 2. concedit defensionem nedum pro rebus suis, sed etiam pro rebus depositis, & commodatis; & quamvis ibi non dicat expressè, hanc defensionem posse esse occisivam; tamen ita debet intelligi; nam in fine agens de defensione rerum, de qua priùs loquutus fuerat, dicit, quòd, si in tali defensione accidat occisio, vel mutilatio, incurritur quidem irregularitas, sed non excommunicatio, si occisus sit Clericus. Ecce quòd loquitur universaliter de defensione rerum; & sic complectitur etiam defensionem rerum depositarum; atque adeo juxta Antoninum est licita occisio pro meis rebus superfluis, quia has debeo potiùs defendere, quàm alienas.

30. Angelus. V. *defensio* num. 4. scribit, quòd quis non debet pati, quòd damnificetur in aliquo, si damnum est irrecuperabile, aliàs secus, ut in l. *furem*. ff. ad l. Cornel. de Sicar. ex quo infert Baldus, quòd etiam, si non possum effugere, quin me percutias, nisi te inficiam, quòd licitè te interficio, quia cum injuria personalis sit major, quàm realis, ut in l. servorum fin. ff. de pœnis, *& propter realem irrecuperabilem possum te interficere, ut in d. l. furem;* Ergo fortiùs pro personali. Facit Glossa de restit. spoliat. olim el. 1. fin. & Glossa in cap. significasti el. 2. de homicid. & istud tenet Flo in d. §. *quæ cum aliter*. Ecce clarè secundum Angelum, Baldum, & Flo. possum te interficere pro defensione rerum, si illas alia via non possum recuperare. Nota bene, quòd hi Doctores supponunt ut verum, quòd liceat occidere invasorem rerum, dum ex hoc arguunt, licere occidere, ut quis se defendat à percussione personali. Quid dicerent hi Antiqui, si legerent nostros Modernos Probabilioristas damnantes hanc Suppositionem? Audiamus Antiquos benignos, & deferamus, cum ipsorum reverentia, hos scrupulosos Modernos. Eandem Doctrinam habet Angelus cum Bar. V. *Excommunicatio*. 5. num. 13. & pro ipsa affert jure merito. cap. *dilecto* de Senten. Excomm. in 6. ut etiam ego feci.

31. Henricus Herp præcep. 5. serm. 2. quæst. 2. scribit: Secundò quæri potest, utrùm liceat alicui alium occidere pro defensione rerum suarum, sicut pro defensione corporum. Ad hoc dicendum secundùm Doctores, & etiam gloss. in cap. significasti el. 2. *de homicid.* quòd omnes leges, & omnia jura, quæ loquuntur de hac materia, concedunt, vim vi repellere posse, *tam in defensione rerum*, quàm personarum; dummodo moderamen inculpatæ tutelæ non excedat, quia defensio tunc redderetur illicita. Quantùm tamen ad defensionem hoc intelligendum est, quòd scilicet injuriam illatam *rebus* quis statim potest, & debet propulsare, *si vult*. Quomodo autem istud *statim* intelligitur, dicunt, quòd debet attendi *defendendi commoditas*, quia non debet se quis statim exponere sine Sociis contra multitudinem sua bona auferentem; Sed in hoc inspicitur *commoditas, ut socios, & amicos possit convocare*, Domum intrare, *arma capere*, & quatocius fieri potest; aliàs enim esset guerra, quæ non esset authoritate propria movenda; ut patet cap. sicut *de jurejur*. . . . . Quia autem injuria facta rebus incontinenti propelli debet, intelligitur, quò citiùs fieri poterit arbitrio boni viri; nam ibi debet attendi qualitas dejicientis, & dejecti, & rei, ex qua dejectus est. Si enim privatus dejicit alium, tunc requiritur modicus apparatus ad recuperandam possessionem, scilicet *biduo*, *vel*

triduo. Quòd si Nobilis expellit aliquem de Castro, tunc ad recuperandum requiritur magnus apparatus, qui fortè fieri non potest sex mensibus; *& sic incontinenti diceretur fieri, quando commodè fieri potest*. Volunt tamen *aliqui*, quòd quamvis pro conservatione vitæ propriæ liceat imperfectis in inevitabili necessitate alium occidere; minimè tamen hoc licitum est pro conservatione rerum temporalium, quia proximi vita fortunæ rebus est preferenda; nisi forte quis ex talium ablatione simul & vitæ necessaria auferret, ut si quis in deserto tantùm unum panem haberet, tunc videtur, quòd illum pro necessitate sui victùs, sicut & personam propriam defendere, & conservare posset. Hactenus Herp. Nota, quòd tempore hujus Antiqui duplex aderat opinio quoad quæstionem; an liceat occisio invasoris pro conservatione rerum, quæ non erant necessariæ pro conservatione vitæ. Prima secundùm Doctores erat affirmativa, Secunda, quam *Aliqui tenebant*, erat negativa. Ex hac historia ego infero, quòd illo tempore opinio communis Doctorum erat pro nobis; si enim pro ipsa erant Doctores, & solùm *Aliqui* opponebantur; ergo maxima pars, & sic communis, pro eadem militabat. Fateor tamen, non esse certum hunc Doctorem esse pro tali communi opinione.

32. His temporibus hanc *commodam* defensionem hujusmodi opinionis concedere non debemus, quam etiam concedebat Glossator Raymundi, nam videtur nimis laxa. Ergo adverbium, *incontinenti*, strictiùs interpretemur, itaut valeat pro fragrantia facti, & ad summum antequam fur in domum se recipiat, adeo ut adhuc sit in fuga, ut credo, ita explicare nostros Modernos.

33. Baptista de Salis, V. *Bellum* q. 6. tenet cum Innoc. & Ho. licere privata auctoritate rem ablatam incontinenti recuperare; nam de lege naturali licet vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, & dicitur moderata tutela, *si illud tantùm fiat, quo omisso violentia repelli non posset*. Ergo, si sine occisione nequeo defendere rem meam, illa occisio pro meis rebus erit cum moderamine inculpatæ tutelæ.

34. Pro hac nostra opinione militat Sylvester. V. *Excommunicatio*. 6. n. 8. casu. 9. Post multa allata pro utraque parte sic scribit: si autem non me invadit, & tamen rem meam tenere nequeo, nisi occidam, puta quia fugit *in equo meo*, quem aliter habere nequeo, nisi illum sagitta occulta, fortè non licet occidere mihi in conscientia, nisi ut dicam limitando dicta Panorm: *quamvis etiam dici possit, hoc casu non esse contra legem Dei, aut naturæ occidere, quia quotidiè de licentia Principis moventur arma pro temporalibus, quod fieri non posset, si esset contra legem Dei, vel naturæ*. Ad motivum in contrarium dici posset, quòd rebus nostris vita proximi est præferenda, quantum in nobis est; unde talia pro vita proximi deberemus exponere in necessitate; si tamen ipsi sint in causa vitæ suæ perdendæ injustè invadendo, imputetur eis. *Unde dico, quòd eo casu pro rebus licet occidere, & mutilare, & quòd occidens, aut mutilans Clericum hac ratione non incidit in excommunicationem, etsi in irregularitatem; ut supra Bellum 2. § 7. fin. quia ubi non est mortale peccatum, non est excommunicatio juris*.

35. Certè Auctor loquitur de rebus, quæ non sunt necessariæ ad meam vitam, vel ad meum statum; nam loquitur *de meo equo*. Insuper dat doctrinam respondendi argumento Adversariorum, & dicit omnino rationabiliter, quòd res meæ sunt postponendæ solùm Vitæ Proximi, quando Proximus est in necessitate, non vero quando ipse est *in causa perdendæ vitæ, injustè me invadendo*.

36. Subdit Sylvester: *Esto autem quòd verum diceret Panor. & sic velis indistinctè tenere*; (quòd non liceat occidere pro defensione rerum) *limita tamen prædicta dupliciter*....

37. Ex his verbis colliges, Sylvestrum in hac materia sequi utramque partem. Sequitur partem benignam, quia clarè dicit: *Unde dico, quòd eo casu licet occidere, & mutilare pro rebus*. Sequitur

rigidam, quia clarè dat licentiam illam amplectendi illis verbis; *etsi velis indistincte*, *&c*. Nec sequitur hanc solam, quia dicit, *si velis*, *&c*. quod autem dependet à nostra voluntate, possumus facere oppositum. Lector expendat, an Sylvester sit pro me, an pro Patre Alexandri. Vide etiam Sylvestrum. V. *Bellum* 2. num. 1. & 2. In V. *Homicidium* 1. num. 8. qui est locus allegatus à Patre Alexandri, Auctor loquitur satis confusè; clarè tamen ibi explicat Canonem, qui nobis videtur contrarius; & iterum dicit, nos non obligari cum alterius damno aliquem eripere à morte, quam voluntariè vult subire.

38. Armilla. V. *defensio* num. 2. tenet nobiscum, & affert pro se Sylvestrum, Jacobum de Aretio, & Innocentium, & tenet hanc opinionem, etiam pro salvandis rebus *alienis*. Si res sunt alienæ; ergo non sunt res necessariæ pro conservatione personæ, & status; unde clarè est pro nobis contra Patre Alexandri.

39. Soto quoque clarè est pro nobis de justit. & jur. lib. 5. quæst. 1. art. 8. licèt Pater Alexandri dicat esse pro sua. Ipse ergo clarè dicit: Respondetur, *citra dubium licere furem etiam diurnum in defensionem bonorum temporalium interficere, si aliter illa eripi ab ipso nequeunt*. Nota, quòd tradit doctrinam suam ut certam. Probat verò conclusionem, quia hæc bona *sunt necessaria ad vitæ sustentationem*, *&c. status*, *& honoris*. Hæc verba videntur esse pro Patre Alexandri, sed ex sequentibus patet esse pro nobis; infra siquidem dicit, quòd pro valore duorum, vel trium ducatorum nequeat occidi invasor. Certè si loquitur de re necessaria Vitæ, & status, impertinenter se habet, quòd sit parva, vel magna in seipsa; si aliàs est necessaria vitæ, & statui. Hinc, si non habeam nisi unicum panem, ego possum occidere invasorem illius panis; quia ablatio panis est ablatio vitæ. Propter hanc forsan rationem Innoc. Undec. nu. 31. damnat hanc propositionem. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. Nota *regulariter* damnat. Ergo in casu extraordinario, quando nempe est necessarius vitæ, tunc possum occidere, &c.

40. Quoad Canonistas, hos paucos subd. Glossa in c. *suscepimus* de homic. placet. V. *ligaverunt* scribit: Clericus sua defendendo non debet armis resistere, nec aliquem propter res interficere, Ar. 23. quæst. 8. c. 1. & c. Ar. contra. 5 eod. cap. 2. *Laicus verò potest res suas, & patriam armis tueri*, & prævenire hostem convenientior. C. *Unde vi.* l. 1. & 23. q. 2. Dominus. Ecce laicus potest uti tali defensione, qua uti nequit Clericus; quænam autem erit hæc? Vide num. 33. Vidimus allegari pro hac opinione Innocentium in c. *olim* de restit. spoliat. sed nihil in hoc loco reperio ad propositum invenio quidem in c. *si verò* de sentent. excomm. num. 2. quòd refert opinionem tenentem, aliquem pro salvandis rebus non incurrere in excommunicationem, si Clericum invasorem occideret: Refert etiam oppositam opinionem. Hic notabis, in quæstione præsenti antiquitus varias fuisse sententias; unde non video rationem, cur nostri scrupulosi Probabilioristæ velint nos coarctare ad unicam solam, & illam rigidam.

41. Henricus Boic in c. *interfecisti* de homicid. num. 22. scribit: item credo, quòd pro rebus propriis salvandis, quas aliàs non potest salvare, potest quis mutilare, vel occidere invasorem, & infra. cap. prox. ubi dicitur, quòd occisio furis nocturni, non reputatur homicidium, quòd verum secundùm Hostiens. ibi quoad peccatum, vel quoad pœnam legis, ubi capi, vel deprahendi non potest, porrò ea, quæ notat in c. suscepimus eo glos. ibi; laicus verò &c. & Lau. & Vinc. & Hostien. Item quis res suas, quibus sustentari, & alimentari debet, quis sibi aufert, vitam sibi auferre videtur . . . . . quod posset intelligi verùm cum tali modificatione, quam ponit Frater Joannes in Summ. Confess. hoc tit. quæst. 12. (vide num. 17.) scilicet, quòd si aliquis pro rebus temporalibus conservandis præter intentionem vul-

vulnerat, vel occidit, non est peccatum; quia casus fortuiti praecaveri non possunt. Sed hoc ex proposito facere non licet, quia vita proximi praeferenda est rebus fortunae, nisi ex talium ablatione quis poneretur in extrema necessitate.

In c. *si perfodiens* eod. scribit, quòd secundùm legem divinam Exo. 22. fur nocturnus potest occidi; non sic diurnus? Secundùm verò rigorem duodecim Tabularum fur nocturnus potest occidi cum clamore, sive se defendat, sive non defendat, quia praesumitur, quòd venerit ad occidendum; fur verò diurnus tunc demum potest interfici, si telo se defendat. Secundùm aequitatem verò fur nocturnus, si non possit capi sine laesione, & periculo, tunc potest occidi; aliàs non potest occidi, sicut nec latro diurnus; & ita de aequitate, quae praevalet C. de jud. l. placuit. *nulla est* inter furem diurnum, & nocturnum *differentia* secundùm Joan. de Faven. & Gloss. & Archid. 23. quaest. 5. *cum homo ab homine*, & in hoc satis concordat Bernar. eod. *Suscepimus.* V. *detinere*, & Jacob. Petr. de Sampsona, & Cyn. C. ad legem Cornel. de sicar. l. *si*, *ut allegas*, ubi dicunt, quòd distinctio nocturni, & diurni respicit magis *frequentiam*, quàm juris ministerium; frequentiùs enim contingit, quòd de die quis cognoscitur, quàm de nocte; sed ubi cognitus est de nocte, eadem est ratio, *nam totum hoc statuitur, ut occurratur periculo rerum*, & si occurri potest per cognitionem, non est habenda distinctio temporis, cum ubi est eadem ratio, ibi idem jus. *Unde si diurnum video recedere, ita quòd non possem consuli contra eum, licitum est mihi, eum interficere. Pro hoc facit, quod notatur. ff. de verb. oblig. l. si servum §. 1.* Lector, perpende bene hanc doctrinam, quia & est eadem ac nostra, & tradit eadem fundamenta, quibus nos utimur ad ipsam defendendam. Lege etiam ipsum in c. *suscepimus* num 5. ubi videtur concedere, quòd Clerici possunt bona sua armis defendere, quamvis hoc neget Monachis.

42. Aegidius Bellamera in c. de Episcopis. 23. q. 8. n. 1. scribit: Unde dic, quòd violentiam rerum, sive injuriam repellere possunt Clerici, & Laici illatam, & inferendam; Laici enim *occidendo* de homicid. c. 2. C. de sicar. l. 3. *sed Clerici non*, ut de homicid. *suscepimus*. Nequit loqui clariùs. Nota bene contra Probabilioristas hanc explicationem capitis *suscepimus*, quo loco gloriantur, & quasi canunt triumphum de nobis. Vides ergo, quòd textus intelligitur solùm de Clericis, non verò de Laicis. Lege sequentia, quae habet ibidem Bellamera; nam refert alias opiniones benigniores, quarum prima explicat illud caput, quòd valeat solùm pro Monachis, non pro aliis; secunda subdit, quòd illi Monachi damnantur à Canone, quia excesserunt fines licitae defensionis, cum res suas salvas haberent. Obiter perpendes, quòd hic Doctor amplectitur illas plures opiniones probabiliter; & sic erit pro aequali probabilitate. In c. de treuga & pace num. 26. scribit: quòd debilis contra robustum percutientem cum pugno potest armis se defendere in violentia illata personae, *& etiam rebus, quando non potest ad judicem recursus haberi, aliàs non*, ut notat Jacobus de Aret. in l. 1. C. *unde vi*. Intelligitur autem hoc incontinenti, idest antequam divertat ad actus extraneos, ut ff. de adult. l. *quod aut* in fine. In c. *olim causam* de restit. spoliat. num. 21. ante §. *Iis suppositis* docet: si ergo dat jus licentiam possessionem defendendi, vel recuperandi, *utique & omnia faciendi, sine quibus &c.* si ergo non potest sine armis, faciat cum armis, *& si non potest, nisi interimat, occidere possit. Ideo possum occidere furem nocturnum mihi ignotum, quia aliter res salvare non possum, secus de diurno, contra quem aliter juvari possum, ut praedicta. l furem.* Hic doctor verbatim habet doctrinam nostram, qui dicimus, ex concessione defensionis pro rebus sequi, nos posse occidere invasorem, si aliter res salva esse nequeat. Hinc infert, posse occidi furem nocturnum, quia cum ipsum

sum non cognoscam, nequeo salvare rem, nisi occidendo furem; è contra nequeo occidere furem diurnum, *quia possum aliter juvari.* Ergo à contrario, si noscam furem nocturnum, non verò diurnum, potero occidere diurnum, non verò nocturnum.

43. Nota bene, quòd Author dicit, nos posse occidere furem nocturnum, *quia aliter res salvare non possum.* Hinc Adversarii nequeunt dicere, quòd ideo Doctor concedat occisionem nocturni, quia est dubium, an ad furandum, vel occidendum venerit; Nequeunt, inquam, hoc dicere, quia Doctor expressè dicit: *Ideo possum occidere furem nocturnum mihi ignotum, quia aliter res salvare non possum,* Perpende causalem, & videbis veritatem. In illo §. *Iis suppositis* post princ. tenet, quòd quis non punitur, si interimitit illum, qui dat ipsi *masselatam;* (idest alapam) *nam si hoc licet propter res defendendas, ut dixi supra* (in textu allegato à me) *fortius propter personam, quæ est dignior. ff. de pœnis. l. in servorum. §. fin.*

In num. 24. §. princ. tenet cum Petro de Bella Pertica, & Baldo, quòd, si vis inferatur rebus, non tenetur fugere, *sed potest expectare, resistere, & percutere.* In num. 35. § *Quinto, numquid, &c.* tenet, quòd jura permittentia, ut possimus *vim vi repellere,* valeant etiam *in foro pœnitentiali* contra opinionem oppositam rigidam, & scrupulosam.

44. Antonius de Butrio in cap. *olim causam* de restit. spoliat. num. 35. & 36. scribit: Si personæ sunt impares, quia aggreditur quis à robusto, qui plus posset cum pugno, quàm alter cum fuste; tunc dicit Petrus, & Cynus in d. l. 1. quòd si injuriam inferat corpori, possum sibi armis resistere, si aliter non potest defensio parari; nam & in rebus, *ubi non est remedium,* possum interficere furem, ut nocturnum, *quem non cognosco.* ff. ad legem Cornel. de Sicar. l. *furem,* Si mihi injuriatur circa rem; & tunc non debeo resistere armis, si aliter res potest per Judicem recuperari; ut quia cognoscit furem, & non est fugitivus, vel res est immobilis. *Si non potest aliter recuperari, tunc licet qualitercumque tueri, ut d. l. furem, & l. 4. §. cum igitur. ff. unde vi.* Fallit in depopulatore agrorum, quem licet interficere. l. 1. C. *quando, li. sine Jud. se vind. Si enim aliter non valendo defendere res, se potest tueri quomodocumq;* multò fortiùs licitum est defendere injuriam, quia minima injuria personalis major est, quàm injuria rerum. ff. *de pœnis.* l. in servorum. fin.

45. Nota illa verba, *quem non cognosco,* in quibus assignatur ratio, cur liceat occidere furem nocturnum, & est, quia fur non cognoscitur. Ergo, si fur diurnus non cognoscitur, potest occidi pro defensione rerum. Hoc idem videtur clarè colligi ex illis verbis: *si non potest aliter recuperari, tunc licet* qualitercumque *tueri,* Illud adverbium, *qualitercumque,* est generale, unde includit omnem defensionem, & præcipuè importat defensionem cum armis, ut hæc pars opponatur cum prima, in qua dicebatur, non licere defendere res cum armis. Eadem Doctrina habetur in illis verbis: *Si enim aliter non valendo &c.*

46. Baldus de treug. & pace. cap. 1. num. 2. docet, quòd pro recuperatione meæ terræ invasæ possum facere bellum, nam in bello justo, & licito nullæ sunt feriæ secundùm Gof. & Bar. Tenet hic Jo: quòd dicitur, quòd non possum recuperare mea authoritate, nisi intra triduum, quia invasor per triduum videtur esse in fragranti crimine, quod verum est, si copiam habeo Superioris Judicis, *sed si non valet mihi forus, supplet ensis quandocumque, dicit Bartolus. ff. de cap. l. hostes, & gloss. C. de Jude. l. nullus, & glossa in Summ., & Bar. in gloss.* Ecce deficiente Judice à quo possim recuperare meam terram invasam, tunc *ensis supplet,* & supplet nedum in triduo, sed *quandocumque,* inquit cum Bartolo Baldus.

47. Petrus de Ancharano, in cap. *si perfodiens* de homic. scribit: Occiditur fur nocturnus sine culpa, sed non diurnus

nus, & est ista lex Mosayca Exodi 22. Quartò nota rationem differentiæ, quare magis non licet interficere furem de die, quàm de nocte, quia si de die ipsum non possum cognoscere, *ita licet ipsum interficere, sicut de nocte. Ita notat Cynus. C. de Sicar. l. si, ut allegas, & Bart. in l. qui furem ff. de Sicar.* Vides, clarè hunc Doctorem esse pro nobis, qui etiam pro se allegat Cynum, & Bartolum. Idem Doctor in cap. *dilecto* de senten. excom. in 6. num. 6. quæst 4. expressè dicit, esse licitum defendere res mobiles, ne auferantur, & *quandoque* licèt interficere invasorem, & pro hac Doctrina affert seipsum in allato textu ex cap. *si perfodiens.* Hinc patet, hunc Doctorem in duplici loco pugnare pro nobis.

Turrecremata in cap. *de his Clericis.* 8. dist. quæst. 1. num. 7. cum Ulrico in Sum. lib. 6. tract. 3. cap. 8. scribit: Pro rebus autem temporalibus conservandis, si aliquis præter intentionem vulneretur, vel occidatur, *non est peccatum*, quia casus fortuiti præcaveri non possunt; Sed hoc ex proposito facere non licet, quia vita proximi præferenda est rebus fortunæ. In cap. *Monomachiam.* num. 9. fin. ait: Respondetur, quòd magna sit differentia inter suscipere Duellum cruentum oblatum, & inter resistere invadenti volenti occidere, *vel spoliare aliquem, quoniam hoc in casu inevitabilis necessitatis est licitum, ut disputavimus dist. 50. cap. de his Clericis.*

Quoad meum institutum nonesset necesse solvere argumenta, quibus impugnant Adversarii nostram opinionem; adhuc tamen placet illis respondere, ut demonstrem non esse insolubilia; & sic omnino irrationabiliter damnare nostram Sententiam.

48. Objiciunt ergo textum in cap. *si perfodiens* de homic. in quo dicitur: si perfodiens inventus fuerit fur, & percussus mortuus fuerit, non est illi imputandum homicidium; si autem oriatur Sol super eum, reus erit . . . . quia poterat discernere, quòd ad furandum, non occidendum venisset.

Respondetur cum Boic, ubi supra, differentiam furis nocturni, & diurni respicere *magis frequentiam, quàm juris ministerium; frequentiùs enim contingit, quòd de die quis cognoscitur, quàm de nocte;* Sed ubi cognitus est de nocte, eadem est ratio. Item ubi incognitus est de die, eadem est ratio; nam totum hoc statuitur, *ut occurratur periculo rerum* . . . . Unde si diurnum video recedere, ita quòd non potest consuli contra eum, licitum est mihi eum interficere. Pro hoc facit, quod notatur. ff. de verb. oblig. l. si servum. §. 1. Ita verbatim Boic. Eandem Doctrinam, sed breviùs, tradunt Butrio, & Ancharanus, & Baldus dicebat ore rotundo, quòd in hoc casu *deficiente Foro*, supplet ensis.

49. Sed urget Fagnanus in cap. *interfecisti.* num 21. Si quia noscitur fur diurnus, non potest occidi; Ergo, si fur telo se defendens noscatur, non poterit occidi; & tamen oppositum expressè deciditur in cap. *Si perfodiens.* Sed facilè respondetur, disparitatem esse evidentem; nam periculum personæ non impeditur per notitiam invasoris, sicut impeditur periculum rerum, quæ poterunt recuperari ex vi notitiæ, quæ habetur de fure.

50. Objiciunt iterum textum ex cap. *interfecisti:* eod. in quo dicitur, te non esse reum homicidii, si *te*, *tuaque* liberando interfecisti hominem. Notant Probabilioristæ cum Fagnano, quòd textus dicit *Te*, *Tuaque*; certum est autem, quòd particula, *&*, est copulativa; unde, si liceret occidere pro defensione rerum, diceret *Te*, vel *Tua*.

Respondetur cum Bart. l. *ut vim.* ff. de just. num. 5. quòd *in dispositionibus legalibus illa talis copulativa* (particula nempe &) *ponitur pro puncto orationis separatæ, ut l. 1. ff. de his, qui no. infam. Ita dico esse in proposito, quòd & vim repellere licet, & injuriam.* Respondet hîc Bartolus legi, in qua dicitur: *Ut vim, atque injuriam propulsemus.* Dicit ergo, quòd illa lex facit hunc sensum: quòd vim repellere licet, & licet repellere injuriam. Ego quoque dico, quòd

quòd ille Canon facit hunc sensum, interfecisti furem te liberando; non peccasti. Interfecisti furem liberando tua; non peccasti. Certè si ly, *&*, conjungit ly *Te* cum ly *Tua*, sequitur, quòd ob solam defensionem sui quis non posset occidere invasorem. Sed audiamus Petrum Navarra de restit. lib. 2. cap. 3. num. 406. Hæc expositio mihi non placet, nec Cajet. in d. art. 7. aliud enim est copulativè accipere, aliud copulatim. Copulatim accipitur nomen, cum non unumquodque per se, sed simul cum alio verificatur, ut cum dico: omnes Apostoli sunt duodecim; non enim isti sunt duodecim, & isti sunt duodecim, sed omnes simul. At cum copulativè accipitur, de singulis verificatur, cum conjunctione tamen, ut cum dico: *omnis homo est animal*, sensus est, quòd hìc est animal, & hìc est animal; sic ergo illa conjunctio copulativè est accipienda, ita ut, cum dicit: *Te, & Tua* liberando, sensus sit, si interficisti *Te* liberando non peccasti, & si interficisti *Tua* eliberando, non peccasti.

51. Sed urget Fagnanus in d. cap. *interficisti* de homic. num. 10. fin. melius esse amplecti interpretationem Canonistarum dicentium illa verba esse conjunctivè accipienda, non verò disjunctivè, *quicquid dicant Theologi, quia hæc est propria messis Canonistarum.*

Sed contra evidenter, quia in hoc decipitur; nam hìc agitur de jure naturali; Utrum enim aliqua actio sit homicidium, est materia legis naturalis; certum est autem, Theologi muneris esse explicare legem naturalem; Canonistæ verò legem Ecclesiasticam ex D. Thom. Quodl. 9. art. 13.

52. Objiciunt tertiò textum ex cap. *suscepimus eodem*, in quo dicitur, quòd duo Monachi ligaverunt duos fures nocturnos, qui cum niterentur se solvere ab illis vinculis; Monachus, qui relictus fuerat ad illorum custodiam, timens ne occideretur ab eis, eosdem prævenit, & occidit. Pontifex subdit: *Verùm, quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & verum sustinere jacturam, quàm pro conservandis vilibus rebus, & transitoriis tam acriter in alios exardescere.*

Respondet Glossa. V. *ligaverunt*, quòd isti Monachi excesserunt ligando illos fures. Glossæ consentiunt alii DD. apud Boic, & Butrio. Idem Boic refert opinionem Alen. Goff. Vincen. & Hostien. qui dicunt Monachos, cum iter perfectionis arripuerint, non potuisse defendere res. Utraque solutio sufficit. Certè isti Monachi excesserunt; nam, si potuerunt ligare fures, poterant etiam illos expellere è Monasterio; & sic res poterant esse salvæ, absque occisione furum; ergo illa detentio fuit excessiva.

53. Denique objiciunt rationes, nam causa, quæ sufficiens est ad occidendum proximum, sufficiens est etiam ad illum licitè non conservandum; Sed conservatio bonorum pretiosorum non est causa sufficiens ad deobligandum à conservatione proximi; hinc, si quis voluntariè venenum sumpsisset, tenemur emere medicamentum pretiosum, ut à veneno illum liberemus. Ergo &c. Tum quia pluris æstimanda est vita proximi, quàm res nostræ.

Respondetur ad primum cum Cajetano, & aliis, minorem valere, quando proximus est in necessitate, non verò quando est in *prava voluntate*; nec enim teneor dare rem meam, quia illam vult proximus, sed quia indiget illa; & dicere oppositum est dare fomentum ad furandum impunè; cum enim loquamur nos in casu, in quo fur nequeat per Judicem coerceri; sequitur evidenter, quòd fur in hoc casu, impunè furabitur; unde in Villis, in quibus Domus dispersæ reperiuntur, passim fierent furta. Ad secundū nimis probat, probat enim, quòd non possemus occidere invasorem pro defensione rerum, quæ sunt necessariæ pro conservatione nostri status, quia Vita proximi est magis æstimanda, quàm status noster. Igitur eadem responsione fit satis; unde dicimus, quòd in necessitate pluris est æsti-

æstimanda vita proximi, quàm res nostra, non verò quando proximus est in prava voluntate. Duobus verbis: Vita proximi est pluris facienda, non voluntas prava. Cesset proximus ab iniquitate, & tunc ejus vita salva erit.

54. Instabis cum Montaltio. Occidentes furem diurnum plectuntur à Lege Mosayca; ergo non sunt absolvendi ab Evangelio.

Respondetur ex dictis, antecedens intelligendum esse, si fur nosci poterat, & capi; non verò, si fur erat ignotus, & capi nequiverat, quia illa divisio temporis nocturni, & diurni magis frequentiam, quàm juris ministerium significat ex Boic. Fagnanus ubi supra num. 19. dicit, quòd ad moderamen inculpatæ tutelæ requisitum ad justam defensionem præcipuè spectandus est modus, ut scilicet si armis inferatur violentia, armis repellatur, si sine armis simili modo repelli debet, ut l. 1. §. vim vi. & l 3. ff. *de vi, & vi arm.* Unde pugnum, vel alapam non liceret gladio propulsare, nisi in casu de quo per gloss. &c.

55. Eadem scribit Beatus Raymundus, sed ipse subdit Doctrinam benignam valde, & necessariam: Ait ergo: *Circa hoc considero* qualitatem personarum, ut interdum parvus, & debilis possint se defendere armis contra magnum, & fortem pugno elevato venientem. Arg. 3. quæst. 7. § arcentur, vers. *Si verò in uno adjutorio.* Ita Beatus Vir, in quo concordant alii Antiqui, quos non juvat referre. Ratio est, quia ut dicit Bart. in l. *ut vim.* ff. de just. num. 8. cum Bald. num. 32. *veritas est ista, quòd potest esse pugillus tuus pejor, quàm pugio, & pejus facere, quam alius cum ense.* Subdit Bartolus: *Et ideo dico, quòd veritas est ista, quia tunc dicitur moderata defensio,* quando aliter non potest evadi, *quin tu recipias offensionem.* Eodem modo explicat moderatam defensionem Asten. ubi supra cum Glossa, & Richar. in 3. dist. 37. art. 2. quæst. 3. Vide etiam Angelum, & Baptistam de Salis, ubi supra. Vide pariter Gloss. Institut. de jur. natur. §. jus autem gentium. V. *bella* in addit.

56 Ex hucusque dictis patet, nostram opinionem fundari in plurimis Antiquis; ex alia parte, cum Pontifex Romanus quæstionem non deciderit, nec Adversarii invenerint rationem evidentem, sequitur clarè, hanc opinionem damnari absque ratione, cum etiam communior opinio Modernorum sit pro ipsa. Vide Cardenas in Crisi Theol. disp. 57. cap. 3. art. 5.

CAPUT XLVI.

An turpe lucrum in conscientia retineri possit, unde ex hoc inferatur Probabilitas.

1. NOn possumus satis explicare, quantum exagitent Probabilioristæ opinionem illam Modernorum, quòd licitè retinetur pretium ob turpem actionem habitum, (excipiunt Simoniacum) etiam *ob injustam sententiam, ob assassinatum, ob adulterium, ob sodomiam, &c.* Legatur Montaltius litt. 8. in qua risibus, maledictionibus, & probris plenissimo calamo illam excipit. Quia verò Lessius dixerat, Judicem debere restituere pretium sententiæ justæ, non verò injustæ, quasi hæc dicta essent contra principia lumine naturali nota, subdit: *Stupidum me, ac mutum reddidit tanta hujus responsionis absurditas.* Referens postea Opinionem Sanchez dicentis in Summa lib. 2. cap. 38. Magum posse retinere pretium, si apposuit diligentiam, ut per artem Dæmonis sciret, quod promiserat; non posse verò retinere, *si nullam operam impendit, aut diabolicæ artis ignarus erat.* Referens, inquam, hanc sententiam, dicaciter subdit: *Cordati hominis hoc responsum! hac enim ratione, vel maximè Magi, & Harioli adducentur, ut arti suæ non segniter ediscendæ operam dent, quo vobis authoribus justum ex ea quæstum faciant,*

fopu-

populo cum fide inservientes.

2. Hic amicè peto doceri; si nequit accipi licitè pretium *ob divinationem Dæmonicam*; quia ex hoc sequitur, quòd *Magi, & Harioli adducentur, ut arti suæ non segniter ediscendæ operam dent.* Quomodo accipi poterit licitè pretium à meretrice, si ex hoc sequitur, quòd *meretrix adducetur, ut arti suæ non segniter ediscendæ operam det?* Nunquid dare pretium Mago adducet ipsum ad addiscendam illam artem, dare verò pretium meretrici non adducet ipsam ad exercendum opus illud turpissimum? Vel erit peccatum adducere ad divinationem Dæmonicam, non verò ad opus meretricium?

3. Dicit etiam, apud Judices non accipi pro titulo justo acquirendi res *Assassinium, Injustitiam, & Adulterium.* Tandem ait esse horribile, nec audiendum, quòd *Virgo, Conjugata, Monialis* sit capax accipiendi pretium pro usu sui corporis.

4. Fagnanus in cap. *ne innitaris* de constit num. 336. constituit inter opiniones periculosas, & damnandas hanc: *Divinatorem teneri ad restituendam rem acceptam pro Divinatione, si solùm consulit Astra, si Dæmonem, non item.* Item illam: *Neminem teneri, aut jura naturæ, aut legibus restituere acceptum pro ferenda sententia injusta, aut assassinatu committendo, vel adulterio.*

5. Si solùm Doctores privati has propositiones damnavissent, parvum negotii facesserent; sicut Scotistæ multum non curant, dum legunt censuratas opiniones Scoti à Thomistis. Negotium magnùm jure facessit, quia Illustrissimus Clerus Gallicanus easdem damnavit. Num. 51. proscribit, ut *falsam temerariam, & jovendis fallaciis, etiam Diabolicis, idoneam,* hanc propositionem: *Incantatores, aliique ejusmodi deceptores, Magi, Astrologiæ Judiciariæ Professores, Harioli, Conjectores ex pessimis quibusque artibus captantes lucrum, licitè servare possunt bona his mediis acquisita.* Num. 53. tanquam falsam, verbo Dei contrariam, & Judicum corruptelas inducentem sugillat sequentem: *Possunt Judices accipere munera à litigantibus, nec tenentur restituere, quæ acceperint ad pronunciandam sententiam injustam.* In margine hujus propositionis notatur, eandem piùs fuisse condemnatam à Vicario Generali Parisiensi, & Senonensi. Si in Gallia permittitur, quod, nedum singuli Episcopi, sed etiam Vicarii Generales ipsorum possint censurare opiniones Doctorum, hic mos introducetur apud etiam Abbates, & Parochos; unde in Gallia procul dubio excitabitur bellum civile Theologicum, quod pejus devastabit illud Regnum, quàm bellum Civile bellicum fecerit.

6. Ex damnatione harum propositionum inferunt absurditatem *Probabilitatis* tanquam principium ipsarum. Nos probando illas textibus clarissimis Antiquorum probabimus efficaciter Probabilitatem. Dicimus ergo sic. Illæ propositiones defensæ sunt à plurimis Antiquis, & adhuc defenduntur à plurimis Modernis. Insuper Sedes Apostolica illas non damnavit, nec inventum est principium certum contra ipsas; Ergo possumus illas tueri. Consequentia est evidens juxta Doctrinam Antiquorum asserentium, usque tunc posse variari in opinionibus in materia *Divinarum Notionum*, quando non est facta *decisio Ecclesiæ*, & ante *percontationem scientificem.*

7. Ante solutionem sciendum, difficultatem esse, loquendo in *jure naturæ*, & *jure communi*, idest, lege Canonica, & Civili Cæsareo; cum enim Doctores nequeant scire leges particulares Provinciarum, & multò minùs Civitatum, hinc nequeunt difficultatem movere in hoc jure; aliter in aere bellarent. Item ut plurimùm Theologi agunt de *jure naturæ*, de quo unicè ad ipsos spectat, & de jure Canonico, non verò de jure Civili Cæsareo. Insuper difficultas est facto jam opere turpi; *nam* juxta Less. lib. 2. de Justit. & jur. cap. 18. num. 17. omnis promissio ante patrationem operis pravi est invalida, *quia nemo potest obligari ad peccatum.*

8. In

8. In hac difficultate videtur certum, meretricem jure accipere, & retinere pretium habitum ob meretricium, *quia*, ut inquit lex 4. ff. de condict. ob turp. causam, *meretrix turpè agit, sed turpè non recipit.* Idem habetur expressè apud D. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 7. & aliis locis, quos non vacat referre. Difficultas ergo restat de aliis peccatis carnalibus, & aliis in alio genere, maximè de peccatis, quæ sunt contra justitiam. v. gr. de lucro habito ex Sententia Judicis injusta, de Assassinatu, & hujusmodi.

9. Sed rem jam aggrediamur. Dicitur in d. l. & in antecedenti eod. quòd, quando turpitudo versatur ex parte tum dantis, tum accipientis, melior sit conditio possidentis. Hæc Doctrina exemplificatur in stupro, & in Judice accipiente pecuniam, ut malè judicet. Ex hoc subdit lex, quòd dans nequit repetere turpe datum. Illa lex Canonizatur in cap. *in pari* de reg. jur. in 6. his verbis: *In pari delicto potior est conditio possidentis.* Glossa in V. *in pari* scribit: pone casum in delicto per can. 14. quæst. 5. *non sanè* in eo scilicet, qui repetit pecuniam, quam dedit pro iniquo judicio &c. Item per ff. de condict. ob turp. cau. l. *ubi autem*, & seq. ubi habes, *quòd non repetitur, quod propter stuprum, vel, ut malè judicetur, datum est.*

10. Dices, hanc Doctrinam nihil nobis prodesse, sed obesse, nam Glossa Canonica dicit, quòd illa pecunia non debet remanere apud Judicem, sed Fiscus debet illam habere, ita etiam tenet Glossa Civilis in d. l. ubi autem: *Sed apud accipientem non remanet, sed datur Fisco, vel alteri parti, ut supra de calumn. in hæred. princ.* [illegible]

Sed contra primò; quia ad summum probatur ex lege humana, in his delictis non posse retineri turpe acceptum, non verò ex lege naturali; *natura enim* non docet, ut est evidens, quòd pecunia accepta ab iniquo Judice sit danda, *vel Fisco, vel alteri parti.* Si enim Dans amittit pecuniam ob illam turpem actionem, & Accipiens illam non acquirit, potiùs debemus dicere, existimandam esse pro derelicta; & sic erit primi occupantis. Ergo, si debetur Fisco, vel alteri Parti, erit ex lege humana, non naturali.

11. Contra secundò, nam in d. l. *in hæredem.* ff. de calumn. dicitur: nam est constitutum, *turpia lucra hæredibus quoque extorqueri, licèt crimina extinguantur.* Notandum est illud verbum, *extorqueri*, significat enim, quòd *vi accipiatur pecunia.* Si pecunia *vi accipitur.* Ergo est pœna, quæ non debetur ante Judicis Sententiam. Ergo quis potest retinere licitè illã pecuniã usque, dum lata est Sententia; sicut pœna pecuniaria statuta à lege, & à Canone contra defraudantes gabellas non debetur in conscientia ante latam Sententiam juxta communem opinionem Doctorum ex Baptista de Salis. V. *pœna*, §. 8.

12. Ex alia lege probatur intentum; nam l. *nihil tam naturale.* ff. de reg. jur. expressè dicitur: *Nihil tam naturale*, ut acquisitio fiat *secundùm voluntatem Domini tradentis.* Idem dicitur Instit. de rerum divis. §. *per traditionem.* Igitur naturalissimè acquiritur res alterius *secundùm voluntatem Domini tradentis.* Ergo, si Dominus pecuniæ vult, quòd fiat *Uxoratæ, Judicis*, &c. si fecerint illas actiones turpes, debemus dicere, quòd illæ personæ acquirant illam pecuniam *secundùm voluntatem Domini tradentis.*

13. Dices, illas turpes actiones esse peccatum; sic esse nihil, atque adeo invendibiles. Sed prorsus vana est hæc objectio, quia meretricium est etiam ipsum peccatum mortale; & sic est nihil; adhuc tamen, est vendibile. Ex hoc retorqueo argumentum. Ratio voluptatis, quæ est in meretricio, est ratio, qua emens illud emit, & vendens vendit; Sed eadem voluptas reperitur in Adulterio, in stupro, in Sacrilegio, in Incæstu, in Sodomia; Ergo etiam istæ actiones sunt vendibiles. Ex hoc sequitur, quòd, si daretur peccatum quoad solam rationem formalem absq;

enti-

entitate Physica, non esset tunc vendibile, quia tamen ego possem donare res ex mera mea libertate absque ullo motivo se tenente ex parte donatarii; Ergo etiam in casu illo ficto de peccato sine entitate Physica possem dare meas res illi, & in ipsum transferre Dominium, si poneret *Nihilum peccati*; unde recipiens possideret licitè illas res ex solo titulo Donationis cum præsuppositione *Nihil* peccati.

14. Nunc afferamus Doctores. Albertus in 4. dist. 15. art. 24. vers. *soluto* scribit, quòd si in illicitè acquisito transfertur Dominium, nec competit repetitio ei, à quo accipit, potest de ipso fieri eleemosina. Cum ergo in stupro, & in pecunia recepta ab iniquo Judice transferatur Dominium ut patet, & insuper ex d. l. *ubi autem* non competat repetitio, illi à quo accepta est, unde in d. cap. *in pari* potior est conditio possidentis; Ergo de lucro stupri, & sententiæ injustæ potest fieri eleemosina. Porro eleemosina fit de suo, non de alieno; si autem est suum, jure naturæ retineri potest.

15. Divus Thomas 2. 2. quæst. 87. art. 2. ad 2. expressè concedit, quòd acquisita *ex histrionatu, & aliis hujusmodi non tenemur restituere*; *unde de talibus tenemur dare decimas secundùm modum aliarum personalium Decimarum.* In 4. dist. 15. quæst. 2. art. 4. quæstiun. 2. scribit: Si autem lex prohibuit actum, ex quo quis lucratur, sed non lucrum supposito facto, tunc, quamvis acquirendo tali actu contra legem fecerit, tamen tenendo non facit contra legem, sicut cum quis de *lenocinio*, vel meretricio lucratur; *& ideo hæc retineri possunt, & de eis eleemosina fieri potest.*

16. Videamus, quid sit lenocinium ex Asten. lib. 2. tit. 47. de adult. & lenoc. art. 3. Leno, inquit, est, qui *adulterum*, vel *adulteram* subjicit, vel pro comperto *stupro* pecuniam accipit . . . vel *quæstum ex adulterio uxoris facit.* Angelus. V. *leno* ait, illum dici lenonem, qui recipit pecuniam pro adulterio, ff. de adult. l. 2. §. *lenocinii*; committere etiam lenocinium illũ, *qui quæstuaria mancipia habet.* Et quidem, quòd lenocinium committat Vir, qui uxorem adulterare facit, expressè habetur ex l. *cum mulier*. ff. soluto matrimonio &c. ait enim, *cum mulier viri* lenocinio *adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur.* Idem dicitur in l. ex lege §. lenocinii. ff. ad l. Jul. de adult. Hæc lex est illa, quæ allegatur ab Angelo. Vide Sylv. V. leno.

17. Si ergo per Doctorem Angelicum possunt justè retineri acquisita per *lenocinium*; sequitur acquisita per *stuprum*, *per adulterium*, per subjectionem *mancipiorum ad fornicationem* licitè retineri posse; & sic *stuprum*, *adulterium*, *&c.* esse titulos legitimos juxta D. Thomam acquirendi Dominium rerum. Si Montaltius dubitat, an adulterium sit titulus legitimus apud Judices, certificetur, esse titulum legitimum per Angelicum, & hoc ipsi sufficiat pro quiete conscientiæ. Officium indignissimum *lenocinii* est adeo mihi peccatum inexcusabile, ut nihil magis inveniri possit; Isti enim Lenones veluti vendunt offensam Dei, ut offensam Dei, & nulla passione adducti hoc faciunt. Certè sunt damnosissimi Animabus, & familiis. Hinc infero, quòd, si non possumus negare, hos Lenones ex ipsorum officio posse licitè retinere acquisita, non possemus hoc negare de quibuscumque aliis malefactoribus, quantum est ex jure naturæ.

18. Irrefragabilis Alensis par. 3. quæst. 40. memb. 6. art. 3. §. 2. tenet, Judicem debere pecuniam acceptam pro sententia injusta restituere, non quidem danti, quia turpiter dedit, sed parti læsæ, sicut parti læsæ debet resarcire damnum acceptum ob sententiam injustam. Ex hoc textu ego arguo, Alensem tenuisse, quòd ex jure naturæ Judex non teneatur, restituere pecuniam hujusmodi. Pecunia illa fuerat dantis, & ipse transtulit jus illius in recipientem, quis ergo transfert jus illius rei in partem læsam? Judex, & Dans damnificant illam partem auferendo. v. gr. agros, qui sub lite erant. Ex hoc sequitur, quòd illi agri sint reddendi illi parti,

ti. De hoc nulli est dubium, & omnes tenent. Quòd verò sit dandum pretium datum Judici in damnum illius, ex vi damni illati certè hoc non sequitur, quia solùm debet restitui, quantum fuit damnum ex D. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 3. & solùm per Judicem potest quis compelli ad plus reddendum, ut dicit art. 2. D. Angelicus. Hoc est adeo verum, ut D. Thomas d. art. 3. afferat, quòd, qui damnificat aliquem in eo, quod erat in via ad acquirendum, v. gr. qui effodit Semina proximi, debet resarcire hoc damnum, non quantum importarent fructus, quos sperare potest Dominus; sed solùm juxta conditionem negotii, hoc est juxta prudentem existimationem. Ergo in nostro casu restitutis illis agris ad æqualitatem læsus satisfactus est. Ergo ad nihil amplius tenetur. Ergo pretium iniquum non est de necessitate juris naturæ dandum parti læsæ. Si ergo est ipsi dandum, vel pauperibus, hoc provenit ex mero jure humano.

19. In par. 4. quæst. 24. memb. 5. art. 3. §. 6. tenet primò, quòd quamvis jura prohibeant ludum alearum, & lucrum ex tali ludo provenientem jubeant restitui, & competentibus actionibus sic amissa repeti; tamen *nobis videtur*, inquit Doctor, *magis esse quasi civilis satisfactio pro peccato, quam obligatio ad restitutionem.* Igitur per Alensem Aleatores de stricto jure non tenentur ad restitutionem; pactum enim intervenit inter partes, *quod utrique parti placet, & obligatio condicti.* Unde, secundùm pactum illud, & obligationem condicti, *nec ille, qui amisit, de jure potest repetere; nec ille, qui lucratus est, tenetur restituere.* Subdit Doctor, quòd sicut in foro pœnitentiali injungitur sæpe satisfactio pecuniaria, non solùm eis, qui lucrantur, sed etiam, qui amiserunt, ut reprimatur inhonesta ocupatio; sic *ad cohibitionem mali subsequentis data est ista lex de aleatoribus.* Ecce per Authorem lex facta contra Aleatorum lucra se habet, sicut satisfactio pecuniaria, quā Confessor sæpe injungit in pœnitentiam peccatorum. Sicut ergo præcisa impositione Confessarii pœnitens non tenetur ad illam satisfactionem pecuniariam; ita Aleator præcisa illa lege Civili. Præterea sicut illa satisfactio pecuniaria injuncta à Confessore est pœna, ita pœna erit illa injuncta à Lege. Quia verò nemo sponte debet subire pœnam; nisi Judex actu exigat illud lucrum, Aleator non tenebitur illud dare.

20. Infero, quòd, si in aliis delictis Lex humana jubeat, ut acquisita restituantur, & competentibus actionibus sic amissa repetantur, hæc lex debet intelligi, ut facit Alensis de illa lege Aleatorum.

21. Prosequitur Doctor, & tenet, quòd acquisita in torneamentis non est necesse restituere, *eo quòd illorum transferunt Dominium ratione legis instituta inter torneatores.* Nec valet hoc argumentum: hæc sunt acquisita contra prohibitionem Ecclesiæ; Ergo restituenda, quia etsi sunt acquisita contra prohibitionem Ecclesiæ, *nihilominus illorum transfertur Dominium; si autem non esset translatum Dominium, necesse esset, illa restituere &c.* Quæ dicit Doctor de acquisitis in torneamentis contra prohibitionem Ecclesiæ, ego dico de quibuslibet aliis acquisitis in aliis actionibus turpibus, quia verificatur evidenter in aliis eadem ratio, scilicet *quia illorum transfertur Dominium ratione legis instituta inter partes.*

22. Claudit illam quæstionem Irrefragabilis, & definit acquisita per meretricium, & per histrionatum non esse restituenda, quia *in hujusmodi* actionibus *transfertur Dominium rerum*, & hæc est disparitas de lucro usuræ, quia in usura *non transfertur Dominium acquisiti.* In quæst. 33. membr. 2. art. 3. tenet, acquisitum per meretricium posse dari in eleemosinam, & justè in meretricio acquiri pecuniam. Assignans justitiam hujus acquisitionis scribit: *Justitia acquisitionis est ex hoc*, quòd corpus unius personæ in ipso opere exponitur voluntati, & beneplacito alterius; corpus, inquam, illius, cujus est proprium, & à quo

à quo liberè possessum, scilicet *quantum ad potestatem mancipandi se tali operi* . . . & infra : In actu coitûs fornicarii, *quia corpus, quod est libera potestatis, alicujus servitio, & voluntati alterius exponitur*, ut accidit in expositione equi, vel domûs alicujus servitio alterius, quod accipitur pro hujusmodi opere, vel actu, transfertur in Dominium accipientis, *& justè possidetur*; unde, quod per meretricium acquiritur, licèt inhonestius acquiratur, quàm quod acquiritur usura, *justè possidetur*, & ex hujusmodi acquisito potest fieri eleemosina, non ex acquisito per usuram, quia hujusmodi acquisitum non transfertur in Dominium acquirentis.

23. Observa rationem formalem, qua movetur Doctor, ut asserat, meretricem justè possidere pecuniam acquisitam per meretricium. Hæc ratio est, quia in meretricio *transfertur Dominium pecuniæ*, & supra dixerat etiam, *nec competit repetitio illi, à quo datur pecunia pro hujusmodi flagitio* Sed quare in meretricio transfertur Dominium? Audi. *Quia Corpus unius personæ in ipso opere exponitur voluntati, & beneplacito alterius. Corpus, inquam, illius, cujus est proprium.* Ex hoc infertur in malefactis non esse considerandam offensam Dei, & rationem peccati quoad obligandum ad restitutionem, ut faciunt nostri Probabilioristæ scrupulosi, qui exclamant, vociferantur, & in furias aguntur, dum audiunt in *Divinatione*, *In iniqua sententia &c.* dari justum titulum acquirendi. Sed velint, nolint, debent acquiescere huic veritati. Igitur debent considerare cum Alensi, an transferatur Dominium, & competat repetitio. Nos dicimus in illis sceleribus transferri Dominium, nec competere repetitionē, *quia in pari delicto potior est conditio possidentis.* Ergo &c. Quia verò Vidua honestæ famæ, etiamsi habeat rem cum Fratre *habet corpus proprium*, & in ipso opere exponitur *voluntati, & beneplacito Fratris*, ut est evidens; Ergo juxta Alensem Soror Vidua potest justè acquirere pecuniam *habendo incæstum cum Fratre.* Idem dico in Sodomia. Nec in his delictis potest recurri ad repetitionem ab eo, qui dedit, quia *in pari delicto potior est conditio possidentis*. Ex textu allato puto concedi licitum lucrum habitum ob actum quemcumque luxuriosum, excepto adulterio, quia, excepta uxore, quilibet *habet corpus, quod est proprium, & exponitur voluntati, & beneplacito alterius.* In art. 4 iterum tenet, ex acquisito *per histrionatum* posse fieri eleemosinam. Ergo res sic acquisita est ipsius Histrionis; & sic potest illam retinere. Hic repete argumentum factum contra Adversarios num. 2.

24. Glossa Raymundi est clarissimè pro me. Lib. 2. de torneam V. *subsecuta* dicit, in foro pœnitentiali inducendum esse pœnitentem ad erogandam in pauperes pecuniam acquisitam in torneamentis; si tamen nollet hujusmodi pœnitentiam suscipere, non per hoc est incapax absolutionis, nec est *in peccato mortali.* In tit. de raptor. § 9. V *tenentur restituere* scribit: quędam sunt, (loquitur de rebus prohibitis, quia mala) quæ puniuntur à jure per Corporalem pœnam, vel per extorsionem turpium lucrorum; & taliter acquisita retineri non debent ad usum acquirentis . . . . Sed debent in usos pios erogari . . . *& hujusmodi restitutio in foro pœnitentiali indicenda est pro parte satisfactionis; & ideo ibi latè patet officium pœnitentiarii*; & ibi fortè potest dispensare, *sicut in limitando tempore pœnitentiæ, & mensuræ jejuniorum.* Ego subdo. Certè Confessarius rem alienam alteri dare nequit. Ergo, si potest pœnitenti dispensare quoad mensuram restitutionis, est signum, quòd illæ res turpiter acquisitæ sint ipsius pœnitentis. Præterea si illa restitutio *est indicenda pro parte satisfactionis Sacramentalis*; Ergo Confessarius potest illam non dare, & aliam substituere, quia per Doctorem lib. 3. de pœnit. §. 46. V. *Consuetudo* revera hodie pœnitentiæ sunt arbitrariæ 26. quæst. 7. *tempora pœnitudinis.*

25. Subdit Author: quæ sunt mala, quia

quia prohibita, *sicut torneamenta, negotiatio in Clericis, facere serta de floribus &c. ex his acquisita retineri possunt.* Licèt autem hæc distinctio *videatur probabilis;* (Nota, quòd etiam æqualis probabilitas placeat Antiquis) *quia tamen pœnæ restringendæ sunt*, & qui nimis emungit, elicit sanguinem; verius credo, quòd licèt in prædictis casibus bonum sit, & salubre, quòd pœnitens inducatur in foro pœnitentiali ad erogandum in pios usus taliter acquisita, *non est tamen compellendus, nisi velit;* nec judicandus est, non esse in statu salvandorum, si non velit hujusmodi pœnitentiam recipere, nisi in casibus à jure expressis, ut in Simonia, de qua expressum est, quòd pecunia Simoniaca est restituenda Ecclesiæ, in cujus ignominiam est recepta; *licèt hoc possit intelligi, quando recepta est de bonis ejusdem Ecclesiæ;* vel *quando agitur de hoc in foro causarum.* Similiter, cum quis aliquid acceperit, ut faciat damnum, vel injuriam, vel calumniam alii; quia tunc non ille, qui dedit, repetit, sed ille, contra quem datum est, ut ff. de calumn. & generaliter. §. illud, *quod tamen intelligitur, quando agitur in forma judicii, quam severitatem non oportet observari in foro pœnitentiali.*

26 Nota diligenter, opinionem rigidam asserentem non posse retineri pecuniam acquisitam ex malefactis, in quibus per *extorsionem* Judices illam tollunt ab accipientibus, vocari à Doctore *legem pœnalem*, & esse adeo rigidam, ut *nimis emungat, & sanguinem eliciat.* Nota insuper, quòd pretium simoniacè acceptum solum sit restituendum, quando agitur in foro fori, vel si in foro pœnitentiali, quando pretium est *de bonis ejusdem Ecclesiæ.* Hanc tamen Doctrinam ego non recipio. Nota tertio, *Damnificatorem, Injuriatorem*, Calumniatorē in foro quidē externo debere restituere pretiū acquisitū per *Damnificationem, Injuriam, & Calumniam;* tamen in foro pœnitentiæ non est necesse sequi hujusmodi *severitatem.* Hæc Doctrina ex diametro opponitur Adversariis, qui in foro fori dicunt, benignitatem esse sequendam cæteris paribus, secus in foro pœnitentiali, quando agitur de periculo Animæ. Tu sequere Antiquissimum Villelmum Rodonensem Glossatorem Raymundi.

27 In eodem §. V. *videbitur* scribit: Quid de muliere, quæ recepit pecuniam pro opere carnali? Respondetur, *si recepit ab aliquo de rebus propriis, non Ecclesiasticis, non tenetur restituere*, etiamsi sit monialis, *cui datum est; Sed acquirit monasterio, quod accepit; honestius tamen est, quòd monasterium non retineat, sed eroget in pios usus.* Si monialis, quæ est virgo, & tradidit corpus suum Deo, potest acquirere pecuniam ex sua prostitutione, non quidem sibi, quia ratione voti paupertatis est incapax Dominii, sed monasterio. Ergo Virgo sæcularis, quæ est capax Dominii, nec tradidit corpus suum alteri, poterit ex stupro acquirere sibi pecuniam; idem dico ex incestu, ex Sodomia &c. Quia verò Uxorata dedit corpus suum marito, acquiret quidem Dominium rerum ex adulterio, non quidem sibi, sed marito. Infra, quod dixit Doctor de Moniali, asserit de Viro Claustrali. Tenet ergo, quòd, si Religiosus ex peccato carnis recipit pecuniam à muliere, quæ habet Dominium illius, *licèt hone-stum sit, illud expendere in pias causas*, non tamen credo, quòd teneatur, nisi velit *Poterit etiam restituere ei, qui dedit, quod melius videtur, si pœnitedat, vel egeat.* Si Vir Religiosus potest ex opere carnali acquirere pecuniam, nec tenetur illam in pias causas expendere; à fortiori quilibet alius Vir tale turpe lucrum acquirere poterit, & retinere.

28. In eodem tit. §. 13 V. *tenerentur* docet: si quis furtim asportaverit pecudem, vel inciderit alienam, vel commiserit furtum, vel sacrilegium, & similia, super quibus statuta est pœna corporalis, vel pecuniaria per legem, vel canonem, non est injungendum pœnitenti in foro pœnitentiali, quòd solvat hujusmodi pœnas, nisi tunc demum

Qq fuerit

fuerit condemnatus ad illas; sed sufficit, quòd solvat interesse, vel satisfaciat ad arbitrium boni viri, si injuriam intulit; *hoc etiam dici potest fortè de pecunia habita per Simonia*, de qua solet dici quòd est restituenda illi Ecclesiæ, in cujus ignominiam data est, vel recepta per illud Capitulum de Simon. *De hoc autem*; illud enim capitulum intelligi potest, *quando de bonis Ecclesiæ erat data pecunia, vel quando agebatur in forma Judicii contra recipientem*; & idem potest intelligi *de omnibus similibus casibus, in quibus jura dicunt, esse extorquendam pecuniam turpiter acceptam*, cujus tamen repetitio non competit ei, qui turpiter dedit . . . . Contra id, quod dictum est de Simonia acquisita est argumentum contra de Simon. *mandato*, argumento sumpto à contrario sensu; quia videtur ibi innui, quòd pecuniam per pactum Simoniacum acquisitam resignare tenetur, qui eam accepit, *licet secus sit, si absque pacto fuerit recepta*; & ideo tutius est dicere, quòd *pecunia ex pacto Simoniaco acquisita retineri non potest, etiam secundùm judicium fori pœnitentialis*.

29. Nota, pecuniam simoniacè receptam *absque pacto* posse retineri, etiam secundùm *judicia fori pœnitentialis*. Nota insuper, *tutius esse, quòd pecunia ex pacto Simoniaco recepta nequeat retineri*. Hoc tamen non obstante *dici potest forte* oppositum; & illud capitulum *intelligi potest, quando de bonis Ecclesiæ erat data pecunia, vel quando agebatur in forma Judicii*: Hæc juxta Glossatorem. Sed vide num. 26.

30. Sed maximè nota illa verba: *Idem potest intelligi de omnibus similibus casibus, in quibus jura dicunt esse extorquendam pecuniam turpiter acceptam, cujus tamen repetitio non competit ei, qui turpiter dedit.* Ex his colligitur, ex quocumque scelere, & flagitio in foro pœnitentiali posse acquiri pretium, nisi tamen competat repetitio ei, qui illud dedit; Quia verò juxta leges, & Canones *in pari delicto potior est conditio possidentis*; sequitur, quòd v. gr. pecunia recepta à Sicario, à Judice &c. retineatur justè ab istis, cum danti non competat repetitio. Ipse Doctor lib. 1. de Simon. §. 9. V. *turpiter dedit* tenet expressè, turpiter danti non competere repetitionem rei.

31. In tit. de præscript. §. 36. quid si accepit Judex. V. *restituenda* dixerat D. Raymundus, quòd, si quis dat pecuniam Judici, ut ipsius animum sibi sub specie recti inclinaret, & ita indirectè, ac tacitè intendebat ipsum corrumpere, illa pecunia *restituenda* est pauperibus, & illi in cujus injuria data fuit juxta arbitrium Ecclesiæ. Hunc textum ita glossat Doctor noster: restituenda est pecunia, *si de hoc constet in foro causarum*; si autem in foro pœnitentiali, *fortè magis est consilium, quàm necessitas*.

32. In tit. de usuris. §. 4. V. *in faciendo* quærit, cur in mentali Simonia non est restitutio facienda, bene verò in mentali usura. Respondet: In Simonia est turpitudo utriusque partis dantis, & accipientis; sed in usura non est turpitudo dantis; & ideo jure Divino, & naturali æquitate facienda est restitutio: nec posset in hoc Papa etiam dispensare; *Sed ex solo jure humano pecunia Simoniacè accepta restituenda est, non illi, qui turpiter dedit, sed Ecclesiæ*; unde nec Eliseus præcepit Jezi restituere alicui pecuniam, quam accepit à Naaman; *Et Papa, qui, quod vult, potest statuere, in hoc casu posset etiam dispensare*, quòd non solùm in mentali Simonia, sed etiam in illa, quæ pacto esset expressa, retineri posset, *quod esset Simoniacè acquisitum.* Ex hoc textu evidenter concluditur, ex quolibet scelere, flagitio, facinore, quantumvis atroci, posse licitè retineri pretium acquisitum, spectato solo jure naturali; unde, si Adversarii dicunt, in aliquo crimine retineri non posse pecuniam acquisitam, debent afferre textum clarum, & expressum, in quo præcipiatur restitutio; aliter ipsis dicemus illud rotundum: *erubescant sine lege loqui.*

33. In tit. de negotiis sæcularibus &c. §. 7.

§. 7. V. *competat repetitio* tenet, quòd in iis turpibus actionibus, in quibus Dominium transfertur, v. gr. in receptione pecuniæ ob movendam calumniam, possunt talia turpiter acquisita dari pauperibus; talia enim, quæ extorquentur à turpiter accipientibus per fiscum, vel per alias personas privatas in pœnam taliter accipientium, non debentur illis, nec illi qui acceperunt, tenentur solvere, *nisi cum agitur contra eos in forma Judicii.* . . . Illi facienda esset restitutio in foro pœnitentiali, quando expressum est, quòd in foro pœnitentiali facienda est restitutio certæ personæ, vel Ecclesiæ, ut cautum est de pecunia Simoniacè accepta, quòd restituenda est Ecclesię de Simon c. *de hoc autem:* licèt illa Decretalis *intelligi posset de pecunia, quæ erat de bonis Ecclesiæ, & Simoniacè fuit recepta.*

34. Lib. 3. de pœnit. §. 47. V. *nisi restituat:* scribit in iis turpibus actionibus, in quibus *transfertur* Dominium, & non competit repetitio & tamen mortaliter peccat, qui accipit; credo, quòd, quamvis congruum sit, & honestum, quòd puniatur quis, in quo deliquit, & quòd hujusmodi turpiter acquisitum non remaneat apud acquirentem, sed pauperibus erogetur, *potest tamen circa receptionem rei taliter acquisitæ pœnitentiarius dispensare cum pœnitente, si videat expedire.* Certè jure naturæ hæc turpia lucra non debentur aliis; quia sic pœnitentiarius non posset dispensare. Ergo illa sunt ipsius pœnitentis, cui pro satisfactione Sacramentali congruum, & honestum est, quòd pœnitens puniatur, *in quo deliquit.* Quia verò hodie pœnitentiæ sunt arbitrariæ; ideo Pœnitentiarius potest dispensare pœnitentem à tali pœnitentia, & aliam imponere, ut dicebam num. 24.

35. Joannes de Friburgo lib. 2. tit. 8. *de illicitè acquisitis.* quæst. 22. expressè, & verbatim refert, & approbat Doctrinam Glossæ Raymundi, quam supra retuli num. 33. ex lib. 2. de negotiis sæcularibus. §. 7. V. *competat repetitio.* In eodem libro. tit. 3. *de rapina Cleric. &c.* quæst. 19. refert pariter, & approbat Doctrinam ejusdem Glossæ Raymundi, quam retuli num. 24. ex lib. 2. de raptoribus §. 9. V. *tenentur.* Circa pretium receptum ex Simonia ipse quoque ponit limitationem ejusdem Glossæ, quam ex §. 13. V. *tenerentur* retuli num. 28. In quæst. 20. tenet eandem Doctrinam illius Glossæ, quam habet de Moniali, & Viro Claustrali tit. de rapt. §. 9. V. *videbitur*, & quam retuli num. 27. In quæst. 140. . . . de Judicibus, & Assessoribus videtur approbare ex Ulrico Doctrinam ejusdem Glossæ, quam retuli num. 31. ex tit. de præscript. §. 36. V. *restituenda.* Lib. 3. tit 34 quæst. 126 fin. approbat pariter Doctrinam ejusdem Glossæ ex lib. 3. tit. de pœnit. §. 47. V. *nisi restituat*, quam retuli num. anteced.

36. Richardus in 4. dist. 15. art. 5. quæst. 8. ad 1. dicit, lucrum ex meretricio, & torneamentis licitè retineri, quia, quamvis meretricium, & torneamentum sint prohibita; tamen nullo jure Canonico præceptum est debere restitui, quæ lucrantur per illa; *Sed jure Civili præceptum est, restitui illud, quod lucratur homo per ludum alearum, & taxillorum* Meretricium est prohibitum jure naturali, sicut sodomia, incæstus, stuprum, sacrilegium &c. & tamen jure naturali per Richardum Meretrix non tenetur restituere turpe lucrum; ergo nec sodomita, incestuosus, &c. Eandem Doctrinam habet Quodl. 2. quæst. 29.

37. Astensis lib. 1. tit. 28. de torneamentis fin. concedit, si pœnitens nequeat expendere in usus pios pecuniam acquisitam per torneamentum, quòd possit illam retinere cum Rodon. cujus textum retuli num. 25. Lib. 5 tit. 26. de eleem. art. 4. quæst. 2. scribit: tertiò est aliquid illicitè acquisitum, non quidem quia ipsa acquisitio sit illicita, sed quia id, ex quo acquiritur, est illicitum, sicut patet de eo, quod acquiritur per meretricium, *vel Lenocinium;* In eo enim, quòd mulier meretricium exercet, turpiter agit, & contra legem

 Dei;

Dei; sed in eo, quod accipit, non agit contra legem; unde, *quod sic illicitè acquisitum est, retineri potest.* Hic habes lucrum ex detestando, etiam ab iniquis, exercitio *Lenocinii*, posse licitè retineri. *Unde quod sic illicitè acquisitum est, retineri potest.* In tit. 31. *de mensura satisfac.* quæst. 2. in quæstiun. approbat Doctrinam Glossæ Raymundi, quam retuli num. 34. in qua dicit, quòd in turpibus actibus, in quibus transfertur Dominium, & non competit repetitio, licèt mortaliter peccet accipiens, congruum sit, & honestum, quod illud non remaneat apud accipientem, sed pauperibus detur; potest tamen circa rei receptionem taliter acquisitæ, Pœnitentiarius dispensare cum pœnitente, si viderit expedire.

38. Sed legamus Beatum Antoninum, qui, sicut in pluribus est benignus, in hac etiam materia talis fuit. Par. 2. tit. 1. cap. 23. §. 10 tenet, acquisitum ex meretricio posse licitè retineri, & idem dicendum de acquisito per Concubinatum, & *Sodomiam*, *& adulterium* eadem ratione; tamen, quia summè omnia jura detestantur sodomiam; ideo magis inducendum ad dandum illud pauperibus. Quidam tamen dicunt, quòd acquisitum per *Adulterium* est dandum ei, in cujus injuriam est factum, scilicet viro, cum ipse est innocens . . . *vel nisi etiam è contra uxori fidem fregerit*; tunc enim est pauperibus erogandum; *sed videtur idem dicendum, quod de aliis turpibus lucris, scilicet meretricio, & hujusmodi.*

39. In §. 14. dicit, qui dant histrionibus turpia exercentibus, committere *magnum peccatum, quia foveantur in scelere suo*, & pertinet hoc ad turpe lucrum; unde, & pauperibus erogandum, *de Consilio tamen*, sicut etiam acquisitum per artem *Matematicam*, idest *Divinatoriam*, *ut. 14. quæst. 5. cap. qui habetis.* Ecce expressè conceditur licita retentio lucri ex *Divinatione & histrionatu* acquisiti, & licèt per illud lucrum hi *foveantur* in scelere suo, non per hoc sequitur, ut volunt Adversarii, illicitè retineri tale lucrum juxta Beatum Virum.

40. In tit. 2. c. 1: agit de restitutionibus, per longum referens omnes, qui ad restitutionem tenentur; refert autem illos sub figura *Manuum*, & dicit, Dæmonem habere viginti manus, quibus utitur ad rapiendam rem alienam. In §. 19. tractat *de manu turpiter lucratoria*, & dicit, hanc manum habere quinque digitos, quorum primus est lucrum ex opere carnali, ut meretricio, *Lenocinio*, concubinatu, *Adulterio*, & hujusmodi. Secundus est ex arte, vel actu prohibito lucrari, ut ex arte mutuandi, vel faciendo taxillos, chartas, fucos, torniamenta, vel ex histrionatu turpi, serviendo usurario in numerando pecuniam ad usuram, & scribendo hujusmodi, in faciendo *Divinationes*, *Incantationes*, & hujusmodi &c. Quintus est intentione meræ cupiditatis vacare negotiationi, vel introducendi Caristiam. *Hi Homines debent acquisita pauperibus erogare, magis tamen ex honestate, & consilio, quam necessitate 14. quæst. 5 qui habetis, & de his supra tit. 1. C. 23.* Puto illud nomen, *Homines*, importare errorem, & esse legendum, *Omnes.* Sanctus Doctor in illis paragraphis solet priùs explicare, quinam contineantur sub illa quæstione, & in fine decidit, qui teneantur ad restitutionem. Ponendo ergo vocem, *Omnes*, vult dicere, quòd omnes illi Malefactores, quos enumerat in illo §. teneantur ad restitutionem *magis ex honestate*, *& consilio*, quàm necessitate. Hinc sequitur, *Lenonem*, *Adulteram*, *Histrionem*, *Divinatorem*, *Incantatorem* non teneri ad restitutionem lucri ex illis turpibus artibus acquisiti, & solùm *ex honestate*, *& consilio* illud esse erogandum in pauperes. Tum quia, si etiam legendum esset *Homines*, adhuc sequitur intentum, nam significat, quòd illi homines, de quibus loquutus fuerat in illo paragrapho, non teneantur de necessitate ad restitutionem.

41. In C. 5. ante paragraphum primum dicit, lucra habita ex histroniatu illicito,

to, *ex Duello*, ex torneamento, ex sertis factis de floribus, ex deciis factis ex arte *Matematica*, seu *Divinatoria*, ex lucro negotiationis &c. ita se habere, sicut lucrum ex meretricio; & licèt aliqui dixerint, non posse fieri eleemosinam ex hujusmodi lucro, sed hoc non est verum secundùm Thomam, Raym. & Communiter alios. Postea refert, & approbat Doctrinam Villelmi Rodonensis, quam retuli num 25 Ibidem Sanctus Doctor. §. 1. expressè dicit, lucrum habitum ex Sententia injusta non posse retineri à Judice, tamen par. 3, tit. 9. cap. 2. post princ. vers. *Secundò nota* docet ex Guil. quod *restitutio talis pecuniæ*, (scilicet acquisitæ ex sententia injusta) *est facienda, quando hoc constat in foro causarum; sed in foro conscientiæ fortè est magis Consilium, quàm necessitas.*

42. Supplementum Pisanelle. V. *eleemosina* §. fin. tenet, regulariter, quando turpitudo est tam ex parte dantis, quàm accipientis, in foro pœnitentiali non cogitur quis erogare, vel restituere, nisi ad hoc fuerit judicialiter condemnatus, vel sibi à confessore fuerit injunctum pro satisfactione peccati, vel nisi à jure sit particulariter expressum, ut in Simonia. Ex hoc textu sequitur, lucrum cujuscumque peccati carnalis, & etiam sententiæ injustæ, non esse de necessitate erogandum Pauperibus, nec esse restituendum. Hoc postea expressè fatus est. V. *Judex* 1. quæst. 6. his verbis, quòd pecunia habita ex sententia injusta sit restituenda hoc verum in foro Judiciali, secus in pœnitentiali, in quo non succedit obligatio, nisi ad solum interesse, & non ad pœnam, nisi præcesserit judicialis sententia, aliàs pœna non debetur in foro pœnitentiæ, ut dicit glos. 12. quæst. 2. *fraternitas*. Hæc etiam sentit glossa Raym. ut patet in Summa Confess. eod tit. quæst. 10. & ut ibi patet secundùm Ul. hoc casu dicendum est de hac pecunia idem, quod de alio turpi lucro.

43. In V. *restitutio* 1. § *Utrùm quis teneatur &c.* refert, & approbat Doctrinam Glossæ Raym. quam retuli num. 24. & 25. Postea subdit: Ex hac glossa, & ex dictis potest colligi, quòd . . . . in foro pœnitentiali, quando restitutio non est facienda certæ personæ, de Consilio est, quòd omnia illicitè acquisita erogentur in pios usus: de necessitate autem non est, nisi Judicialis condemnatio facta fuerit, vel nisi inquantùm Confessori videatur; nam in foro pœnitentiali quis restituere proximo non tenetur, nisi inquantùm ipsum damnificaverit, seu condemnatus fuerit, ut sæpe præostensum est, & notat glossa. 12. quæst. 2. *fraternitas*. Ex hoc textu habes, ex quocumque scelere, in quo transfertur Dominium, licitè retineri lucrum spectato jure naturæ. In aliquibus verò criminibus licitè non retinetur, quia lex humana præcipit, quòd illud vel Fisco, vel pauperibus, vel personæ, in cujus injuriam datum est, reddatur. Vide eundem Doctorem. V *Concussio*, ubi eadem docet.

44. Abulensis in Matth. par. 3. in c. 6. à quæst. 36 per plures quæstiones agit de præsenti materia, & decidit satis benignè. Igitur in quæst. 37. tenet meretricem, & *Nigromantem* malè facere meretricando, & faciendo *divinationes*; tamen lucrum inde acquisitum *nulla lege prohibetur; ideo de eo potest fieri eleemosina.* Observa, quamcumque mulierem fornicariam vocari meretricem, quia sine lege matrimonii alicui viro copulatur, *sive sit conjugata, sive monialis, sive cujusque status.* Dicit ergo secundùm opinionem quorundam Theologorum, & Juristarum, quòd si meretrix sit *mulier secularis libera* potest licitè retinere, & disponere ad libitum de lucro acquisito; *si autem sit monialis, non potest de eo disponere, quia non potest habere proprium, sed vertetur in utilitatem monasterii.*

45. Subdit, quòd, qui tenent contrariam opinionem, dicunt; quòd debent ista restitui, nisi Episcopus vellet dispensare cum muliere, quod ista sibi retineat, si est sæcularis; vel cum monasterio, quòd retineat hæc, si mulier est monialis.

ro Judiciali, secus *in Pœnitentiali*, in quo non succedit obligatio, nisi ad solùm interesse, & non ad pœnam, nisi præcesserit judicialis sententia, aliàs pœna non debetur in foro pœnitentiæ, ut dicit Glossa. 12. quæst. 2. *fraternitas*. In V. *ludus* §. 4. tenet cum Guil. quòd ubi restitutio non est facienda certę personæ, sed est fienda pauperibus, talis eleemosina non est necessaria, & talis restitutio est de Consilio, *exceptis tamen quibusdam casibus*, *in quibus jus expressè præcipit restitutionem fieri*. Enumerat hìc tres casus, in quibus jura jubent restitutionem lucri acquisiti per ludum alearum, postea subdit: In aliis casibus dicit Archiep. Floren. quòd est pauperibus istud lucrum erogandum de honestate. Licèt alia opinio sit securior, & consulenda, *non tamen videtur de necessitate imponenda*, *ut per hoc denegetur absolutio nolenti hoc facere*, *ex quo pro hac opinione sunt tot Sancti*, *& Doctores præallegati*. Supra allegaverat D. Thomam, Richar. Joannem Andream, Joannem Calderinum, Monal. Asten. Zabarel. Raym. Palud. & Guilel. Et quidem Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 5. concl. 4. asserit, posse retineri pretium ex illis actionibus, in quibus transfertur Dominium, nec competit repetitio, ut in meretricio, *Lenocinio*, *& Histrionatu*.

53. Gabriel Biel in 4. dist. 15. quæst. 13. diffusè satis quærit, an lucrum habitum ex ludis prohibitis. v. gr. *alearum* possit retineri. Litt. D. asserit, in hoc adesse opiniones contrarias Doctorum. Pro negativa affert D. Bonav. in 4. dist. 15. §. 67. (corrige par. 2. art. 2. quæst. 1.) Hostien, & Raym. Pro hac conclusione affertur præcipuè Constitutio græca, quæ concedit repetitionem talis lucri usque ad quinquaginta annos. Ergo juxta leges lucrans tenetur restituere lucrum. Pro opposita affert Alen par. 4 quæst. 86. membr. 3. art. 6. (Vide num. 19.) Citat quoque Scotum pro eadem, D. Thomam, & Paludanum.

54. Litt. E. fatetur, Ludum alearum generaliter esse prohibitum ex c. *Episcopus*. 35. dist. subdit tamen omnino rationabiliter ex hoc non inferri tale lucrum esse de necessitate restituendum, aut lucrum esse prohibitum; sicut meretricium est divina lege prohibitum; & tamen secundùm *omnes* non tenetur meretrix lucrum suæ turpitudinis restituere, vel pauperibus erogare. Dicit postea, nec jure Divino, nec Canonico prohiberi, licèt glossæ, quæ jure non probantur, & Doctorum quorundam dicta ad hoc sonent; *sed his nemo obligatur*. Nec obligamur ratione illius Constitutionis Græcæ; quia hæc constitutio per D. Thomam videtur ex consuetudine abolita. Vel etiam potest dici cum Richar., quòd ex vi illius legis lucrantes non tenentur ad restitutionem lucri, nisi post sententiam condemnatoriam Judicis, *sicut in aliis pœnis juris*. Eodem modo respondet allato Canoni *Episcopus*. Hæc responsio mihi maximè placet; cum nihil esse possit tam naturale, quàm ut acquisitio fiat secundùm voluntatem Domini tradentis. Instit. de rerum divis. §. *per traditionem*. Ergo in nostro casu illud lucrum acquiritur à recipiente, cum Dominus illius voluntariè ipsi tribuat. Ergo, si Constitutio illud ipsi aufert, est pœna peccati commissi, quam proinde quis non tenetur exequi, nisi post sententiam latam à Judice. Hac Doctrina corruit principale fundamentum Adversariorum, qui dicunt lucrum habitum ex delicto, ex quo nascitur jus repetendi Tertio, non posse licitè retineri; corruit, inquam; nam solùm probat, post actionem intentatam repetendi, & sententiam latam à Judice non posse hujusmodi lucrum retineri in conscientia, quia pœnam solùm tenemur subire post Judicis sententiam.

55. In art. 3. litt. L. tenet, pretium acquisitum ab Histrione, *à Traditore*, à Meretrice, & similibus retineri licitè posse. *Si Traditor* per proditionem justè acquirit, non video, qua ratione negari possit de aliis Malefactoribus. Denique de tali lucro Alearum an sit restituendum, idem Doctor art. 2. litt. K. sic clarè scribit: Licèt securius sit

quòd ille Canon facit hunc sensum, interfecisti furem te liberando; non peccasti. Interfecisti furem liberando tua; non peccasti. Certè si ly, *&*, conjungit ly *Te* cum ly *Tua*, sequitur, quòd ob solam defensionem sui quis non posset occidere invasorem. Sed audiamus Petrum Navarra de restit. lib. 2. cap. 3. num. 406. Hæc expositio mihi non placet, nec Cajet. in d. art. 7. aliud enim est copulativè accipere, aliud copulatim. Copulatim accipitur nomen, cum non unumquodque per se, sed simul cum alio verificatur, ut cum dico: omnes Apostoli sunt duodecim; non enim isti sunt duodecim, & isti sunt duodecim, sed omnes simul. At cum copulativè accipitur, de singulis verificatur, cum conjunctione tamen, ut cum dico: *omnis homo est animal*, sensus est, quòd hic est animal, & hic est animal; sic ergo illa conjunctio copulativè est accipienda, ita ut, cum dicit: *Te*, *&* *Tua* liberando, sensus sit, si interficisti *Te* liberando non peccasti, & si interficisti *Tua* eliberando, non peccasti.

51. Sed urget Fagnanus in d. cap. *interfecisti* de homic. num. 10. fin. melius esse amplecti interpretationem Canonistarum dicentium illa verba esse conjunctivè accipienda, non verò disjunctivè, *quicquid dicant Theologi, quia hac est propria messis Canonistarum.*

Sed contra evidenter, quia in hoc decipitur; nam hìc agitur de jure naturali; Utrum enim aliqua actio sit homicidium, est materia legis nataralis; certum est autem, Theologi muneris esse explicare legem naturalem; Canonistæ verò legem Ecclesiasticam ex D. Thom. Quodl. 9. art. 13.

52. Objiciunt tertiò textum ex cap. *suscepimus eodem*, in quo dicitur, quòd duo Monachi ligaverunt duos fures nocturnos, qui cum niterentur se solvere ab illis vinculis; Monachus, qui relictus fuerat ad illorum custodiam, timens ne occideretur ab eis, eosdem prævenit, & occidit. Pontifex subdit: *Verum, quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quàm pro conservandis vilibus rebus, & transitoriis tam acriter in alios exardescere.*

Respondet Glossa. V. *ligaverunt*, quòd isti Monachi excesserunt ligando illos fures. Glossæ consentiunt alii DD. apud Boic, & Butrio. Idem Boic refert opinionem Alen. Goff. Vincen. & Hostien. qui dicunt Monachos, cum iter perfectionis arripuerint, non potuisse defendere res. Utraque solutio sufficit. Certè isti Monachi excesserunt; nam, si potuerunt ligare fures, poterant etiam illos expellere è Monasterio; & sic res poterant esse salvæ, absque occisione furum; ergo illa detentio fuit excessiva.

53. Denique objiciunt rationes, nam causa, quæ sufficiens est ad occidendum proximum, sufficiens est etiam ad illum licitè non conservandum; Sed conservatio bonorum pretiosorum non est causa sufficiens ad deobligandum à conservatione proximi; hinc, si quis voluntariè venenum sumpsisset, tenemur emere medicamentum pretiosum, ut à veneno illum liberemus. Ergo &c. Tum quia pluris æstimanda est vita proximi, quàm res nostræ.

Respondetur ad primum cum Cajetano, & aliis, minorem valere, quando proximus est in necessitate, non verò quando est in *prava voluntate*; nec enim teneor dare rem meam, quia illam vult proximus, sed quia indiget illa; & dicere oppositum est dare fomentum ad furandum impunè; cum enim loquamur nos in casu, in quo fur nequeat per Judicem coerceri; sequitur evidenter, quòd fur in hoc casu, impunè furabitur; unde in Villis, in quibus Domus dispersæ reperiuntur, passim fierent furta. Ad secundū nimis probat, probat enim, quòd non possemus occidere invasorem pro defensione rerum, quæ sunt necessariæ pro conservatione nostri status, quia Vita proximi est magis æstimanda, quàm status noster. Igitur eadem responsione fit satis; unde dicimus, quòd in necessitate pluris est æsti-

æstimanda vita proximi, quàm res nostra, non verò quando proximus est in prava voluntate. Duobus verbis: Vita proximi est pluris facienda, non voluntas prava. Cesset proximus ab iniquitate, & tunc ejus vita salva erit.

54. Instabis cum Montaltio. Occidentes furem diurnum plectuntur à Lege Mosayca; ergo non sunt absolvendi ab Evangelio.

Respondetur ex dictis, antecedens intelligendum esse, si fur nosci poterat, & capi; non verò, si fur erat ignotus, & capi nequiverat, quia illa divisio temporis nocturni, & diurni magis frequentiam, quàm juris ministerium significat ex Boic. Fagnanus ubi supra num. 19. dicit, quòd ad moderamen inculpatæ tutelæ requisitum ad justam defensionem præcipuè spectandus est modus, ut scilicet si armis inferatur violentia, armis repellatur, si sine armis simili modo repelli debet, ut l. 1. §. vim vi. & l. 3. ff. *de vi, & vi arm.* Unde pugnum, vel alapam non liceret gladio propulsare, nisi in casu de quo per gloss. &c.

55. Eadem scribit Beatus Raymundus, sed ipse subdit Doctrinam benignam valde, & necessariam: Ait ergo: *Circa hoc considero* qualitatem personarum, ut interdum parvus, & debilis possint se defendere armis contra magnum, & fortem pugno elevato venientem. Arg. 3. quæst. 7. § arcentur, vers. *Si verò in uno adjutorio.* Ita Beatus Vir, in quo concordant alii Antiqui, quos non juvat referre. Ratio est, quia ut dicit Bart. in l. *ut vim.* ff. de just. num. 8. cum Bald. num. 32. *veritas est ista, quòd potest esse pugillus tuus pejor, quàm pugio, & pejus facere, quam alius cum ense.* Subdit Bartolus: *Et ideo dico, quod veritas est ista, quia tunc dicitur moderata defensio,* quando aliter non potest evadi, *quin tu recipias offensionem.* Eodem modo explicat moderatam defensionem Asten. ubi supra cum Glossa, & Richar. in 3. dist. 37. art. 2. quæst. 3. Vide etiam Angelum, & Baptistam de Salis, ubi supra. Vide pariter Gloss. Institut. de jur. natur. §. jus autem gentium. V. *bella* in addit.

56. Ex hucusque dictis patet, nostrã opinionem fundari in plurimis Antiquis; ex alia parte, cum Pontifex Romanus quæstionem non deciderit, nec Adversarii invenerint rationem evidentem, sequitur clarè, hanc opinionem damnari absque ratione, cum etiam communior opinio Modernorum sit pro ipsa. Vide Cardenas in Crisi Theol. disp. 57. cap. 3. art. 5.

CAPUT XLVI.

An turpe lucrum in conscientia retineri possit, unde ex hoc inferatur Probabilitas.

1. Non possumus satis explicare, quantum exagitent Probabilioristæ opinionem illam Modernorum, quòd licitè retinetur pretium ob turpem actionem habitum, (excipiunt Simoniacum) etiam *ob injustam sententiam, ob assassinatum, ob adulterium, ob sodomiam, &c.* Legatur Montaltius litt. 8. in qua risibus, maledictionibus, & probris plenissimo calamo illam excipit. Quia verò Lessius dixerat, Judicem debere restituere pretium sententiæ justæ, non verò injustæ, quasi hæc dicta essent contra principia lumine naturali nota, subdit: *Stupidum me, ac mutum reddidit tanta hujus responsionis absurditas.* Referens postea Opinionem Sanchez dicentis in Summa lib. 2. cap. 38. Magum posse retinere pretium, si apposuit diligentiam, ut per artem Dæmonis sciret, quod promiserat; non posse verò retinere, *si nullam operam impendit, aut diabolicæ artis ignarus erat.* Referens, inquam, hanc sententiam, dicaciter subdit: *Cordati hominis hoc responsum! hac enim ratione, vel maximè Magi, & Harioli adducentur, ut arti suæ non segniter ediscendæ operam dent, quo vobis auctoribus justum ex ea quæstum faciant,*

populo cum fide inservientes.

2. Hic amicè peto doceri; si nequit accipi licitè pretium *ob divinationem Dæmonicam*; quia ex hoc sequitur, quòd *Magi, & Harioli adducentur, ut arti suæ non segniter ediscendæ operam dent.* Quomodo accipi poterit licitè pretium à meretrice, si ex hoc sequitur, quòd *meretrix adducetur, ut arti suæ non segniter ediscendæ operam det?* Nunquid dare pretium Mago adducet ipsum ad addiscendam illam artem, dare verò pretium meretrici non adducet ipsam ad exercendum opus illud turpissimum? Vel erit peccatum adducere ad divinationem Dæmonicam, non verò ad opus meretricium?

3. Dicit etiam, apud Judices non accipi pro titulo justo acquirendi res *Assassinium, Injustitiam, & Adulterium.* Tandem ait esse horribile, nec audiendum, quòd *Virgo, Conjugata, Monialis* sit capax accipiendi pretium pro usu sui corporis.

4. Fagnanus in cap. *ne innitaris* de constit num. 336. constituit inter opiniones periculosas, & damnandas hanc: *Divinatorem teneri ad restituendam rem acceptam pro Divinatione, si solum consulit Astra, si Dæmonem, non item.* Item illam: *Neminem teneri, aut jura naturæ, aut legibus restituere acceptum pro ferenda sententia injusta, aut assassinatu committendo, vel adulterio.*

5. Si solùm Doctores privati has propositiones damnavissent, parvum negotii facesserent; sicut Scotistæ multum non curant, dum legunt censuratas opiniones Scoti à Thomistis. Negotium magnùm jure facessit, quia Illustrissimus Clerus Gallicanus easdem damnavit. Num. 51. proscribit, ut *falsam temerariam, & fovendis fallaciis, etiam Diabolicis, idoneam*, hanc propositionem: *Incantatores, aliique ejusmodi deceptores, Magi, Astrologiæ Judiciariæ Professores, Harioli, Conjectores ex pessimis quibusque artibus captantes lucrum, licitè servare possunt bona his mediis acquisita.* Num. 53. tanquam falsam, verbo Dei contrariam, & Judicum corruptelis inducentem sugillat sequentem: *Possunt Judices accipere munera à litigantibus, nec tenentur restituere, quæ acceperint ad pronunciandam sententiam injustam.* In margine hujus propositionis notatur, eandem prius fuisse condemnatam à Vicario Generali Parisiensi, & Senonensi. Si in Gallia permittitur, quòd, nedum singuli Episcopi, sed etiam Vicarii Generales ipsorum possint censurare opiniones Doctorum, hic mos introducetur apud etiam Abbates, & Parochos; unde in Gallia procul dubio excitabitur bellum civile Theologicum, quod pejus devastabit illud Regnum, quàm bellum Civile bellicum fecerit.

6. Ex damnatione harum propositionum inferunt absurditatem *Probabilitatis* tanquam principium ipsarum. Nos probando illas textibus clarissimis Antiquorum probabimus efficaciter Probabilitatem. Dicimus ergo sic. Illæ propositiones defensæ sunt à plurimis Antiquis, & adhuc defenduntur à plurimis Modernis. Insuper Sedes Apostolica illas non damnavit, nec inventum est principium certum contra ipsas; Ergo possumus illas tueri. Consequentia est evidens juxta Doctrinam Antiquorum asserentium, usque tunc posse variari in opinionibus in materia *Divinarum Notionum*, quando non est facta *decisio Ecclesiæ*, & ante *percontationem scientificam.*

7. Ante solutionem sciendum, difficultatem esse, loquendo in *jure naturæ*, & *jure communi*, idest, lege Canonica, & Civili Cæsareo; cum enim Doctores nequeant scire leges particulares Provinciarum, & multò minùs Civitatum, hinc nequeunt difficultatem movere in hoc jure; aliter in aere bellarent. Item ut plurimùm Theologi agunt de *jure naturæ*, de quo unicè ad ipsos spectat, & de jure Canonico, non verò de jure Civili Cæsareo. Insuper difficultas est facto jam opere turpi; *nam* juxta Less. lib. 2. de Justit. & jur. cap. 18. num. 17. omnis promissio ante patrationem operis pravi est invalida, *quia nemo potest obligari ad peccatum.*

8. In

8. In hac difficultate videtur certum, meretricem jure accipere, & retinere pretium habitum ob meretricium, *quia*, ut inquit lex 4. ff. de condict ob turp. causam, *meretrix turpè agit, sed turpè non recipit.* Idem habetur expresse apud D. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 7. & aliis locis, quos non vacat referre. Difficultas ergo restat de aliis peccatis carnalibus, & aliis in alio genere, maximè de peccatis, quæ sunt contra justitiam. v. gr. de lucro habito ex Sententia Judicis injusta, de Assassinatu, & hujusmodi.

9. Sed rem jam aggrediamur. Dicitur in d. l. & in antecedenti eod. quòd, quando turpitudo versatur ex parte tum dantis, tum accipientis, melior sit conditio possidentis. Hæc Doctrina exemplificatur in stupro, & in Judice accipiente pecuniam, ut malè judicet. Ex hoc subdit lex, quòd dans nequit repetere turpe datum. Illa lex Canonizatur in cap. *in pari* de reg. jur. in 6. his verbis: *In pari delicto potior est conditio possidentis.* Glossa in V. *in pari* scribit: pone casum in delicto per can. 14. quæst. 5. *non sanè* in eo scilicet, qui repetit pecuniam, quam dedit pro iniquo judicio &c. Item per ff. de condict. ob turp. cau. l. *ubi autem*, & seq. ubi habes, *quòd non repetitur, quod propter stuprum, vel, ut malè judicetur, datum est.*

10. Dices, hanc Doctrinam nihil nobis prodesse, sed obesse, nam Glossa Canonica dicit, quòd illa pecunia non debet remanere apud Judicem, sed Fiscus debet illam habere, ita etiam tenet Glossa Civilis in d. l. ubi autem: *Sed apud accipientem non remanet, sed datur Fisco, vel alteri parti, ut supra de calumn. in hæred. princ.*

Sed contra primò; quia ad summum probatur ex lege humana, in his delictis non posse retineri turpe acceptum, non verò ex lege naturali; *natura enim* non docet, ut est evidens, quòd pecunia accepta ab iniquo Judice sit danda, *vel Fisco, vel alteri parti.* Si enim Dans amittit pecuniam ob illam turpem actionem, & Accipiens illam non acquirit, potiùs debemus dicere, existimandam esse pro derelicta; & sic erit primi occupantis. Ergo, si debetur Fisco, vel alteri Parti, erit ex lege humana, non naturali.

11. Contra secundò, nam in d. l. *in hæredem.* ff. de calumn. dicitur: nam est constitutum, *turpia lucra hæredibus quoque extorqueri, licèt crimina extinguantur.* Notandum est illud verbum, *extorqueri*, significat enim, quòd *vi accipiatur pecunia.* Si pecunia *vi accipitur.* Ergo est pœna, quæ non debetur ante Judicis Sententiam. Ergo quis potest retinere licitè illâ pecuniâ usque, dum lata est Sententia; sicut pœna pecuniaria statuta à lege, & à Canone contra defraudantes gabellas non debetur in conscientia ante latam Sententiam juxta communem opinionem Doctorum ex Baptista de Salis. V. *pœna.* §. 8.

12. Ex alia lege probatur intentum; nam l. *nihil tam naturale.* ff. de reg. jur. expresse dicitur: *Nihil tam naturale*, ut acquisitio fiat *secundùm voluntatem Domini tradentis.* Idem dicitur Instit. de rerum divis. §. *per traditionem.* Igitur naturalissimè acquiritur res alterius *secundùm voluntatem Domini tradentis.* Ergo, si Dominus pecuniæ vult, quòd fiat *Uxorata, Judicis*, &c. si fecerint illas actiones turpes, debemus dicere, quòd illæ personæ acquirant illam pecuniam *secundùm voluntatem Domini tradentis.*

13. Dices, illas turpes actiones esse peccatum; sic esse nihil, atque adeo invendibiles. Sed prorsus vana est hæc objectio, quia meretricium est etiam ipsum peccatum mortale; & sic est nihil; adhuc tamen est vendibile. Ex hoc retorqueo argumentum. Ratio voluptatis, quæ est in meretricio, est ratio, qua emens illud emit, & vendens vendit; Sed eadem voluptas reperitur in Adulterio, in stupro, in Sacrilegio, in Incæstu, in Sodomia; Ergo etiam istæ actiones sunt vendibiles. Ex hoc sequitur, quòd, si daretur peccatum quoad solam rationem formalem absq;

entitate Physica, non esset tunc vendibile, quia tamen ego possem donare res ex mera mea libertate absque ullo motivo se tenente ex parte donatarii; Ergo etiam in casu illo ficto de peccato sine entitate Physica possem dare meas res illi, & in ipsum transferre Dominium, si poneret *Nihilum peccati*; unde recipiens nelliderct licitè illas res ex solo titulo Donationis cum præsuppositione *Nihil* peccati.

14. Nunc afferamus Doctores. Albertus in 4 dist. 15. art. 24. vers. *solutio* scribit, quòd si in illicitè acquisito transfertur Dominium, nec competit repetitio ei, à quo accipit, potest de ipso fieri eleemosina. Cum ergo in stupro, & in pecunia recepta ab iniquo Judice transferatur Dominium ut patet, & insuper ex d. l. *ubi autem* non competat repetitio, illi à quo accepta est, unde in d. cap. *in pari* potior est conditio possidentis; Ergo de lucro stupri, & sententiæ injustæ potest fieri eleemosina. Porro eleemosina fit de suo, non de alieno; si autem est suum, jure naturæ retineri potest.

15. Divus Thomas 2. 2. quæst. 87. art. 2. ad 2. expressè concedit, quòd acquisita *ex histrionatu, & aliis hujusmodi non tenemur restituere; unde de talibus tenemur dare decimas secundùm modum aliarum personalium Decimarum.* In 4. dist. 15. quæst. 2. art. 4. quæstiun. 2. scribit: Si autem lex prohibuit actum, ex quo quis lucratur, sed non lucrum supposito facto, tunc, quamvis acquirendo tali actu contra legem fecerit, tamen tenendo non facit contra legem, sicut cum quis de *lenocinio*, vel meretricio lucratur; *& ideo hæc retineri possunt, & de eis eleemosina fieri potest.*

16. Videamus, quid sit lenocinium ex Asten. lib. 2. tit. 47. de adult. & lenoc. art. 3. Leno, inquit, est, qui *adulterum*, vel *adulteram* subjicit, vel pro comperto *stupro* pecuniam accipit . . . vel *quæstum ex adulterio uxoris facit.* Angelus. V. *leno* ait, illum dici lenonem, qui recipit pecuniam pro adulterio, ff. de adult. l. 2. §. *lenocinii*; committere etiam lenocinium illū, *qui quæstuaria mancipia habet.* Et quidem, quòd lenocinium committat Vir, qui uxorem adulterare facit, expressè habetur ex l. *cum mulier.* ff. soluto matrimonio &c. ait enim, *cum mulier viri* lenocinio *adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur.* Idem dicitur in l. ex lege §. lenocinii. ff. ad l. Jul. de adult. Hæc lex est illa, quæ allegatur ab Angelo. Vide Sylv. V. leno.

17. Si ergo per Doctorem Angelicum possunt justè retineri acquisita per *lenocinium*; sequitur acquisita per *stuprum, per adulterium*, per subjectionem *mancipiorum ad fornicationem* licitè retineri posse; & sic *stuprum, adulterium, &c.* esse titulos legitimos juxta D. Thomam acquirendi Dominium rerum. Si Montaltius dubitat, an adulterium sit titulus legitimus apud Judices, certificetur, esse titulum legitimum per Angelicum, & hoc ipsi sufficiat pro quiete conscientiæ. Officium indignissimum *lenocinii* est adeo mihi peccatum inescusabile, ut nihil magis inveniri possit; Isti enim Lenones veluti vendunt offensam Dei, ut offensam Dei, & nulla passione adducti hoc faciunt. Certè sunt damnosissimi Animabus, & familiis. Hinc infero, quòd, si non possumus negare, hos Lenones ex ipsorum officio posse licitè retinere acquisita, non possemus hoc negare de quibuscumque aliis malefactoribus, quantum est ex jure naturæ.

18. Irrefragabilis Alensis par. 3. quæst. 40. memb. 6. art. 3. §. 2. tenet, Judicem debere pecuniam acceptam pro sententia injusta restituere, non quidem danti, quia turpiter dedit, sed parti læsæ, sicut parti læsæ debet resarcire damnum acceptum ob sententiam injustam. Ex hoc textu ego arguo, Alensem tenuisse, quòd ex jure naturæ Judex non teneatur, restituere pecuniam hujusmodi. Pecunia illa fuerat dantis, & ipse transtulit jus illius in recipientem, quis ergo transfert jus illius rei in partem læsam? Judex, & Dans damnificant illam partem auferendo. v. gr. agros, qui sub lite erant. Ex hoc sequitur, quòd illi agri sint reddendi illi par-

ti,

ti. De hoc nulli est dubium, & omnes tenent. Quòd verò sit dandum pretium datum Judici in damnum illius, ex vi damni illati certè hoc non sequitur, quia solùm debet restitui, quantum fuit damnum ex D. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 3. & solùm per Judicem potest quis compelli ad plus reddendum, ut dicit art. 2. D. Angelicus. Hoc est adeo verum, ut D. Thomas d. art. 3. asserat, quòd, qui damnaficat aliquem in eo, quod erat in via ad acquirendum, v. gr. qui effodit Semina proximi, debet resarcire hoc damnum, non quantum importarent fructus, quos sperare potest Dominus; sed solùm juxta conditionem negotii, hoc est juxta prudentem existimationem. Ergo in nostro casu restitutis illis agris ad æqualitatem læsus satisfactus est. Ergo ad nihil amplius tenetur. Ergo pretium iniquum non est de necessitate juris naturæ dandum parti læsæ. Si ergo est ipsi dandum, vel pauperibus, hoc provenit ex mero jure humano.

19. In par. 4. quæst. 24. memb. 5. art. 3. §. 6. tenet primò, quòd quamvis jura prohibeant ludum alearum, & lucrum ex tali ludo provenientem jubeant restitui, & competentibus actionibus sic amissa repeti; tamen *nobis videtur*, inquit Doctor, *magis esse quasi civilis satisfactio pro peccato, quàm obligatio ad restitutionem.* Igitur per Alensem Aleatores de stricto jure non tenentur ad restitutionem; pactum enim intervenit inter partes, *quod utrique parti placet, & obligatio condicti.* Unde, secundùm pactum illud, & obligationem condicti, *nec ille, qui amisit, de jure potest repetere; nec ille, qui lucratus est, tenetur restituere.* Subdit Doctor, quòd sicut in foro pœnitentiali injungitur sæpe satisfactio pecuniaria, non solùm eis, qui lucrantur, sed etiam, qui amiserunt, ut reprimatur inhonesta ocupatio; sic *ad cohibitionem mali subsequentis data est ista lex de aleatoribus.* Ecce per Authorem lex facta contra Aleatorum lucra se habet, sicut satisfactio pecuniaria, quã Confessor sæpe injungit in pœnitentiam peccatorum. Sicut ergo præcisa impositione Confessarii pœnitens non tenetur ad illam satisfactionem pecuniariam; ita Aleator præcisa illa lege Civili. Præterea sicut illa satisfactio pecuniaria injuncta à Confessore est pœna, ita pœna erit illa injuncta à Lege. Quia verò nemo sponte debet subire pœnam; nisi Judex actu exigat illud lucrum, Aleator non tenebitur illud dare.

20. Infero, quòd, si in aliis delictis Lex humana jubeat, ut acquisita restituantur, & competentibus actionibus sic amissa repetantur, hæc lex debet intelligi, ut facit Alensis de illa lege Aleatorum.

21. Prosequitur Doctor, & tenet, quòd acquisita in torneamentis non est necesse restituere, *eo quòd illorum transferunt Dominium ratione legis instituta inter torneatores.* Nec valet hoc argumentum: hæc sunt acquisita contra prohibitionem Ecclesiæ; Ergo restituenda, quia etsi sunt acquisita contra prohibitionem Ecclesiæ, *nihilominus illorum transfertur Dominium; si autem non esset translatum Dominium, necesse esset, illa restituere &c.* Quæ dicit Doctor de acquisitis in torneamentis contra prohibitionem Ecclesiæ, ego dico de quibuslibet aliis acquisitis in aliis actionibus turpibus, quia verificatur evidenter in aliis eadem ratio, scilicet *quia illorum transfertur Dominium ratione legis instituta inter partes.*

22. Claudit illam quæstionem Irrefragabilis, & definit acquisita per meretricium, & per histrionatum non esse restituenda, quia *in hujusmodi* actionibus *transfertur Dominium rerum*, & hæc est disparitas de lucro usuræ, quia in usura *non transfertur Dominium acquisiti.* In quæst. 33. membr. 2. art. 3. tenet, acquisitum per meretricium posse dari in eleemosinam, & justè in meretricio acquiri pecuniam. Assignans justitiam hujus acquisitionis scribit: *Justitia acquisitionis est ex hoc*, quòd corpus unius personæ in ipso opere exponitur voluntati, & beneplacito alterius; corpus, inquam, illius, cujus est proprium, & à quo

à quo liberè possessum, scilicet *quantum ad potestatem mancipandi se tali operi* . . . & infra : In actu coitùs fornicarii, *quia corpus, quod est libera potestatis, alicujus servitio, & voluntati alterius exponitur*, ut accidit in expositione equi, vel domùs alicujus servitio alterius, quod accipitur pro hujusmodi opere, vel actu, transfertur in Dominium accipientis, *& justè possidetur*; unde, quod per meretricium acquiritur, licèt inhonestius acquiratur, quàm quod acquiritur usura, *justè possidetur*, & ex hujusmodi acquisito potest fieri eleemosina, non ex acquisito per usuram, quia hujusmodi acquisitum non transfertur in Dominium acquirentis.

23. Observa rationem formalem, qua movetur Doctor, ut asserat, meretricem justè possidere pecuniam acquisitam per meretricium. Hæc ratio est, quia in meretricio *transfertur Dominium pecuniæ*, & supra dixerat etiam, *nec competit repetitio illi, à quo datur pecunia pro hujusmodi flagitio* Sed quare in meretricio transfertur Dominium? Audi. *Quia Corpus unius personæ in ipso opere exponitur voluntati, & beneplacito alterius. Corpus, inquam, illius, cujus est proprium.* Ex hoc infertur in malefactis non esse considerandam offensam Dei, & rationem peccati quoad obligandum ad restitutionem, ut faciunt nostri Probabilioristæ scrupulosi, qui exclamant, vociferantur, & in furias aguntur, dum audiunt in *Divinatione* & *iniqua sententia &c.* dari justum titulum acquirendi. Sed velint, nolint, debent acquiescere huic veritati. Igitur debent considerare cum Alensi, an transferatur Dominium, & competat repetitio. Nos dicimus in illis sceleribus transferri Dominium, nec competere repetitionē, *quia in pari delicto potior est conditio possidentis.* Ergo &c. Quia verò Vidua honestæ famæ, etiamsi habeat rem cum Fratre *habet corpus proprium*, & in ipso opere exponitur *voluntati, & beneplacito Fratris*, ut est evidens; Ergo juxta Alensem Soror Vidua potest justè acquirere pecuniam *habendo incæstum cum Fratre.* Idem dico in Sodomia. Nec in his delictis potest recurri ad repetitionem ab eo, qui dedit, quia *in pari delicto potior est conditio possidentis.* Ex textu allato puto concedi licitum lucrum habitum ob actum quemcumque luxuriosum, excepto adulterio, quia, excepta uxore, quilibet *habet corpus, quod est proprium, & exponitur voluntati, & beneplacito alterius.* In art. 4 iterum tenet, ex acquisito *per histrionatum* posse fieri eleemosinam. Ergo res sic acquisita est ipsius Histrionis; & sic potest illam retinere. Hic repete argumentum factum contra Adversarios num. 2.

24. Glossa Raymundi est clarissimè pro me. Lib. 2. de torneam V. *Subsecuta* dicit, in foro pœnitentiali inducendum esse pœnitentem ad erogandam in pauperes pecuniam acquisitam in torneamentis; si tamen nollet hujusmodi pœnitentiam suscipere, non per hoc est incapax absolutionis, nec est *in peccato mortali.* In tit. de raptor. § 9. V *tenentur restituere* scribit: quędam sunt, (loquitur de rebus prohibitis, quia mala) quæ puniuntur à jure per Corporalem pœnam, vel per extorsionem turpium lucrorum; & taliter acquisita retineri non debent ad usum acquirentis . . . . Sed debent in usos pios erogari . . . *& hujusmodi restitutio in foro pœnitentiali indicenda est pro parte satisfactionis; & ideo ibi latè patet officium pœnitentiarii*; & ibi fortè potest dispensare, *sicut in limitando tempore pœnitentiæ, & mensura jejuniorum.* Ego subdo. Certè Confessarius rem alienam alteri dare nequit. Ergo, si potest pœnitenti dispensare quoad mensuram restitutionis, est signum, quòd illæ res turpiter acquisitæ sint ipsius pœnitentis. Præterea si illa restitutio *est indicenda pro parte satisfactionis Sacramentalis*; Ergo Confessarius potest illam non dare, & aliam substituere, quia per Doctorem lib. 3. de pœnit. §. 146. V. *Consuetudo* revera hodie pœnitentiæ sunt arbitrariæ 26. quæst. 7. *tempora pœnitudinis.*

25. Subdit Author: quæ sunt mala, quia

quia prohibita, *sicut torneamenta*, *negotiatio in Clericis*, *facere serta de floribus &c. ex his acquisita retineri possunt.* Licèt autem hæc distinctio *videatur probabilis*; (Nota, quòd etiam æqualis probabilitas placeat Antiquis) *quia tamen pœnæ restringendæ sunt*, & qui nimis emungit, elicit sanguinem; verius credo, quòd licèt in prædictis casibus bonum sit, & salubre, quòd pœnitens inducatur in foro pœnitentiali ad erogandum in pios usus taliter acquisita, *non est tamen compellendus*, *nisi velit*; nec judicandus est, non esse in statu salvandorum, si non velit hujusmodi pœnitentiam recipere, nisi in casibus à jure expressis, ut in Simonia, de qua expressum est, quòd pecunia Simoniaca est restituenda Ecclesiæ, in cujus ignominiam est recepta; *licèt hoc possit intelligi*, *quando recepta est de bonis ejusdem Ecclesiæ*; vel *quando agitur de hoc in foro causarum*. Similiter, cum quis aliquid acceperit, ut faciat damnum, vel injuriam, vel calumniam alii; quia tunc non ille, qui dedit, repetit, sed ille, contra quem datum est, ut il. de calumn. & generaliter. §. illud, *quod tamen intelligitur*, *quando agitur in forma judicii*, *quam severitatem non oportet observari in foro pœnitentiali.*

26 Nota diligenter, opinionem rigidam asserentem non posse retineri pecuniam acquisitam ex malefactis, in quibus per *extorsionem* Judices illam tollunt ab accipientibus, vocari à Doctore *legem pœnalem*, & esse adeo rigidam, ut *nimis emungat*, *& sanguinem eliciat.* Nota insuper, quòd pretium simoniacè acceptum solum sit restituendum, quando agitur in foro fori, vel si in foro pœnitentiali, quando pretium est *de bonis ejusdem Ecclesiæ.* Hanc tamen Doctrinam ego non recipio. Nota tertio, *Damnificatorem*, *Injuriatorem*, Calumniatorē in foro quidē externo debere restituere pretiū acquisitū per *Damnificationem*, *Injuriam*, *& Calumniam*; tamen in foro pœnitentiæ non est necesse sequi hujusmodi *severitatem.* Hæc Doctrina ex diametro opponitur Adversariis, qui in foro fori dicunt, benignitatem esse sequendam cæteris paribus, secus in foro pœnitentiali, quando agitur de periculo Animæ. Tu sequere Antiquissimum Villelmum Rodonensem Glossatorem Raymundi.

27. In eodem §. V. *videbitur* scribit: Quid de muliere, quæ recepit pecuniam pro opere carnali? Respondetur, *si recepit ab aliquo de rebus propriis*, *non Ecclesiasticis*, *non tenetur restituere*, etiamsi sit monialis, *cui datum est*; *Sed acquirit monasterio*, *quod accepit*; *honestius tamen est*, *quòd monasterium non retineat*, *sed eroget in pios usus.* Si monialis, quæ est virgo, & tradidit corpus suum Deo, potest acquirere pecuniam ex sua prostitutione, non quidem sibi, quia ratione voti paupertatis est incapax Dominii, sed monasterio. Ergo Virgo sæcularis, quæ est capax Dominii, nec tradidit corpus suum alteri, poterit ex stupro acquirere sibi pecuniam; idem dico ex incestu, ex Sodomia &c. Quia verò Uxorata dedit corpus suum marito, acquirit quidem Dominium rerum ex adulterio, non quidem sibi, sed marito. Infra, quod dixit Doctor de Moniali, asserit de Viro Claustrali. Tenet ergo, quòd, si Religiosus ex peccato carnis recipit pecuniam à muliere, quæ habet Dominium illius, *licèt bonestum sit*, *illud expendere in pias causas*, non tamen credo, quòd teneatur, nisi velit *Poterit etiam restituere ei*, *qui dedit*, *quod melius videtur*, *si pœnitedt*, *vel egeat.* Si Vir Religiosus potest ex opere carnali acquirere pecuniam, nec tenetur illam in pias causas expendere; à fortiori quilibet alius Vir tale turpe lucrum acquirere poterit, & retinere.

28. In eodem tit. §. 13 V. *tenerentur* doce: si quis furtim asportaverit pecugium, vel inciderit alienam, vel commiserit furtum, vel sacrilegium, & similia, super quibus statuta est pœna corporalis, vel pecuniaria per legem, vel canonem, non est injungendum pœnitenti in foro pœnitentiali, quòd solvat hujusmodi pœnas, nisi tunc demum

 fuerit

fuerit condemnatus ad illas; sed sufficit, quòd solvat interesse, vel satisfaciat ad arbitrium boni viri, si injuriam intulit; *hoc etiam dici potest fortè de pecunia habita per Simoniā*, de qua solet dici quòd est restituenda illi Ecclesiæ, in cujus ignominiam data est, vel recepta per illud Capitulum de Simon. *De hoc autem*; illud enim capitulum intelligi potest, *quando de bonis Ecclesiæ erat data pecunia, vel quando agebatur in forma Judicii contra recipientem*; & idem potest intelligi *de omnibus similibus casibus, in quibus jura dicunt, esse extorquendam pecuniam turpiter acceptam*, cujus tamen repetitio non competit ei, qui turpiter dedit . . . . Contra id, quod dictum est de Simonia acquisita est argumentum contra de Simon. *mandato*, argumento sumpto à contrario sensu; quia videtur ibi innui, quòd pecuniam per pactum Simoniacum acquisitam resignare tenetur, qui eam accepit, *licet secus sit, si absque pacto fuerit recepta*; & ideo tutius est dicere, quòd *pecunia ex pacto Simoniaco acquisita retineri non potest, etiam secundum judicium fori pœnitentialis*.

29. Nota, pecuniam simoniacè receptam *absque pacto* posse retineri, etiam secundùm *judicia fori pœnitentialis*. Nota insuper, *tutius esse, quòd pecunia ex pacto Simoniaco recepta nequeat retineri*. Hoc tamen non obstante *dici potest fortè* oppositum; & illud capitulum *intelligi potest, quando de bonis Ecclesiæ erat data pecunia, vel quando agebatur in forma Judicii*: Hæc juxta Glossatorem. Sed vide num. 26.

30. Sed maximè nota illa verba: *Idem potest intelligi de omnibus similibus casibus, in quibus jura dicunt esse extorquendam pecuniam turpiter acceptam, cujus tamen repetitio non competit ei, qui turpiter dedit*. Ex his colligitur, ex quocumque scelere, & flagitio in foro pœnitentiali posse acquiri pretium, nisi tamen competat repetitio ei, qui illud dedit; Quia verò juxta leges, & Canones *in pari delicto potior sit conditio possidentis*; sequitur, quòd v. gr. pecunia recepta à Sicario, à Judice &c. retineatur justè ab istis, cum danti non competat repetitio. Ipse Doctor lib. 1. de Simon. §. 9. V. *turpiter dedit* tenet expressè, turpiter danti non competere repetitionem rei.

31. In tit. de præscript. §. 36. quid si accepit Judex. V. *restituenda* dixerat D. Raymundus, quòd, si quis dat pecuniam Judici, ut ipsius animum sibi sub specie recti inclinaret, & ita indirectè, ac tacitè intendebat ipsum corrumpere, illa pecunia *restituenda* est pauperibus, & illi in cujus injuria data fuit juxta arbitrium Ecclesiæ. Hunc textum ita glossat Doctor noster: restituenda est pecunia, *si de hoc constet in foro causarum*; si autem in foro pœnitentiali, *fortè magis est consilium, quàm necessitas*.

32. In tit. de usuris. §. 4. V. *in faciendo* quærit, cur in mentali Simonia non est restitutio facienda, bene verò in mentali usura. Respondet: In Simonia est turpitudo utriusque partis dantis, & accipientis; sed in usura non est turpitudo dantis; & ideo jure Divino, & naturali æquitate facienda est restitutio: nec posset in hoc Papa etiam dispensare; *Sed ex solo jure humano pecunia Simoniacè accepta restituenda est, non illi, qui turpiter dedit, sed Ecclesiæ*; unde nec Eliseus præcepit Jezi restituere alicui pecuniam, quam accepit à Naaman; *Et Papa, qui, quod vult, potest statuere, in hoc casu posset etiam dispensare*, quòd non solùm in mentali Simonia, sed etiam in illa, quæ pacto esset expressa, retineri posset, *quod esset Simoniacè acquisitum*. Ex hoc textu evidenter concluditur, ex quolibet scelere, flagitio, facinore, quantumvis atroci, posse licitè retineri pretium acquisitum, spectato solo jure naturali; unde, si Adversarii dicunt, in aliquo crimine retineri non posse pecuniam acquisitam, debent afferre textum clarum, & expressum, in quo præcipiatur restitutio; aliter ipsis dicemus illud rotundum: *erubescant sine lege loqui*.

33. In tit. de negotiis sæcularibus &c. §. 7.

§. 7. V. *competat repetitio* tenet, quòd in iis turpibus actionibus, in quibus Dominium transfertur, v. gr. in receptione pecuniæ ob movendam calumniam, possunt talia turpiter acquisita dari pauperibus; talia enim, quæ extorquentur à turpiter accipientibus per fiscum, vel per alias personas privatas in pœnam taliter accipientium, non debentur illis, nec illi qui acceperunt, tenentur solvere, *nisi cum agitur contra eos in forma Judicii.* . . . Illi facienda esset restitutio in foro pœnitentiali, quando expressum est, quòd in foro pœnitentiali facienda est restitutio certæ personæ, vel Ecclesiæ, ut cautum est de pecunia Simoniacè accepta, quòd restituenda est Ecclesię de Simon c. *de hoc autem:* licèt illa Decretalis *intelligi posset de pecunia, quæ erat de bonis Ecclesiæ, & Simoniacè fuit recepta.*

34. Lib. 3. de pœnit. §. 47. V. *nisi restituat:* scribit in iis turpibus actionibus, in quibus *transfertur* Dominium, & non competit repetitio & tamen mortaliter peccat, qui accipit; credo, quòd, quamvis congruum sit, & honestum, quòd puniatur quis, in quo deliquit, & quòd hujusmodi turpiter acquisitum non remaneat apud acquirentem, sed pauperibus erogetur, *potest tamen circa receptionem rei taliter acquisitæ pœnitentiarius dispensare cum pœnitente, si videat expedire.* Certè jure naturæ hæc turpia lucra non debentur aliis; quia sic pœnitentiarius non posset dispensare. Ergo illa sunt ipsius pœnitentis, cui pro satisfactione Sacramentali congruum], & honestum est, quòd pœnitens puniatur, *in quo deliquit.* Quia verò hodie pœnitentiæ sunt arbitrariæ; ideo Pœnitentiarius potest dispensare pœnitentem à tali pœnitentia, & aliam imponere, ut dicebam num. 24.

35. Joannes de Friburgo lib. 2. tit 8. *de illicitè acquisitis.* quæst. 22. expressè, & verbatim refert, & approbat Doctrinam Glossæ Raymundi, quam] supra retuli num. 33. ex lib. 2. de negotiis sæcularibus. §. 7. V. *competat repetitio.* In eodem libro tit. 3. *de rapina Cleric, &c.* quæst. 19. refert pariter, & approbat Doctrinam ejusdem Glossæ Raymundi, quam retuli num. 24. ex lib. 2. de raptoribus §. 9. V. *tenentur.* Circa pretium receptum ex Simonia ipse quoque ponit limitationem ejusdem Glossæ, quam ex §. 13. V. *teneretur* retuli num. 28. In quæst. 20. tenet eandem Doctrinam illius Glossæ, quam habet de Moniali, & Viro Claustrali tit. de rapt. §. 9. V. *videbitur*, & quam retuli num. 27. In quæst. 140. . . . de Judicibus, & Assessoribus videtur approbare ex Ulrico Doctrinam ejusdem Glossæ, quam retuli num. 31. ex tit. de præscript. §. 36. V. *restituenda.* Lib. 3. tit. 34 quæst. 126. fin. approbat pariter Doctrinam ejusdem Glossæ ex lib. 3. tit. de pœnit. §. 47. V. *nisi restituat*, quam retuli num. anteced.

36. Richardus in 4. dist. 15. art. 5. quæst. 8. ad 1. dicit, lucrum ex meretricio, & torneamentis licitè retineri, quia, quamvis meretricium, & torneamentum sint prohibita; tamen nullo jure Canonico præceptum est debere restitui, quæ lucrantur per illa; *Sed jure Civili præceptum est, restitui illud, quod lucratur homo per ludum alearum, & taxillorum* Meretricium est prohibitum jure naturali, sicut sodomia, incæstus, stuprum, sacrilegium &c. & tamen jure naturali per Richardum Meretrix non tenetur restituere turpe lucrum; ergo nec sodomita, incestuosus, &c. Eandem Doctrinam habet Quodl. 2. quæst. 29.

37. Astensis lib. 1. tit. 28. de torneamentis fin. concedit, si pœnitens nequeat expendere in usus pios pecuniam acquisitam per torneamentum, quòd possit illam retinere cum Rodon. cujus textum retuli num. 25. Lib. 5 tit. 26. de eleem. art. 4. quæst. 2. scribit: tertiò est aliquid illicitè acquisitum, non quidem quia ipsa acquisitio sit illicita, sed quia id, ex quo acquiritur, est illicitum, sicut patet de eo, quod acquiritur per meretricium, *vel Lenocinium;* In eo enim, quòd mulier meretricium exercet, turpiter agit, & contra legem Dei;

Dei; sed in eo, quod accipit, non agit contra legem; unde, *quod sic illicitè acquisitum est, retineri potest.* Hic habes lucrum ex detestando, etiam ab iniquis, exercitio *Lenocinii*, posse licitè retineri. *Unde quod sic illicitè acquisitum est, retineri potest.* In tit. 31. *de mensura satisfac.* quæst. 2. in quæstiun. approbat Doctrinam Glossæ Raymundi, quam retuli num. 34. in qua dicit, quòd in turpibus actibus, in quibus transfertur Dominium, & non competit repetitio, licèt mortaliter peccet accipiens, congruum sit, & honestum, quod illud non remaneat apud accipientem, sed pauperibus detur; potest tamen circa rei receptionem taliter acquisitæ, Pœnitentiarius dispensare cum pœnitente, si viderit expedire.

38. Sed legamus Beatum Antoninum, qui, sicut in pluribus est benignus, in hac etiam materia talis fuit. Par. 2. tit. 1. cap. 23. §. 10 tenet, acquisitum ex meretricio posse licitè retineri, & idem dicendum de acquisito per Concubinatum, & *Sodomiam*, *& adulterium* eadem ratione; tamen, quia summè omnia jura detestantur sodomiam; ideo magis inducendum ad dandum illud pauperibus. Quidam tamen dicunt, quòd acquisitum per *Adulterium* est dandum ei, in cujus injuriam est factum, scilicet viro, cum ipse est innocens . . . *vel nisi etiam è contra uxor fidem fregerit*; tunc enim est pauperibus erogandum; *sed videtur idem dicendum, quod de aliis turpibus lucris, scilicet meretricio, & hujusmodi.*

39. In §. 14. dicit, qui dant histrionibus turpia exercentibus, committere *magnum peccatum, quia foveantur in scelere suo*, & pertinet hoc ad turpe lucrum; unde, & pauperibus erogandum, *de Consilio tamen*, sicut etiam acquisitum per artem *Matematicam*, idest *Divinatoriam*, *ut. 14. quæst. 5. cap. qui habetis.* Ecce expressè conceditur licita retentio lucri ex *Divinatione & histrionatu* acquisiti, & licèt per illud lucrum hi *foveantur* in scelere suo, non per hoc sequitur, ut volunt Adversarii, illicitè retineri tale lucrum juxta Beatum Virum.

40. In tit. 2. c. 1: agit de restitutionibus, per longum referens omnes, qui ad restitutionem tenentur; refert auautem illos sub figura *Manuum*, & dicit, Dæmonem habere viginti manus, quibus utitur ad rapiendam rem alienam. In §. 19. tractat *de manu turpiter lucratoria*, & dicit, hanc manum habere quinque digitos, quorum primus est lucrum ex opere carnali, ut meretricio, *Lenocinio*, concubinatu, *Adulterio*, & hujusmodi. Secundus est ex arte, vel actu prohibito lucrari, ut ex arte mutuandi, vel faciendo taxillos, chartas, fucos, torniamenta, vel ex histrionatu turpi, serviendo usurario in numerando pecuniam ad usuram, & scribendo hujusmodi, in faciendo *Divinationes*, *Incantationes*, & hujusmodi &c. Quintus est intentione meræ cupiditatis vacare negotiationi, vel introducendi Caristiam. *Hi Homines debent acquisita pauperibus erogare, magis tamen ex honestate, & consilio, quam necessitate 14. quæst. 5 qui habetis, & de his supra tit. 1. C. 23.* Puto illud nomen, *Homines*, importare errorem, & esse legendum, *Omnes*. Sanctus Doctor in illis paragraphis solet priùs explicare, quinam contineantur sub illa quæstione, & in fine decidit, qui teneantur ad restitutionem. Ponendo ergo vocem, *Omnes*, vult dicere, quòd omnes illi Malefactores, quos enumerat in illo §. teneantur ad restitutionem *magis ex honestate, & consilio*, quàm necessitate. Hinc sequitur, *Lenonem*, *Adulteram*, *Histrionem*, *Divinatorem*, *Incantatorem* non teneri ad restitutionem lucri ex illis turpibus artibus acquisiti, & solùm *ex honestate, & consilio* illud esse erogandum in pauperes. Tum quia, si etiam legendum esset *Homines*, adhuc sequitur intentum, nam significat, quòd illi homines, de quibus loquutus fuerat in illo paragrapho, non teneantur de necessitate ad restitutionem.

41. In c. 5. ante paragraphum primum dicit, lucra habita ex histrioniatu illicito,

tò, *ex Duello*, ex torneamento, ex sertis factis de floribus, ex deciis factis ex arte *Matematica*, seu *Divinatoria*, ex lucro negotiationis &c. ita se habere, sicut lucrum ex meretricio; & licèt aliqui dixerint, non posse fieri eleemosinam ex hujusmodi lucro, sed hoc non est verum secundùm Thomam, Raym. & Communiter alios. Postea refert, & approbat Doctrinam Villelmi Rodonensis, quam retuli num 25 Ibidem Sanctus Doctor. §. 1. expresè dicit, lucrum habitum ex Sententia injusta non posse retineri à Judice, tamen par. 3, tit. 9. cap. 2. post princ. vers. *Secundo nota* docet ex Guil. quod *restitutio talis pecuniæ*, (scilicet acquisitæ ex sententia injusta) *est facienda, quando hoc constat in foro causarum; sed in foro conscientiæ fortè est magis Consilium, quàm necessitas.*

42. Supplementum Pisanellę. V. *eleemosina* §. fin. tenet, regulariter, quando turpitudo est tam ex parte dantis, quàm accipientis, in foro pœnitentiali non cogitur quis erogare, vel restituere, nisi ad hoc fuerit judicialiter condemnatus, vel sibi à confessore fuerit injunctum pro satisfactione peccati, vel nisi à jure sit particulariter expressum, ut in Simonia. Ex hoc textu sequitur, lucrum cujuscumque peccati carnalis, & etiam sententiæ injustæ, non esse de necessitate erogandum Pauperibus, nec esse restituendum. Hoc postea expressè fassus est. V. *Judex* 1. quæst 6. his verbis, quòd pecunia habita ex sententia injusta sit restituenda hoc verum in foro Judiciali, secus in pœnitentiali, in quo non succedit obligatio, nisi ad solum interesse, & non ad pœnam, nisi præcesserit judicialis sententia, aliàs pœna non debetur in foro pœnitentiæ, ut dicit glos. 12. quæst. 2. *fratern.tas.* Hæc etiam sentit glossa Raym. ut patet in Summa Confess. eod. tit quæst 10. & ut ibi patet secundùm Ul. hoc casu dicendum est de hac pecunia idem, quod de alio turpi lucro.

43. In V. *restitutio* 1. § *Utrùm quis teneatur &c.* refert, & approbat Doctrinam Glossæ Raym. quam retuli num. 24. & 25. Postea subdit: Ex hac glossa, & ex dictis potest colligi, quòd . . . . in foro pœnitentiali, quando restitutio non est facienda certæ personæ, de Consilio est, quòd omnia illicitè acquisita erogentur in pios usus: de necessitate autem non est, nisi Judicialis condemnatio facta fuerit, vel nisi inquantùm Confessori videatur; nam in foro pœnitentiali quis restituere proximo non tenetur, nisi inquantùm ipsum damnificaverit, seu condemnatus fuerit, ut sæpe præostensum est, & notat glossa 12. quæst. 2. *fraternitas*. Ex hoc textu habes, ex quocumque scelere, in quo transfertur Dominium, licitè retineri lucrum spectato jure naturæ. In aliquibus verò criminibus licitè non retinetur, quia lex humana præcipit, quòd illud vel F sco, vel pauperibus, vel personæ, in cujus injuriam datum est, reddatur. Vide eundem Doctorem. V *Concussio*, ubi eadem docet.

44. Abulensis in Matth. par. 3. in c. 6. à quæst. 36 per plures quæstiones agit de præsenti materia, & decidit satis benignè. Igitur in quæst. 37. tenet meretricem, & *Nigromantem* malè facere meretricando, & faciendo *divinationes; tamen lucrum inde acquisitum nulla lege prohibetur; ideo de eo potest fieri eleemosina.* Observa, quamcumque mulierem fornicariam vocari meretricem, quia sine lege matrimonii alicui viro copulatur, *sive sit conjugata, sive monialis, sive cujusque status.* Dicit ergo secundùm opinionem quorundam Theologorum, & Juristarum, quòd si meretrix sit *mulier sæcularis libera* potest licitè retinere, & disponere ad libitum de lucro acquisito; *si autem sit monialis, non potest de eo disponere, quia non potest habere proprium, sed vertetur in utilitatem monasterii.*

45. Subdit, quòd, qui tenent contrariam opinionem, dicunt, quòd debent ista restitui, nisi Episcopus vellet dispensare cum muliere, quod ista sibi retineat, si est sæcularis; vel cum monasterio, quòd retineat hæc, si mulier est monialis.

Qq 3 46. No-

ro Judiciali, secus *in Pœnitentiali*, in quo non succedit obligatio, nisi ad solùm interesse, & non ad pœnam, nisi præcesserit judicialis sententia, aliàs pœna non debetur in foro pœnitentiæ, ut dicit Glossa. 12. quæst. 2. *fraternitas*. In V. *ludus* §. 4. tenet cum Guil. quòd ubi restitutio non est facienda certę personæ, sed est fienda pauperibus, talis eleemosina non est necessaria, & talis restitutio est de Consilio, *exceptis tamen quibusdam casibus, in quibus jus expressè præcipit restitutionem fieri.* Enumerat hìc tres casus, in quibus jura jubent restitutionem lucri acquisiti per ludum alearum, postea subdit: In aliis casibus dicit Archiep. Floren. quòd est pauperibus istud lucrum erogandum de honestate. Licèt alia opinio sit securior, & consulenda, *non tamen videtur de necessitate imponenda, ut per hoc denegetur absolutio nolenti hoc facere, ex quo pro hac opinione sunt tot Sancti, & Doctores præallegati.* Supra allegaverat D. Thomam, Richar. Joannem Andream, Joannem Calderinum, Monal. Asten. Zabarel. Raym. Palud. & Guilel. Et quidem Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 5. concl. 4. asserit, posse retineri pretium ex illis actionibus, in quibus transfertur Dominium, nec competit repetitio, ut in meretricio, *Lenocinio*, *& Histrionatu*.

53. Gabriel Biel in 4. dist. 15. quæst. 13. diffusè satis quærit, an lucrum habitum ex ludis prohibitis. v. gr. *alearum* possit retineri. Litt. D. asserit, in hoc adesse opiniones contrarias Doctorum. Pro negativa affert D. Bonav. in 4. dist. 15. §. 67. (corrige par. 2. art. 2. quæst. 1.) Hostien, & Raym. Pro hac conclusione affertur præcipuè Constitutio græca, quæ concedit repetitionem talis lucri usque ad quinquaginta annos. Ergo juxta leges lucrans tenetur restituere lucrum. Pro opposita affert Alen par. 4 quæst. 86. membr. 3. art. 6. (Vide num. 19.) Citat quoque Scotum pro eadem, D. Thomam, & Paludanum.

54. Litt. E. fatetur, Ludum alearum generaliter esse prohibitum ex c. *Episcopus*. 35. dist. subdit tamen omnino rationabiliter ex hoc non inferri tale lucrum esse de necessitate restituendum, aut lucrum esse prohibitum; sicut meretricium est divina lege prohibitum; & tamen secundùm *omnes* non tenetur meretrix lucrum suæ turpitudinis restituere, vel pauperibus erogare. Dicit postea, nec jure Divino, nec Canonico prohiberi, licèt glossæ, quæ jure non probantur, & Doctorum quorundam dicta ad hoc sonent; *sed his nemo obligatur.* Nec obligamur ratione illius Constitutionis Græcæ; quia hæc constitutio per D. Thomam videtur ex consuetudine abolita. Vel etiam potest dici cum Richar., quòd ex vi illius legis lucrantes non tenentur ad restitutionem lucri, nisi post sententiam condemnatoriam Judicis, *sicut in aliis pœnis juris.* Eodem modo respondet allato Canoni *Episcopus.* Hæc responsio mihi maximè placet; cum nihil esse possit tam naturale, quàm ut acquisitio fiat secundùm voluntatem Domini tradentis. Instit. de rerum divis. §. *per traditionem.* Ergo in nostro casu illud lucrum acquiritur à recipiente, cum Dominus illius voluntariè ipsi tribuat. Ergo, si Constitutio illud ipsi aufert, est pœna peccati commissi, quam proinde quis non tenetur exequi, nisi post sententiam latam à Judice. Hac Doctrina corruit principale fundamentum Adversariorum, qui dicunt lucrum habitum ex delicto, ex quo nascitur jus repetendi Tertio, non posse licitè retineri; corruit, inquam; nam solùm probat, post actionem intentatam repetendi, & sententiam latam à Judice non posse hujusmodi lucrum retineri in conscientia, quia pœnam solùm tenemur subire post Judicis sententiam.

55. In art. 3. litt. L. tenet, pretium acquisitum ab Histrione, *à Traditore*, à Meretrice, & similibus retineri licitè posse. *Si Traditor* per proditionem justè acquirit, non video, qua ratione negari possit de aliis Malefactoribus. Denique de tali lucro Alearum an sit restituendum, idem Doctor art. 2. litt. K. sic clarè scribit: Licèt securius sit

hujusmodi lucra restituere, vel pauperibus erogare, *non tamen securior est opinio tenens restitutionem, vel erogationem lucri esse necessariam ad salutem.* Primum patet &c. Secundum probatur, incautum est, & malum asserere, aliquem actum fore peccatum mortale, *ubi illud nec sufficienti authoritate, nec evidenti ratione ostendi potest; nam hoc est ponere laqueum pedibus ambulantium.* Notentur, quæso, hæc verba: *nec evidenti ratione &c. nam hoc est ponere laqueum pedibus ambulantium.* Proculdubio condemnant Adversarios, qui contenti aliqua authoritate, vel *probabili ratione ducti* execrantur, & sugillant opiniones aliorum. Hæc Doctrina Gabrielis est omnino conformis dictis aliorum Antiquorum, præcipuè D. Thomæ, & D. Bonaventuræ, ut ex dictis constat apertè. Hanc Doctrinam de lucro Alearum, quam tradit Gabriel, dictam volo de aliis lucris turpibus, excepto tamen pretio Simoniaco.

56. In dist 16 q.4 litt.G ait, non esse restituendū lucrū de *Lenocinio*, meretricio, *pretio Incantationis*, *Histrionatu*, fornicatione, *Traditione*, ludo alearum secundùm probabilem opinionem Alensis, & *similibus multis*, in quibus etsi acquisitio est injusta, non tamen possessio rei, seu lucri sic acquisiti est injusta. De omnibus itaque hujusmodi rebus, ad quorum restitutionem acquirens non tenetur, potest fieri eleemosina, *quia quæcumque possunt licitè in usus proprios converti, possunt etiam pauperibus erogari.* Ecce pretium *Traditionis*, *Incantationis*, & Lenocinii *potest licitè in proprios usus converti.* Gabriel, & alii Antiqui tenuerunt, posse licitè per *Incantationem* acquiri res; tamen nunquam fuit à Gallis proscripta hujusmodi opinio; Vix autem tradita est ab aliquibus Modernis, & statim audivimus Cleri Gallicani censuras. Ego nequeo imaginari causam tanti discriminis. Nunquid scripta Gabrielis nota non erant Clero Illustrissimo?

57. Quod attinet ad Canonistas, Gratianus. 14. quæst. 5. c. *qui habetis*, scribit. Ex malo acquiritur, quod ex turpi causa possidetur, veluti cum Matematicus ex arte, quam docet, vel ex futuris, quæ prænunciat, nonnulla lucratur; quæ verò de malo sic acquiruntur, in bonum possunt converti; de peccato etiam nonnunquam acquiruntur, quæ pauperibus justè erogantur. Hactenus Gratianus. Adverte, quod hic Matematicus, & vaticinans impius non convertit in bonum restituendo danti, quia de hoc priùs egerat. Restat ergo, ut hæc turpia lucra in bonum convertat, illa scilicet bene expendendo, & sic hæc lucra ex divinatione licitè retinentur. In c. non sane ead. V. *tanquam sua.* Glossa docet, fieri eleemosinam de rebus turpiter acquisitis, si transferatur Dominium. In c. *ex transmissa* de decim. V. *licitè* tenet, quòd de illicitè acquisitis potest fieri eleemosina, & dari decima, si de illis non competat repetitio, & Dominium transferatur; & sic meretrix, histrio, *Simoniacus*, & qui de mammona iniquitatis vivunt, idest per solicitudinem temporalem aliquod acquirunt, decimam dare, & eleemosinam facere possunt, & de eo, quod extorquetur ratione Officii. 14 quæst. 5. *non sanè*, quia in his Dominium transfertur, & non competit repetitio . . . Aliàs si Dominium non transfertur, aut si competit repetitio, non potest inde fieri eleemosina, vel dari decima, cum non sit illius; quia aliena non potest aliquis concedere præter voluntatem Domini, ut in *usuris*, *& Simonia.* Ecce *Histrio* acquirit Dominium rerum, nec illæ ab aliquo repeti possunt, & sic possunt retineri ab eodem. Hoc idem docet de *Simoniaco*, & de *Extorquente* aliquid *ratione Officii.* Mihi videtur, Glossam in hoc textu utramque partem probabiliter tenere in Simoniaco. Expressè asserit, quod *Histrio*, & *Simoniacus* decimam dare, & eleemosinam facere possint, *quia in his Dominium transfertur, & non competit repetitio.* Infra verò dicit, non posse fieri eleemosinam de iis, in quibus *non transfertur Dominium, aut*

si cōpetit repetitio, ut in usuris, & *Simonia.* En priùs dicitur, quòd Simoniacus acquirit Dominiū, postea quòd non acquirit.

58. Joannes Andreas in c. *quia plerique* de immunit. Eccles. num. 4. quærit, quid si Matematicus, vel meretrix, vel consimilis dolo, fraude, vel persuasionibus induxerit aliquem, ut eis crederet, & pecuniam daret? Respondeo non competit repetitio, quia hinc, & inde versatur turpitudo; unde potior est conditio possidentis. ff. de condi. ob tur. cau. *ubi autem*; In foro tamen pœnitentiali utrique justa pœnitentia injungenda secundùm Innocentium. Sic Joannes Andreas. Ecce Matematicus non tenetur restituere acquisita per divinationem, sed solùm debet justam pœnitentiam à Confessario impositam peragere. Hoc nemo negat. Sufficit nobis, quòd illa pecunia possit retineri à tali divinatore.

59. Henricus Boic in c. *pervenit* de Adult. num. 6 scribit: Si quæris, utrum mulier teneatur restituere pecuniam, quam recepit pro opere carnali, & cui, distingue ut Rodoff. & Asten. post eum lib. 1. tit. de furt. art. 4 dicentes, quòd si receperit à Clerico sæculari de rebus propriis non tenetur restituere, *etiamsi sit monialis*, sed acquiritur monasterio ejus illud, quod accepit. Num. 10. ait. Vir sæcularis, quod à muliere conjugata recepit pro carnali opere, debet restituere viro, si illa dedit de dotalibus, vel communibus. *Sin autem dedit de rebus dotalibus*, aut si mulier soluta dedit aliquid amasio. de rebus propriis, licèt sit honestum quòd expendat illud in pias causas, *non tamen tenetur*, *nisi velit.* Vide, quæ dixi cum de Gloss. Raym. num. 27. à quo mutuatus est Henricus hunc textum.

60. Goffredus Tranensis in Summa de decimis num. 11. tenet, quod de turpiter acquisito, si transferatur Dominium, nec competat repetitio, ut in meretricio, & *Histrionatu*, debet dari decima. Ex hoc infertur, quòd reliquum, præter decimam, ex his turpibus lucris, licitè retineatur ab Histrione, & ab aliis similibus malefactoribus.

61. Didacus Covvaruvias in reg. *peccatum* par. 2. §. 2. num. 3. vers. *Secundæ quæstionis pars* tenet pretium licitè retineri à fœmina, quæ occultè fornicatur, & hanc opinionem tenere ait, Monaldum de restit. malè acquisit. Henricum Boic. c. *pervenit* de adult. D. Antonin par. 2. tit. 2. c 5 Sylvest. V. *restitutio.* 2. Adrianum, & Dominicum Soto de justit. & jur. quæst. 7. art. 1 Et Joannem Lupi Subdit Author: Hinc fit, ut nec Monaca recipiens ob mercedem coitùs absque ullo dolo pecuniam aliquam teneatur eam in foro Animæ restituere, quod expressim Henricus notavit idem, & in fœmina, quæ maritum habet, etenim, si quid ab adultero recipiat ob fornicationem, restituere id non tenetur, tametsi injuriam facit Monaca Religioni, & adultera viro. Hic habes pro me duos novos Antiquos, Monaldum, & Joannem Lupi, & tres quasi Antiquos scilicet Sylvestrum, Adrianum, & Soto. Non dubito alios Doctores quasi antiquos stare pro hac opinione, sed non juvat ulteriùs illos recensere.

62. Videamus solùm Sylvestrum loco allato vers. *sed*, *quod dictum est.* Ibi dicit, quod aliæ mulieres, quæ non sunt meretrices, idest quæ causa libidinis, non quæstùs, malè operantur, secundùm Cyn. &c. tenentur restituere . . . tamen secundùm Veru. ubi restitutio nō est facienda certæ personæ, est de consilio solùm, & Arch. post Monaldum dicit specificè in hoc casu, quòd non tenetur in foro Animæ, licèt Fiscus injustè acquisita possit auferre per l. *Lucius.* ff. de jur. Fisc. quod limita primo, si condemnetur, & secundò, nisi sua turpitudine fecerunt injuriam alicui, puta marito, quia tenerentur ei recompensare, & idem dico de masculo turpi. Ex glossa etiam Raym. tit. de raptor. §. *sed quid de focariis.* (vide nu. 24.) elicitur, quòd in foro conscientiæ, quando restitutio non est facienda certæ personæ, adde, vel loco, de consilio est, quòd illi-

illicitè acquisita erogentur in pios usus, non autem de necessitate, nisi sit facta judicialis condemnatio, vel Sacerdos hoc imponat, quod tamen si non acceptat pœnitens, non est judicandus esse extra statum salutis, quia in conscientia non tenetur quis, nisi ad damnum, & condemnationem, ut notat Glossa in c. *fraternitas* 12. quæst. 2. Eadem repetit. V. *restitutio.* 4 num. 1 med.

63. Pro coronide hujus quæstionis afferamus D. Augustinum, qui meo judicio multùm favet. In 14. quæst. 5. c. *non sanè* dixerat D. Augustinus, Medicum licitè accipere suum salarium, sicut Advocatus, & Jurisperitus ob patrocinium, & consilium accipiunt justam mercedem. Judex tamen, & Testis non possunt vendere justum judicium, & verum testimonium; multò verò sceleratiùs pecunia sumitur, si sententia injusta, & testimonia falsa vendantur. Officiales autem ab utraque parte non insolenter sportulas accipiunt; ab ipsis verò extorta per immoderatam improbitatem repeti solent. Hæc dixerat. D. Augustinus, mox subdit: *Isti* si viam vitæ mutaverint, aut excellentioris conscenderint Sanctitatis gradum, faciliùs ea, quæ hoc modo acquisierunt, *tanquam sua* pauperibus largiuntur, quàm eis, à quibus accepta sunt, tanquam aliena restituant; Qui verò contra jus societatis humanæ furtis, rapinis, calumniis, oppressionibus, invasionibus aliquid abstulerint, reddenda potiùs, quàm donanda censemus Zachæi publicani exemplo.

64. Difficultas est, quid significet illa vox, *Isti*, si solùm *officiales*, de quibus Sanctus Doctor loquutus ultimo loco fuerat, an etiam Judicem, Testem, & Advocatum. Glossa in figuratione casûs dicit, significare solùm Officiales; refert tamen, H. tenere, significare & Judicem, & Testem, & Advocatum. Hinc secundùm Canonistam antiquissimum Judex non tenetur restituere pretium pro sententia injusta, sed potest *tanquam suum* illud pauperibus elargiri. Bellamera num. 3. tenet quidem, significare, & Judicem, & Testem, & Advocatum, sed quatenus hi per importunitatem, & nimiam instantiam aliquid turpiter acquisierint.

65. Sed contra, quia D. Augustinus intendit dare regulam, quinam teneantur ad restitutionem ex turpi actione acquirendo. Ibi tradit duas regulas, prima est, quòd *Isti* non teneantur ad restitutionem, sed possunt facere eleemosinam. Secunda est, quòd, quæ contra jus societatis humanæ furtis, rapinis, calumniis, oppressionibus, invasionibus abstulerint, reddenda potiùs, quàm donanda sunt. Sub quænam ergo regula Judex vendendo Sententiam injustam, Testis testimonium falsum, de quibus D. Augustinus loquutus fuerat immediatè ante, continentur? Certè non sub secunda, quia Judex non furatur, aut rapit illud pretium, sed illud accipit à Domino volente, quin incitante, ut illud accipiat. Insuper nullum calumniatur. Opprimit quidem, & invadit innocentem dando contra ipsum sententiam injustam; & sic debet resarcire totum damnum, quod patitur propter ipsam; sed illum non opprimit per acceptionem illius pretii, quod est evidens, cum, si nullum pretium acciperet, adhuc posset dare illam sententiam injustam, & tunc idem detrimentum subiret. Cum ergo Judex per acceptionem *pretii injustæ sententiæ non opprimat*, nec invadat innocentem, nec furetur, nec rapiat, nec calumnietur aliquem, sequitur, illud pretium non contineri sub secunda regula.

66. Qui cupit videre ingentem Catalogum Doctorum tum Veterum, tum Modernorum tenentium nostram Opinionem, legat Cardenas in Crisi Theol. disp. 57. num. 81. & ex hac lectione poterit evidenter cognoscere, Adversarios omnino irrationabiliter condemnare nostram opinionem, cum illam docuerint Viri Doctissimi in quolibet sæculo, nec Sedes Apostolica aliquid in hac materia deciderit.

C A-

CAPUT XLVII.

Textibus Antiquorum demonstratur, Probabilitatem esse licitam.

1. DAmnant Probabilioristæ æquivocationem, itaut illam nunquam esse licitam asserant; quin Pater Natalis Alexandri in Paralip. Theol. in illa quæst. in qua refellit quorundam Casuistarum opinionem dicentium Deũ verbis *æquivocis uti posse*, dicit, esse damnatam ab Innoc. Undec. num. 26. Videatur etiam Gonetus in dissert. de Probabil. num. 94.

2. Illustrissimus Clerus Gallicanus num. 66. damnat hanc propositionem; Patriarchæ, & Prophetæ, Angeli, ipse Christus, nedum viri justi, & Sancti *æquivocationibus, sive Amphibologiis, & restrictionibus mentalibus usi sunt;* proscribit autem hac censura: Hæc propositio scandalosa est, temeraria, mistice, prophetice, parabolice, sive æconomice ad insinuandam altiùs veritatem dicta, vel tacita cum vulgaribus gestis confundit, Sanctorum Patrum acta ludibrio vertit, ipsis etiam Angelis injuriosa, erga Christum contumeliosa, & impia. Quoad Patriarchas vide infra num. 18. Juxta ergo hanc Doctrinam instruunt Argumentum adversarii contra Probabilitatem: Æquivocatio est illicita; sed Probabilitas importat æquivocationem; Ergo Probabilitas importat Doctrinam illicitam.

3. Nos in oppositum arguimus: Æquivocatio in aliquo casu est licita, sed Probabilitas importat æquivocationem; Ergo Probabilitas in aliquo casu importat Doctrinam licitam. Difficultas stat in probatione majoris, & hoc præstabo juxta meum propositum afferendo testimonia Antiquorum.

4. Sed priùs sciendum est differentiam inter æquivocationem, amphibologiam, & restrictionem mentalem. Audiamus Glossã in l. *quotiens in stipulationibus* ff. de verbor. obligat. Ver. *ambigua* ita dicentem: Æquivocatio est in dictione, ut cum una dictio æqualiter significat plura, ut in hac dictione, *Canis*, quę significat Marinum, Latrabilem, & Cœleste Sidus. Amphibologia fit in oratione, ut in hac oratione. *Liber Aristotelis*; nam hæc duplex est, & ambigua; nam uno modo potest intelligi, quòd sit editus ab Aristotele, alio modo potest intelligi, quòd sit proprius ipsius. Vel in hoc exemplo: *Littus aratur;* nam propriè significat terram scindi, transumptivè, *operam perdidi*. In compositione, & divisione. Pone exemplum in hac Oratione: Duo, & Tria sunt Quinque. Secundùm quod est divisa, est Falsa; nam tunc intelligeretur, quòd Duo sit Quinque, & Tria sit Quinque, quod est falsum. Hæc Glossator. Hujusmodi Doctrina traditur etiam ab Alberto Magno 1. Elench. tract. 2. c. 1. & Scoto ibidem. quæst. 19. qui expressè distinguit æquivocationem ab Amphibologia, quia Æquivocatio sistit in voce incomplexa, Amphibologia verò in voce Complexa. Et hæc Doctrina deducitur ex Aristot. de Antepræ. c. 1. & Topic. 2. c. 2. num. 12. & ibi Pater Maurus. Vide etiam D. Thom. Opusc. 39. c. 3 & 4

5. Supponendum ulteriùs, aliquando æquivocum æqualiter significare sua significata. Sic hoc nomen, *Gallus*, æquali passu sumitur pro homine, ac pro Gallo Gallinaceo. Aliquando verò frequentiùs significat unum, aliud verò raro. Sic verbum, *Est*, ordinariè accipitur pro verbo substantivo, quod essentiam, & existentiam significat; raro verò significat *comedere*. Hinc Glossa Civilis supra allata, dum dicit, quòd æquivocum *æqualiter significat plura*, si per ly æqualiter intelligit, quòd Vox æquivoca sumatur semper pro quolibet significato æqualiter, non dicit verum, ut patet in Verbo, *EST*.

6. Restrictio Mentalis est, quando illud, quod mente habemus, totum per voces non significamus, sed solùm partem.

tem. Unde audiens unum cognoscit, & loquens aliud intelligit. v. gr. Ego in mente habeo, quòd Petrus non sit in aula dormiens, & ego dico: *Petrus non est in aula.* Audiens hæc verba credit, quòd loquens intelligat de existentia absoluta Petri in aula, & tamen loquens intelligit de existentia Petri modificata à dormitione.

Meminerunt Restrictionis mentalis Paludanus in 4. dist. 21. quæst. 3 artic. 3. concl. 1. & expresè Capreolus ibidem quæst. 2. sub finem illis verbis. Nec obstat, si additiones, & restrictiones, *quæ fiunt in mente*, non exprimantur, &c.

7. Hic notabis differentiam inter propositionem ambiguam, & mentaliter restrictam; nam varietas, & multiplicitas in propositione orta ex æquivocis, & vocibus ambiguis significatur ab ipsis vocibus; Unde audiens, si attendat ad significatum illius propositionis, potest venire in cognitionem veritatis; Non sic autem audiens propositionem mentaliter restrictam; quia verba non habent virtutem significandi illā restrictionem, ut patet in exemplo dato; *Petrus non est in aula;* hæc enim verba nullam habent virtutem significandi existentiam modificatam à dormitione, quam loquens intendit significare.

8. Nunc ergo quæritur, an liceat cum causa loqui æquivocè, & amphibologicè, & etiam per restrictionem mentalem. Dixi, *cum causa*, quia sine causa hoc est apertè illicitum. Siquidem societas humana importat, ut loquens aperiat clarè, quod habet in mente, & interrogatus respondeat ad interrogationem apertè, & hoc maximè in Judiciis. Prius agemus de æquivocatione, & amphibologia, postea nonnihil attingemus de restrictione mentali.

9. Prima facie videtur omnia hæc esse prohibita ab Innocentio Undecimo in suo decreto num. 26. 27 & 28 ubi damnat hasce propositiones. Prima est. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, vel quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

Secunda est, Causa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem Corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium Virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

Tertia est: Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, *poterit cum restrictione mentali* præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

10. Revera tamen in hisce propositionibus Amphibologia, & Æquivocatio non damnantur, ut tanquam certum supponit Cardenas in tractat. de propositionibus damnatis ab Innocent. I. n dec. dissert. 19. c. 4 num. 35. quidquid Pater Natalis Alexandri, nullam rationem afferendo, credat. Certè in Prima Propositione damnatur Propositio, quæ faciat alium sensum præter illum, quem ex vi vocum habet, *& hoc intelligendo intra se aliud* Ecce evidenter, quod multiplicitas sensuum damnatur equidem, sed quæ proveniat ob diversam *intellectionem internam*; & sic damnatur restrictio mentalis.

In Tertia verò Propositione expressè proscribitur *ipsa restrictio* mentalis illis verbis: *Poterit cum restrictione mentali.*

11. Quoad secundā Propositionem observandū est, damnari quidem *Amphibologias*, non solitariè acceptas, sed cum illo pronomine, *His*. Certè Pronomina Is, Ea, Id, Hic, Hæc, Hoc. Ipse, Ipsa, Ipsum, sunt relativa ad praecedentia, & repetunt illa cum suis qualitatibus, ut videre licet in Barbosa in tractatu de dic. usu frequen. Cum Pontifex in propositione antecedenti loquutus fuerit de propositionibus men-

te

te restrictis, debemus dicere, quòd de iisdem loquatur in hac. Tum quia illa propositio: *Causa utendi his Amphibologiis est*: Certè est limitata, & minùs ampla, quàm si dixisset: *Causa utendi Amphibologiis est.* Tum quia, si dicam: Hoc enimal volat, est propositio vera, quia illa particula, *Hoc*, est demonstrativa ad oculum; unde determinat ad aliquod particulare terminum Universalem, & significat determinatam rem, & talem rem. Tale autem Animal utique volat. E' contra si dicam, *Animal volat*, est propositio falsa; Nam homo, qui est animal, non volat. Ergo, si Papa damnat *has Amphibologias*, non damnat omnes Amphibologias, sed tales, & determinatas Amphibologias. Quænam erunt tales Amphibologiæ? Ego dico, determinari ab antecedenti propositione; & sic mentales tantùm proscribuntur.

12. Dicendum igitur est, nos licitè posse aliquando uti Æquivocatione, & Amphibologia. Assigno casum: Interrogor à Sicariis, an Petrus sit domi, nam ipsum volunt interficere. Ego possum respondere: *Petrus non* est *domi*, intelligendo ly *est*, pro *Comedit*.

Item homo natione Gallus quæritur ad necem à Germano. Ego possum respondere: Hic non est *Gallus*, idest *pullus Gallinaceus*. Ad evitandam ergo mortem injustam, vel aliam similem causam possum æquivocare

13. Hoc autem, ut dicebam, est mihi probandum Doctorum Antiquorum authoritate. Igitur Divus Augustinus in q.q de Genes. quæst. 26 tom. 4. Sed melius lib 22. contra Faustum Manichæum. tom. 6. c. 34 & refertur c. *Quæritur* 22. quæst. 2. ait: Quæritur, cur Patriarca mentiri voluit, ut diceret Saram Sororem suam, & non potiùs Deo commisit, qui, si vellet ejus pudicitiam apud Pharaonem servare, posset? Sed veritatem voluit celari, non mendacium dici. Soror enim dicitur, quia Filia fratris erat. Et in hoc ostenditur, quòd nemo debet tentare Deum suum, dum habet, *quod rationabili Consilio faciat*: Divus Augustinus laudat expressè Abraham, quia celavit veritatem Pharaoni, quam non tenebatur manifestare. Quomodò autem celavit veritatem? Celavit dicendo, quòd *Sara esset Soror sua.* In hoc facto certum habemus, quòd Abraham celavit veritatem, qua erat, quòd Sara esset Uxor Abrahæ. Habemus insuper ex Divo Augustino, quòd bene fecit, & *rationabili Consilio* celare hujusmodi veritatem; Dubius est autem modus, quo talem veritatem celavit. In hoc dubio est certum, quòd non celavit, falsitatem dicendo: *Hac mulier non est mea Uxor*, ut patet ex textu Genesis. Quomodo ergo celavit? Ex eodem textu non habetur aliud, nisi quòd Abraham dixit: *Soror mea est*; Et Sara confirmavit, quòd Abraham esset ejus *Frater*. Porrò hic casus contigit Abrahæ duplici vice, semel in Ægypto 12. Genes. & semel in Gerara xx. Genes. Igitur ex textu Canonico, & Geneseos Abraham *voluit* celare, *Saram esse suam Uxorem*, &, ut hunc finem obtineret, decrevit, ut Sara diceret, quòd Abraham *esset ejus frater*, & Abraham diceret, quòd Sara *esset ejus Soror. Soror mea est, Frater meus est.* Audiamus textum formalem Divi Augustini ex loco contra Faustum. Nulla causa cogor temeritate labi reprehendendum, quem nemo convincit, timore lapsum fuisse ad mentiendum; Neque enim utrùm ejus Uxor esset interrogatus, non esse respondit; sed cum ab eo quæreretur, quid ei esset illa mulier, *indicavit Sororem, non negavit Uxorem.* Tacuit aliquid Veri, non dixit aliquid Falsi.

14. Igitur ego puto, quòd Abraham usus fuerit æquivocatione in illo nomine, *Soror*; Nomen enim hujusmodi apud Hebræos & significat Filiam ejusdem Patris, & filiam sui Fratris. Sara enim erat filia Aram, ut Glossa Hieronymi in c. xx. Genes. litter. D. indicat. Aram autem erat Frater Abrahæ Genes. xi. Sicut nec Glos. in c *ne quis*. V. *occiditur*, & c. *quæritur* 22. q. 2. V. *sororem suam* derogavit eidem Sancto viro

viro, dum docuit, ipsum usum fuisse *æquivoco*.

15. Dices: Melius est dicere, quòd veritas facti Abrahæ salvetur per Prophetiam, & Figuram. Hinc Divus Augustinus de Mendacio cap. 5. tom. 4. ut refert etiam Divus Thomas 2. 2. quæst. 110. art. 3. ad 3 dicebat: Si quæ tamen in eorum dictis appareant, quæ mendacia videntur, intelligendum est ea figuraliter, & prophetice dicta esse.

Sed contra, quia Divus Thomas ex Divo Augustino de quæstionibus super Genes. observat, peculiariter in allegato facto Abrahæ voluisse Abraham in illis verbis, *Soror mea est*, veritatem celare, non mendacium dicere; Ergo juxta Augustinum, & Divum Thomam veritas illius propositionis à nulla figura, & prophetia dependet, Consequentia liquet, quia illa propositio: *Soror mea est*, ex se habet virtutem celandi Matrimonium, ut liquet ex dictis. Confirmatur, nam Divus Thomas relata illa Doctrina universali Divi Augustini, quòd dicta perfectorum hominum, quæ videntur Mendacia, intelligenda sunt figuraliter, & prophetice, subdit: Abraham tamen, ut Augustinus dicit super quæstionibus de Genesi dicens Saram esse sororem suam, *veritatem voluit celare, non mendacium dicere*; Soror enim dicitur, quia filia Fratris erat, &c. Certè Divus Thomas his verbis prætendit, afferre novam, & peculiarem Doctrinam salvandi veritatem in dictis Abrahæ præter illam Communem.

16 Præterea de facto Jacob dicente se Esau subdit Angelicus Doctor: Jacob verò mysticè dixit, se esse Esau primogenitum Isaac, *quia videlicet primogenita illius de jure ei debebantur*. Ecce in dictis Jacob agnoscit Mysterium, in dictis Abraham fatetur celatam fuisse veritatem, nec alicujus Mysterii meminit.

17. Isaac pariter petens ipse Geraram Genes. xxvi. dixit de Rebecca Uxore sua, quòd esset ejus soror: *Soror mea est*. Subdit verò sacer textus, quòd timebat confiteri, quòd sibi esset sociata conjugio. Abimelech autem conquestus est cum Isaac, quòd dixerit *esse sororem suam*, cùm esset ejus Uxor. Certè, si Abimelech conquestus est, quòd Isaac dixerit, Rebeccam esse Sororem suam, oportet, quòd Abimelech acceperit illam vocem, *Soror*, in sensu, qui excluderet esse ejus Uxorem, & sic ex hoc fuerit deceptus, & propter deceptionem hanc habuerit occasionem conquerendi de tali responsione; Ergo illa vox, *Soror*, habebat duplex significatum, & erat æquivoca.

18. Subdit tamen Doctrinam valde notabilem Abulensis in Genes. cap. 26. quæst. 3. litter. F. quòd scilicet non sit necesse excusare Patriarchas à mendacio officioso, *cum & ipsi Apostoli non excusentur, & alii Viri Sanctiores*. Quam Doctrinam priùs tradiderat de Jacob Scotus in 3. dist. 38 §. ad *Argumenta*, vers. *ad illud de Jacob*. Et sequuti sunt ibidem Aureol. & Antonius Andreas, Lyranus in Genes. xxvii. Rosella Ver. *Mendacium*. num. 11. Gabriel in 3. dist. 38. litter. N. Joannes de Friburgo lib. 1. tit. 10. de mendacio quæst. 7. primò defendit Judith à mendacio, posteà ait: Vel potest dici, quòd laudetur; non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum ob salutem populi.

19. Hìc duo notabis, Unum, quòd hi Doctores excusant probabiliter Isaac à mendacio, & probabiliter non excusant; & sic iidem D.D. duas oppositas opiniones probabiliter sequuntur. Alterum, quòd, si illi absq; nota dicunt, nullum esse inconveniens, si teneamus Patriarchas fuisse mentitos, cum Apostoli, & alii Viri Sanctiores venialiter peccaverint, quæ Doctrina consonat cum Tridentino sess. 6. cap. 11. dicente Sanctos, & Justos in venialia cadere, à quibus sola Beata Virgo immunis fuit. Si, inquam, absque nota possunt sustinere, quòd Isaac, Jacob, & alii Patriarchę mentiti fuerint, cur nobis imputabitur indecens, si asseramus illos æquivocatione usos fuisse? Numquid majus

majus malum est æquivocare, quàm mentiri? Si ergo hæc propositio est licita: *Patriarcha mentiti sunt*, nec ex hoc sequitur, quòd Sanctorum Patrum acta ludibrio vertantur; nec ludibrio vertentur, si dicamus hanc aliam: *Patriarcha æquivocatione usi sunt*

19. Nunc ponderemus factum Jacob, qui Genes. 27. ut Benedictionem à Patre acciperet, quæ Primogenito Esau juxta legem conveniebat, dixit Isaac: *Ego sum Primogenitus tuus Esau.* Divus Augustinus quæst. 78. in Genes. & lib. 16. de Civit. Dei c. 37. & lib. contra mendacium c. 10. Theodoretus quæst. 80. in Genes. Gregor Hom. 6. in Ezech. Isidorus, Beda, & Ruper. in Genes. 27. Gratian. in d. c. *quæritur.* Alens. 2. par. quæst. 139. Divus Thomas loco citato, Magist. in 3. dist 38. & quòd magis est, Innocentius Tertius in c Gaudemus de divort. expressè excusant à mendacio Jacob.

* 20. Abulensis tamen, ut dixi supra, & alii instinent, Iacob mentitum fuisse. Nunc sustinendo opinionem benignam dico, excusari Iacob à mendacio, quia nomen, *Esau*, non accepit pro nomine alicujus substantiæ personæ, sed pro dignitate personę. Voluit ergo significare: *Ego sum Esau*, idest *ego sum ille, qui habet dignitatem Esau.* Audiamus Gratianum post d. c *Quæritur*, sic scribentem: Iacob dicendo se esse Esau primogenitum, non est mentitus; non enim dixit, *se esse primogenitum nascendo, sed jus primogenituræ illo vendente rite adeundo* Sic & Christus Ioannem dixit esse Eliam, non *persona*, sed *imitatione Virtutis.* Erat ergo Iacob Esau non nascendo, sed emptione Primogenituræ de non Primogenito in Primogenitum transeundo Eamdem explicationem illius termini, *Esau*, adhibent alii. Et hæc explicatio habet fundamentum in Divo Thoma, ubi supra, qui dicit, ideo potuisse Iacob, se dicere Esau, *quia videlicet primogenita illius de jure ei debebantur.* Et clarè hanc interpretationem sequitur Theodoretus loco supra allato, Ubi hæc habet: Quid? An non visus est Iacob mentiri, cum dixit: *Ego Esau primogenitus tuus?* Emerat privilegia primogeniturę; *Verè igitur appellabat seipsum primogenitum.* Et videbimus mox, Doctores communiter hanc explicationem amplecti. Juxta ergo hanc explicationem nomen, *Esau*, est æquivocum; Significat enim *aliquam personam*, & *dignitatem personæ.* Isaac illud accepit in primo sensu; Jacob verò in secundo sensu. Ergo Jacob usus est æquivoco.

21. Nec juvat, dicere, hoc factum Jacob fuisse Mysterium; & sic ejus veritatem dependere à sensu mystico, non verò à littera. Hinc nos petentes ejus veritatem à littera incidimus in absurdum illud inculcatum à Clero Gallicano, quòd mysticè dicta *ad altiùs veritatem insinuandam cum vulgaribus gestis confundimus.*

Sed contra, nam, salva reverentia Illustrissimo Clero debita, scimus, Sacram Scripturam multiplici sensu gaudere, ut post Augustinum, Hieronymum, & alios Antiquos Patres probat Divus Thomas par. 1. quæst. 1. art 10. & cum Divo Thoma cæteri Theologi tradunt, quibus præjuerant Albertus in Summ. par 1. tract. 1. quæst. 5. & Alensis quæst. 1. membr 4. art. 4. Est autem quadruplex hic sensus unde illud distichum.

Littera gesta docet, Quid credas Allegoria,
Moralis quid agat, Quò tendas Anagogia.

22. Advertunt Doctores, quòd sensus litteralis est fundamentum aliorum. Unde Albertus dicebat, quòd sensus litteralis primus est, & in ipso fundantur tres alii sensus spirituales; & Divus Thomas dicebat, *quòd sensus spiritualis super litteralem fundatur, & eum supponit.* Si ergo sensus litteralis est fundamentum cæterorum, & supponitur ante alios, distinguitur à cæteris, sicut fundamentum distinguitur à re fundata, & Prius distinguitur à Posteriori. Ergo Veritas sensûs litteralis non dependet, nec habetur à veritate alio-

rum

rum sensuum; quia fundamentum non dependet à re fundata, nec Prius à Posteriori, & quæ distinguuntur, veritas unius non constituitur à veritate alterius.

23. Nunc difficultas stat in assignanda ratione sensùs litteralis. Audiamus Doctorem Angelicum. Author Sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate est, ut non solùm voces ad significandum accommodet, quod homo facere potest, sed etiam res ipsas; & ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quòd ipsæ res significatæ per voces etiam significent aliquid. *Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus Historicus, vel Litteralis.* Illa vero significatio, qua res significata per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, *qui super litteralem fundatur, & eum supponit.*

24. Audiamus Albertum sic ex Beda dicentem: Dicit Beda in Glossa super primum Genesis, Quatuor sunt sensus Sacræ Scripturæ. Historia scilicet, quę res gestas loquitur; Allegoria, in qua aliud ex alio intelligitur; Tropologia, idest Moralis loquutio; Anagogia, in qua de Summis, & Cœlestibus tractatur. Et dat exemplum: v. gr. *Jerusalem* secundùm Historiam Civitas est Judeæ; secundùm Allegoriam significat Ecclesiam; secundùm Tropologiam Fidelem animam; secundùm Anagogiam omnium Cœlestium vitam. Ita Albertus ex Beda.

25. Ex hac Doctrina sequitur clarè, & evidenter, sensum litteralem, & Historicum in facto Jacob non debere desumi ex sensu mystico, & Allegorico, in quo significatur, quod Populus Christianus, qui posteriùs natus est, esset præferendus Populo Judaico, qui priùs natus fuerat. Consequentia liquet, quia sensus Historicus, & litteralis supponitur ante spiritualem.

26 Confirmatur Sicut Jerusalem Historicè, & litteraliter significat Civitatem Judeæ, ita Narratio facti Jacob significat actionem materialem factam à Iacob; & sicut objectum Historicum nominis, *Jerusalem*, habetur independenter à sensu allegorico, qui importat Ecclesiam, ita objectum narrationis facti Iacob historicè sumptum debet haberi independenter à sensu allegorico, qui importat Populum Christianum. Ergo sicut, si quis vellet explicare historicè illas duas propositiones 1. Macabæor. c. 7. *Venit Nicanor in Jerusalem: Exiit Nicanor ab Jerusalem*; non recurreret ad allegorias, & sensum mysticum; & si hoc faceret, malè faceret, & confunderet Historias Sacras; Ita etiam, si quis explicaret Historicè has duas propositiones: *Sara est Soror mea; Ego sum Esau primogenitus tuus*, non debet recurrere ad sensum mysticum, & spiritualem, qui scilicet per Divum Thomam habetur *per res significatas à vocibus*; Et qui aliter faceret, confunderet Historiam, quia illam redderet parabolam, & illam explicaret, sicut explicatur illud Iudicum IX. quo narratur, quòd Ligna concilium inivérint, ut Regem constituerent Igitur debemus concludere, quòd facta Iacob, Isaac, & Abraham veritatem Historiæ contineant, & illa à mendacio in sensu litterali sint libera, præciso quocumque sensu mystico, & sub rebus latente.

27 Hic non refero alia exempla Scripturæ, quia ea narrabo, dum textum Divi Raymundi efferam. Iuvabit hic afferre exempla quorumdam factorum Sanctorum in Lege Nova, quæ communiter à mendacio excusantur. Primum erit illud Celeberrimi Divi Athanasii, quod Breviarium Romanum meminit in eius die festo; Cum enim quæreretur à Satellitibus ad mortem, & ipsum interrogarent, quantùm inde abesset Athanasius, respondit, *eum non longè abesse.* Æquivocatio stat in ly, *Longè*; ipse enim Athanasius accepit illud in sensu physico, & in parva distantia physica, è contra Satellites acceperunt illud in sensu morali, & de distantia, quæ moraliter non esset longinqua,

28. Sic

28. Sic etiam Divus Paulinus narrans in Natali Quinto Divi Felicis factum ejusdem, quo à Satellitibus se subtraxit, proculdubio eum æquivoco usum demonstrat. Audiamus Carmina, quæ habentur ibidem post 71.

Felicem sitit Impietas, sed ab ædibus absens
Forte suis media fleterat securus in Urbe
Fraternis de more suo vallatus amicis,
Et pia verba serens populi credentis in aures.
Ecce ad eum strictis quærentes ensibus adsunt.
Cum subito aut illis corda hostibus, aut huic ora
Vertuntur: notum non agnovere furentes,
Felicemque rogant; *Felix ubi cernitur, & non*
Cernitur; ipse, nec ipse vir est; cum sit prope, longè est:
Ignotus, notusque suis fit civibus idem,
Discernente Fide vultum credentibus, ipse
Hostibus alter erat: præsensit & ipse faventis
Consilium Christi, ridensque rogantibus infit.
Nescio Felicem, quem quæritis; *ilicet ipsi*
Prætereunt ipsum; discedit at ille, platea
Includente Canes Domino, frustratus hiantes.
Nec longum emensi spatium, & scitantibus illis
Qua Felix regione foret, quidam increpat, & dat
Judicium, ignarus causæ, credensque furore
Dementes, qui non vidissent comminus ipsum,
Ad quem contiguis fecissent verba loquelis.
Perculsi novitate doli, *graviusque furentes*
Mox redeunt.

29. Examinemus factum, & Verba. Christus stupendo miraculo ex Divo Paulino vel vultum Divi Felicis mutavit, vel corda Satellitum; unde ipsi Satellites non agnoverunt Divum Felicem, quamvis præsentem. Hinc illum interrogaverunt, ubi esset Felix. *Notum non agnovere furentes, Felicemque rogant*; Quam quesò responsionem nostri scrupulosi Probabilioristæ dedissent huic interrogationi inopinæ? Manifestassentne, se esse Felicem? At fecissent contrarium illi, quod Christus manifesto miraculo celabat. Tacuissentne? At illa taciturnitas, vel manifestabat miraculum, vel illi magis furentes ipsum Divum Felicem trucidassent præsumentes, quòd nollet manifestare, ubi Felix esset.

30 Restabat ergo unica via, qua & miraculum tegeret, & se à Satellitibus eriperet, & hæc erat responsio ambigua, & æquivoca, & hanc arripuit gaudens, quin & ridens. Igitur Beatus Felix animadvertens ex miraculo Christi se non agnosci à Satellitibus, tunc ridens rogantibus infit: *Nescio Felicem, quem quæritis.* Accepta hac responsione satellites *ilicet ipsum prætereunt*. Nunc dicant mihi Adversarii, quare Satellites accepta illa responsione: *Nescio Felicem, quem quæritis*, abierint, & Divum Felicem re iquerint intactum. Certè nil aliud responderi poterit, nisi quòd crediderint, quòd ille Vir, qui ipsi respondebat, assereret, se nescire ubi esset ille Homo, quem sub nomine *Felicis* quærebant. Igitur illa Verba: *Nescio Felicem, quem quæritis*, Satellites intellexerunt de Persona, & de illo homine, qui dicebatur, *Felix*, & quem quærebant. At Divus Felix proculdubio non accepit illa Verba in hoc sensu, quia sic mendacium dixisset, quod non est præsumendum de tanto Viro, quia nimis abusus fuisset favore miraculoso Christi. Debemus ergo dicere, quòd Sanctus Martyr acceperit illam Vocem, *Felicem*, adjectivè, *nempe pro eo, qui habet Felicitatem*, in quo sensu utique verum dixit, quia in hoc mundo nullus habet Fœlicitatem.

31. Nec dicas, quòd Divus Paulinus hanc responsionem vocaverit *Dolum*: & sic peccaverit D. Felix, *Perculsi* novitate

tate *Doli*.. Non dicas, inquam, nam dolus non semper est malus, quoniam *Veteres*, inquit Vulpianus in l. *hoc edicto*. ff. de dolo malo §. *non fuit*, *dolum etiam bonum dicebant*. Hinc Gloss. Ver. *etiam bonum dolum* scribit. *Nota bonum, & malum Dolum, sicut bonum, & malum Venenum*, ut de Contrahen. empt. quod sæpe §. 1. & de verb. signific. qui *Venenum*. Progreditur Textus: *pro solertia hoc nomen* (Dolus) *accipiebant*, *maximè si adversus hostem*, *latronemq; quis machinetur*. Ecce contra latronem, & hostem licet uti *dolo*. Quin Glossa Ver. *Hostem* notat ex illa voce, *maximè*, sequi, nos posse uti dolo etiam contra eos, qui nec sunt hostes, nec latrones, qui tamen contra nos fraudem machinantur; & hoc probat pluribus legibus. Vide ipsam Glossam, illam enim non est necesse referre, cum Satellites Divi Felicis essent & hostes acerrimi, & latrones crudelissimi. Igitur Divus Felix justo dolo usus est contra Satellites, & hic dolus consistit in illis verbis: *Nescio Felicem*. Quem Dolum, ut justum tueamur, non possumus aliud dicere, nisi quòd fuerit *æquivocatio*.

32. Navarrus in Manuali. c. 12. num. 8. refert ex Angelo de Perusio in l. *ideo* §. si tibi ff. de condit. ob turp. caus. & Joanne de Anania in c. *qui cum fure*. coll. fin. de furt. quòd Divus Franciscus interrogatus, quà perrexisset quidam Homicida, qui juxta eum transierat, manus in manicam immittens respondit: *Non transiisse illac*. Hæc responsio fuit ambigua, & illa vox *Illac*, poterat significare plura loca, & ipse Divus Franciscus accepit illam pro manica, & Satellites pro alio loco.

33. Nunc transeamus ad Textus Doctorum Antiquorum approbantium æquivocationem. Præcedat Antiquissimus, & Sanctissimus Vir Divus Raymundus de Peniafort. Ergo ipse in Summ. lib. 1. §. 3. tit. *de mendacio* quærit, quid debeat Petrus respondere illi, qui petit ab ipso, ubi sit alter, quem intendit occidere. Pro solutione refert primò opinionem sustinentem, in hoc casu non esse mentiendum, quod multis textibus probat, & dicit, hanc opinionem plerosque Doctores tenere. Inde refert aliorum opinionem dicentem, in tali casu esse mentiendum, quam sustinet ejus Glossator. V. *mentiendum esse*. Tandem sic scribit: Ego credo, salvo meliori judicio, quòd talis debet esse processus. Primò debet tacere, ut dicit Augustinus. c *ne quis* 22. quæst. 2. . . . . Vel *respondeat verbum aliquod Æquivocum*, ut putà, *non est hic*, idest, *non comedit hic*, vel simile aliquid. *Ad hoc movent nos infinita exempla*, de quibus pauca dicamus. Jacob dixit Patri suo Isaac, se Esau primogenitum, non nativitate, quia tunc mentiretur, sed jure primogenituræ, quam emerat. Item Abraham rogavit Uxorem suam Saram, ut diceret se non Uxorem, sed Sororem, cum iret in Ægyptum, ne occideret eum Pharao propter eam. Verum dixit, *sed æquivocè*, soror enim dicebatur, quia filia Fratris erat. Item Thobiæ cap. 5. Angelus Raphael respondit Thobiæ interroganti quis esset, aut de qua domo: *Ego sum*, inquit, *Azarias Ananiæ magni filius*. Multa etiam alia potes invenire 22. quæst 2. Utilem, & Quæritur, & §. *item opponitur*.

34. Nota, quòd benè Divus Raymundus refert pro Æquivoco responsionem Angeli Raphaelis, & in rei veritate Azarias, & Ananias plura significant; Possunt enim significare nomen proprium personæ, & cognationis; & in hoc sensu intellexit Thobias; Nam Angelo dicenti *se esse Azariam Ananiæ magni filium*, respondit: *Ex magno genere es tu*. Azarias etiam potest significare *Gratia Dei*, inquit Beda, sive *Donum*, *Miseratio*, *& Gratificatio Dei*, ait Pagninus. Ananias autem potest etiam significare *Nubes Dei*. In hoc autem sensu Angelus Raphael accepit nomina *Azaria*, *& Anania*. Ergo bene Divus Raymundus posuit pro exemplo *Æquivocationis* factum Angeli Raphaelis.

35. Glossator Raymundi Ver. *Æquivocum*

vocum, scribit: *Ex hoc patet, quòd ad elidendam malitiam alicujus possumus uti verbis* duplicibus, *etiam in juramentis, in alio sensu, quàm ille intelligat*. Divus Raymundus, & ejus Glossator nequeunt clariùs, & expressiùs loqui pro me. Vide num. 71. & 72.

36. Subdo Testimonium Divi Antonini, non quia vixerit eodem tempore, sed quia ejusdem Sanctitatis, & Religio. extit cum Divo Raymundo. Igitur par. 2. tract. 10. c. 1. §. 1. scribit: Videtur etiam absque vitio mendacii posse uti verbis *Sophisticis*, seu *loqutione duplici* ad obviandum malis, cum scilicet quis dicit aliqua verba, quæ intelligi possunt dupliciter, & ad unum quidem intellectum dicit, & alium intellectum intendit imprimere in mente auditoris, ut si de aliquo, qui ad mortem quæritur, interrogatus, utrùm transiverit per illam viam, qui hoc novit, dicat, non transivit hàc, intendens loqui de loco, in quo ipse est, quod utique verum est . . . . non dicit mendacium, quamvis ille aliter intelligat verbum, quàm proferens; Unde, & Angelus Raphael interrogatus à Thobia quis esset, & de quo genere, respondit: *Ex Filiis Israel ego sum Azarias Ananiæ magni filius*, quod verum est secundùm interpretationem illorum nominum secundùm Magistrum in Historiis, & non aliter. Israel autem interpretatur *videns Deum*, Azarias verò *Adiutor*, Ananias autem *Gloria Dei* interpretatur. Erat utique Angelus ex videntibus Deum per speciem, Adiutor Thobiæ, Ananiæ filius, idest dignus Gloria Dei. Thobias tamen aliter intellexit. Nota illa verba, *sophisticè*, seu *loquutione duplici*.

37. Afferamus Testimonium ex Divo Bernardino tom. 1. serm. 32. in Sabb. post tertiam Dominicam in Quadrag. Hic ergo cap. 3. art. 2. ait: Notandum est, quòd ad hoc, *quòd prolatio sermonis æquivoci, seu multiplicis sensùs* habeat duplicitatem prædictam, regulariter advertenda sunt quinque, Intentio, Affectio, Utilitas, seu Necessitas, Authoritas, & Modus; quando enim primò Intentio est duplex, non simplex, & recta. Secundò Affectio est Carnalis, & perversa. Tertiò fit absque utilitate, seu necessitate. Quartò fit absque authoritate ejus, qui habet authoritatem mutandi communem sensum, & communem acceptionem Verborum, seu signorum. Quintò quando status proferentis, aut vita, aut gestus non exhibent homini aliquam imaginem, aut dubietatem prædictæ mutationis signorum, seu significationum, tunc est plena duplicitas; ad vertendum est tamen, quòd quocumque alio modo intersint aliqua de prædictis, duplicitas etiam dici debet. Quando autem omnia prædicta his Quinque contraria, non duplicitas, sed actio, seu loquutio figurativa, vel prophetica, aut mystica appellatur. His igitur præmissis Triplicem oris duplicitatem distinguamus, prima dicitur Sancta, vel inspirata; Secunda permissa; Tertia verò prohibita. Hactenus D. Bernardinus.

38. Ecce expressè quòd prolatio *sermonis æquivoci* non habet duplicitatem, & sic non est illicita, quandò habet quinque conditiones, nempe bonam Intentionem, bonam Affectionem, Utilitatem, seu Necessitatem, quando illa loquutio fit authoritate illius, qui potest mutare sensum Verborum, & quando proferens est in statu, qui potest exhibere aliquam dubietatem dictæ mutationis.

39. Tres primæ conditionis per se sunt claræ. Difficultas est de aliis duabus. Ipse Divus Bernardinus explicans postea has conditiones in cap. 1. post art. 2. quoad factum Jacob ait, quòd Jacob motus fuit ad sic loquendum à Deo, qui potest uti licitè loquutionibus translatis, seu figuratis, cum ipse non alligetur legibus idiomatum, nec statutis humanis, sicut nec etiam Christus; unde Matth. 11. de Joanne Baptista ait: *Ipse est Elias*, ubi accipitur *Elias* non pro persona, sed pro officio, & Virtute . . . sic Jacob verè dixit, se esse

 Esau,

Esau, non secundùm personam, sed jure primogenituræ sibi divinitus traditę.

40. Ego quidem cavio, quòd verba, ut habeant virtutem significativam, illam debeant recipere ab eo, qui est supra statuta humana. Hinc hoc nomen, *Homo*, nequit significare *Asinum* v. gr. nisi à Superiore recipiat Virtutem. Sic etiam Nomen, *Esau*, & illud, *Elias*, ab initio non significabant nisi personas. A Deo autem assumpta sunt postea ad significandum officium illarum Personarum. Quia verò in Scriptura non invenitur vestigium, quòd possimus credere, illa nomina solùm pro illa vice fuisse assumpta ad significandum officium talium personarum; ergo nunc potero uti illis nominibus pro significatione officii illarum personarum; Ergo, si quis homo habet nomen, *Elias*, & hic quæratur ad mortem, potero bona intentione, & bono amore, & pro tanta necessitate respondere: *Non est hic Elias* sumendo illud nomen, *Elias*, non pro persona, sed pro officio personæ, sicut in tali acceptione accepit illud Christus loquens de Joanne; & solùm erit differentia inter Christum, & me, quòd Christus, ut potè Deus, & Dominus, potuit uti illo nomine, quamvis aliàs talem significationem non haberet; ego verò solùm uti illo possum, quia aliàs talem significationem accepit à Christo potente dare talem significationem.

41. Nec juvat dicere, quòd ego utendo illo nomine in tali significatione decipiam auditores, qui credunt, quòd ego utar illo nomine pro significatione personæ. Non juvat, inquam, hoc dicere, quia etiam auditores Christi decipiebantur, & tamen, quia Christus non tenebatur *statutis humanis*, potuit sic loqui; Ergo etiam, quia ego in tanta necessitate non teneor patefacere veritatem, possum uti loquela, quæ ex sua significatione continet Veritatem, licèt per accidens deceptio populi sequatur. Igitur hæc quarta conditio, quam Divus Bernardinus requirit, debet intelligi in illo casu, in quo, ut habeatur veritas loquutionis, exigitur, ut voces mutent sensum communem. Tunc enim jure solùm potest hoc fieri ab eo, qui mutare sensum verborum potest, ut est per se notum. Ego autem ex hoc infero, quòd, quando verba aliàs habent illam significationem, in qua volumus illis uti, non requiritur Authoritas Superioris, quia in hoc casu non verificatur illa conditio, sub qua Divus Bernardinus exigebat authoritatem Superioris.

42. Hìc obiter nota, quòd, si quis diceret, quòd auditores Christi decepti non fuerunt, dum Christus dixit: *Elias venit*, tunc subdam ego illud Christi: *Solvite Templum hoc*. Tunc enim auditores clarè decepti sunt; nam Christus pro *Templo* intelligebat suum Corpus, & auditores accipiebant pro Domo Dei.

43. Quoad quintam conditionem, exigit Divus Bernardinus, ut quis moveatur hoc agere sub modo licito, & & honesto, idest sub certa regula virtutis, & solidæ veritatis,' qui autem Sicariis quærentibus ad mortem Regem, respondet: *non est hic*, habet regulam virtutis Justitiæ legalis, qua quis obligatur conservare caput Reipublicæ; Et habet regulam certam veritatis, quia illud verbum, *est*, significat verè comestionem, & aliàs verissimum est, quòd Rex hic non comedit. Et si audiens intelligit pro existentia, ex hoc sequitur, quòd audiens percipit falsum, non verò, quòd loquens falsum dicat.

44. Idem Divus Bernardinus art. 2. c. 2. agens de secunda oris duplicitate permissa, quam etiam dicit, aliquando esse debitam, scribit: potest quæri, an vadens in aliquem locum, ut ibi aliqua cum aliquo tractet, & ad hoc celandum vult ibi orare, ut scilicet interrogetur, possit dicere, *ego ivi illuc causa orandi*; an scilicet talis dicendo hoc mentiatur, & prohibita duplicitate utatur. Et dicendũ, quòd absque duplicitate, & mendacio verè hoc fieri, & dici potest; & præcipuè, si hoc fit intentione sancta, & divina, ne detur pestiferis causa malignandi; *unde sub tali modo loquendi licitum*

num est occultare innocentem, ne impiè occidatur. Eandem Doctrinam habet D. Antoninus ubi supra. Hanc suam Conclusionem Sanctus Bernardinus probat triplici ratione, quarum tertia erat: qui in dicto existimat significari causam principalem, ipse seipsum fallit potiùs, quàm fallatur; Nam, *si ex virtute mei dicti*, aut ex sola subticentia alicujus veritatis meo dicto annexæ, *attamen non ex debito jure dicendo, quis fallatur*, non fallitur per se, *sed solùm per accidens à prædictis*, quia nullum secundum inquantùm secundum habet per se fallere; unde ille fallitur potiùs ab effectu suæ existimationis, per quam existimat, aliud contineri in dicto, quàm contineatur; nam præter directum, & principale significatum loquutionis multa sunt ipsi per consequentiam significata, & consequentia non est aliquando necessaria, sed solùm probabilis; & ideo, si aliquis tunc sumat probabilem pro necessaria, *aut tale significatum pro primo, & proprio significato, seipsum potius fallit, quàm fallatur.*

45. Per hanc doctrinam clarè patet, nos posse uti nomine pro suo *significato secundario, & non proprio*; quamvis audiens credat illud adhiberi *pro significato primo, & proprio*, & tunc audiens potiùs seipsum fallit, scilicet *per suam existimationem, per quam existimat aliud contineri in dicto, quam contineatur*, quàm fallatur à loquente, quia *non fallitur ex debito jure dicendo*, idest quia non fallitur ex eo, quod loquens non dicit verum, quod jure teneatur dicere. Explico: Quærit sicarius à me: *Petrus estne hic?* Respondeo: *Non est hic*; idest non *comedit hic*. Certè illud verbum, *est*, principaliter significat existentiam in loco; Quia tamen etiam minùs principaliter significat *comestionem*, ego ob necessitatem accipio pro significato minùs principali; & licèt sicarius accipiat pro principali, ego culpam non habeo hujus deceptionis, *sed ipse potius seipsum fallit, quam fallatur.* Sicut Samuel 1. Regum cap. 15. interrogatus à Bethlemitis, quare venisti huc? Respondit: Ad orandum. Certè ly *quare* significat primò, & principaliter causam primariam principalem, & finalem, secundariò causam impulsivam, & secundariam. Adhuc tamen Samuel respondit juxta significatum secundarium, & Bethlemitæ acceperunt pro primario; In quo facto certè Samuel mendax non fuit, quia Deo obedivit; & Bethlemitæ, si decepti sunt, non sunt decepti à Samuele, sed à seipsis, & à propria existimatione. Hoc exemplum Samuelis assumitur à Divo Bernardino pro probatione suæ Conclusionis. Hic adverte, quòd in margine hujus textùs dicitur: *Sub æquivoco licet innocentem occultare, ne occidatur.*

46. Denique Divus Bernardinus in calce illius capitis ponit, & solvit ultimum objectum hisce verbis: Tertiò posset etiam quis obstare dicens: Commune, & simplex vulgus communem, & & simplicem intentionem verborum accipit; Sed in tali loquutione commune vulgus simpliciter intelligeret illud fuisse causam absolutam, & principalem, & aliam significationem duplicitatem reputaret, & fraudolentiam, & cum arte versutæ Calliditatis dicta; Ergo &c. Ad quod dicendum, quòd commune vulgus habet aliquid simplicitatis puræ, & rectæ, & *aliquid fatuæ, & Asininæ*, & ubi fit contra primam, malè fit, sed non contra secundam . . . ex tali duplicitate prudenti, & veritas præservatur, & Innocentia defensatur, sicut latiùs ostensum est in tractatu de Seraphin, Sermone . . . ubi septem ponuntur remedia, quibus homo licitè, & debitè uti potest pro liberatione innocentis, si quæratur ad mortem. Ità D. Bernardinus.

47. Curavi invenire in Quadragesimali citato *de Seraphin* illa septem remedia pro liberatione Innocentis, sed frustra laboravi. Solùm in Serm. 19. ter. par. princ. dub. 3. dicit, *quod si tacendo verum potes juvare hominem a morte, non est peccatum tacere verum in hoc casu, sed mendacium dicere numquam licet.* Hæc ille, prætereàque nihil.

48. Videamus, quid dicat Antiquus Altisiodorensis. In 3. tract. 23. c. 1. quæst. 3. fin. ità scribit: Ad illud, quod Vir perfectus non potest esse perplexus . . . Sed posito illo casu neque debet tacere, nec debet prodere; *sed debet deludere ipsos apparitores*, sicut dicebat Præpositivus sic dicendo: *Creditis, quòd si ipse esset hic, quòd ego dicerem vobis?* Vel debet respondere, sicut ille Sanctus Episcopus, de quo narrat Augustinus. . . . . hoc modo: *Nec possum mentiri, nec possum esse proditor*. Procul dubio illa verba ex Præpositivo: *Creditis, quòd si ipse esset hic, quòd ego dicerem vobis*, sunt ambigua, & in uno sensu intelligerentur ab Altisiodorensi, & Præpositivo, in alio verò ab apparitoribus. Hic textus, ut patet, est duorum Doctorum Antiquorum, & meo judicio est clarus.

49. Idem Altisiodorensis c. 2. quæst. 1. ait: Jacob non est mentitus; dixit ei se esse Esau instinctu Spiritu Sancti . . . ergo Jacob *trasumptive*, *& non propriè loquutus est*. Sicut Dominus loquutus est trasumptivè, cum dixit. Elias jam venit de Joanne Baptista; Joannes enim fuit Elias in virtute, sed non intentione. Similiter Jacob dixit, se esse Esau non personaliter, sed virtute, & quantùm ad jus primogenituræ. Ad primum dicimus, quòd Jacob non intendebat persuadere, se esse Esau, ut propriè loquamur, quia persuadere est per verba, & argumenta; sed intendebat aliquid facere, quo facto Isaac crederet; ipsum esse Esau, & ita occasionaliter tantùm persuadebat, se esse Esau. Ad secundum dicimus: facto sine peccato potuit persuadere, se esse Esau, non tamen verbo, quia factum non est proprius interpres mentis, sed sermo est proprius interpres mentis. Altisiodorensem verbatim sequitur Cathusianus in 3. dist. 38. quæst. 1.

50. Nota, quòd Jacob non est mentitus dum dixit, *se esse Esau*; nec Christus mentitus est, dum ait, *Joannem esse Eliam*; quia loquuti sunt *trasumptive*, idest metaphoricè, non verò propriè; Ipsi enim per Esau, & Eliam non intelligebant personam, sed *virtutem Personæ, & quantum ad Jus*. Et tamen auditores accipiebant illa nomina pro Persona. Ergo illo casu illa nomina stabant æquivocè; Nomen enim, quod plura significat, juxta Doctores est æquivocum, si illa plura inter se non conveniunt.

51. Præterea per Altisiodorensem licet loqui in casu *trasumptivè*, idest *metaphoricè*, ut patet in casu de Jacob, quem fuisse loquutum metaphoricè videtur etiam innuere Augustinus contra Mendacium cap. 10 tom. 4 post initium: Et in exemplo de Christo dicente Joannem esse Eliam. Et Altisiodorensis poterat afferre etiam illud Christi: *Solvite templum hoc* Joan. 2. . . . hæc enim propositio est vera solùm metaphoricè, prout illam dixit Christus, quia intelligebat, non de Domo Deo dedicata, ut faciebant audientes, sed de suo corpore. Certum est autem, quòd corpus humanum solùm metahoricè Templum dicitur. Poterat etiam addere illud Joan. 1. famosum: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut à somno eum excitem* . . . . patet enim hanc propositionem esse totaliter metaphoricam, cum Mori vocet *Dormire*. Si ergo Jacob, & Christus potuerunt justa de causa loqui *transumptivè*, & *metaphoricè*, quamvis cognoscerent, auditores esse decipiendos; ergo etiam nos justa de causa poterimus loqui metaphoricè, & transumptivè, quamvis cognoscamus, audientes fore decipiendos. Consequetia liquet, quia Christus est norma nostrûm. Si hoc concedatur, jam conceditur, posse nos uti propositione, quæ in se duplicem sensum habeat; & sic propositione ambigua.

52. Dices: Christus, ut dicebat supra Divus Bernardinus, non alligatur statutis humanis; ergo prout sibi libet potest uti nominibus; Nos autem ligamur à legibus humanis; ac proinde obligamur loqui, prout verba apud audienter sonant.

53. Sed contra, quia jam conceditur, quòd

quòd Christus potest uti vocibus prout sibi placent; Sic jam conceditur, quòd Christus potest æquivocare, & ambiguè loqui; Consequentia sequitur, quia Christus vult uti v. gr. hac voce, *Templum*, ad significandum suum Corpus. Bene; hic tamen usus non tollit, quòd illa vox, *Templum*, amittat vim suam significandi aliis *Domum Deo Consecratam*, nam de facto Judæi crediderunt, quòd Christus loqueretur de Templo Salomonis; Ergo, dum Christus utitur illa voce, *Templum*, illa vox habet duplicem significatum, unum impositum ab usu communi populi, aliud ipsi impositum à Christo. Ergo Christus usus est propositione habente duplex significatum, unum prout intelligebat Christus, aliud prout intelligebant audientes; ergo Christus dixit propositionem ambiguam.

54. Alensis par. 2. quæst. 122. membr. 6. scribit: Objicitur etiam de Joseph. Genes. 44. legitur, quòd dixit Fratribus suis: An ignoratis, quòd non sit similis mei in augurandi scientia? . . . Et ante cap. 42. per salutem Pharaonis exploratores estis . . . . possumus solvere per Augustinum in 5. lib. super Genes. ubi dicit sit loquens de verbis Joseph: hoc non seriò, sed joco dictum, ut exitus docuit; Et ideo non est habendum mendacium; *mendacia enim à mendacibus seriò aguntur, non joco*. Ecce propositio ambigua. Joseph illam dixit joco, & sic nihil volebat significare; Adhuc tamen auditores illam ut seriò dictam acceperunt; & sic decepti sunt, sed per accidens.

55. Hic Textus fortè efficaciter non probat intentum. Melius, quin efficaciter illud probatur per Textum sequentem. Sed quæritur, inquit Alensis, aliquis proponit Orationem metaphoricam, sicut dicitur: *Litus aratur*. Hic primò unum significat, *ex consequenti aliud prætenditur*. Quæritur ergo, si mentiatur sic loquendo, & peccet: *Ad quod dicimus breviter secundum Augustinum, quòd talis, si intendat dicere sensum sequentem, propter hoc non dicitur peccare*, maximè cum dicit illud, quod potest patere, sive quod consuevit frequenter dici; unde non dicit contra conscientiam; non enim intendebat asserere primum sensum illius Orationis; Unde Augustinus, ubi loquitur de Iacob libr. contra mendacium c. 10. tom. 4. utrum mentitus sit, ita dicit: Omnis enunciatio ad id, quod enunciat, referenda est, & propter hoc, si referendo ad intentionem enunciationis non fuit mendacium, *non sunt censendi tales mentiri*.

56. Explico Alensem; Hæc propositio: *Litus aratur*, habet duplicem sensum, primum, quòd arena prope mare aratro vertatur, secundum, quòd frustra fiat aliquid. Primus sensus est proprius, & naturalis; Secundus improprius, & metaphoricus. Asserit ergo Doctor, quòd enuncians illam propositionem, si illam proferat, ut intendat significare secundum sensum, verum dicit, & non peccat. Et nota, quod subdit hoc valere, *maximè cum dicitur illud, quod potest patere*, quæ verba significant hoc valere, etiamsi dicatur illud, quod patere non potest, idest *quod frequenter non consuevit dici*; Illa enim particula, *maximè*, supponit unum casum, & ampliat ad alium, ut videri potest apud Barbosam in tract. de dict. Usufrequen.

57. Dices: Alensis non loquitur in casu de interrogato circa aliquam veritatem, sed loquitur præcisè de enunciante propositionem habentem duplicem sensum; Unde possumus dicere, quòd loquatur v. gr. de concionatore, qui utique potest loqui figuris Rhetoricis, & si audiens decipitur, est per accidens. Nostra autem quæstio est de homine interrogato de aliqua veritate, & dicunt Adversarii, quòd, si interrogatus posset respondere æquivocè, figuratè, & per propositionem habentem duplicem sensum, tunc periret societas humana, & respondens causaret per se deceptionem in audiente.

58. Sed contra, quia, dato etiam, quòd Alensis esset intelligendus in illo casu,

casu, dicimus, quòd ex hoc nostrum casum arguimus; Nam sicut concionator non potest semper loqui figuratè, sed figuris parcè utendum est, ut Rhetores docent; Et Theologi jubent, ne in rebus ad salutem necessariis auditor decipiatur. Ita in convictu humano non possumus loqui figuratè, & propositionibus duplex significatum habentibus, quia sic periret societas humana. Igitur tunc figuratè, *æquivocè*, metaphoricè in convictu humano loqui fas est, quando possumus occultare veritatem, quod aliquando licere est certissimum. In hoc ergo casu possumus loqui, ut fecit Abraham juxta Alensem quæst. 120. fin. qui nec falsum dixit, nec mentitus est juxta Augustinum tom 4. libr. contra mendacium cap. 10. & tom. 6. libr. 22. contra Faustum c. 34. circa finem. Non enim dicit, eam non esse Uxorem suam, sed dixit esse sororem suam, *Soror autem dicitur multipliciter*, quia filia fratris erat; Vel soror potest dici ex eodem patre, vel ex eadem matre genita.

59. Ecce clarè, & expressè per Alensem, Abraham respondit voce, *quæ multipliciter dicitur*, idest quæ habet plura significata. Respondit enim: *Soror mea est*, & ly *Soror* accipitur pro illa, quæ est filia Fratris, & pro illa, quæ est ex eodem Patre, vel eadem matre. Ipse Abraham intellexit pro sorore illam, quæ est filia Fratris. Pharao verò, & Abimelech illam, quæ est filia ejusdem Patris, vel matris, qui sensus est frequentior. Hinc Pharao, & Abimelech credentes Saram esse natam ex eodem Patre, vel Matre, ac erat Abraham rectè inferebant, non esse Uxorem Abrahæ; hinc volebant eamdem in uxorem sibi copulare.

60. Idem Doctor. 3 par. quæst 37. membr. 6. in solutione Argum. habet eamdem doctrinam de Abraham. Quoad Iacob verò dicit, non esse mentitum, dum se esse Esau primogenitum fassus est; nam non dixit, se esse primogenitum nascendo, sed jus primogenituræ illo vendente rectè adeundo; Sicut Christus Ioannem dixit esse Eliam; non persona, sed imitatione Virtutis. Matth. 11. Transumptivè ergo, & non propriè loquutus est dicens: Ego sum Esau non personaliter, sed jure primogenituræ . . . . . & hoc verbum simpliciter verum erat, quia allegoricè, & transumptivè erat enunciatum.

61. Divus Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 1. affirmat, reum juridicè non interrogatum posse licitè subterfugere per appellationem, *vel aliter*. Difficile est autem assignare alium modum effugiendi manus Iudicis iniqui, si non dicamus, juxta Divum Thomam posse nos uti oratione æquivoca, & amphibologica.

62. Dices Divus Thomas art. 2. dicit, quòd Innocens potest occultare veritatem Iudici iniquo per aliquos convenientes modos, putà *quòd non respondeat*. Igitur Innocens potest fugere manus iniqui Iudicis, vel per appellationem, vel *aliter*, idest *non respondendo ad interrogata*.

Sed contra, quia occultabit quidem veritatem Iudici nihil respondendo, at non subterfugiet Iudicem Iniquum, qui tantò acriùs sæviet in ipsum. Tum quia Divus Thomas in art. 1. ejusdem quæstionis dicit: Quòd, si Iudex exquirat, quod non potest, *non tenetur ei accusatus respondere*, sed potest, *vel per appellationem*, *vel aliter subterfugere*. Si per ly *aliter subterfugere* Doctor Angelicus non intelligit aliud, nisi quòd non respondeat, tunc idem bis dixisset, sic ergo hic textus deberet poni: Accusatus *non tenetur respondere*, sed potest vel per appellationem, *vel non respondendo* subterfugere.

63. Item Divus Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 7. 4. loco sibi objicit: nullus potest obligari ad duo opposita. Sed quandoque oppositum est, quod intendit jurans, & quod intendit ille, cui juramentum præstatur; ergo juramentum non potest esse semper obligatorium. Huic ergo objecto respondet Angelicus Doctor: Quando non est eadem jurantis intentio, & ejus cui juratur, si hoc.

hoc provenit ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum ejus, cui juramentum præstatur. *Si autem Jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem jurantis;* Unde Gregorius libr. 27. moral. c. 7. ante medium, dicit: Humanæ aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant; Divina verò judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.

64. Nunc inquiro, cum ex textu pateat in hoc casu jurantem intelligere juramentum in uno sensu, in alio verò sensum intelligere, qui recipit juramentum. Inquiro, inquam, an verba juramenti in hoc casu habeant hunc duplicem sensum; & sic evidenter Divus Thomas concedit, quòd aliquando liceat uti juramento amphibologico, id est *habente plures sensus*. Si verò in hoc casu verba juramenti non habent hunc duplicem sensum, tunc debemus dicere, quòd illa verba habeant unum sensum ex propria institutione; alium verò ex voluntate proferentis, quia Doctor Angelicus loquitur in casu de juramento habente duplicem sensum; & sic Doctor Angelicus concedit, nos posse jurare per verba, quæ ex se habent unum significatum, & ex nostra voluntate aliud, quod est incidere in restrictiones mentales.

65. Igitur juxta Divum Thomam nequit negari, quòd possimus licitè uti juramento talis naturæ, quod audiens illud accipiat in uno sensu, & jurans in alio, & tunc hoc valet, quando dolus erit ex parte recipientis juramentum; ergo, si judex ordine juris non servato me interroget: *Eratne tecum Gallus? potero respondere, Gallus mecum non erat;* Ego autem intelligo non de homine, quem iniquè vult occidere. Judex certè dolo me interrogat, & ego teneor tacere veritatem; Ergo illa verba debent intelligi juxta intentionem meam, quæ est bona, & non Judicis, quia est dolosa.

66. Cajetanus in hoc articulo. §. *ad hæc dicitur* fin. dicit, quòd si verba juramenti habent duplicem sensum extra Judicium, & in materia non præjudiciali, & jurans illa intelligit in sensu, quo sunt vera, & si habeat intentionem, ut audiens fallatur, dicit, inquam, Cajetanus, quòd jurans peccat venialiter, & non mortaliter. Subdit Cajetanus: si autem artificiosè composita verba dicuntur cum juramento vera quidem, sed non penetrabilia ab audiente, nisi falsò, cessante præjudicio juris, & hominis *absque peccato fieri potest*. Ecce juramentum habens duplex significatum per Divum Thomam juxta Cajetanum, quamvis audientem decipiens, vel cum solo peccato veniali, vel sine ullo peccato.

67. Dominicus Bannez 2. 2. quæst. 69. art. 2. vers. *respondetur, & sit:* ita scribit: Nota obiter, quòd ista Doctrina Divi Thomæ intelligitur, quando verba jurantis sunt Amphibologica, ita ut possint accipi secundum intentionem utriusque partis, vel ex vi verborum, vel ex circumstantiis. Nunc arguitur ex Doctrina Divi Thomæ: In casu proposito non est dolus ex parte jurantis, sed potiùs ex parte Judicis, qui contra Ordinem juris sub specie potestatis publicæ vult exigere crimen, & condemnare contra intentionem legis. Ergo, qui jurat, non tenetur verificare juramentum secundùm intentionem judicis, sed sufficit verificare secundùm propriam intentionem, supposito quòd verba ipsa possint accipi in illo sensu ex circumstantiis. Ita Bannez, qui explicat Doctrinam Divi Thomæ, quam supra retuli ex 2. 2. quæst. 89. art. 7 ad 4. Hinc patet clarè per Divum Thomam ex Bannez nos posse jurare in casu cum verbis amphibologicis, etiam in Judicio. Videetiam D. Thomam 2. 2. quæst. 110. art. 3. ad 4.

68. Divus Bonaventura in 3. dist. 38. in explicat. litter. dub. 4. ut excuset Jacob à mendacio, ita scribit: Quantùm ad id, quod dixit, verbo excusatur, *quia non intendebat* patrem fallere, sed dirigere. Non intendebat enim dicere, se esse Esau quantùm ad personam, sed

72. Ut verò clarè ex mente Authoris cognoscamus, quid ipse intelligat nomine *Verbi duplicis*, subdo textum, quem habet tit. de *mendacio* §. 3 vers. *Alii dicunt*. V. *æquivocum*. D. Raymundus, ut retuli num. 35. scribit: *Respondeat verbum aliquod æquivocum* (sicario interroganti, ubi esset Petrus, quem intendit occidere.) Rodonensis explicans hunc textum sic ait: ***Ex hoc patet, quod ad elidendam malitiam alicujus*** possumus uti ***verbis duplicibus***, etiam in juramentis, ***in alio sensu, quàm ille intelligat***. Ecce ***Verbum duplex*** est idem, ac verbum ***Æquivocum***. Ecce uti possumus ***æquivoco, etiam in juramento***. Ecce etiam hìc tradit hanc Doctrinam absque verbis formidolosis. Lib 3. *de pœnit. & remiss.* §. 59. V. *revelantis Confessionem*, & V. *peccata sua* concedit, quòd Confessarius possit *respondere Sophisticè* iniquo Judici interroganti de aliquo audito in Sacramento Confessionis. Vide num. 82. in eodem tit. §. 17. V. *quos potest* fin. habet sequentia verba: Si taliter excommunicatus, qui tamen verè pœnitet de commisso, & nullo modo est solvendo, non audet confiteri in publico, sed in occulto petit absolvi, & cessari à denuntiatione excommunicationis, & ille, qui passus est damnum, nihilominus petit sententiam publicè innovari, quid faciet Sacerdos, qui scit hanc veritatem? Respondeo sine præjudicio, quòd in hoc casu non debet nec Episcopus, nec Sacerdos sententiam innovare, sed debet ab excommunicatione cessare, & taliter excommunicatum absolvere in facie Ecclesiæ 14. quæst. 6. *si res*. & instantiam ejus, qui passus est damnum, prout poterit prudenter repellere, & pia quadam fraude illudere, aut si fortè propter pertinaciam ejus aliter evadere non potest, utatur *verbo sophistico, vel æquivoco modo*, dum videtur innovare sententiam, & nullo modo intendat illum ligare, *quæcumque verba proferet*. ita Doctor. Quid dicent Probabilioristæ audientes hanc piam fraudem, hoc verbum sophisticum, hunc modum æquivocum, & hæc omnia fieri, dum Judex pro tribunali sedens sententiam profert? Vide num. 37.

73. Rainerius de Pisis pauca habet ad propositum. Sed adhuc Ver. *simulatio* c. 1 ita scribit: Omne mendacium est peccatum; sed omnis simulatio est quoddam mendacium in signis exteriorum Verborum, & factorum consistens; Ergo &c. hæc Beatus Thomas 2. 2. quæst. 111. artic. 1. Ad cujus evidentiam nota tria. Primum est, quòd, quandò fingimus aliquid, quod nihil est, sive fingamus Verbo, sive facto, tunc est mendacium. ***Quando autem Verba, vel facta fingendo ad aliquid signandum ordinatur***, tunc talis fictio non est peccatum; & hoc modo se finxit Christus longiùs ire, ut dicitur Luc. cap. ultimo, quod fecit ad signandum duo, scilicet defectum credulitatis, & Mysterium Ascensionis . . . Si verò simulat aliquid non intentione fallendi, sed propter utilitatem alterius, *sicut contingit* in figurativis loquutionibus, hoc non est mendacium, nec per consequens peccatum, sed meritorium. Ita in Summ. Confess. libr. 3. tit. 34. quæst. 252. in princ. Hæc Raynerius. Igitur Raynerius ex Divo Thoma, quin ex Divo Augustino in quæstionibus Evangel. tom. 4. lib. 2. cap. 51. docet, quandò fictio Verborum, vel Factorum ordinatur ad aliquid significandum, ***tunc talis fictio non est peccatum***. Hinc Christus, dum composuit gestus corporis ad normam illius, qui longiùs ire parat, non peccavit; quamvis non haberet voluntatem ire ulteriùs, & hoc quia illam fictionem factorum, ac verborum; Hinc dicit, quòd fictio sive *factorum*, sive ***verborum*** non est peccatum, si tamen ordinetur ad significandum aliquod, quod verè sit; Ergo, si ita fingamus verba, seu illa ita componamus, ut verè aliquid significent, quamvis ex hac fictione audiens decipiatur, ut decepti fuerunt Discipuli à fictione Christi, nullum peccatum habemus. Loquutio autem Amphibologica talis est, quæ habet

factorum, sive *verborum* non est peccatum, si tamen ordinetur ad significandum aliquod, quod verè sit; Ergo, si ita fingamus verba, seu illa ita componamus, ut verè aliquid significent, quamvis ex hac fictione audiens decipiatur, ut decepti fuerunt discipuli à fictione Christi, nullum peccatum habemus.

74. Astesanus libr. 1. tit. 18. art. 7. ante quæst. 2. refert, & approbat Doctrinam Rodonensis, quam habet lib. 1. de juram. §. 3. V. *de credulitate*, quam retuli num. 71. In tit. 36. art. 5. excusat Jacob à mendacio eo modo, quo alii supra relati faciunt, unde supe. fluum puto textum referre.

75. In fine ejusdem articuli scribit: Imperfectus de quæsito ad mortem debet celare veritatem, scilicet *sophisticè*, vel figurativè quærentes deludendo, vel omnino tacendo, vel expressè se non indicaturum asserendo. (Ecce sophistica, & figurativa responsio.) Vel ex Hostien. de pœnit potest responderi: Si talem quæris, curre illuc cito. Ita tamen, quòd sibi ostendatur alia via, quam fugiens teneat; Vel alius locus . . . ubi latet. Vel sic: multi domum istam intrant, & exeunt, quos non video, *nescio ubi sit*, idest in quo angulo domùs; Vel sic: non vidi eum, *lia est*; possum enim intelligere, illud, *lia*, sicut velo; Vel sic: *non est hic*, idest *in loco ubi sum*. Ecce quot Amphibologiæ! Hic textus nequit ulla responsione infringi Idem Author lib. 2. tit. 27. quæst. 5. ex Div. August. in quæstionibus Evangel. approbat illam Doctrinam, quam ex Rainerio retuli num. 73.

76. Scotus in 3. dist. 38. quæst. Unic. §. *ad Argumenta*. vers *ad illud de Jacob* in fine scribit, quòd non est necesse excusare Patriarchas Antiquos à mendacio, cum nec à mendacio semper excusemus nostros Sanctos, qui habuerunt Gratiam copiosiorem. Subdit tamen Scotus, quòd, si quis eos vellet excusare, dicitur, quòd tales sermones possunt intelligi figurativè, *vel sub alio intellectu, quem verba primò exprimunt*. Sed circa tales intellectus non oportet immorari. Nota illa Verba: *Vel sub alio intellectu, quam verba primò exprimant*; Igitur per Scotum illa Verba, Patriarcharum, quæ videntur mendacia, habent duplicem intellectum, unum, *quem Verba primò exprimunt*; & alium, *quem secundò verba significant*. Primus est falsus, & hunc Patriarchæ non intenderunt, sed secundum; & sic mendacium non dixerunt. Igitur etiam ego dicam Sicario: *Petrus non est hic*; Hæc verba *primò exprimunt* existentiam in loco, & hic sensus est falsus. Secundò exprimunt comestionem, & hic sensus est verus, & hunc ipse intendo Ergo ego loquor eo modo, quem Scotus defendis à mendacio, & à peccato. Ergo Scotus clarè est pro me.

77. Albericus de Rosato Ver. *Simulatio* allegans Joannem de Friburgo in sua Summa Confess lib. 3. tit. 34. de pœnitent. & *remiss.* quæst. 252. dicit cum Augustino de quæstionibus Evangel. quòd, quando fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua significatio veritatis; & ita Christus finxit se longiùs ire ad aliquid figuratè significandum, de hoc dixi supra num 73. Ulteriùs sicut licet fallere aliquem *in duplicitate Verborum propter aliquam fin*, *vel proximi utilitatem*, ita etiam licet & per opus intentione utilitatis consequentis ad talem simulationem; Sicut David mutavit faciem suam coram Achis Rege, 1. Regum cap. 16.

78. Ecce clarè, & expressè Joannes de Friburgo, & Albericus dicunt licere uti *duplicitate verborum*, & factorum propter aliquam utilitatem inde consequentem. Duplicitas autem verborum, quid est aliud, nisi æquivocatio, & ambiguitas? Et nota præcipuè, quòd assumit ad probandam simulationem, & duplicitatem facti *usum de duplicitate verborum*. Ergo tempore Joannis de Friburgo, & Alberici non vertebatur in dubium *de licito usu duplicitatis verborum*. Sed hoc supposito tanquam noto progreditur ad probandum ignotum. Ex notis enim, & concessis progredimur ad ignota. 79. No-

79. Nota, quòd Joannes de Friburgo allegat pro se Ulricum lib. 6. tractat. 3. c. 28. circa principium. Hic ergo textus est trium Doctorum famosorum Antiquorum. Nota etiam pro faciliori inventione textùs Joannis de Friburgo, qui reperitur quidem libr. 3. tit. 34. quæst. 252. Sed non sub tit. *de pœnitent. & remiss.* Sed sub titulo *de judiciis peccatorum*.

80. Hic refero alium textum ejusdem Joannis in eod. tit. 34. sed sub rubricella *de Confessionis celatione*, quæst. 98. ubi dicit ex Glossa Raymundi de pœnitent. & remiss. § 59. Ver. *peccata sua* quod si Prædo, vel Tyranus interroget Confessarium, qui scit depositum, & debitum pœnitentis, debet Confessarius vel tacere, vel transferre sermonem ad alia, vel respondere *sophisticè*. Responsio sophistica meo judicio eadem est, ac amphibologica. Vide num. 72.

81. Summa, quæ destructorium vitiorum dicitur, par. 4. c. 7. n. 3. ait: quòd Divus Augustinus quæstionibus super Genes. & ponitur 22. c. *quæritur*, excusat Iacob à mendacio, quia dicendo se esse Esau primogenitum, non dixit se esse Esau primogenitum in nascendo, sed jus primogenituræ illo vendente rite adeundo. Sic & Christus Ioannem dixit esse Heliam non persona, sed imitatione Virtutis. Hæc explicatio est juxta D. Gregorium homil. 7. in Evang. Ecce idem nomen significat personam, & imitationem personæ. In uno sensu accipitur à loquente, in alio ab audiente.

82. Idem Author longè ab illo textu loquens de facto Abraham dicentis, Saram esse suam Sororem, sic scribit: Respondet Augustinus in quæstionibus de Genes. quòd Abraham voluit celare veritatem, non mendacium dicere; In hoc, quòd rogavit illam, dicere se esse Sororem suam, non docuit eam mentiri, nam erat filia Fratris sui, & mulieres, & viri de eadem cognatione propinqua *Fratres*, & *Sorores* nominabantur; Unde Genes. 13. Abraham vocavit Loth nepotem suum fratrem suum: *Unde & perfectus homo potest licitè* pro salute sua, vel alterius aliquando non mentiri, *sed sub simulatione in verbis, & insignis veritatem celare.* Unde Hieronymus simulationem in tempore assumendam Iheù Regis Israel docet exemplum, qui non potuisset interficere Sacerdotes Baal, *nisi finxisset se idolum velle colere* . . . Hæc Hieronymus; & ponitur 22. quæst. 2. c. *utilem.* Et isto modo Abrahaam *per Uxoris suæ simulationem evasit mortis* periculum, & in hoc, ut dicit Augustinus, ostenditur, quòd nemo debet tentare Deum suum, dum habet, *quod rationabili Consilio faciat.* Ecce *simulatio in verbis licita.* Tota autem simulatio Abrahæ sistit in eo, quòd dixit, Saram esse *Sororem suam.* Nota, quòd hæc simulatio verbalis erat licita, quia agebatur de vita Abrahæ; Ergo extra talem necessitatem sic loqui non licebat. Ergo nomen illud, *Soror*, habebat duplex significatum, in uno quorum solùm posset accipi in tanta necessitate; si enim habuisset unum tantùm significatum, potuisset illo uti sine necessitate; Unde Sara absque necessitate poterat dicere: *Ego sum neptis Abrahæ.*

83. Progreditur idem Doctor, & in fine illius Paragraphi sic scribit: Ex istis patet, quòd Abraham Uxorem suam non voluit mentiri, sed mortis periculum *per suæ Uxoris licitam simulationem* evadere; & quamvis omnis duplicitas in signis, aut in verbis ut communiter sit peccatum; tamen ubi fieri potest, ad evitandum majus periculum, servata veritate, *est licita.* Unde Augustinus in quodam Sermone, desinunt, inquit, esse peccata, quæ propter graviora peccata vitanda accipiuntur. Sicut enim in rebus utilibus non vocatur damnum, quod propter majus lucrum admittitur; Sic in rebus Sanctis non vocatur peccatum, quod admittitur, ne gravius admittatur. Hæc ille. Ecce evidenter quòd hic Doctor fatetur, *omnem duplicitatem in signis, & in verbis esse peccatum communiter*; tamen, si hæc duplicitas, etiam in verbis, fiat ad vitanda majo-

majora peccata, est licita; servata tamen veritate. Et credit, quòd hæc Doctrina ab allato Augustini textu probetur. Ergo per hunc Doctorem possumus uti *verbo duplici*, idest habente duo significata; & sic *verbo æquivoco*; & hoc etiam in occasione responsionis ad interrogata, ut fecit Abraham; *servata tamen veritate*, hoc est, ut utamur illo verbo in sensu, quo est verum, ut fecit Abraham.

84. Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 2. art. . . . . Concl. dicit, quòd sicut is, qui non tenetur dicere veritatem proferendo verbum verum secundùm intentionem suam, licèt falsum secundum intentionem audientium, non mentitur, ut Christus dicens, Solvite templum hoc, &c. Sic faciens aliquod factum non ut fallat, sed ut veritatem significet, vel ad aliquod bonum, *licèt ex illo facto aliqui significativè eliciant falsum, non mentitur facto*.

Ecce conceditur loqui in uno sensu, quamvis in alio sensu intelligatur ab audiente, & decipiatur. Ergo licet loqui, & loquutio habeat duplicem sensum, unum verum, & alterum falsum, ut patet in exemplo Christi dicentis: *Solvite templum hoc*.

85 Lyranus in c. 12. Genes. in Ver. *Dic ergo obsecro te, quòd Soror mea sis*; Scribit: Non docuit eam mentiri, sed veritatem occultare cautè; Mulieres enim, & Viri de eadem cognatione propinqua fratres, & sorores nominabantur, &c. eadem Habent Abulen in Genes. c. 12. quæst 32. Gabriel in 3. dist 38 litt. M. & N. Ecce Lyranus excusat Abraham, ut alii faciunt, quia usus est nomine, *Soror*, in sensu minùs proprio, pro ea scilicet, quæ est de cognatione propinqua, cum aliàs propriùs significet eam, quæ est de eodem Patre, vel Matre; & in hoc alio sensu Ægyptii illud nomen intellexerunt; Unde observat Author, quòd Ægyptii Abraham bene usi sunt propter Saram, credentes, quòd esset Frater ejus, & non Maritus: Ergo per Lyranum Abraham usus est nomine *æquivoco*.

86. Joannes Nider in Precepto 1. Decal cap. 15. litter. D. scribit: Tamen Uldaricus dicit: Si quis dat per aliquod opus, vel *per verbum duplex* aliquid intelligere, *quod non est*, non intentione fallendi, sed intentione utilitatis consequentis, talem simulationem non esse peccatum. Nota hunc textum esse, etiam Uldarici.

87. In Præcept. 8. c. 2. fin. ita decidit: Aliquis quæritur ad mortem, quem abscondit perfectus Vir. Veniunt Apparitores, & quærunt ab abscondente, ubi sit Latitans. Aut respondet, *Ibi*, & tunc erit proditor; Aut respondet, se nescire, & sic mentitur; Aut tacet, & sic prodere videtur. Ergo est perplexus. Respondet Altisiodorensis: *Debet deludere Apparitores*; Sicut dicebat Præpositivus, sic dicendo: Creditis, quòd, si ipse esset hìc, ego dicerem vobis? Ecce textum sua obscura ambiguitate diros apparitores deludens.

88. Pisanella, & ejus Supplementum Ver. *Simulatio* sic scribunt: Dicit Augustinus de quæstionibus Evangel. non semper quidquid simulamus, aut fingimus, mendacium est. Mendacium est, quando id, quod dicimus, nihil significat . . . . . Quando verò fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Et ita Dominus finxit longiùs ire ad aliquid figuratè signandum. Approbant etiam illam Doctrinam *de duplicitate verborum, & factorum*; quam ex Uldarico retuli in Nider num. 86. & alibi.

89. Gabriel in 3. dist. 38 in solut. ad 3. argumentum de simulatione Patrum ait: Si facta sunt indifferentia, quæ possunt esse signa boni, vel alicujus mali indifferenter, sic non habent rationem mendacii. *Sic Oratio æquivoca* in uno sensu vera, in alio falsa prolata, *non potest judicari mendacium*, quandiù potest habere sensum verum, & maximè si non est signum ex natura rei, sed à circumstantibus sic accipitur, *tunc enim, omnino non habet rationem mendacii*. Jam scimus, quòd ille terminus *Maxi-*

mè,

mè, non excludit alium casum magis dubitabilem,imo ordinariè, & in proprietate Sermonis includit, ut multis legibus, & Doctoribus allegatis observat Barbosa tract. de dict. usufrequ. & videri potest Barnabas Brissonius de Verb. significat: & dicit, hoc *innumeris legibus probari.* Ergo juxta Gabriel, si oratio æquivoca in uno sensu est vera, *licèt sit ex natura rei æquivoca*, omnino non habet rationem mendacii. Si nullum importat mendacium; Ergo nec ullum peccatum.

90. Henricus Herp in Speculo aureo præcept. 8. ferm. 7. fin. dixit, verè Jacob dixisse, se esse Esau primogenitum non in persona, sed *jure primogenituræ.* Et Serm. 8. prope fin. excusat Abraham, quia Sara erat ejus Soror, nam filia Fratris erat. Hic autem modus loquendi Amphibologiam, & æquivocationem importat ex dictis, & dicendis. Serm. 10. med. ait, quòd possumus vincere hostes per insidias, & per dolum. Hic nolo inquirere, an *sub dolo* Henricus possit intelligere etiam loquutionem æquivocam, & amphibologicam, expendat Lector.

91. Quod attinet ad Canonistas, præcedat ipsorum Magister Gratianus; hic 22. q. 2. c. quæritur. §. *Item opponitur, quòd Jacob*, excusat Iacob à mendacio, dum dixit se Esau, quia non dixit se Esau *nascendo*, sed jus primogenituræ illo vendente, rite adeundo. Sic dicit, quòd Christus *imitatione virtutis* Ioannem vocavit Eliam, & è contra Christus non vocavit Iudæos filios Abrahæ, quamvis natura tales essent, & hoc ideo, quia imitatione non sequebantur Abraham. Ergo per Gratianum Jacob æquivocavit se vocando Esau primogenitum.

92. Glossa adeo clarè est pro æquivoco, ut solus cæcus hoc videre nequeat. Igitur 22. quæst. 2. c. *ne quis.* Ver. *non occiditur.* quærit ibi, quid respondere debeam sicario quærenti ad mortem innocentem. Glossa primò dicit, quòd potest tacere; Secundò vel per *æquivocationem* cautè deludat interrogantem dicendo. *Non est hic*, idest non comedit hic, *sicut fecit Abraham.* Ecce expressè æquivocationem concessam, & ab Abraham adhibitam. Idem docet c. quæritur ead. V. *sororem.*

93. Henricus Hostiens: qui *Splendor Juris* appellatur, in Summ. de pœnitent. & remiss. num. 49. §. *dixisti unquam* litt. C. facit quæstionem, quid sit respondendum Sicario quærenti innocentem ad mortem? Primò dicit, quòd non sit mentiendum, quod probat authoritate Augustini, & Isidori, qui in c. *omne* 22. quæst. 2. dicit: *Omne genus mendacii fuge, nec qualibet fallacia vitam alicujus defendas. Cave mendacium in omnibus.* Secundò dicit, quòd alii affirmant in hoc casu esse mentiendum. Tertiò refert Doctrinam Beati Raymundi, quam num. 33. retuli, in qua dicebatur ultimo loco, *quod possum respondere aliquod verbum æquivocum*, putà, *non est hic*, idest *non comedit hic.* Hæc responsio non placet Hostiensi, quia putat esse contrarium Augustino, sed maximè Divo Isidoro in authoritate allata.

94. Hic Doctor est primus, & unicus, quem ex Antiquis legi, qui æquivoca respuat. Licèt autem ita expressè æquivoca neget, adhuc subjicit responsionem, quam suprà retuli ex Astesano, quæ tota ambiguitate est plena, & potest decipere plusquam æquivoca responsio. Ait ipse, quod possum dicere, *Nescio, ubi sit*, idest nescio, *in quo angulo domus latet.* Vide, quòd illud nomen, *Ubi*, per loquentem significat Angulum domùs, & audiens intelligit pro domo. Sic etiam dum dicit, quòd potest respondere, *non vidi ipsum, diu est*, possum enim *Diu intelligere, sicut volo.* Certè non potest negari, quòd illud adverbium, *diu*, plura significet, & quòd loquens pro uno tempore illud intelligat, & pro alio audiens; quin dubito, quòd hæc responsio implicet restrictionem mentalem. Item dicit, quòd potest respondere: *non est hic*, idest in loco, *in quo teneo pedes.* Si hæc responsio non est ambigua, & amphibologica, nescio, quid sit amphibologia.

95. Tan-

95. Tandem Hostiensis ait, quòd in hoc casu possum respondere, *negando simpliciter.* Nec peccabo, nec mendacium dicam. Ego credo, quòd illa verba, *negando simpliciter*, significent, quòd ego possum simpliciter, & absolutè dicere, *nescio, ubi homo quæsitus sit.* In casu tamen supponitur, quòd ego sciam, quòd homo quæsitus *latitet in domo mea.* Si hæc responsio non est apertum mendacium, non video, quodnam aliud esse possit mendacium. Proculdubio minus malum fecisset Hostiensis, *simpliciter* concedere *responsionem æquivocam* cum Divo Raymundo, quàm in casu negare simpliciter, ubi homo quæsitus latitet, dum supponitur, quòd sciat illum hominem in domo latitare.

96. Henricus Boic in c. *omnis utriusque* de pœnit. & remiss. §. *Caveant* num. 43. dicit cum Glossa Guilelm. & Ioann. de Friburgo, quòd Confessor interrogatus injustè à Principe, vel Tyranno quid sit de debito, vel deposito, cujus notitiam habet in Sacramento Confessionis, debet tacere, vel transferre sermonem ad aliud, *vel respondere sophisticè.*

97. Habes hic textum clarum trium Doctorum, Boic scilicet, Ioannis de Friburgo, & Villelmi Rodonensis, & hic textus habetur in Glossa Raymundi lib. 3. de pœnit. & remiss. §. 59. Ver. *peccata sua* fin. Vide num. 72. & Doctor loquitur de eo, qui in Sacramento Confessionis recipit notitiam debiti, & depositi. Per ipsum tamen non tenetur celare hanc notitiam sub sigillo Confessionis. Dicit ergo Rodonensis, quòd qui sub sigillo naturali scit depositum, & debitum, si interrogetur à Judice legitimè, tunc debet revelare debitum, & depositum; Si verò interrogetur *à Prædone, vel Tyranno*, tunc debet vel tacere &c. *vel Sophisticè respondere.*

Ecce juxta hos doctores ad servandum secretum naturale de deposito &c. uti licet *Sophismate*: ergo multò magis ad servandum secretum, ubi agitur de Vita licebit, uti *Sophismate*, & *Amphibologia.*

98 Joannes Turecremata 22. q. 2. c. *quæritur* excusat Abraham à mendacio, quia Sara verè erat ejus soror, *quia filia Fratris erat.* Dicuntur autem Sorores, vel Fratres *natura*, genere, *Cognatione*, Fide, similitudine, ut dicit Hugo. Quæro ergo à Turrecremata, & ab Hugo, quare Abraham non est mentitus? Respondent, quia Sara erat soror *ratione Cognationis*, & sic verum respondit. Insto: At simul, & semel, & magis propriè dicitur soror ratione naturæ; & hoc significatum est proprium, & ordinarium; Ergo Abraham juxta Turrecrematam, & Hugo usus est voce habente duplex significatum, nempe solitum, & Ordinarium, ac insolitum, & extraordinarium. Et ipse Abraham usus est in significato insolito, & extraordinario, & Ægyptii in significato solito, & ordinario. Hoc autem apertè est uti *æquivoco.*

99. In §. *item opponitur* excusat cum Gratiano Jacob à mendacio, quia non dixit, se esse Esau nascendo, sed jus primogenituræ illo vendente adeundo. Et hunc modum loquendi probat quatuor exemplis Sacræ Scripturæ. Et sic Jacob non fuit mentitus; loquebatur enim *mysticè, sivè allegoricè.* Jacob loquebatur *allegoricè*, & Isaac intelligebat in sensu proprio; Unde primò credidit, quòd ille, qui loquebatur, esset verè Esau, qui primò natus erat. Patet autem, quòd significatio *allegorica, & propria* sunt æquivoca; ergo juxta Turrecrematam Iacob loquutus est *æquivocè.*

100 Fagnanus in c falsidicus de crimine falsi num. 147. licèt Probabiliorista rigidissimus, sequitur, nos posse licitè uti æquivoco, & in confirmationem rectè affert Turrecrematam, & alios Antiquos his verbis. Si verba hujusmodi ex proprietate vocabuli, & communi usu utramque interpretationem recipiunt, & tunc non est mortale peccatum uti verbis amphibologicis; & æqui-

æquivocis sine alicujus præjudicio uti in eum sensum, quem jurans intendit, licèt is, cui juratur, illa in alium sensum accipiat, eò quòd his verbis nullum inest mendacium, ac proinde nec perjurium, & hanc doctrinam probant Alex. de Ales in 3. relatus à Turrecr. § *quæritur* post c. *hoc videtur* 22. quæst 5. n. 5.

101. Hi sunt Antiqui, quos potui invenire faventes meæ opinioni. Nunc refero illos, qui ab anno 1500. usque ad 1590. vixerunt, quique juxta Vendrochium Antiqui merentur appellari. Illos tamen succinctè afferam.

Quid sentiat Cajetanus, hìc non refero, quia supra, cum de Divo Thoma mentionem feci, hoc præstiti, & vidimus expressè esse nobiscum, & pro nobis explicare Angelicum Doctorem.

Pelbartus tom 3. Ver. *Mendacium*, multa dicit ad propositum nostrum, & in §. 9 Concedit, quòd Judici non juridicè interroganti de nostro crimine possumus respondere *utendo verbis duplicibus, & simulatis. arg. 22. quæst. 5. §. ex his.*

102. Sylvester Ver. *Mendacium* nu. 6 ait: Quando homo non tenetur respondere secundùm intentionem interrogantis, potest respondere, ita ut responsio sit vera in sensu, in quo cogitur à respondente, licèt sit falsa in sensu, in quo intelligitur ab audiente; & sic respondit Abraham, dum Uxorem suam dixit esse *sororem*. Sic etiam potest uti *loquutione duplici habens duplicem sensum*, & in uno verum, & in alio falsum. Textus clarus, & manifestus.

Ver. *Simulatio*, num. 2. cum Uld. asserit, quòd, sicut licet fallere aliquem *duplicitate Verborum* propter utilitatem sequentem, ita licet & per opus propter eamdem utilitatem. Facit c *utilem* 22. quæst. 2. hoc est dicere, quòd sicut *loquutione duplici* significante verum, & falsum licitè ad bonum finem possumus, *licèt sciamus, proximum capere inde falsum intellectum, nisi obligemur alicui ad ejus intentionem respondere, ut are, quæ duo significare potest.* .... *possumus uti bono fine, licèt alius inde capiat sensum falsum.* Sic Sylvester. Adversarii in vanum studebunt, si tractarent responsionem huic textui.

103. Tabiensis Verb. *Accusatio.* numer. 14. ait, quòd Judici interroganti non legitimè possumus secundùm aliquos *respondere sophisticè*, & hanc responsionem ait melius esse dare; Ver. *Mendacium* numer. 6. pro responsione sophistica intelligit responsionem *juxta mentem suam, & non Judicis.* Nil clarius potest dici.

104. Joannes Altenstaig Verb. *Mendacium* excusat Abraham, & Isaac à mendacio, dum dixerunt suas Uxores esse sorores, quia more illius gentis omnes cognatæ *sorores* dicebantur. Hinc per hunc Doctorem Soror ab Abraham, & Isaac accipiebatur pro Cognata, & ab Audientibus pro filia ejusdem Patris, & sic Ly *Soror* stat æquivocè.

105. Joannes Maior in 4. distinct 15. quæst. 18. dixerat Interrogatum debere prodere Judici crimen, si legitimè judex inquirat. Mox sibi objicit: si quæratur innocens ab homicida, & domum meam ingrediatur, homicidæ petenti ubi est innocens, dicam: *Non est hic.* Intelligo tertiam personam de Edo, *non comedit hic*, licèt persequens intelligat tertiam personam de *Sum.* Sine peccato ergo pro servanda mea vita sic intelligam in proposito. Possum enim tergiversationibus vitam protegere.

106. Respondeo non est simile, quia fugiens est innocens, vel si nocuit occidendo, est innocens, ut occidatur illo modo. Secus est in proposito, cum iste sit Judex, & petat juridicè. Ecce manifesta æquivocatio in ly *Est.* Paulo ante hunc textum concedit, quòd judici interroganti injustè detur responsio *amphibologica, nec imputatur ista falsitas dicenti*

107. Dominicus Soto de just. & jur. lib. 8. quæst. 1. art. 7. fin. concedit, ut judici iniquo juremus verbis sub æquivoco, vel artificiosè prolatis, & hanc

 fran-

fraudem, *& amphibologiam* non esse illicitam. Navarus tom 2. in c. *humanæ aures* quæst.2. num.10. expresse laudat, & pluribus nititur probare Glossam illam, quam vocat *solemnem*, *& receptam*, quæ habetur. c. *ne quis*.22. quæst. 2. cujus memini supra num.94. Pro illa refert D. Thomam, Angelum de Perusio, Joannem de Anania, Scotum, & Paludanum in 4. distin.35 qu. 1. art.3. concl.7. dicentem in quodam casu, posse quem celare veritatem, si dicat *verbum duplex*, quod est verum secundùm intentionem suam, licèt falsum secundùm intentionem audientis, sicut ibi: *solvite templum hoc &c.* Vide num.86.

108. Cum tot Doctores Antiqui docuerint ut licitam loquutionem æquivocam, & amphibologicam, mirum est, quomodo Probabilioristæ moderni audeant illam condemnare. Duo nunc postulo ab Adversariis, primum, ut pro se inveniant tot Antiquos, sicut ego feci pro me; & si paucos, aut nullos reperient, fateantur meam opinionem esse opinionem comunem Antiquorum. Secundum, ut afferant argumenta evidentia, & clara, quibus meritò nostra opinio antiqua proscribatur ab albo Probabilitatis, maximè cum in l. in ambiguo. de reb. dub. dicatur: quòd in ambiguo sermone non utrumque dicimus, *sed id duntaxat, quod volumus*. Ergo, dum utor æquivocatione, significo *solum* id, quod volo; sed volo significare id, quod verum est, non verò id, quod falsum est; ergo, dum utor æquivoco, & sic etiam dum utor amphibologia, verum dico, si verum dico, nullum mendacium profero, & sic non pecco; quòd si audiens decipitur, hoc provenit ex sua ignorantia, non verò, quia ego faciam contra meam obligationem, quia loquor in casu, in quò non teneor fateri veritatem, & aliàs per legem habeo, quòd prolatio æquivoci solùm significat id, quod volo

109 Nunc brevissimè me expedio à restrictione mentali. Hæc porro duplex est. Prima, quando id, quod volumus significare, nec ex ipsis vocibus, nec ex aliis circumstantiis patet; secunda est, quando id, quod volumus significare, non exprimitur per ipsas voces, bene verò si attendantur circumstantiæ. Ver.gr. furtum feci, & jam fui plenè confessus; accedo iterum ad Confessarium, & hic me interrogat: *fecistine furtum?* & ego respondeo: *non feci furtum*, quibus verbis volo significare, me non fecisse furtum *post Confessionem*; hæc restrictio, non significatur quidem à verbis, ut liquet, sed ex circumstantiis, nam Confessarii, ordinariè loquendo, non solent, nec debent interrogare de peccatis aliàs confessis; aliter nimis onerosa redderetur confessio, præcipuè in fæminis de peccatis carnis. Licèt ergo interrogatio Confessarii ex verbis sit absoluta; tamen ex circumstantiis est limitata.

110. Dicebam num 10 ab Innocentio undecimo in propos. 26. 27. & 28. damnari restrictiones mentales. Ex hoc sequitur, quòd saltem restrictio mentalis in primo sensu proscribatur. Difficultas posset esse, an proscribatur in secundo sensu; & assero, quòd non, ut bene probat Cardenas in dissertatione illarum propositionum, qui num.48. affert exemplum de eo, qui respondet ad mentem interrogantis, *licet eam non rectè percipiat, qui interrogat*, inquit Cardenas; & hoc probat authoritate D. Thomæ in 4. distin.21 quæst 3. art. 1. quæstiunc.1. ad 2. ubi scribit: si præcipiatur sub pœna excommunicationis quòd dicat, si aliquid scit de peccato, non debet dicere, *quia debet æstimare, quod intentio præcipientis sit, si sciat ut homo.* Ecce præceptum Superioris absolutum quoad verba, sed à circumstantiis limitatum ad ea tantùm, quæ quis scit ut homo. D. Thomam sequuntur Rainerius V *Confessio* cap.30. casu 3.&4. Richar. in 4 distin.21 art 4. qu 1. Guido de Monte Rocherio tract. 3. part.2 cap.11. Asten. lib.5 tit.20. quæst. 2 Palud. in 4 distin.21. quæst. 3. art 3. qui dicit ita omnes sentire de confessore, qui,

qui cogitur ad testificandum, D. Bonav. in 4 distin. 21. art. 2. quæst. 1. ad 1. quibus omnibus præiverat Alen. par. 4. quæstion. 19. memb. 2. artic. 1. in solut. argum.

111. Verùm forsan D. Thomas non omnino bene affertur, quia ipse non loquitur de confessario interrogato à Judice, sed de Ecclesia præcipiente per edictum, quòd, qui scit aliquid de peccato, *etiam per confessionem*, illud manifestet; dicit autem S. D. quòd non debet hoc dicere, licet sciat per confessionem. Per hæc verba significatur, quòd subditus non tenetur comparere coram judice, & ferre testimonium de aliqua re, si illud edictum sit iniquum; hoc verò est omnino verum, & nihil ad propositum. Sic, si Turca præcipiat, ut Christiani compareant coram ipso ad profitendam fidem, ut illos occidat, nemo tenetur obedire; at si compareant Christiani, debent clarè, & expressè dicere: Christiani sumus.

112. Sed quid erit, si aliquis sceleratus, Rex hæreticus ver. gr. urgeat Confessarium interrogando, an talis fœmina confessa fuerit adulterium, & de facto talis fœmina adulterium confessa fuerit? Respondet Cardenas num 50. ex Suario tom. 4. par. 3. disput. 33. sect. 6. num. 7. hisce verbis: melior modus est, ut responsio accomodetur intentioni *debitæ interrogantis*, quæ esse debet, an alius taliter sciat, ut respondere teneatur, quo sensu verè negat audivisse. Dices, hunc sensum repugnare interrogationi, nam qui interrogat, an audiverit in confessione, hoc ipso excludit omnem alium modum. Respondetur, id verum esse ex ejus formali intentione; illi tamen imputari repugnantiam in ipsis verbis, & interrogatione; alium verò uti jure suo respondendi juxta mentem legitimam, quæ inesse deberet. Ita Suarez, & Cardenas.

113. Respondet Richardus ubi supra q. 2. ad. 3. quòd Sacerdos tenetur dicere, se nunquam audivisse, & verum diceret, ut patet ex præcedenti quæstione. In hac præcedenti quæstione hic Doctor affirmaverat, Confessorem non mentiri dicendo non audivisse, quæ verè audivit in Confessione, quia dum interrogatur extra forum Confessionis, tunc non gerit personam Dei, secundùm quam audivit Confessionem; ergo dum interrogatur extra Confessionem, an audiverit aliquod peccatum, verè non potest dicere, quòd audiverit, quia extra Confessionem non gerit vicem illius personæ, cuius officium dum fungebatur, audivit peccatum. Hanc doctrinam Richardi affert Astesanus ubi supra quæstiuncula 3. postea subdit: potest etiam dicere Confessor, quòd de eo nihil scit, *etiam per Confessionem*, quia subintelligitur, *ut homo*; vel nihil scit per Confessionem, *quod sit revelandum nobis*, sicut dicitur Matt 24. *de die illa, & hora nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque filius hominis*, & sub intelligitur, quòd sit revelandum nobis secundùm Rodon. Hæc ultima verba habet etiam Angelus *V. Confessio* ult num. 4. Baptista Tronamala V. *Confessionis celatio* num. 8. ait, quòd debet dicere, se nunquam audivisse, & se nihil scire, & verum dicit, quia subintelligitur, *ut homo*; vel nihil scit, quod sit revelandum.

114. Pro hac quæstione videantur Adrianus, Ioannes Medina, Ioannes Maior, Ledesma, Navarus, & Dominicus Soto, quos affert Vasq. par. 3. tom. 4 quest. 93. art. 4. dub. 12. num. 8. quibus addo Caietanum tom. 1. opusc. trac. 31. resp. 5. & in Summa V. *Confessori necessaria*. Victoriam in Sum. de Sacram: num. 184. Ioannem Chappium in Summula Raym. trac. 4. par. 2 c. 3. num 12. & Bartholamæum Medinam in Instit Confess. lib. 2. c. 4. qui omnes sunt Doctores viventes in sæculo, quod iuxta Vendrochium est antiquum. Modernos recensere non juvat, quia nihili æstimantur. Interim legatur Diana pars 5 tract. 11. resol. 43. & in Coord. tom. 1. trac. 8. resol. 66.

Hæc breviter de restrictione mentali dixisse sufficiat. Qui plura desiderat, adeat Cardenas, cui, licet Moderno, magis favere debent Adversarii, quia ipse optimè evolvit propositiones damnatas ab Innocentio Undecimo, inter quas sunt damnatæ restrictiones *purè mentales*; unde in lectione solùm hujus Doctoris, meliùs quisque cognoscet, quænam sint restrictiones mentales damnatæ, & quænam minimè, quàm si plures Antiquos legeret; maximè cum non defuerint aliqui Antiqui, qui propugnaverint restrictiones proscriptas; unde Probabilioristæ non debent culpare aut Probabilitatem, aut Probabilistas, tanquam radicem, aut inventores restrictionis mentalis, quia restrictio mentalis vigebat tempore antiquo, in quo per ipsos, nec Probabilitas, nec Probabilistæ vivebant.

CAPUT XLVIII.

Textus Sacræ Scripturæ, Sacrorum Canonum, & Sanctorum Patrum allati contra Probabilatem Solvuntur.

1. MEa opinio est, juxta Antiquos licere in praxi sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam; hinc ego non teneor solvere argumenta, quæ absolutè tendunt ad probandum, non licere uti opinione minùs probabili, & minùs tuta, nam etiam ego teneo quoad praxim non posse nos illam sequi, non equidem ob argumenta allata à Probabilioristis, sed ob auctoritatem extrinsecam, præcipuè ob Illustrissimum Clerum Gallicanum, ut dixi cap 33. num. 3. Igitur solùm teneor demonstrare, textus Scripturæ, Sacrorum Canonum, & illorum Antiquorum, quibus non possumus contraire, nobis non officere, ut sic plenè pateat Lectoribus; *Probabilitatem ex principiis Antiquorum Componi*, ut titulus Libri præfert.

2. In cap. 23. & seq. solvi Authoritates, quas Vendrochius contra Probabilitatem in genere, & sic à fortiori contra minorem probabilitatem, attulerat. Duos textus omisi, quos ex D. Augustino sumpsit. De primo, cujus meminit not. 1 Epist. 5. sec. 3. § 6 & habetur lib. 3. contra Academicos c 16 egi cap.3 prius & ibi patenter demonstravi, D. August in illis libris aliud intelligere nomine *Probabilitatis*, ac intelligant Probabilistæ, & hoc doctior factus cognovit ipse Vendrochius postea tom. 2. append. 2. sec. 3. art 3 unde evidenter hic textùs nihil favet Adversario. In sec. 4. § 1 expendit alterum textum ex lib. 1. de Bapt c. 3. & c. 5. contra Donatistas, hunc explicabo commodius num. 18. Placuit eidem Vendrochio in append. 1. § 11. authoritatem Episcopi Venciensis damnantis & Probabilitatem, & minorem probabilitatem afferre. Ego cap. 25. à num. 7. prolixè respondi quoad primam partem, quoad secundum breviter nunc me expediam. Conqueritur primò, quòd asseratur, ex regula minoris Probabilitatis Confessarium obligari ad judicandos pænitentes juxta ipsam. Sive valeat minor Probabilitas, sive non, vidimus cap. 36. plures antiquos voluisse, Confessarium teneri ad judicandos pænitentes juxta ipsorum opinionem, non verò secundùm propriam, & omnes dixisse, saltem Confessarium Ordinarium debere, vel posse hanc regulam sequi; unde Illustrissimus Episcopus debebat conqueri nedùm de nostra regula Modernorum, sed etiam de regula Antiquorum. Verùm quid dixisset, si ejus Confessor sequutus vel Antiquos, vel nostros Modernos noluisset ipsum absolvere, nisi mutasset opinionem hanc suam?

3. Postea asserit, manifestè violari conscientiam per sententiam Sanchez in

in Sum lib. 2. c. 9. num. 14. & Vasq. 1. 2. dispu 26. num 14. dicentium, nos posse sequi in praxi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam retenta adhuc opposita probabiliori, & tutiori. Sed contra, quia Judex per unam cognitionem, privatam nempe, scit, Petrum non esse damnandum, per aliam tamen, nempe publicam, scit esse damnandum, & de facto damnat. Ergo quis potest tenere unam opinionem, & aliam sequi in praxi absq. violatione conscientiæ. Hoc idem patet in Subdito, & in Confessore, ut suo loco dixi.

4. Illustrissimus Author subdit: Si quis respondeat, eum, qui facit, quod probabilius putat esse peccatum, privatam sibi conscientiam fingere, qua sic agere sibi licitum putet; *Idem est profectò, ac si diceretur; propterea ipsum contra conscientiam non agere, quia sibi licitum putat contra conscientiam agere.* Sed contra, quia non sufficit dicere, hoc esse contra conscientiam agere, sed debet probari ita esse, quod modo non fit, & nos potiùs credimus Sanchez, & Vasq. quam Illustrissimo Episcopo, salva semper reverentia. Vide omnino cap. 37. num. 77. Tum quia, si displicet opinio horum Authorum, placeat nostra, qua sequimur opinionem minùs probabilem abiecta probabiliori.

5. Denique Piissimus Præsul credit, iuxta Ethnicos inter opiniones æquè probabiles dari dubium, & juxta regulam Canonicam esse in dubiis sequendam tutiorem. Sed de hoc toties dixi, & dicam iterum infra, ut superfluum sit, hìc aliquid addere.

6. Nunc transitum faciamus ad Patrem Tyrsum Gonzalez. Igitur diss. 9. c. 1. num 7. refert textum D. Thomæ ex opusc. 73. in princ. ubi scribit: Quoniam verò in dubiis, quorum veritas agnita salutaris est, & incognita periculum ingerit humanæ saluti, admodum utile est veritatem investigare; & temporibus nostris audivimus multas controversias inter Doctores, non solùm in naturalibus quæstionibus, verùm etiam in moralibus, in quibus periculum est diversa sentire, & opinari, & præcipuè in illa parte Justitiæ, quæ commutativa dicitur à Philosophis, & in ista parte ejusdem, quæ vitium usuræ cohibet; ideo circa hanc materiam veritatem declarare, & dubia elucidare, quantum Deus donaverit, & noster labor conamine pauperis investigationis nostræ attingere poterit, in hoc Opere propositum nostrum est. Ex hoc infert Pater Gonzalez, ad vitandum periculum non sufficere habere Doctores pro utraq. parte; nam D. Thomas habebat Doctores diversa opinantes; infert etiam non quodlibet probabile sufficere pro conscientia, quia quamvis tunc temporis utraq. opinio impunè defendebatur, adhuc tamen Angelicus Præceptor volebat investigare quid majus.

7. Iam scimus, hoc Opusculum 73. esse sub lite, an verè sit D. Thomæ; & ego sum à parte negativa, quia stylus mihi videtur valde diversus ab angelico. Hinc non debebat Pater Gonzalez absolutè illum referre tanquam legitimum. In hac materia difficilimè paterer tenere oppositum D. Thomæ, non sic verò alteri Doctori. Sed demus esse textum angelicum. Respondetur, de ratione Doctoris volentis obire munus Doctoris, non Historici, esse, ut diligenter examinet, & scrutetur argumenta pro, & contra; præcipuè tamen hoc debet exequi, si legit Antiquos, apud quos erant in opinione quædam, quæ postea decisa sunt. Quòd si voluisset obire munus meri Historici, ut aliquoties facit in Libris Sententiarum respondendo ad argumenta, ipsi suffecisset, quòd daretur diversitas opinionum, & pro utraq. parte adessent Doctores. Hinc aliquoties audimus Thomistas dicentes: Divus Thomas non est loquutus in propria sententia, sed in aliena. Vide cap. seq. num. 8.

8. Si prodesset referre textus dubios

Angelici Præceptoris, invenitur unus in opusc. 72. in fine Prologi; qui meo iudicio magis favet Adversariis, quàm cæteri omnes, quos ipsi afferunt. Ego adhuc à nullo legi citatum. Ibi Author proponit concordare diversas opiniones, quas in suis Operibus docuerat, & videbantur oppositæ, & postquam dixerat hoc perfecisse quoad eas quæ sibi venerant in mentem, subdit: Supplicantes, si quid aliquis invenerit à nobis non concordatum, si ei non sit magna causa dicendi, ex qua secundùm Hilarium accipienda est intelligentia dictorum, discretum, & magis exercitatum consulat; si verò non fuerit inventum, quòd simul utrumq. stare possit, id illorum eligat, *quod magis veritati consonum iudicaverit, alterum verò revocaremus*, si talis nobis *discordia occurreret*. In rei veritate hic textus est clarè contra minorem probabilitatem. Hinc aliam responsionem dare nequeo, nisi negando esse Opusculum Sancti Doctoris, quod patere puto ex stylo. Præterea ipse clarè sustinuit dictum Alberti in materia de tactu requisito ad sacram Ordinationem, & tamen oppositum docuit. Ergo in materia speculativa Sanctus Doctor clarè non retractavit *minorem probabilitatem*. Ergo facto opponitur cum eo, quod dicitur in textu huius Opusculi; ergo non est Opus Divi Thomæ.

9. In dissert. 13. c. 2. § 1. affert August. epist. 19 cuius verba habentur in c. *ego solis* 9. dist. & ponderat illa: *vel probabili ratione*, & dicit per probabilem rationem intelligi rationem validam infra evidentiam, quæ partem illam reddat ita verisimilem, ut vi illius possit vir sapiens iudicare, rem esse veram, quod nunquam facere poterit, nisi ratio illa manifestè præmineat rationibus partis adversæ; quibus etiam possit oppositam reiicere ut falsam.

Sed contra ex dictis cap. 3. num. 43. quia conclusio nequit esse nobilior præmissis, & communis, & certa sententia est, quòd *conclusio sequitur debiliorem partem*, ita ut si una ex præmissis sit de fide, & altera opinativa, conclusio est merè opinativa; hinc hæc propositio: Christus est risibilis, est solùm certa theologicè, non de fide, quia deducitur ab una præmissa naturaliter certa, quamvis alia deducatur ab altera de fide. Ergo implicat dicere rationem esse *verisimilem*, & adhuc hæc habeat virtutem motivam ad conclusionem veram. Habet ergo solùm vim ad conclusionem verisimiliorem, iuxta quod est illa ratio. Vide cap. 20. num. 6. ubi ostendi d. textum c. *ego solis* nobis favere.

10. Prosequitur Author, & in §. 2. princ. affert textum ex c. *relatum* 37. distin. in quo Clemens Pontifex damnat explicantes Scripturas non secundùm *traditiones Patrum*, sed per verisimilitudines. Hinc lex Dei non secundùm propriam ingenii virtutem debet *doceri*, sed ex ipsis Scripturis, *sensum capere veritatis oportet*; & ideo oportet, *scientiam* ab eo discere Scripturarum, qui eam à Maioribus secundùm veritatem sibi traditam servat, & *ut ipse possit eam*, quam rectè suscepit, *competenter asserere*. Subdit Pater Gonzalez: Hæc documenta persuadent in iis, quæ ad fidem, & bonos mores spectant, illam sententiam esse præferendam, quam sancti Patres ex Scripturis hauserunt, vel per traditionem à Maioribus acceperunt. Unde cum sententia benigna de minori probabilitate sectanda destituta sit suffragio *omni*, & *authoritate Patrum*, à veritate aliena censenda est. Isteque locus est valde oportunus ad improbandum modum procedendi aliquorum Casuistarum, qui ut affirment aliquid esse licitum, satis habent adducere aliquod argumentum à paritate, seu similitudine aliarum rerum, quæ licitæ reputantur; constatque hinc, eiusmodi opiniones sic probatas non sufficere ad securitatem conscientiæ, præsertim quando pro opposita parte sunt argumenta desum-

sumpta à Patribus, & à jure Canonico.

11. Sed contra, quia evidenter apparet, Pontificem loqui de veritatibus, quæ fide sunt credendæ, & quarum *scientiam* habere possumus. Loquitur de ea cognitione, quam *ipse possit competenter asserere*. Ergo loquitur de illis doctrinis, in quibus non dantur diversæ opiniones; quando enim dantur diversæ opiniones, Doctores unius partis nolunt, nec *possunt competenter asserere alteram partem*, ut patet in Scoto, & in aliis Antiquis oppositas opiniones sequentibus. Præterea loquitur in illis materiis, in quibus non licet arguere ex *similitudinibus*. Ergo non loquitur in materiis opinabilibus, quia in his licet taliter arguere, ut patet legenti jus Canonicum, & Civile; hinc Glossa in d. c *relatum* V. *verisimilitudines* dicit, quandoque esse licitum arguere ex similitudine, quandoque non. Vide num. 41.

12. Quando Pater Gonzalez dicit, nostram opinionem esse destitutam *omni authoritate Patrum*, patet esse falsum ex dictis cap. 33. num. 5. & seqq. Ego hoc possum dicere de opinione sua, & Adversariorum; quamvis enim pro ipsa adducantur plurimi textus, ex dictis, & dicendis patet, & patebit, nihil prorsus suffragari. Et in rei veritate plures afferuntur, qui adeo clarè nihil probant, ut ipsi hoc videre possent, si cum ponderatione illos legerent. In specie de textu Divi Cypriani hoc assero, quem refert num. 14. & ita se habet: In compendio autem est apud religiosas mentes, & simplices, & errorem deponere, & invenire, atque eruere veritatem; nam si ad divinæ Traditionis originem, & caput itur, cessat error humanus, & sacramentorum cœlestium ratione perspecta, *quidquid sub caligine, ac tenebrarum latebat, luce veritatis aperitur*. Hactenus Cyprianus. Hic textus tantùm docet regulam, qua possimus errorem deponere, & eruere veritatem, & regula sistit, ut recurramus ad *Traditionis Originem*. Quis quæso Probabilista hoc negavit? Solus Hæreticus negabit. Fide credimus, per Traditionem *veritatem erui*; Ast constantissimè negamus, nostram opinionem esse oppositam Traditioni.

13. Num. 15. refert Chrysostomum homil. 44. in Matt. Sed Pater Gonzalez, si legit hunc textum in suo codice, debebat observare, hanc homiliam esse sub lite, an sit D. Chrysosthomi. Est certum, quòd Author illius habet plures errores, & graves. Cujuscunque sit textus ille, loquitur de Fide, quænam scilicet Fides sit sectanda. De hac materia, cum sit certa, non datur opinio, sed certitudo; unde nec Probabilioritas salvaret, si oppositum doceremus. Unde Hæretici, licèt credant certos suos errores, damnabuntur. Ibidem quoque recitat textum ejusdem Chrysostom. in 2. ad Cor. cap 7. homil. 13. fin. qui quidem in meo codice est aliquatenus diversus. Nihil tamen urget, nam Sanctus Doctor dixerat, & probaverat, melioris conditionis esse Pauperem, quàm Divitem, & postea subdit dictum textum, in quo ait, nos non debere attendere, quid dicant opiniones, sed quid Scripturæ. Igitur in illa materia, & sic in similibus, & sic in certis, opinio opposita, etiam probabilior, nihil valet.

14. Num. 16. recitat textum D. Basilii exponentis illa verba psalm. 61. *mendaces filii hominis in stateris*. Hæc ibi habentur: en tibi datur libra, quæ sufficiens discrimen boni, & mali demonstrat; corporea namque pondera in libræ lancibus comprobamus; quæ verò ad instituendam vitam eligenda veniunt, per liberum arbitrium, ratione scilicet regulatum, discernimus, quod & stateram nominamus, quòd *momentum æquale ad utramlibet partem capere possit*. Sic D. Basilius. Nescio, ad quid inserviat hic textus. Quæ, & quanta paritas currat inter *Libram*, & intellectum regulantem, alibi

alibi pluries vidimus. Tum, si liberum arbitrium *momentum æquale ad utramlibet partem capere potest*, cur, quando æqualis ratio stat pro utraque parte, volunt Adversarii, debere ad unam solam partem, ad rigidam nempe, præponderare?

15. Subdit textum D. Augustini citati 24. quæst. 1. c. *non afferamus*, in quo dicitur, quòd non debemus habere stateras dolosas, in quibus appendamus, quod volumus pro arbitrio nostro dicentes: *hoc grave*, *hoc leve*; sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, & in illa, quid sit gravius, quid levius, appendamus; imo non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Hunc locum expendens Glossa ait: sunt quidam, qui subtilitate sua ducuntur, & volunt aliter interpretari divinas Scripturas, quàm debebant, & ita errant. Hucusque Gonzalez. Glossa prosequitur hæc duo verbula: *& in schisma incidunt*. Si Pater Gonzalez non suppressisset hæc duo verba, sed attulisset, tunc Lectores sui potuissent in justa statera appendere, & cognoscere verum sensum textûs, nec intellexissent pro ipso, sed pro nobis. Igitur ex Glossa patet, textum intelligi de materia clara, in qua utique, si quis falsum dicit, *errat*, *& in schisma incidit*. Scotistæ certissimè, quamvis teneant, opiniones D. Thomæ esse *minùs Probabiles*, non per hoc possunt dicere, D. Thomam *errare*, *& in schisma incidere*.

16. Refert num. 18. Textum Gregor. Nazian. Orat. 27. in quo dicit Gonzalez, quòd Sanctus Doctor tenet, non sufficere ad securitatem conscientiæ, quòd multis ita videatur, sed necessarium esse judicium ferre de veritate, *seu de veritate assecurari*, sic enim habet: At plerisque secus videtur, inquiet. Quid verò mea interest, qui rei veritatem magis curo? Hoc enim vel me condemnaverit, vel absolverit, hoc miserum, vel beatum reddiderit. At quid aliis videtur, nihil ad nos, quemadmodum neque alienum omnium. Ita D. Nazianzenus. Ego non habeo Codicem Sancti Doctoris, in quo invenire possim dictum textum; sunt enim Orationes confusæ cum aliis Opusculis, unde citatio illa in meo codice non correspondet; hinc nequeo videre de quonam subjecto illa verba protulerit, ut sic valeam habere rectam intelligentiam; juxta enim D. Hilarium intelligentia dictorum sumenda est ex causa dicendi. Si tamen Sanctus Doctor ex confessione Gonzalez *vult assecurari de veritate*; ergo loquitur in materia, de qua potest haberi *assecuratio veritatis*; & sic est de materia clara, in qua quidem nihil est curandum, quid alii dicant; sed in materia obscura, in qua nos loquimur, est maximè observandum, quid alii teneant, & afferant, nam in re obscura dicta Sapientium ex Arist. reddunt probabilem opinionem. Num. 19. recitat textum Lactantii, de quo infra.

17. In § 3. num. 20. & seqq. plures textus habet D Augustini, in quibus demonstratur, sollicitè esse quærendam veritatem mandatorum Dei, ut ea exequamur, & purificandum esse affectus inordinatos voluntatis, quia unusquisque pront affectus judicat. Hæc quis quæso negat, vel negare potest? Ex hoc tamen principio ab omnibus admisso non sequitur, ut vult Pater Gonzalez, non posse intellectum judicare veram (veritate probabili) illam opinionem, quæ contra habet rationes probabiles æqualiter, vel magis; nam D Thomas sustinuit utramque opinionem æqualiter probabilem de creatione Mundi, & minùs probabilem in quæstione de tactu requisito ad Ordinationem; & quamvis hæ sint materiæ speculativæ, sunt ad propositum, quia veritatis cognitio in omnibus est sollicitè inquirenda.

18. Num. 26. ponderat textum Augustini relatum in c. *in canonicis* 19. dist. in quo dicitur, illas Scripturas esse præponendas, quæ *a pluribus* recipiantur, iis, quæ à paucioribus recipiantur; si autem alias invenerit à pluribus, alias à gra-

à gravioribus haberi, quamvis hoc inveniri non possit, *æqualis authoritatis eas habendas puto.* Ecce, quòd à pluribus recipitur, est præponendum. Ergo opinio, quæ est probabilior ab extrinseco, est præponenda opinioni minùs probabili ab extrinseco.

19. Si hic textus favet Adversariis in uno, in altero proculdubio illis opponitur, in æquali scilicet Probabilitate, ut dicebam cap.27. num 13. Præterea, ut notant Geminianus, & Turrecremata art.2. hic, non ita debent præponi, quæ à pluribus recipiuntur, ut alia rejiciantur. Debent ergo præponi, idest, majori veneratione sunt digna, ita tamen, quòd etiam alia sint digna veneratione, sed minori. Concordat Glossa V. *præponat.* Hæc explicatio plurimùm nobis favet, qui dicimus, opinionem probabiliorem, & minùs probabilem debere recipi, & pro regula morum haberi, sed magis *Probabiliorem*, & minùs illam, quæ est *minùs Probabilis.* Præterea in hoc textu sermo est *Facti*, non *Juris;* quòd enim hic liber sit Petri, vel Pauli, est factum, non jus; in dubiis autem Facti opinio probabilior, etiam per nos, est præponenda.

20. Num.27. Supponit Author, nos interpretari, prædictum textum valere in rebus Fidei, non verò morum. Reiicit hanc responsionem alio textu Divi Augustini ex cap.10. in quo præcipuè hæc habet. *In iis, quæ* apertè in Scriptura posita sunt, *inveniuntur illa* omnia, *quæ continent Fidem, moresque vivendi.*

Sed contra, quia hæc verba & continent veram intelligentiam prioris textùs, & apertè nobis favent. Nonne *In iis*, quæ apertè *in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent Fidem, moresque vivendi?* Ego subsumo; sed quæ sunt tantùm probabilia, etiam *probabiliorìter*, non continentur *in iis, quæ apertè in scriptura posita sunt;* Ergo *Probabiliora non spectant ad Fidem, moresque vivendi.* Major est textus D. Augustini. Minor probatur evidenter; quamvis enim multi ex Probabilioristis dicant, opinionem probabiliorem esse de objecto moraliter certo; tamen nullus potest negare, ejus objectum posse physicè aliter se habere. Ex hoc sequitur evidenter, objectum probabilioritatis non contineri *in iis, quæ apertè in Scriptura posita sunt*, hæc, siquidem metaphisicè impossibile est, quòd possint aliter se habere; hinc Fides supernaturalis nequit conpati cum formidine, quòd Deus non sit loquutus ex Innoc. undecim. propos. damn.21. Ex his patet, Patrem Gonzalez impugnando Probabilitatem attulisse textum Divi Augustini apertè ipsi faventem.

21. Concludit probationes ex D. Augustino referendo textum ex homil.12. quem retulerat olim Vendrochius not. 1. in epist 5. sec.2. § 2. vers. *dabunt, credo*, & hujus mentionem feci cap. 24. num17. Relato textu Augustini addit verba, quæ Cardinalis de Aguirre tom. 1. theol. Sancti Anselmi disp 2. num.57. habet expendens dictum Augustini. Hæc audiant, & expendant, qui in rebus summi momenti, quales sunt ad salutem æternam spectantes, & ad observantiam Divinæ Legis, avidè exquirunt Doctores benignos, ut vocant, suæ cupiditati faventes; quamvis enim ii procuratores securitatem promittant, quoniam Dominus Judex est, & solis bis securitatem spondet, qui ipsius jussa intentè, diligenterque audiunt, & opere exequuntur.

Sed jam loco allato evidenter demonstravi, Augustinum loqui in materia clara, non obscura, & dicere oppositum est damnare D. Cyprianum cum octuaginta tribus Episcopis, & Patres, & Scholasticos, & Doctores omnes, qui docuerunt opiniones falsas.

22. Ex tom. 6. lib. 1. de adulter. coniugiis c. 26 affert Augustinum, qui tenet esse baptizandum Cathecumenum, qui morbo, vel casu ita opprimitur, ut nequeat tamen petere baptismum; & hanc opinionem benignam sequitur, quia *credibilius sit, eum,*

eum, si posset, dicturum esse velle Sacramentum.

Sed contra, quia collatio Sacramenti dependebat ex facto, an scilicet Cathecumenus haberet actum volendi baptisma; in dubiis autem quoad factum sectanda est pars probabilior, vel tutior. Praeterea dico, si D. Augustinus non fuisset certus, saltem moraliter, Cathecumenum habere voluntatem recipiendi baptismum, non potuisset licitè, ipsum baptizare, quia in conferendis sacramentis non possumus uti opinione probabili *de valore Sacramenti* relicta tutiore, ut patet ex propos. 1. damnata ab Innoc. Vndec. & de Baptismo est adeo certum, ut, licèt hoc negarent de aliquibus Sacramentis Probabilistae, de Baptismo hoc non audebant, ut patet ex eadem propositione. Igitur his temporibus, quando agitur de valore Sacramenti, debemus sequi vel certitudinem, vel tutioritatem, & in hac materia nec Probabilioritas saluat.

Tandem in Dissert. 8. c. 2. §. 3. iudicat, per damnationem Innocentii Vndec. propos. tertiae non esse tactam opinionem de minori probabilitate; dicit tamen, videri infirmari eius fundamentum à priori. Fundamentum erat, quòd opinio minùs probabilis sit absolutè probabilis; & sic nitatur fundamento gravi; & sic agens ex vi illius operaretur ex ratione gravi, & prudenti. Hoc porro fundamentum est eversum per Pontificem, nam, qui utitur opinione exiguè probabili, utitur opinione, quae absolutè in se spectata est probabilis. Ergo utitur opinione habente fundamentum, quod absolutè est grave. Adhuc tamen iuxta Pontificem hic operatur imprudenter. Ratio est, quia, licèt illa ratio visa fuerit magna Doctoribus, qui ob eam iudicabant opinionem illam esse probabiliorem, non tamen est gravis respectu illius, cui ea ratio apparet *exigui momenti*. Pariter ergo ex eo, quòd opinio minùs probabilis sit in se absolutè probabilis, & nitatur ratione gravi, non sequitur esse absolute probabilem mihi, cui eius fundamentum apparet *minùs verisimile*.

Cardenas in explic. proposit. damnatarum ab Innocentio Undec. disser. 4 ostendit clarè, ex damnatione illius tertiae propositionis nihil inferri contra opinionem minùs probabilem, & cap. 5. docet illam dici opinionem tenuae probabilitatis, de qua dubitatur, an sit *probabilis*. Refert ibi Lumbierium, & Filgueram dicentes, illam esse *tenuiter probabilem*, quae est *probabiliter probabilis*. His Doctoribus potiùs adhaerendum est, quàm Patri Gonzales, & aliis Probabilioristis, quia illi ex professo tractarunt de hac materia, hi verò solùm incidenter, & obiter. Tum quia est evidenter falsum, quòd illud, quod mihi apparet minus esse, quàm aliud, sit tenue, & parvum absolutè consideratum. Nam Gen. c. 1. Sol, & Luna vocantur duo Luminaria magna; & tamen Sol dicitur Luminare majus, & Luna Luminare minus. Ergo, quod est minùs respectu alteri, in se, & absolutè est magnum. Et revera si aliter dicamus, solùm, quod est maximum, absolutè posset dici magnum, quia alia possunt comparari cum majori. Dixi alibi D. Thomam, & Scotum esse duo Luminaria magna Theologiae, & si Thomista comparans Scotum cum D. Thoma, & illum vocans Luminare *minus* intelligeret, esse Luminare *tenue*, *parvum*, *mediocre* &c. *in se*, *& absolute*, procul dubio à Scotistis, & ab omnibus iure vapularet. De hoc puncto egi saepius: unde nihil est addendum. Vide numer. 37.

23. Patrem Natalem Alexandrï ex dictis pluries constat, valdè adversari minori Probabilitati; Nunc res postulat, ut textus, quos profert ex Antiquis contra nostram opinionem, explicemus, & demonstremus, nihil ipsi suffragari, aut nobis obesse.

Igitur Lib. 3. de peccatis cap. 14. regul. 13. affert illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex toto Anima, &*

ex tot-

ex totis viribus tuis; qui autem sequitur opinionem minùs probabilem relicta probabiliori, & tutiori, non implet hujusmodi præceptum; quis enim sincerus amicus habeatur, qui, ut suo commodo indulgeat, nullatenus ea curet agere, ex quibus amicum suum probabiliter offensum iri prævidet?

24. Mastrius in 2. disput. 5. quæst. 2. à num 66. & seqq. respondet pluribus textibus Scripturæ inculcantibus amorem Dei, & observantiam ipsius præceptorum quæ nedum sunt observanda, sed etiam custodienda *nimis* ex psalm. 118. & numer. 67. subiungit circa præcepta Decalogi, & alia *expressa* in criptura, Sopiniones probabiles, & sic etiam *probabiliores*, non habere locum; quia, ut dicebam ex D. Thoma, qui sequitur opinionem contra manifestum Scripturæ testimonium, non potest ab erroris vitio excusari. Circa verò, quæ *expressè* non continentur in Scriptura, sed solùm virtualiter, & implicitè, est utilis labor expositorum, inquit Scotus quæst 2. prol. fin quæ expositiones cum modo sint probabiliores, modò minùs probabiles, debent omnes esse utiles; nec enim magis, & minùs variant speciem, etiam in moralibus. Igitur, sicut per Patrem Alexandri, qui sequitur opinionem probabiliorem, in se, & à parte rei falsam, & cujus opposita videtur sibi minùs probabilis, est sincerus Amicus, & illa offensa de materiali se habet; ita dicimus de opinante minùs probabiliter, quia magis, & minùs non variant speciem; nam *licet*, inquit Mastrius num. 126. fin. *in tali casu exerceam actum, quem judico specificative illicitum juxta opinionem oppositam, non tamen illum exerceo ut reduplicativè talem, quia illum exerceo, ut a me existimatum bonum juxta opinionem, quam sequor; atque ideo ut reduplicativè bonum.* Vide c. 37. num 77. Præterea in nostra opinione non præbeo assensum parti probabiliori; & sic non judico hic, & nunc adesse offensam Dei, sed solùm assentior opinioni minùs probabili, & solùm judico objectum esse bonum; & sic multò magis in nostra opinione valet, offensam Dei de materiali se habere.

25. Author inde affert illud Apost. 1. Thessal. 5. *omnia probate, quod bonum est, tenete*, ab omni specie mala abstinete vos. Et illud Matt. *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*. Nunc negari nequit, opinionem minùs probabilem habere speciem mali, quia ejus objectum probabiliter inhonestum est. Præterea ille cæcus est, *qui opinionem falsam sequitur, cum verum lumen non cernat. Qui ergo tenue illud minùs probabilis opinionis lumen sequutus fuerit, quæ reipsa falsa est, corruet dubio procul*, &c.

26. Respondetur ad primum cum D. Chrysostomo in hanc epist. orat 11. litt. D. ubi hæc habet. Quoniam autem dixit, prophetias nolite spernere, ne existimarent, eum omnibus aperuisse suggestum, omnia inquit, probate, hoc est, eas, quæ veræ sunt Prophetiæ. Quod bonum est, tenete, ab omni specie mala abstinete, non ab hac, aut illa, sed ab omni. Omnia probate, & vera, & falsa, ut cum examinatione discernatis, & ab illis abstineatis, his verò adhæreatis; Ita enim illorum erit odium vehemens, & horum amor, *quando non leviter, & citra considerationem, & examinationem, sed exactè, & accuratè omnia fecerimus.* Hic supponimus, Doctorem excussisse diligenter, & exactè fundamenta utriusque partis, ut faciunt Scotistæ, & Thomistæ; cum autem veritas non sit manifesta, sed probabilia argumenta, inæqualiter tamen, pro utraque parte inveniantur, concludit cum Richardo de Mediavilla, *qui vult tenere primam opinionem, potest dicere ad opposita &c qui vult tenere secundam opinionem, potest respondere objectis &c.* Si sic fecit Antiquus Richardus cum aliis, cur nos ita facere prohibebimur? Si Richardus vidit illam speciem malam in nostro casu materialiter se habere, & non formaliter; & sic non venire in considerationem; Cur ita

ita nos quoque facere non poterimus?

27. Præterea Pontifices c. *cum ab omni* de vit. & honest. cler. & c. *veniens* el. 2. de eo, *qui cogn. consf.* explicantes illa verba *ab omni specie mala &c.* afferunt exempla, quæ erant in materia certò mala. Cur ergo nos erimus scrupulosi adeo, ut illa ad incertò mala extendamus? Potiùs per argumentum à contrariò debemus ad hæc non extendere.

Ad secundum, qui fuit textus Vendrochii, respondimus cap. 24. à num. 3. Legatur etiam cap. 33. num. 75. & videbitur, ex Zabarella excusari aliquem malè intelligentem jus, & *hoc propter varietatem opinionum.*

Iterum idem Author affert alias Scripturas, & textum Tertulliani, & D. Augustini desumptum ex lib. contra Academicos. Sed his omnibus alibi satisfeci, ut superfluum sit aliquid dicere.

28. Vendrochius not. 1. in epist. 5. sec. 4. § 1. & tom. 2. append. 1. § 10. attulerat textum ex D. August. lib. 1. de Bapt. cap. 3. contra Donatistas; hunc quoque placuit Patri Natali referre, qui sic se habet: si dubium, inquit B. Augustin. haberet, non illic rectè accipi, quod in Catholica rectè accipi certum haberet, *graviter peccaret in rebus ad salutem Animæ pertinentibus vel eo solo, quòd certis incerta præponeret.* Subdit alium textum ex cap. 5. idem omnino dicentem. Tunc sic instat Author: cum itaque minùs probabilis opinio, quæ libertati, & *cupiditati* favet contra legem in concursu probabilioris, quæ legi favet contra libertatem, & *cupiditatem*, incerta sit, & oppositi formidine quatiatur, ne fortè sit illicitum, quod ipsa licere docet, graviter peccat, qui minùs probabilem probabiliori, & secundùm illam agit, *quia in rebus ad salutem animæ pertinentibus certis incerta præponit.*

29. Fateor, hunc textum esse præcipuum ex plurimis, quibus Probabilioristæ nituntur oppugnare Probabilitatem, & primâ facie videtur clarè pro ipsis decidere, ut bona fide credidit Vendrochius, & mihi olim apparebat; sed rem altiùs scrutanti obuja, & clara responsio occurrit. Igitur quæro à Patre Alexandri, an, si quis probabilius judicet rectè accipi baptismum apud Hæreticos, hic peccaret accipiendo baptismum ab Hæreticis, an non. Si primum; quid mirum, si dicamus nos, in hoc casu peccaturum sequendo opinionem minùs probabilem? Nos dicimus in jis valere minorem probabilitatem, in quibus Probabilioritas ratione sui licet, & in quibus non licet Probabilioritas, nec valet minor Probabilitas. Secundum nequit dici, quia ex D. Thoma tenere opinionem contra id, quod puplicè tenet Ecclesia, non potest ab erroris vitio excusari. Cum ergo Ecclesia semper prohibuerit, & damnaverit receptionem Baptismi ab Hæreticis, erroneum est tenere opinionem oppositam. Ergo in materia de receptione Baptismi ab Hæreticis, qui incerta, & sic & probabiliora, & minùs proba bilja certis præponit, peccat mortaliter, nec potest ab erroris vitio excusari, quia in re clara tenetur scire veritatem; unde ipsa incertitudo peccatum est: in re verò obscura incertitudo non est peccatum, quia impossibile est haberi scientiam; & sic in re obscura Probabilioritas, & minor probabilitas salvant. Solet afferri alter textus D. Augustini, qui habetur c. *si quis autem* dist. 7. de pænit. sed huic plenè satisfactum est cap. 3. num. 85.

30. Urget Pater Natalis textum D. Bernardi lib. de præcep. & dispen. cap. 14. quem explanavi cap. 24. num. 34. & seq. Hic textus priùs fuerat allatus à Merenda, cui Mastrius num. 97. & alii responderant; unde non est necesse, ut in ipso amplius hæreamus. Accedit ad expendendos textus D. Thomæ ex quodl. 8. art. 13 & quodl. 9. art. 15. Sed hi textus explicati sunt ab omnibus Probabilistis

ftis, & etiam à me præcipuè cap. 23 à num 11. & seq. & ibi etiam expendi textum quodl 3. art. 10. Unde nihil aliud addendum est. Quin cap 34. num. 4. & seq ex textu quodl. 3. & 8. probavi meam opinionem. Vide infra num. 36.

31. Tandem Author in hac reg 13 sibi obiicit illud Christi dicentis, jugum suum suave esse, & leve, & nititur probare ex Augustino, & sacra Scriptura tale dici, non quia liceat in lege nostra uti regulis morum, *quæ libertati favent, & cupiditati contra præcepta*; Sed tale appellari *ratione gratiæ, & Charitatis, quas nobis copiosè infundit*. Cæterum, subdit, mores non esse informandos secundùm opiniones laxiores, quibus Dei jugum nimis emollitur, & Christiana disciplina solvitur, significat Deus Ezech. cap. 13. & tu, fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi mei, quæ prophetant de corde suo, & vaticinare super eas, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Væ quæ consuunt sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas Animas eorum, & violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent Animas, quæ non vivunt, *mentientes populo meo credenti mendaciis*.

32. Sed contra. De interpretatione illius textùs: *Jugum meum suave est &c.* vide, quæ dixi cap. 29. num. 43. & seq. & num. 20. & 21. & hic invenies, in Lege *nova, quæ est perfectæ libertatis*, non esse faciendum interpretationem, *ut contineat nimiam difficultatem*, aliàs non salvaretur illud consolatorium Christi, *Jugum meum suave est*. Vide etiam cap. 23. num. 63. & cap. 33. num. 70. Legendo cap. 29. num. 38. reperies Augustinum conquerentem, quòd, *cum Christus fundaverit Religionem*, in paucissimis, & manifestissimis *celebrationum Sacramentis*, alii velint *illam humanis præsumptionibus subjicere*. Ex his colliget Lector, quòd, sicut juxta Patrem Natalem, & rei veritatem mores non sunt formandi juxta regulas, *quæ nimis emolliunt*; ita nec sunt subiiciendi nisi *paucissimis, & manifestissimis* Sacramentis; nam quid prodest, immo quid non obest, coarctare plus justo mandatum Dei, quod est latum nimis? *Nam, etsi contemptus ex hac lassatione, & dulcedine apud quosdam* improbos *major oriatur*, habentes malitiæ libertatem; ast apud alios *bene institutos* actiones gratiarum resonabunt. *Præstabitur etiam sedulius obsequium Domino, & Patri tanta mansuetudinis, cujus mandata gravia non sunt*. Ita verbatim Gerson, & Nider, ut retuli cap. 23. numero 63. & cap. 33. numero 70.

33. Negamus ergo per opinionem minùs probabilem nimis emolliri Legem Dei, & Naturæ, nec textus Ezechielis affertur ad propositum, nam illa verba: Væ quæ consuunt pulvillos &c. juxta Gregorium magnum intelliguntur de assentatoribus, qui audaciam hominibus in peccando augent: *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui, dum mala facta hominum laudibus efferunt, augent*, quæ reprehendere debuerant; *hinc enim per Prophetam dicitur: Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito &c.* Nunquid Thomistæ reprehendere debet opiniones Scotistarum, vel Scotista Thomistarum?

34. Idem Pater Natalis in reg 14. ut probet authoritatem unius, vel *plurium Scriptorum* non conciliare securitatem moralem opinioni, assert plures textus, quibus alii Probabilioristæ impugnant nostram conclusionem. Primo loco habet textum ex cap. *ego solis, & cap. neque quorumlibet 9. dist.* Hi textus, qui sunt Augustini, procul dubio sicut valide probant, authoritatem Unius Doctoris non afferre securitatem moralem, ita ille, & cap. *ego solis* evidenter demonstrant, Probabilitatem conciliare hujus-

Morum regulas ex Scriptura, & Traditione; non ex solis hominum opiniobus depromendas esse. Hanc conclusionem probat plurimis authoritatibus; de quibus tamen, cum non feriant nostram doctrinam, solùm pauca dicam. Affert textum Ezech. cap. 13. in quo sanctus Vir invehitur contra falsos Prophetas. Dicit Author, quòd Pseudoprophetæ sunt *tum Hæretici*, *tum Pseudotheologi*, laxioresque conscientiarum moderatores, qui parietem liniunt luto absq. paleis, cum figmenta, & opiniones hominum, *quæ Spiritus Sancti non habent condimentum*, *utpote in divinis Scripturis*, *& Traditione Apostolica non fundatæ*, *ædificant*; *unde totum ædificium corruat*, *necesse est*, *& usq. ad fundamenta*, *& pulverem dissolvatur*.

39 Si illa opinio, quæ non fundatur *in divinis Scripturis*, *& Traditione Apostolica necesse est*, *ut corruat*; ego infero, vel opiniones Thomisticas, vel Scotisticas oppositas ruituras in nihilum, quia, cum una ex illis sit falsa, impossibile est, quòd utraque habeat fundamentum Spiritùs Sancti, quia Spiritus Sanctus nequit fundare falsitatem Præterea Divus Thomas in pluribus quæstioibus nec Scriptura, nec Traditione utitur. Hæc pauca exempla referre sufficiat In 2.2. q. 64. art 7. q 70. art. 3. q. 71. art. 2. & art. 4. q 72. art 4. q. 75. art. 1. q. 77. art. 1. Observa, hunc articulum resolvere rationibus naturalibus, & triplici authoritate Philosophi; quamvis autem in argumento *sed contra* utatur Scriptura, nil officit, quia argumentum, *sed contra*, ponitur principaliter dubitandi causa. Dico ergo ipsa resolutio quæstionis, quæ vocatur *corpus quæstionis*, in qua Author exprimit suam opinionem, fit absq. Scriptura, & Traditione in his locis, sicut & in plurimis aliis, quos non vacat referre. Solùm hunc unum addo. In q. 147. tractat. de Jejunio octo articulis. Excepto 1 5. & 7. alii articuli resolvuntur absq. his principiis. Ipse Divus Thomas quodl. 4 art. 18. dicebat per authoritates nos certificari, quòd *res ita sit*, per rationes verò acquirere scientiam rei: *si nudis auctoritatibus Magister quæstionem determinet*, *certificabitur quidem Auditor*, *quòd ita est*, *sed nihil scientiæ*, *vel intellectus acquiret*, *sed vacuus abscedet*.

40. Scotus in 3. dist 3. quæst. 1. agitat quæstionem, an Beata Virgo fuerit immunis ab Originali. Pro parte negativa affert textus Scripturæ, Patrum, & communem opinionem. Ipse Doctor Subtilis resolvit probabiliter, *Videtur probabile*, & tenet partem affirmativam, & quamvis hæc quæstio sit supernaturalis, nullam Scripturam, nullam Traditionem, quin nullum Patrem pro se habet, sed refert duas authoritates Aristotelis. Peto nunc à Patre Alexandri, an Decisio Scoti in hac materia supernaturali, contraria communi oppinioni Antiquorum, qui pro se Scripturas, & Patres afferebant, sit in pulverem dissolvenda, an verò fuerit adeo firma, & fortis, & stabilis, ut nostris temporibus firmiter tradatur ab omnibus, exceptis Patribus Dominicanis.

41. D. Augustinns in cap. *ego solis* 9. dist. ut flecteretur ad credendum aliquod verum, voluit, ut ipsi afferrentur textus Canonicorum Authorum, vel *Probabiles rationes.* Ergo per Augustinum sequitur evidenter, veritates posse determinari à *solis rationibus*, & quidem solùm *Probabilibus.* Tum quia per Aristotelem in moralibus sufficit certitudo, quæ provenit ex Probabilibus, & Probabilia ab ipso definiuntur, quòd sint illa, quæ videntur vel omnibus; vel *Pluribus &c.*

42. Affert Pater Alexandri pro se textum Augustini ex Prologo Rectractationum dicentis, tunc plures fieri Magistros contra illud Jacobi 3. *nolite plures Magistri fieri*, *cum diversa*, *& adversa inter se sentiunt.* Si hoc est

est verum, oppositæ Scholæ Thomistarum, Scotistarum, Bacconistarum &c. sustinent hanc damnatam pluralitatem Magistrorum. Hæc doctrina D. Augustini cum alia D. Bonaventuræ, quam attuli alibi, & habetur in 2. dist. 15. in exposit. Litt. dub. 3. explicatur. Dicit ibi Seraphicus, quòd Catholici Tractatores aliquid dicunt assertivè, & aliquid dicunt opinando. *Quod assertivè dicunt, in hoc non discordant, quia, quod asserunt, per revelationem Sancti Spiritus dicunt, qui non est sibi contrarius*; in eo verò, in quo opinantur, dissentire possunt, & aliquando dissentiunt, quia opinio aliquando venit ex probabili conjectura rationis, in qua homo frequenter decipitur deceptione potiùs, *quæ est pœna, quàm culpa*. Ecce expressè in *Assertionibus* non datur *pluralitas Magistrorum* apud Catholicos, datur verò in opinionibus.

43. In fine illius Regulæ Author ponit textum Gregorii Septimi lib. 3. epist. 10. In hac Pontifex conqueritur, *Ordinem Christianæ Religionis multis temporibus fuisse labefactatum, & principales, ac proprias causas lucrandarum Animarum suadente Diabolo fuisse conculcatas.* Accipe hic textum clarum contra Probabilioristas. Patet hìc evidenter, antiquitus mores adeò fuisse depravatos, ut *ipse ordo Christianæ Religionis fuerit labefactatus, & conculcata causa propria, & principales lucrandarum Animarum*. Ergo illo tempore vel aderat Probabilitas;& sic non est *inventum novum*, ut vociferantur Adversarii. Vel potest corruptio ingens morum esse sine Probabilitate; atque adeò poterimus dicere, mores depravatos nostri temporis provenire ab illo capite, quod antiquitus corrupit Christianos. Subdit Pontifex, quòd, ut ordinem corruptum Christianæ Religionis redintegraret, *Ad Sanctorum Patrum decreta, doctrinamque recurrerit, nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes, sed primam, & unicam Ecclesiasticæ disciplinæ Regulam, & tritam Sanctorum viam relicto errore, petendam, & sectandam censuerit.* Certè ordo Christianæ Religionis debet fundari in regulis certis, ita ut contrarium sit *error*. In his ergo materiis proculdubio opiniones Hominum non debent inservire *Regulis morum*; quià in his materiis iuxta D. Bonaventuram Catholici Tractatores *non opinantur*, sed *asserunt*, & Probabilistæ dicunt, in rebus obscuris, & incertis opinionem, & Probabilitatem inservire, non verò in *claris*, & *certis*.

44. Ante hunc textum Pater Natalis refert D. Bernardum ex epist. 174. sic scribentem. Nunquid Patribus Doctiores, aut devotiores sumus? Periculosè præsumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Nec verò id tale est, quod, nisi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omnino diligentiam prateriisse: Hic textus apertè est contra ipsum Doctorem. Doctor mellifluus arguit illis verbis Lugdunenses, quòd ausi fuerint *repentina novitate* celebrare *Conceptionem Beatæ Virginis*. Pater Alexandri debet fateri, omnes Ecclesias Orbis, & omnes Episcopos, & cujuscunque gradùs recitantium Horas Canonicas, & etiam Patrum Dominicanorum, celebrare Solemnitatem *Conceptionis Beatæ Virginis* dicendo: *Conceptionem Beatæ Mariæ Virginis* devotissimè *celebremus*. Si ergo ille textus est ad suum propositum, cogitur fateri, ex sola hominum opinione ptovenire morem colendi Conceptionem Beatæ Virginis in toto Orbe.

45. In reg. 17. firmat illam regulamCanonicam: *In dubiis tutior pars est eligenda*, & pro illa refert cap. *ad audientiam* cap. *significasti* de homic. cap. *illud* de Cleric. excomm. & can. *si quis positus*, & *si quis autem* dist. 7. de pœnit. & Clem. *exivi* de verb. signif. cap. *juvenis* de sponf. cap. *Dominus* de secun. nupt. & cap. *inquisitioni* de fonteu. excommun. Divus Antoninus par. 3. tit. 5. cap. 2. § 9.

fin.

fin. scribit. *Adde etiam, quòd in his, quæ concernunt forum conscientiæ*, in dubiis tutior pars est eligenda, de spon. cap. juvenis, *nec tamen de facili opinio contraria condemnanda.* Nota hæc ultima verba. Alibi dixi, illud axioma intelligendum esse, ut verba sonant; & sic valere in Dubiis, non in *Probabilitatibus*, & opinionibus. Vide cap 6. Hæc doctrina colligitur clarè ex Nider par. 3 cap 11. in consolat. timor. conscien. ubi loquens de oppositis opinionibus D. Thomæ, & aliorum Doctorum ait. *Tutior* est gradus comparativus præsupponens *positivum*, scilicet aliam tutam esse opinionem. Patet illud, quia tutiores videntur esse opiniones *prælatæ* aliorum, quàm quas Sanctus Thomas ibi docet. Ibi tenet D. Thomas, peccatorem non obligari statim ad confessionem contra oppositam aliorum Doctorum. Ecce evidenter juxta Nider, quando adsunt plures opiniones oppositæ Doctorum, tunc tutior, idest quæ nullum periculum habet, non est de necessitate sectanda. Addo, textui ex cap. *illud* de cleric. excomm. debere etiam respondere Patrem Alexandri. In illo dicitur, quòd quidam Episcopus credebat, se non peccare celebrando contra sententiam latam à Judice delegato, eò quòd ipse Episcopus nec ante, nec post admonitus fuerat ab illo Judice de iudicio, & de sententia. Ergo probabilius judicabat, se non teneri ab illa sententia; adhuc ille Episcopus erat culpabilis. Ergo nec Probabilioritas salvat.

46. In cap. juvenis Pontifex dicit: Quia igitur *in his, quæ dubia sunt, quod certius æstimamus*, tenere debemus; tamen propter honestatem Ecclesiæ, quia ipsa coniux ipsius fuisse dicitur, tum propter prædictam dubitationem mandamus, quatenus consobrinam ipsius puellæ, quam postmodum duxit, dividas ab eodem. In cap. *inquisitioni* obligatur coniunctus in matrimonio, & habens conscientiam probabilem, & discretam de invaliditate, ut reddat debitum, sed non petat. Assignent, quæso, rationem, cur in cap. *juvenis* dirimatur matrimonium, non verò in aliis, & magis videbatur solvendum in cap. *inquisitioni*, cum dubium esset probabile, quod majus est juxta Adversarios, quàm simplex dubium. Igitur debemus dicere, in cap. juvenis *dubitationem* non fuisse causam sufficientem solvendi matrimonium, nam tolerabilius est ex cap *licèt* el. 2. de test aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quàm coniunctos legitimè contra statuta Domini separare. In cap. *Dominus* rectè deciditur, quòd, qui existimabant esse dubitandum de matrimonio, debitum non poterant petere, quia *in dubiis tutior pars est eligenda.* Ergo poterant petere, si dubitationem exclusissent; dubitatio autem ex dictis excluditur nedum à scientia, sed etiam ab opinione. Vide cap. 6. & cap. 19. num. 19 Vide Mastrium num. 84. qui priùs responderat huic textui allato à Merenda. Vide cap. seq. num. 24. & seq

47 In reg. 19. probat, dubium resultare ab opinionibus æqualiter probabilibus. In cap. 32 num. 43. respondi universaliter omnibus, quæ hìc afferuntur, & num. 41. peculiariter respondi textui ex D Bernardo, & num. 45. textui ex cap. *nervi.* Nunc breviter solvo alios textus In cap. *illud* de præsumpt. vocatur res dubia in casu, in quo erant rationes pro utraque parte *In huiusmodi dubietate.*

48 Respondetur, in rei veritate consideranti rationes à Pontifice allatas, non fuisse sufficientes ad Probabilitatem generandam; & sic rem illam verè remansisse dubiam; hinc Pontifex, ut decideret casum, respexit ad aliam rationem, famam nempe loci; qua constabat, Virum tenuisse quandam fœminam in lecto, & in mensa tanquam uxorem, hinc Glossa V. *fama loci* scribit. Est hic argumentum.

quòd fama sufficit ad probationem, si aliæ præsumptiones coadiuvant, ita quòd cum fama faciunt probationem, & ita hic, *quæ non prosunt singula, multa juvant.* Ergo, ego infero, rationes allatæ ante *famam loci* non sufficiebant pro probatione matrimonii, & sic non erant probabiles. Tum quia in hoc capite quæstio erat *de facto*, non *de iure*; fama enim, ex qua concluditur ibi matrimonium, est *de facto, non de iure*; nostra autem quæstio est de iure.

49 Sed minus suffragat cap. *veniens* depræsby. non bapt. Quæstio erat, an ordinatus ante baptismum recepisset Ordinis characterem. Pro parte negativa afferebatur ratio, quòd, cum Baptismus sit fundamentum, nullum Sacramentum recipiatur ante ipsum. Affirmans hac ratione nitebatur, quòd non solùm per Sacramentum Fidei, sed etiam per fidem Sacramenti homo Christi membrum fiat, & qui Christum habet in corde per fidem, habeat fundamentum, quod est Christus Jesus. Utraque pars probabilis erat, & tamen Pontifex respondit: *In hoc dubitabili casu, quod tutius est, sequentes, mandamus &c.* Ecce dubium inter probabiles rationes.

50. Sed contra, & nego partem affirmantem fuisse, etiam illo tempore probabilem, quia, ut refert ipse Pontifex in eodem § jam *in Concilio apud Compendium legitur constitutum, quòd si quis in præsbyterum ordinatus deprehenderet, se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.* Hic textus approbatus etiam fuerat in cap. 1. hujus tituli. Si ergo pars negativa erat expressè decisa, qui Pate Alexandri poterat dicere, partem affirmantem esse probabilem? Jam constat ex dictis ex D. Thoma quodl. 3 art. 10. propositionem esse erroneam, quæ opponitur ei, quod publicè tenetur ab Ecclesia. In *hoc* ergo *dubitabili casu*, licèt pars minùs tuta visa fuisset probabilior, (Patri Alexandri) debebimus sequi id, quod tutius est.

51. Tandem ad probandum inter opiniones probabiles adesse dubium refert cap. *Fraternitatis* de frigid. & malef. in quo lata fuerat sententia nullitatis matrimonii *ex errore probabili*; & tamen Pontifex ait, rem tunc temporis fuisse dubiam: *quandiu articulus iste dubitabilis erat.*

Sed hic textus, salva reverentia, nihil iuvat; nam in re verè dubia non est dirimendum matrimonium ex d. cap. *inquisitioni.* Ergo in hoc casu ly *dubitabilis* non debet accipi *propriè*, sed impropriè. Ibi dirimitur matrimonium, quia constabat, quòd fœmina nunquam poterat esse mater, aut coniux, *tanquam cui naturale deesset instrumentum*. Ergo tunc dabatur certitudo moralis de nullitate matrimonii. Quamvis autem certò moraliter erat, illud matrimonium esse nullum, adhuc articulus iste erat *dubitabilis*, quia certitudo moralis fundatur in opinione, quæ ex cap *à nobis* el. 2. de senteut. excom. sæpe fallit, & fallitur; & in hac potentia fallendi fundatur hæc *dubitabilitas*, quæ in rigore debet dici formido. Sed nos non loquimur de hac *dubitabilitate*, quæ est ipsa formido, sed de alia, quæ distinguitur à formidine, & opinione, ut patet ex cap. 6. num. 24. Huic textui debet etiam respondere Pater Alexandri, quia, si dirimitur matrimonium; ergo saltem probabilius erat, esse nullum. Ergo etiam Probabilioritas importat dubitationem.

52. Universaliter pro responsione ad Sacros Canones observandum maximè est, utrum textus fundetur in decisione illius capitis, si enim non fundetur in ipsa, tunc forsan textus ille non debet accipi in stricta significatione, ut dicebam textibus ex cap. *fraternitatis*, & cap. *veniens*. Hoc patet in cap. *cum contingat* de ætat. & qualit. &c. Dicitur ibi, quòd ab Abbatibus per primam tonsuram iuxta formam Ecclesiæ datam *Clericalis Ordo* confertur. Theologi, qui omnes negant, primam tonsuram esse Sacra-

Sacramentum, dicunt illa verba, *Clericalis Ordo*, accipi impropriè, & subdunt, mirum non fuisse, Pontificem vocasse primam tonsuram *Ordinem Clericalem*, quia tunc quæstio non erat, an prima tonsura esset *Ordo*, sed an Abbates possent conferre Ordinem Clericalem. Debebat ergo decidere hanc secundam, non primam; & sic, si vocavit primam tonsuram *Ordinem*, non est multum ponderandum, tanquam per accidens dictum, an loquutus fuerit propriè, vel impropriè

53. Idem Auctor in alio Opusculo tractavit de Probabilitate, nempe in suis Epistolis. Vidi olim libellum complectens omnes Epistolas; nunc illas ex parte habeo in tom. 2. operum ejusdem Patris Alexandri excusso Venetiis apud Nicolaum Pazzana anno 1705 Igitur in prima Epist. quæ dicitur quadragesima sexta, conqueritur, quomodo à Theologo Catholico possit impugnari illa sua propositio: *Extrinseca Probabilitas ex unius, vel plurium Scriptorum auctoritate petita opinioni morali securitatem conciliare non potest.* Subdit, hanc suam propositionem fundari in Sanctis Patribus Basilio &c. & contrarium fuisse damnatum ab Academiis Parisiensi, & Lovaniensi, necnon ab Innocentio Undecimo in illa propositione: *Generatim, dum probabilitate &c.* Vide numero 37.

54. Quidam Anonymus impugnaverat hanc doctrinam, quia ignari, rudes, scrupulosi ex auctoritate Confessarii dirigunt rectè suam conscientias; ergo extrinseca probabilitas *Unius* sufficit ad mores. Sed Pater Natalis dicit, quæstionem non esse de his rudibus, ignaris &c. quia hi excusantur non ob extrinsecam opinionis Probabilitatem, sed ob *ignorantiam invincibilem*. Ego etiam credo, quæstionem nostram non esse de his rudibus &c. sed addo, hanc ignorantiam invincibilem fundari in extrinseca Probabilitate Confessarii.

55. Hic est Controversiæ cardo, inquit Pater Alexander, utrum Pastor, vel Doctor opinionem in praxi minùs probabilem, relicta probabiliori, tuta conscientia sequi possint, & utrum ex duabus opinionibus, quarum altera favet *Cupiditati, & corruptæ libertati* (Antiqui dicebant modestè, *quarum altera est benigna*) contra legem, altera stat à lege contra cupiditatem, simul concurrentibus, Christianus homo tuta conscientia illam amplecti possit, quæ blanditur cupiditati, & libertati favet, illa posthabita, *quam scit, vel scire tenetur, consonam esse legi.* Id non posse meritò asservi, constanterq propugno, & Probabilitatem extrinsecam, immo & intrinsecam, sed *minorem*, quæ omnem oppositi formidinem, seu omnimodam hæsitationem in illa hypothesi non excludit, securitatem hujusmodi opinioni minùs probabili in concursu probabilioris conciliare non posse.

56. Ego pro certo habeo in materiis, *quas scire possumus, & tenemur*, etiam *Probabiliorıtatem* non sufficere; quia in hoc casu, inquit D. Thomas, ipse *error peccatum est*; tunc si quis, nedum probabilius cognosceret, sed etiam certò *crederet*, fornicationem esse peccatum veniale, hic fornicando non peccaret venialiter, sed *mortaliter* per Doctorem Angelicum quodl. 8. art. 15. Sed difficultas non est de his materiis. Quæstio est de materiis dubiis, & obscuris; hinc dico, quamvis Thomistæ credant, Scotum esse minoris authoritatis D. Thomæ; tamen possunt acquiescere in conscientia opinionibus benignis Scoti, in quibus nondum datur certitudo, & differt ab Angelico Præceptore.

57. Pro confirmatione hujusce suæ regulæ affert textum ex 3. Reg. cap. 13. ubi cuidam Prophetæ Deus præceperat: *non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam, qua venisti*: Alter verò Propheta fefellit eum dicens, quòd à Deo acceperat,

perat, ut ipsum reduceret secum per illam viam, vt comederet &c. Credulus Propheta fidem habuit, & reversus est, & contra præceptum Dei ibi comedit &c. Deus iratus in pœnam transgressionis fecit, ut occideretur à Leone. Ecce quòd authoritas Prophetæ non valuit excusare à peccato.

58. Sed quis non videat, hoc exemplum nihil probare ad propositum? Probat solùm, quòd authoritas omnium hominum nihil valet in materia clara, & certa, de quo non est difficultas. Ille Propheta certò sciebat, Voluntatem Dei esse, quod non comederet in illo loco; ergo fuit levis corde, dum citò credidit alteri homini oppositum asserenti. Dicebam, opiniones falsas illorum Antiquorum excusasse homines operantes antiquitus juxta ipsas, in his verò temporibus non excusare. Ratio diversitatis evidens est, quia antiquitus res erat obscura; & sic opinio humana habebat securitatem; nunc verò res est clara; & sic opinio non habet locum, sed sola veritas. Meminerat hujus textus Gonzalez disp. 14. num. 84. & retulerat Cornelium à Lapide explicantem, quòd Propheta peccavit, quia clarè sciverat voluntatem Dei. Hoc idem solùm probat textus D. Thomæ, quem dicit, esse disertum pro sua opinione, & est articulus decimus quodl. 3. ut evidenter monstravi num. 36. & cap. 34. num. 5. & seqq. Etiam affert textum ex D. Bonavent., quem attulerat priùs Pater Gonzalez, & cui respondi cap. 19. num. 7. & seqq. unde nihil est addendum.

59. In Epistola sequenti agit iterum de Probabilitate, & docet, esse reum lethalis culpæ, quisquis opinionem erroneam, *aut minùs probabilem* in materia morum veræ, & probabiliori *anteponit*, *& secundùm illam agit*. Ego infero consequentiam à sensu à contrario; ergo non peccat mortaliter, qui opinionem minùs probabilem *falsæ*, *& probabiliori* anteponit. Sed sæpe ex Aristotele falsa sunt probabiliora veris; ergo sæpe quis non peccat mortaliter, si anteponit opinionem minùs probabilem *falsæ*, *& probabiliori*.

60. Prosequitur Author: De Probabilitate quæstio est, ex duabus opinionibus, quarum una stat à lege contra libertatem, altera favet cupiditati, & libertati contra legem, *prima*, quæ probabilior, sola vera est; *hanc igitur sequi*, *& secundùm illam agere oportet*. Ne morer hominum judicia, inquit S. Basilius Epist. 82. sed per Evangelica præcepta absolutè instituar, quæ neque cum temporibus, neque humanarum rerum circumstantiis mutantur, sed eadem permanent ita perdurantia, ut à veraci, ac beato ore prolata sunt; Homines verò similes sunt nubeculis pro ventorum immutatione ad aliam, atque aliam aeris partem jactatis.

61. Sed contra evidenter, nam omnes Probabilistæ apertè negant, solam opinionem probabiliorem *esse veram*, quia ex Arist. falsa sæpe sunt probabiliora. Quomodo ergo Pater Alexandri sine probatione oppositum asserit? Textus ille D. Basilii valet, quando Evangelica præcepta clarè dantur; si enim probabile est, quòd non detur præceptum Evangelicum de confitendis circumstantiis aggravantibus, quare tu vis certam obligationem imponere, maximè cum juxta D. Augustinum, & D. Thomam 1. 2. q. 107. art. 4. Christus voluerit fundare suam Religionem *in paucissimis*, *& manifestissimis celebrationum Sacramentis*.

62. Mox Pater Alexandri ait, pro se esse D. Bernardum de præcep. & dispen. cap. 24. & subdit se nihil novi dixisse, *neque enim*, inquit, *velim esse singularitate famosus*. In hoc verum omnino dicit, dum asserit, se nolle esse *singularitate famosum*, nam ex dictis constat, textus omnes, quos contra æqualem, & minorem Probabilitatem protulit, fuisse priùs ab alii

Proba-

Probabilitate expensos; & in specie hic textus ex D. Bernardo fuerat allatus à Merenda, & explicatus à Mastrio num. 98. Allatus etiam fuerat à Mercoro, & ipsi responderat Bordonus in Propugn. Probabil. cap. 28. & mirum est, quòd Pater Natalis non curaverit responsiones horum famosorum Scotistarum diluere, & aliorum Probabilistarum. Allatus quoque fuerat à Vendrochio, cui respondeo cap. 24. num. 34.

63. Denique in alia Epist. immediatè subsequenti rejicit contra Anonymum opinionem minùs probabilem, & asserit, sequentem opinionem minùs probabilem falsam semper falli, atque imprudenter agere. *Nonne fallitur, qui falsa pro veris approbat?* Nonne moralis imprudentiæ reus est, *qui in rebus ad salutem Animæ pertinentibus certis incerta præponit?* Respondeo etiam illum *semper falli*, qui sequitur opinionem probabiliorem *falsam*. Nonne *fallitur, qui falsa pro veris approbat?* Addo etiam illum *semper falli*, qui sequitur opinionem falsam *ut certam*. Nonne *fallitur, qui falsa pro veris approbat?* Quin *turpiùs* falluntur, qui falsa credunt esse Probabiliora, quàm qui falsa autumnant esse probabilia, sed *minùs*. Si ille est imprudens, qui incerta certis præponit in pertinentibus ad salutem Animæ; Ergo erit etiam imprudens Probabiliorista, quia Probabilioritas est de re incerta, quæ potest aliter se habere; unde habet idem omninò objectum formale, ac minor Probabilitas, & differunt solùm gradualiter. Respondetur igitur, illum non malè facere, nec esse imprudentem, qui sequitur falsum probabile in materiis obscuris, in quibus *nec tenemur*, *nec possumus scire veritatem*; aliter etiam Sancti malè fecissent, dum falsa sequuti sunt.

64. Subdit Pater Alexandri: Nonne hæc imprudentia ex pravitate cordis oritur? Num hæc cœcitas excusari potest? Nonne peccatorum nostrorum justissima pœna est, novique causa peccati? Cœcitas cordis, inquit Augustinus lib. 7. contra Julianum cap. 1. & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, cum cor superbum digna animadversione punitur, & causa peccati, cum aliquod malum cœci cordis errore committitur.

Respondetur, patere ex modo dictis, nullam hìc intervenire imprudentiam, nec pravitatem cordis; Nulla quoque cœcitas intervenit, & hoc puto omnino evidens, & à nullo negari posse. Nos loquimur de materiis obscuris, qui autem in obscuro non videt objectum, hic non est cœcus; sed ille est cœcus, qui objectum lumine circumfusum non aspicit, & aliter dicens necessariò deberet asserere, aut Thomistas, aut Scotistas esse cœcos, & fuisse quoque cœcos Patres illos, & Antiquos famosos, qui opiniones falsas docuerunt. Hæc cum sint evidentia, mirum est, quomodo Pater Alexandri adeo confidenter crediderit, in nostro casu adesse cordis cœcitatem.

65. Addit Author: Non excusatur, qui veritates ad salutem æternam pertinentes, & Christianæ vitæ officia non cognoscit, cum cognoscere potest, culpaque sua ignorat, cum ad legem Dei non attendit; cum doceri non curat, cum cupiditatem suarum propensionum, ipsisque faventes opiniones sequi maluit, quàm saniora moralis Christianæ principia; pluit enim Deus super peccatores laqueos, & lege infatigabili spargit pœnales cœcitates super illicitas cupiditates. August. lib. 2. Confess. cap. 19.

Sed contra est, quia hæc omnia dici possunt contra Probabilioritatem faventem libertati, & in specie dici possunt contra illos Antiquos, qui sequuti sunt illas plurimas falsas, & lassas opiniones, quamvis illas sequuti sint ut probabiliores. Dico ergo, nullam culpam intervenire, si in rebus obscuris veritatem non cognoscamus,

& legem Dei ignoremus, quia in his *materiis non tenemur scire veritatem*, *nec possumus*, licèt possimus opinari illud, quod verum est à parte rei; hinc non sequitur, possum cognoscere hoc esse illicitum; ergo culpam habeo, si non cognosco esse illicitum; nam Jacob poterat cognoscere esse illicitum congredi cum illa fœmina præsenti; tamen, quia non tenebatur ad talem cognitionem, error ille culpa vacavit.

66. Instat Doctor, & dicit, totam justitiam Christianam in eo esse positam, ut Dei voluntatem faciamus; hæc autem verbo Dei scripto, & tradito, non hominum placitis continetur; hinc Lactantius lib. 3. Divin. instit. cap. 13 sciant, inquit, errare, qui Philosophiam putant esse Sapientiam; non trahantur authoritate cujusquam, sed veritati potiùs faveant, ac cedant: Nullus hic temeritatis locus est; in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit; homo autem qualisqunque est, si sibi credit, hoc est, si homini credit, (ut non dicam stultus, qui suum non videat erorem) certè arrogans est, qui sibi audeat vindicare, quod humana conditio non recipit: sic ex Lactantio Pater Alexandri. De hoc textu dixi cap. 32. num. 61.

67. Si tota justitia Christiana pendet à voluntate Divina, hæc autem continetur in verbo Dei scripto, & tradito, non in hominum placitis; ergo vel Thomista, vel Scotista non habet justitiam Christianam in illis, in quibus opponuntur, quia vel unus, vel alter facit contra voluntatem Dei, & unus, vel alter non loquitur ex verbo Dei scripto, vel tradito, cum unus, vel alter dicat falsum. Ad authoritatem Lactantii, sciendum ibi nomine Philosophiæ accipere Ethicam, & nomine Sapientiæ Facultatem, quæ *beatum facere potest*. Cum ergo sit res clara, & evidens apud Christifideles, virtutem naturalem facere non posse beatum, jam patet in hoc genere opinionem humanam, etiamsi credatur probabilior, nihil in contrarium valere. Sed de hoc nostra difficultas non procedit. In fine illius Epistolæ affert textum ex eodem Lactantio ibidem. cap. 27. quem expendi cap. 27. num. 27. & cap. 33. num. 13. & ibi dixi, evidenter demonstrare nostram opinionem de æquali, & minori Probabilitate.

CAPUT XLIX.

Reliqui textus contra Probabilitatem militantes dissolvuntur.

1. Nunc solvendi sunt textus; quos habet Pater Fogarinus contra Probabilitatem, licèt etiam ipse attulerit, quos alii priores invenerunt. Igitur disp. 3. par. 2. sec. 2. à num. 68. expendit textum D. Thomæ quodl. 8. art. 13. & num. 93. dicit, summam hujus probationis consistere, quòd operans ex D. Thoma in nullam dubitationem debet adduci; habens autem opinionem, etiam probabiliorem, in quandam dubitationem adducitur; ergo hic operans non rectè operatur. Ergo volens sequi minùs tutam debet *priùs solvere rationes stantes pro tutiori*, aliàs juxta D. Thomam non posset dici habere certitudinem, quòd actio sit honesta, & non contra legem.

2. Sed contra, & peto ab Adversario, an solutio illarum rationum sit certa, vel probabilis. Si probabilis; quomodo intellectus in nullam dubitationem adducitur de inhonestate actùs, cum Probabilitas per ipsum non quietet? Si certa; quomodo invenitur certitudo in re obscura? Igitur in re obscura invenitur ratio probabilis pro opinione, & solutio probabilis argumenti contrarii; & quia nequit inveniri aliud genus probationis,

nis, Prudentia debet esse contenta *Certitudine Probabilitatis*, sicuti Ecclesia, ut approbet Opuscula Sanctorum, est contenta certitudine Probabilitatis ex Turrecremata, ut ex dictis patet. Hanc *certitudinem Probabilitatis* habet *Minor Probabilitas* ex hucusque dictis. Nota, quòd Author utitur illo textu Divi Thomæ ad probandum, nec etiam Probabilioritatem salvare. Revera, si valet aliquid, valet etiam contra Probabilioritatem.

3. Expendit à num. 107. textum ex quodl. 9. art. 15. Ex iis, quæ super hunc textum dixi cap. 23. à num. 49. & seq. adeo latè, patere potest responsio omnibus, quæ dicuntur à Patre Fogarino.

4. Refert num. 109. responsionem Probabilistarum dicentium illa verba D. Thomæ: *error, quo non creditur, esse mortale, quod est mortale, conscientiam non excusat à toto licèt &c.* intelligi de errore vincibili, non invincibili, quem scilicet aut non possumus, aut non tenemur vitare. Rejicit hanc responsionem num. 111. dicendo, solùm illum errorem excusare, quo quis per certam cognitionem, saltem moraliter, credit, aliquod non esse prohibitum, quod à parte rei est prohibitum; ille verò error, qui habetur ex cognitione probabili, cujus opposita est probabilis, non excusat juxta hunc textum D. Thomæ, quia stat cum *ambiguitate veritatis, cum qua nequit haberi bona fides excludens omnem dubitationem, ut requiritur ex D. Thoma ad non peccandum.*

5. Sed contra, quia data responsio fundatur in claro textu D. Thomæ 1. 2. q. 76. art. 3. quem ipse Pater Fogarinus affert num. 132. Inquit Sanctus Doctor, illam esse ignorantiam *voluntariam, & peccatum*, quæ est eorum, *quæ quis scire tenetur, & potest.* Nota: *scire* dixit. Addit: *Tenetur, & Potest.* Sequitur evidenter; ergo ignorantia eorum, *quæ scire non possumus, aut non tenemur, non est voluntaria:* Ergo, cum ignorantia fundata in opinione probabili non sit eorum, *quæ scire possumus, & tenemur*, ut est evidens, talis ignorantia non est *voluntaria, & peccatum* juxta D. Thomam. Vide cap. 23 num. 53. num. 60. 61. 62. ubi invenies in materiis, in quibus variant Doctores, adesse *præcipuam*, idest *specialem*, causam *errandi*, hoc est dicendi falsitatem; non verò *errandi*, idest *erroneam* opinionem sequendi, & sic non excusantem; quia varietas opinionum non est ratio *præcipua*, seu *specialis* sequendi opinionem non excusantem, imo est ratio præcipua, & specialis nos excusandi; hinc dicebam ibidem, Catholicos antiquos, qui non fatebantur peccata, excusabantur, & hoc, quia res erat obscura, & Doctores variabant; nunc verò non excusarentur, si peccata non confiterentur, & hoc, quia res est clara, & Doctores non variant.

6. Dices ex eodem Fogarino num. 131. Cur D. Thomas volens resolvere quæstionem, *an liceat habere plures præbendas*, & videns adesse diversitatem opinionum, non est usus modo, quem adhibent Probabilistæ, & est, quòd in diversitate opinionum possumus eligere illam, quam volumus?

Sed contra, nemo negare potest, aliam esse quæstionem, an *liceat habere plures præbendas*, & an *liceat habere plures præbendas* ex eo, *quia adsunt plures opiniones.* Hæc secunda quæstio dependebat à primis principiis universalissimis; illa verò prima fundabatur in principiis particularibus, quæ desumuntur ex materia Præbendarum. Hanc primam Sanctus Doctor assumpserat agitare, ut patet ex titulo quæstionis; & sic non erat locus secundæ, quæ erat difficilioris, & altioris indaginis. Præterea dico, hanc secundam illam agitavisse antea in quodl. 3. art. 10. ubi quæsierat universaliter: *utrum discipuli sequentes diversas opiniones Magistrorum excusentur à peccato erroris*; & ibi concluserat,

sequentes opinionem contra manifestum Scriptura testimonium, sive contra id, quod tenetur publicè secundùm Ecclesiæ authoritatem non excusari ab erroris vitio. Vide cap. 23. num. 43. & seqq. ubi clarè demonstro, quòd, si Divus Thomas bene agitavit hanc quæstionem, sicuti & alii Antiqui sequentes ipsum, faveat nobis. Nec, quæ habet idem Fogarinus disp. 2. subsec. 8. in contrarium, obstant, si Lector bene perpendet, quæ ibi habeo.

7. Duo alia loca expendit Fogarinus in subsec. 6. unum ex 1. 2. q. 76. art. 3. & alium art. 2. Allatis hisce textibus conqueritur cum Merenda de Probabilistis ex eo, quia inventa sententia negante aliquod esse peccatum quiescunt, nec ulteriùs progrediuntur; & hujus negligentiæ rationem aliam nequeunt assignare, nisi quia verentur, ne per ulteriorem cognitionem veritatis reddatur difficilius operari contra opinionem docentem non esse peccatum. Quæro, an Doctor ille Scotista, qui composuit libellum, cui titulus, *Scotus Moralis*, in quo refert opiniones Doctoris Subtilis, *nec habet ulteriorem cognitionem veritatis*, peccaverit mortaliter. Respondetur negativè; & tamen contra Scotum Divus Thomas tenet opiniones morales rigidas. Si dicas, opiniones Scoti esse certas moraliter. Hoc dices, sed alii præter Scotistas non tibi credent, & ut loquitur Fogarinus num. 135. *non omnes Dominicani, nec omnes Carmelitæ, nec omnes Augustiniani, nec omnes Jesuitæ* Scoti regulis *utuntur*, nec illas reputant certas.

8. Igitur Doctor aut vult loqui in propria sententia; & sic debet examinare fundamenta suæ opinionis, & insuper debet principaliora fundamenta contraria expendere, & solvere. Si verò non vult loqui in propria sententia, sed solùm referre, quæ alii dixerunt, tunc munus Historici subit, non Doctoris, ac proinde, ut dicebamus cap. 3. num. 89. nullam habet authoritatem, nec auget numerum Doctorum. Habet ergo solùm authoritatem tantam, quantam habet Doctor ille, cujus opiniones narrat. Sic se habet ille Scotista, qui fuit Pater *Bonaventura Theulo*, qui aliam laudem, & aliud nomen sibi non comparavit, nisi *Abbreviatoris Scoti*; ejus tamen labor est omnino laudandus, quia ob oculos posuit, & evidenter probavit, Scotum fuisse versatum in moralibus, & Canonicis, quod iis, qui Scotum non sequuntur, non erat valde notum. Addo pro depellenda injuria, qua inurunt Merenda, & Fogarinus nostros Probabilistas, falsum omnino esse, ipsos negligenter procedere in inquisitione veritatis. Legant Scholasticos Antiquos, & Scholasticos Modernos, Summistas Antiquos, & Summistas Modernos, & adinvicem comparentur, & videatur, an eodem modo procedant. Legantur Richardus, & Vasquez, Argentinas, & Suarez, Astensis, & Azorius, De Pisis, & Castropalaus &c. Vide num. 7. Interea Merenda, & Fogarinus expendant illud verbum, *Scire*, quo utitur in definitione ignorantiæ Angelicus Præceptor, & videbunt, aut in probabilibus dari ignorantiam invincibilem, aut scientiam in oppositis opinionibus, quod est impossibile, cum scientia sit de necessariis.

9. In sec. 3. subsec. 1. Fogarinus affert pro se varios textus D. Bonaventuræ, quos expendi cap. 19. num. 7. & demonstravi ipsi non favere. Sect. 4. rectè affert pro se Henricum Gandavensem quodl. 4. q. 33. Sec. 5. agit de mente Bacconi, sed nihil habet, ut possimus credere esse pro ipso. In sect. seqq. refert pro se alios Antiquos, & alios quasi Antiquos, quos esse pro sua opinione concedo, de quibus egi, & aliis pluribus cap. 18. In sec. 13. agit de Durando, Alensi, & Soto. Cap. 19. patefeci Alen., & Duran. non esse nobis contrarios; quin cap. 33. num. 41. attuli plures textus Durandi, qui validè nobis favent. Concedo Soto esse pro ipso; at cap. 36, numero 33. demon-

demonstravi esse pro nobis etiam.

10. In sect. 7. probat suam opinionem ex Patribus, & primò subsec. 1. affert aliquot textus D. Augustini, quos nos jam explicuimus. Unum habet num. 242. quem expendere oportet: dicit ergo D. Augustinus *de utilit. creden.* cap. 12. omne factum, si rectè factum non est, peccatum est. Nec rectè factum ullo modo esse potest, quod à recta ratione non proficiscitur. Porro recta ratio est ipsa virtus.

11. Retorqueo argumentum. Per Scotistas datur actus indifferens in individuo. Nunc quæro, an ille actus sit rectè factus, an non. Si non; ergo est peccatum; & sic non est indifferens. Si *rectè factum est*; ergo actus indifferens proficiscitur à recta ratione, *quæ est virtus*. Si proficiscitur à virtute. Ergo est bonus. Præterea Virtus est species qualitatis, non verò gradus qualitatis, ut patet ex definitione virtutis: quam dat Arist. 2. Eth. cap. 6. quòd sit habitus in mediocritate consistens, & ex D. August. lib. 83. qq. quæst. 81 quòd sit habitus Animi rationi consentaneus, & clariùs lib. 2. de lib. arb. cap. 18. cui subscribunt Theologi cum Magistro Sentent. & D. Thoma in 2. dist. 27. q. 1. art. 2. quòd *sit bona qualitas mentis*, qua nullus malè utitur. Vel ergo actus procedens ab opinione probabiliori procedit à virtute; & sic etiam procedet à virtute, si opinio erit minùs probabilis; vel non procedit à virtute; & sic textus opprimit etiam Probabilioristas. Nec reccurrat Fogarinus ad certitudinem moralem ab ipso requisitam; nam cognitio moraliter certa nec ipsa est virtus, cum possit esse falsa, quæ ratio facit ex Arist. 6. Eth. cap. 3. opinionem, & suspicionem non esse virtutes intellectuales. Igitur recta ratio operationis est ipsa virtus prudentiæ ex Arist. ibidem cap. 5. quæ cum versetur, ut dicit Arist. hic num. 8. circa ea, quæ possunt aliter se habere, sequitur Virtutem, quæ facit rectas operationes, haber e pro objecto opinionem; & sic tum probabiliorem, tum minùs probabilem, utpotè contentas sub eadem specie.

12. In subsec. 2 refert illum textum D. Bernardi: *Ego verò, ut interior oculus verè simplex sit &c.* quem alibi expendimus. In subsec. 3. affert textum D. Hieronymi in cap. 2 Lamentationis Hieremiæ dicentis: Hinc etiam per Esaiam dicitur: Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum; unde cavendum est, ne pro veritate sequamur mendacium, ne pro lumine tenebras; multæ enim sunt viæ, quæ videntur hominibus rectæ, & novissima eorum perveniunt ad profundum inferni. Subdit Fogarinus, Sanctum Doctorem non agere de mendacio manifesto, nam verbum, *Videntur*, non congruit viæ manifestè malæ; ergo agit de mendacio, & via mala habente Probabilitatem, & hanc distinguit à via expressa in præcepto: Nec declinabitis ad dexteram, nec ad sinistram.

13. Respondetur, Sanctum Doctorem intelligi de iis, qui debitas diligentias non adhibent, ut inveniant veritatem; non verò de iis, qui diligenter student, ut illam reperiant; aliter vel D. Thomas, vel Scotus in opinionibus oppositis includerentur in damnatione D. Hieronymi, si deberet intelligi de illis, qui quocumque modo falsum dicunt. Num. 261. fin. dicit Fogarinus se probasse num. 86. sequentes opinionem minùs probabilem non ignorare invincibiliter malitiam. Ecce evidenter, quòd nolens concedit, D. Hieronymum intelligi de iis, qui culpabiliter ignorant malitiam. Hinc poterat non afferre illum textum, quia per ipsum D. Hieronymus intendit dicere solùm, quòd ignorans vincibiliter veritatem peccat sequendo falsum, quod ultro Probabilistæ fatentur, & nemo potest negare.

14. In sect. 9. à num. 299. dicit ex Merenda, esse pro sua opinione un

decim-

decim Patres, nempe Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum, Ambrosium, Hilarium, Gregorium Papam, Anselmum, Isidorum Hispalensem, Isidorum Pelusiotam, & Doroteum. Nos dicimus, quòd, si duos solùm haberent, nos victos fateremur. Audiamus. Sanctus Basilius, ait Fogarinus num. 400. in princ. Proverb. inquit: *Vera Prudentia eorum, quæ agenda sunt, cognitio est, quam si quis rectè sectatus fuerit, nunquam ab officio, virtuteque abscedet, nunquam vitiorum viam imitabitur.*

15. Si quis unam ex his propositionibus nescit, prorsus ignorans est, nec legit definitionem Prudentiæ, nec vidit Arist. 6 Eth. cap. 5. supra allatam. Igitur hæc authoritas est allata præter rem, & ad probandum id, quod nemo negat, ut solent Adversarii.

16. Prosequitur Fogarinus: *Usum Probabilitatis imitari passim viam vitiorum ...* certum est, *ut patet ex tot propositionibus jam damnatis.* Ast ego subdo: *Usum Probabilitatum imitari nunquam viam vitiorum certum est.* Supra cap. 42. probavi evidenter, ex propositionibus damnatis *partim esse Antiquorum*, & cap. 10. 11. & 12. retuli tot opiniones fœdas Antiquorum, ut nemo posthac solos Modernos carpet, sed ipsos quisque excusabit, sicùt fit de Antiquis. Hinc omnino injustè, & falsò, & cum summa injuria Modernorum scripsit Fogarinus num. 393. *Qualis autem, & quanta fuerit Probitas doctrinæ plurium Modernorum in hac controversia scribentium in favorem Probabilitatis, non est difficile colligere ex damnatione centum decem, & ultra propositionum factâ à Summis Pontificibus Alexandro Septimo, & Innoc. Undec.* Hæc jure posse dici de Antiquis, & famosissimis Glossatoribus juris Canonicis patet ex cap. 10. & tamen tantùm abest, quòd hæc in ipsos vibrentur; quin adhuc Probabiliorista Fagnanus vocat Glossam Canonicam *Idolum Canonistarum.* Num. 401. habet textum Chrysostomi quem retuli c. antec. n. 26. Lege ibi, quæ dixi, & adde hæc omnia esse evidentia, & omnia nos concedere; unde extra rem afferuntur.

17. Num. 403. fatetur, hosce textus sumpsisse à Merenda, sed ipsi placuit num. 404. referre alium ex Divo Doroteo, quem ipse Merenda omisit, & habetur in Doctrina quinta fin. cujus titulus: *Non debere quemquam sua prudentia confidere.* Textus ita se habet: Nostrum igitur est, fratres, nos ipsos totis viribus ad voluntatem Dei dirigere, nec proprio cordi quippiam credere. Sed, si quid nobis bonæ rei fuerit, audiamusque ab aliquo *Seniorum*, quia bona est, debemus quidem credere, quia bona est, non autem credere, quòd ante nobis sit visa bona esse; & quia justa est, debet fieri, non autem, quòd sic eam opinemur ...... *Deus nos eripiat ab hoc periculo instituendi nos ipsos, dignosque faciat, ut sequamur, & teneamus viam Patrum nostrorum.*

18. Hæc ultima verba continent intelligentiam textûs, & explicant in rei veritate compendiosè, quicquid dixerat Sanctus Doctor in toto illo capite. In principio dixerat, nos *opus habere præter Deum Coadjutoribus; nam nihil miserabilius, nil, quod citius expugnare queat, his, qui nullos duces, nullos authores habent ad viam Dei.* Periculum ergo, quod incurritur ab illo, qui se instituit, sive sit Probabilista, sive Probabiliorista, sive Securista, est, quia sine coadjutore quis *expugnatur citiùs.* Ergo, si textus D. Dorotei aliquid probat, impugnat etiam Patrem Fogarinum. Hic textus manifestè probat, debere nos potiùs credere aliis, quàm nobis; & sic subditus debet potiùs credere, esse veram opinionem Superioris, quam ipse judicat minùs Probabilem; & sic deberet ipsi obedire, quod est contra Fogarinum disp. 3. par. 4. num. 55. De reliquo, quòd in rebus obscuris, possimus credere esse bonum id, quod

quod nobis *videtur bonum*, nemo poterit negare; aliter in rebus obscuris non liceret opinari.

19. Fogarinus jubet, ut bene notemus illud verbum, *Seniorum*. Post textum num. 405. prosequitur Author: *ecce quàm parvi fiat ab hoc Sancto Doctore authoritas Modernorum*. Nunquid *Senior* est idem, ac Antiquus? Ego dico, quod Suarez fuit Senior, non verò D. Thomas, & Scotus, qui tamen sunt Antiqui, non sic Suarez. Gloriatur ibidem Author, pro sua opinione stare fere omnes Antiquos. Ast ego subdo, penes Lectorem doctum erit judicium, an ego invenerim plurimos Antiquos stantes pro mea opinione.

20. Sed jam expendamus textus Canonicos, qui quidem jam allati fuerant ab aliis, ipsos tamen Pater Fogarinus diffusè examinat, & ponderat. Igitur sec. 8. num. 262. habet integrum cap. *inquisitioni* de senten. excomm. In ipso deciditur, quòd matrimonio junctus certò sciens impedimentum dirimens matrimonium nequit petere, aut reddere debitum matrimoniale. Probabiliter credens matrimonium esse invalidum potest reddere, sed non debet petere debitum. Leviter credens matrimonium esse invalidum, deposita ex consilio Pastoris hac levi credulitate, potest reddere, & petere debitum. Affert plures responsiones huic textui, & conatur illas refellere. Sed vera responsio est, quam alibi dedi, quòd Pontifex non loquitur in nostro casu, qui est, quando utraque pars est probabilis; Loquitur enim solùm, ut patet ex textu, quando pars periculosa est probabilis, & nihil dicens, an pars benigna sit probabilis.

21. Num. 265. affert responsionem Sanchez tom. 1. matrim. disp. 41. num 46. referentis Sotum, Ledesmam, & Tabienam, qui dicunt, illud caput intelligendum esse ante factam diligentiam debitam; facta enim diligentia debita dubius de matrimonio potest petere, & reddere debitum, quia *melior est conditio possidentis*.

Respondet primò dicendo clarè esse contra D. Thomam quodl. 8. art. 13. Sed jam de hoc alibi dixi. Respondet secundò, Pontificem asserere, hunc conjugatum non posse petere, *cum conscientia pulsat Animum*; sed post diligentiam adhibitam adhuc conscientia pulsat animum, cum perseveret dubium, ut supponitur; ergo nec tunc postulare debet. Major etiam patet ex cap. *per tuas* el. 2. de Simon. in quo dicitur in quodam dubio non posse aliquem ascendere ad Ordinem superiorem, *nisi deponat errorem*. Ergo retinens dubium, vel scrupulum debet sequi partem tutiorem.

22. Sed contra, quia adhibita diligentia perseverat quidem dubium speculativè, non verò practicè; atque adeo ampliùs *conscientia non pulsat Animum*; quia conscientia est scientia practica non speculativa. Hinc operans debet deponere *practicè*, idest debet contemnere dubium, & *scrupulum*, non verò debet deponere physicè, quod patet in Scrupulosis, qui aliquando nequeunt physicè expellere Scrupulos, & dubia; nam in moralibus per D. Antoninum par. 1. tit. 3. cap. 10. circa finem sufficit *certitudo, quæ non semper scrupulos omnes abjiciat, sed sufficit*, ut contemnet, *seu superet eos. Quæ certitudo*, inquit Nider in consolat. timor conscien cap. 13. *non removet omnem Probabilitatem, vel opinionem alterius partis*; & in cap. seq. vers. *alioquin dubius* scribit: *Sufficit in moralibus tertia certitudo, qualis non semper omnes scrupulos abjicit, sed sufficit*, ut contemnet eos, *vel superet eos* sic operando, *quasi non sint*. Hinc in d. cap. 13 med. dicebat in casu, in quo Doctores *numero pari* oppositas opiniones sequuntur, *nunquid tunc scrupulus quilibet, aut dubium* habentem *ligat ad causandum mortale? Nemo hoc asserit.* Nota ly *Habentem*, & ly *Nemo hoc asserit*, & videbis, Patrem Fogarinum asserere, quod nullus

nullus tempore Antiquo Nideri asserebat.

23. Num. 302. refert c. *Dominus* de secundis nuptiis, in quo per Pontificem deciditur, quòd secundò nuptus *dubitans* de morte prioris conjugis *debet quidem reddere, sed postulare non debet.* Hic textus valet de dubio Facti; quod enim conjux vivat, aut sit mortuus, est factum, & textibus est probandum, non Legibus; nostra autem quæstio est de dubio juris, non facti.

24. Num. 308. Firmat illam regulam: *In dubiis tutior pars est eligenda*, & firmat ex c. *ad audientiam*, & c *significasti* 18. de homicid. c. *juvenis* de sponsal. & Clem. *Exivi* §. *fuit exitatum* de verbor. signifi. Vide cap. antec. num. 45. & 46.

Respondetur in c. *ad audientiam* decidi, quòd clericus, qui vulneraverat aliquem, de quo dubitatur, an ex tali vulnere obierit, debet abstinere ab exercitio Majorum Ordinum, possit tamen ministrare in minoribus Ordinibus. In c *significasti* pariter dubitatur, an quidam obierit ex vulnere accepto à quodam Canonico Regulari, & deciditur, in tali dubio illum canonicum debere *abstinere ab officio Sacerdotali*, cum in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare pro eo, quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.

25. In c. *is, qui* de sentent. excommun. in 6. quæritur, an temerariè celebrans in Ecclesia polluta, vel præsente excommunicato, Irregularitatem incurrat. Decisio est negativa, & redditur ratio, *cum id, non sit expressum in jure.* Glossa etiam in figuratione casùs, Joan. Andreas, Ancharano, & Geminianus ponunt pro regula: *Nunquam quis incurrit irregularitatem in aliquo actu, nisi in casibus à jure expressis.* Subdit Geminianus numer. 3. *Unde dicens quem irregularem ex aliquo actu debet dare casum juris.* Ego subdo, cum id, quod est dubium, *non sit expressum in jure*; ergo dubius de irregularitate non est irregularis. Antecedens negari nequit; nam in c. *quia periculosum* eod. deciditur, Episcopos non incurrere in interdictum, & suspensionem, *nisi de Episcopis expressa mentio habeatur.* Hinc Geminianus dicit: In generali suspensione non includuntur Episcopi, *si non exprimantur.* Ergo in jure verbum, *Exprimere*, importat *claram, & evidentem significationem.* Ergo, quando irregularitas est dubia, tunc nulla est irregularitas. Præterea, ut probetur me esse irregularem, debet assignari *casus juris* per Geminianum. Cum ergo ante illa c. *ad audientiam*, & *significasti* non detur casus juris, in quo *dubius homicida* sit irregularis; ergo illa c.c. condunt novum jus. Hinc infero, quòd dubitans se esse excommunicatum, si celebrat, *licèt in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen*, cum id non sit expressum in jure, *laqueum non incurrit.* Hæc mea illatio est clara, quia est eadem cum illa, quam habet Pontifex in d. c. *is, qui.*

Potest dari alia responsio illis duobus c. c. quòd in ipsis est dubium *facti* homicidi; in dubio autem *Facti* etiam per nos debemus sequi partem tutiorem.

26. De c. juvenis dictum est ca. antec. n. 46. & lege num. 45. & videbis ex Antonino, quòd, quamvis in dubiis tutior pars sit eligenda, *de facili tamen opinio contraria non est condemnanda.* Hanc benignam doctrinam memoriæ mandent omnes rigidi Probabilioristæ. Circa textum ex Clemen. nota, quòd licèt Pontifex dicat, ad vitandos graves remorsus conscientiæ pars securior sit tenenda, tamen in facto talem regulam non est sequutus, nam ante illa verba dicitur, quòd quidam asserebant, Fratres Minores teneri ad observantiam *omnium Consiliorum Evangelii*, alii verò volebant, solùm obligari ad aliqua. Certè prima opinio erat securior; adhuc tamen Pontifex sequitur benigniorem. Præterea post illa verba asserit, Fratres non teneri sub præcepto ad servanda omnia, quæ dicuntur

cuntu

cuntur in regula sub modo imperativo; hinc Glossa V. *item quia* notat, *non omnia, quæ imperantur, importare necessitatem*. Ecce hic benignitas decisa ab Ecclesia; nec enim ante hanc Clementinam erat certum, & securum, aliquod imperatum non importare necessitatem, cum tunc temporis Aliqui ex illis Fratribus opinabantur, omnia, quæ in regula Beati Francisci sub imperativo modo ponerentur, esse sub præcepto servanda.

27. Ex his efformo hanc regulam: *quamvis in rebus ad salutē pertinentibus, ad vitandos remorsus conscientiæ, pars securior sit tenenda, tamen inter plures opiniones possum amplecti benignam*. Regula patet, quia Pontifex & dicit partem securiorem in his materiis esse sequendam, & inter plures opiniones sectatur partem benigniorem. Subinfero: ergo inter opiniones D. Thomæ, Scoti, Bacconi, Henrici, & reliquorum Magnorum Doctorum sequar opinionem benignam. Hæc doctrina proculdubio nobis favet, non Adversariis. Forsam ipsi respexit D. Antoninus, dum dixit, *in dubiis* tutiorem partem esse eligendam; tamen non esse de facili *contrarium damnandum*. Vid c.ant.n 45.

28. Ex hoc potest deduci, Clementinam hanc intelligendam de dubio practico, non vero Speculativo, uti explicat Cardenas disp. 15. cap. 4. art. 11. num. 325. & disp. 59. cap. 16. art. 4. num. 1092. Ergo in dubiis practicis securior pars est amplectenda, in speculativis autem possumus sequi partem benignam, ut fecit Clemens; & hic per dubium speculativum non intelligimus dubium in re speculativa, & dubium practicum in materia morali, sed utrumque dubium est in re, & materia morali, sed aliter, atque aliter. Sic Scotista non est certus in speculatione, quòd pœnitens satisfaciat pœnitentiæ factæ in peccato mortali; in praxi tamen certus est, quòd satisfaciat; Primum, quia potest aliter se habere, secundum, quia certò credit licere uti opinione Scoti.

29. Plurima dicit Fogarinus pro explicatione illorum textuum, quæ tamen ex dictis solvi possunt; solùm quædam hic breviter dilucido. Num. 363. tenet, Judicem in dubio non debere judicare aliquem esse irregularem; sed quilibet in dubio debet, se tenere irregularem. Si hoc est verum, facilè me expediam à mea hac irregularitate. Dubius ergo de irregularitate me præsento Judici. Ipse judicat, me non esse irregularem. Ergo cum parvo labore me libero ab irregularitate. Sed sine hoc labore proculdubio me expedio, quia ex d. cap. 18, *qui* irregularitas non contrahitur, *nisi sit in jure expressa*. Pro sua opinione affert textum D. Thomæ 2.2. q. 60. art. 4. in quo dicitur, dubia proximi esse interpretanda in meliorem partem; propria verò in deteriorem. Prima pars est vera; Sed secunda valet in iis, in quibus antecedenter ad dubium non habemus titulum certum in illa materia; in aliis non valet; hinc, quia ante dubium ego licitè poteram celebrare, non debeo ob dubiam irregularitatem me retrahere à celebratione; hinc, quia ante dubium de voto solvendi starium majus habebam titulum certum satisfaciendi voto de solvendo stario per solutionem starii minoris, ob dubium superveniens non teneor solvere starium majus, ut colligitur cap. *ex parte* de censibus.

30. Dicit etiam, in Judicio neutram partem vacare periculo; nam, si Judex damnat innocentem, peccat contra proximum, cui sine causa injuriatur. Si absolvit criminosum, peccat in Rempublicam, cujus interest, ne delicta remaneant impunita.

Sed contra evidenter; nam dato, quòd utraque pars sit periculosa Judici, tunc intrat illa regula: *ex duobus malis minus est eligendum* cap. duo mala, cap. Nervi 13. dist. cum ergo sit minus malum damnificare proximum, quàm Rempublicam, ut patet, Judex deberet potiùs in dubio damnare innocentem, quàm criminosum

sum absolvere.

31. Subdo obiter, omnia, quæ hìc docet Fogarinus, desumere ex Fagnano, qui non semel in tract. de Probabilitate non refert rectè Doctores, & textus. De facto refert Innoc. in cap. *cum tu* de test. dicentem, in foro externo sequendam esse partem benigniorem, in interno tutiorem. Hoc quidem dicit Innocentius, qui probat hujusmodi dictum ex cap. *per tuas* de Senten. excomm. Lector, quæso, videat hoc cap. *per tuas* diligentissimè, & comperiet, nec per umbram insinuare hanc Doctrinam. Interea recordemur doctrinæ D. Thomæ quodl. 4. art. 14. dicentis, non esse vitandos illos, de quorum excommunicatione est diversa sententia Peritorum, ast hoc ante *sententiam Judicum*. Ergo confessarius in *foro pœnitentiali* ante Judicum sententiam debet judicare suum pœnitentem non esse vitandum.

32. Num. 365. tenet, in dubio facti tutiorem partem esse eligendum. In probatione tertia dicit, quòd, si quis teneatur dare centum aureos, & nequeat ostendere Judici, illos solvisse, tunc, quamvis solverit, Judex damnat ad iteratam solutionem, si creditor ostendat suum creditum; ergo, cum conscientia, quæ est Judex fori interni, non sit certa, te solvisse debitum cum Deo, seu satisfecisse legi *certò* constanti, te condemnare debet, ut iterum satisfacias.

Sed contra evidenter, quia in casu de certa obligatione, & sic de certa lege, Probabilistæ concedunt, dubiam solutionem non esse sufficientem; hinc dicunt, certum de Voto, incertum de solutione debere iterum solvere. Difficultas est, an, si dubitem, me emisisse, votum, tenear ad votum solvendum, & dicimus, quòd non; & si paritas assumpta ab Adversario valet, debebit ipse, sic tenere. Si creditor clarè, & evidenter non probet creditum, Judex me non condemnabit; ergo, si paritas currit inter Judicem, & conscientiam, certè conscientia me non condemnabit, nisi lex sit certa, & evidens.

33. Num. 369. tenet, in dubio juris tutiorem partem esse eligendam. Si intelligatur de dubio in sensu improprio pro Opinione, jam patet hoc esse falsum. Num. 370. affert Ariagam dicentem, me non teneri restituere rem, quam habeo, si dubitem, an sit mea. Insurgit contra Fogarinus, quia secundùm probabilem opinionem Adriani, Soti, Cordubæ hic dubitans tenetur potiùs rem restituere, juxta illud axioma: *in dubiis tutior pars est eligenda.*

34. Hìc vide, quomodo Fogarino, qui adeo execratur Probabilitatem, placet Probabilitas. Vel Probabilitas importat veritatem, vel falsitatem; si primum; quare Probabilistas condemnat? Si secundum; quomodo sequitur hìc Probabilitatem? Contra ulteriùs. Non debet quis plus restituere, quàm debeat. Quomodo ergo debet restituere centum certò, si dubitem, esse debitorem centum? Præterea, ut alibi dixi, cui restituam? Petro? at ipsi securior pars est non recipere; ergo tenetur non recipere. Ergo restitutio nulli fiet.

35. In sec. 9. facit Catalogum Doctorum tum Antiquorum, tum Modernorum sequentium Probabilioritatem; sed inter ipsos malè allegat D. Thomam, D. Bonaventuram, Durandum, & Alen. ex dictis. Inter Modernos enumerat Merendam, Fagnanum, Baronem, Gonettum, & Ciaffoni, quos, salva reverentia aliàs ipsis debita, in hac materia nullius, aut parvæ authoritatis esse, quisque videbit legendo ipsorum Opera, quæ sunt scripta tanto ardore, ut statim evidentissimè pateat, illos non scripsisse zelo veritatis, sed ex calore passionis vehementissimæ, quin aliqua sunt à Sede Apostolica prohibita. Num. 383. refert Cardinalem de Aguirre dicentem: quare abstinendum erit ab opinione benigniore, & adhærendum tutiori, sive stanti pro præcepto. Hæc videtur fuisse praxis Sanctorum Patrum, Pontificum, ac Theologorum

logorum Doctrina, ac pietate insignium à tempore nascentis Ecclesiæ usque ad finem fere sæculi præcedentis.

36. Sed jam apertè demonstravi, nullum sanctum Patrem esse pro ipsis. Si intelligatur, quòd Patres usu, & facto sequuti sint partem, etiam tutiorem, relicta etiam opposita benigna certa, vel probabiliori, non est ad rem, quia Sancti Patres nedum præcepta, sed etiam Consilia sequebantur, nec pro nihilo Sanctitate celebrantur.

37. Quoad Pontifices, ex dictis constat, aliquos prorsus nihil favere, aliquos verò satis probabiliter ostendi, nobis non obesse. Quoad Theologos Antiquos, fateor multos esse pro ipsis, sed constanter affirmo, multos etiam esse pro nobis, ut legenti qualecunque hoc meum opusculum patebit. Sed quoad Modernos nostram opinionem esse copiosiorem tum quoad numerum, tum quoad Doctrinam, puto adeo evidens, ut solus cæcus negare hoc poterit.

38. Pater Cajetanus Verani modernissimus Probabiliorista in tom. quinto Theol. specul. & dogmat: disp. 31. sec. 21. tenet, sectandam esse probabiliorem. Affert plures textus, qui tamen ex usque dictis possunt solvi. Solùm unicum ex Scoto placet expendere, quem num 8. allegat ex 3. dist. 25. qu. 1. numer. 8. Ibi sic dicit. In moralibus, quando sunt altercationes de aliquo peccato, quando primò est mortale; ut si unus peritus in scientia dicat, quòd non licet sic mercari, & alius dicat, quòd licet, tutius est non procedere sic, nec sic, sed expectare quousque veritas pateat aliunde; si enim ita esset, quòd unus Doctor diceret, aliquem peccare mortaliter, nisi sic faceret, & alius, quòd peccaret, si sic faceret tunc simplex foret perplexus; ideo bene videndum est in moralibus, antequam aliquid asseratur, *quia videlicet cum habens duas opiniones contrarias perplexus fit, periculosè se determinaret ad unam, nisi, re diligenter inspecta, illam probabiliorem agnosceret.* Hunc textum, ut jacet, allegaverat Gonettus, & Cardenas disp. 56. cap. 19. num. 1016. ex codice Scoti impresso anno 1519. apud Jodocum Badium demonstrat, non reperiri illa verba: *quia videlicet, &c.* In meis etiam codicibus illa verba desiderantur. Vide Cardenas, qui clarè demonstrat, illa esse addita ab aliquo Probabiliorista, & advertit, Scotum loqui de simplici Idiota, qui sit perplexus; & sic habet dubium practicum, in quo casu certum est, esse sectandam partem tutiorem, nedum Probabiliorem.

39. Num. 29. tenet, nos non posse cogi ad sequendam tutiorem relicta probabiliori; quia sic in quæstionibus Fidei non possemus in probabilibus unam partem sequi, quia suspendendo assensum nullum periculum incurreremus. Sed contra, quia per Antiquos magis non est necesse observantia præceptorum, quàm Fidei; & in materia Sanctissimæ Trinitatis per Augustinum periculosiùs erratur. Ergo, si in probabilibus Fidei possumus uni ex illis adhærere, etiam in moralibus, quia materia morum est materia minùs nobilis, & minùs periculosa, quàm materia Sanctissimæ Trinitatis. Num 35. dicit, nomen, *melius* non semper sumi comparativè. Vide cap. 38 à num. 14. & omnibus, quæ habet hîc Pater Verani, reperies responsionem.

40. Num 52. ait, Veteres esse præponendos Recentioribus. Sed contra, quia ipse sec. 24. num. 6. scribit, non omne illud esse probabile, quod perfunctoriè consideratum apparet probabile; siquidem opinio, ut sit probabilis, debet niti ratione gravi, quæ post diligens examen appareat digna, cui intellectus assentiatur; & quam plures, & graviores Theologi censeant probabilem; siquidem juxta Arist. 1. top. cap. 1. ea sunt probabilia, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut *sapientioribus.* Ex dictis patet, Aristotelem in textu habere *sapientibus*, non

non *sapientioribus*; unde sapientiores reddent opinionem Probabiliorem, & sapientes Probabilem. Si hæc sunt vera, ut in rei veritate sunt verissima, sequitur clarè, ut dicebam cap. 18. Modernos in hac materia Probabilitatis esse præponendos Antiquis, quia in hac materia Antiqui omnino jejunè pro cesserunt, è contra Moderni enucleatè omnia evoluerunt. Videatur d. cap. & veritas elucebit.

41. Denique d. sect. 24. num. 13. ait, quòd, si aliqua opinio mihi videtur probabilior, contradictoriè opposita, seu alia opinio minùs probabilis, tametsi aliis probabilis videatur, eadem non possit esse probabilis mihi; sicut duo contradictoria non possunt simul convenire.

Sed contra evidenter, quia D. Thomas defendit, ut vidimus, utranque opinionem oppositam Sanctorum in materia de Creatione Mundi, de Repudio, & aliis, & insuper defendit ut probabilius, requiri ad sacram Ordinationem tactum physicum, & simul tuetur ut minùs probabile sufficere tactum moralem.

Ex his manifestè patet, nullum textum Scripturæ, Pontificum, Conciliorum *antiquorum*, & Sanctorum Patrum esse pro Adversariis, quamvis glorientur, suam opinionem fundari in illis, quin credant, esse veluti Traditionem; sed in hoc puto evidenter decipi; licèt enim plures hujusmodi authoritates afferant, quæ videntur claræ, tamen non sunt claræ pro puncto, in quo est controversia, sed pro alio, de quo nulla est difficultas; unde inutiliter tempus, & laborem insumunt, & lectores minùs perspicaces decipiunt, dum videntes libros Probabilioristarum plenos textuum allatorum contra Probabilitatem, *bona fide credunt* ad rem afferri, cum planè nihil inserviant pro proposito.

43. Dixi nullum textum ex Conciliis *Antiquis*, & ab Ecclesia Catholica admissis referri bene pro Probabiliotate; nam loquendo de Conciliis modernis, fateor, ut dicebam cap. 9. Concilium Gallicanum de anno 1700. esse pro ipsis. Cum tamen Concilia, maximè non Generalia, non habeant authoritatem infallibilem; ideo non coguntur Probabilistæ nisi ad fatendum, opinionem Adversariorum esse probabilem.

44 Ex eo, quòd ego fatear opinionem contrariam esse probabilem, sequitur solùm, quòd nos non possimus uti *minori probabilitate* in praxi, ut dixi alibi, non verò, quòd non sit longè probabilior in speculatione, utpotè clarè fundata in principiis Antiquorum, ut in toto hoc Opere demonstravi. Per hanc doctrinam patet responsio argumento Vendrochii, quod habet Epist 5 not 1. sec. 2. §. 5. quodque ait, *rem planè Conficere*.

CAPUT ULTIMUM.

Plures propositiones benignæ Probabilistarum quoad Sacramentum Confessionis defenduntur.

1 Vidimus cap. 36. Probabilioristas insequi Probabilitatem, quia ex ipsa consequitur, Confessorem posse, & debere absolvere pænitentem utentem opinione benigna, quam rejicit ipse confessarius. Ibi claris Antiquorum textibus demonstravimus veritatem illius benignæ opinionis, & inde confirmavimus ita efficaciter Probabilitatem, ut sperem posthac ex hoc capite cessaturas hostilitates in eandem Probabilitatem.

2. Sed ipsi non quiescunt, & ex eadem materia confessionis conantur ad nihilum redigere Probabilitatem. Dicunt ergo per Probabilitatis doctrinam relaxatam fuisse administrationem Sacramenti Pænitentiæ. Habeo ante oculos libellum, cui titulus: *Francolinus Clerici Romani Pedagogus Laxioris in administrando Pænitentiæ Sacramento disci-*

disciplinæ magister. In observatione nona facit *elenchum laxitatum*, *& corruptelarum ad pœnitentiæ Sacramenti administrationem attinentium*, quas *Moderni Laxones pepererunt*, inquit ipse. Est quidem verum, quòd apertè non dicit, has propositiones oriri à Probabilitate; tamen non obscurè hoc asserit pag. 7. 14. 21. 38. & 133. Ego igitur textibus Antiquorum probabo plures ex illis opinionibus esse satis probabiles, & simul demonstrabo easdem non esse genitas à *Laxonibus Modernis*, sed ab Antiquis. Dixi demonstrabo &c. quia quisque poterit legere, an egò sincerè afferam ipsos Antiquos, & sic an lucem viderint ante *Laxones Modernos*.

3. Si Author vidisset Magistrum Sententiarum, & Gratianum referentes suis temporibus, ut sæpius admonui, viguisse opinionem apud viros *Religiosos, & Doctos* asserentem, non dari obligationem confitendi peccata. Si legisset quoque Glossatorem dist. 5. de pœnit. §. 1. V. *in pœnitentia* dicentem, confessionem institutam esse per generalem traditionem, quæ quia non emanavit apud Græcos, ideo ipsi non tenentur confiteri, quæ opinio *multum placet* Panormitano in c. *omnis utriusque* de pœnit. & remiss. num. 8. *quia non est aliqua authoritas aperta, quæ innuat, Christum apertè instituisse confessionem fiendam Sacerdoti.* Si, inquam, Author vidisset has laxissimas hæreticas opiniones Antiquorum, ipse cum aliis Probabilioristis non persequutus fuisset Probabilioristas sub prætextu, quòd laxaverint præceptum adeò difficile Confessionis, quia vidisset apud Antiquos viguisse opinionem, quæ omnes laxitates includeret. Vide Socin. Senior c. *omnis utriusq*, de pœn. & rem. n. 19.

4. Antequam aggrediar, quod promitto, noto condemnatorem harum propositionum incidere in decretum Innoc. Undec. quo idem Pontifex proscripsit sexagintaquinque proposition. in ipso enim præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ, quòd Authores in libris imprimendis *caveant ab omni censura, & nota*, nec non à quibuscunque conviitiis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, *donec a Sancta Sede recognitæ super iisdem propositionibus judicium proferatur.* Cum ergo propositiones prædictæ damnatæ ab hoc Libello *adhuc inter Catholicos hinc inde controvertantur*, nec à Sancta Sede de ipsis sit prolatum judicium; jam Author hujus libelli incidit in Decretum Innocentianum; unde ipse, qui totus est, ut Fideles caveant à trasgressione Legum, *manifestè* in re magni momenti, deficit.

5. Nunc videamus Antiquos. Durandus in 4. dist. 17. quæst. 10. scribit: Alio modo potest intelligi aliquem teneri ad contritionem ex præcepto, ita quòd, nisi conteratur, peccat mortaliter tanquam transgressor præcepti, *& hoc modo peccator non tenetur regulariter conteri statim, postquam peccavit, quia perseverare in eodem peccato secundùm reatum non inducit novum peccatum.* Tempus autem, quo imminet necessitas confitendi, est in quinque casibus. Primus est, quando homo habet Eucharistiam recipere.... Secundus est statutum Ecclesiæ.... Tertius est propter mortis periculum..... Quartus est, cum aliquis habet peccatum, de quo non potest eum absolvere, nisi superior, quem habet præsentem, & Probabiliter credit, quòd eum de cætero non habebit. Quintus, quando aliquis ex scrupulo conscientiæ credit se teneri ad statim confitendum. Eadem habet Asten. lib. 4. tit. 11. & Rosella V. *confessio* 2. num. 6.

6. Scotus in 4. dist. 17. art. 3. §. *quoad quando* scribit, quòd quidam dicebant, ante præceptum c. omnis utriusque peccatorem statim teneri ad confitendum; quidam verò asserebant, nec tunc teneri, sed tantùm in voto pro aliquo tempore ante mortem. Subdit Scotus, secundam opinionem videri *mitiorem*, quia præcepta pœnalia non sunt amplianda, *sed restringenda*, nec invenitur, quando præceptum is-

V u. tudi

tud affirmativum liget, nisi *aliquando*, & illud *quando* ante specificationem Ecclesiæ fuit indeterminatum *quodcunque* quando *ante mortem*.

7. Ex his patet esse Probabiles has duas opiniones: Præceptum naturale pœnitendi non obligat statim post peccatum commissum.... Nulla est vi præcepti divini per se loquendo obligatio confessionis, nisi quando instat periculum mortis, vel non habendi postea per totam vitam copiam Confessarii. Utramque damnat Libellus pag 189. & 190. Pro prima propositione vide Mastrium in moral. disp. 18. num. 63. defendentem illam tanquam opinionem communem Recentiorum, & dicentem Alen. D. Thom. D. Bonav. & Scotum tenuisse quidem esse decens, & congruum, ut peccator statim pœniteat, non tamen dixisse esse hoc de præcepto. Vide etiam Dianam in Cordin. tom. 1. tract. 3. resol. 85. asserentem Marsilium, Adrianum, & utrumque Soto negantes hanc obligationem. Pro secunda lege infra num. 29.

8. Beatus Antoninus par. 3. tit. 14. c. 19. §. 3. fin. scribit: *Si quis tamen differret* confessionem *expectans aptius tempus, & liberius, vel ut habeat peritiorem confessorem, laudabiliter faciet, ita tamen, quod propter hoc non transeat annus, qui est terminus a jure statutus.* Loquitur Divus Antoninus de peccatore, qui non tenetur facto peccato confiteri statim. Ecce licet in anno differre confessionem, non tamen per tantum temporis ita, ut transeat annus à jure statutus. Ergo in toto integro anno ex Divo Antonino possumus satisfacere præcepto Ecclesiæ.

9. Confirmatur ex c. *omnis utriusque* de pœnit. & remiss. in quo jubetur, ut *semel in anno confiteatur*. In *anno* dicit. Ergo sive in principio, sive in medio sive in fine anni quis confiteatur, satisfacit præcepto, præcipuè quia textus loquens de Eucharistia non dixit in *Anno*, sed in *Pascha*. Ergo præceptum de Confessione potest adimpleri in tempore longiori, quàm præceptum de Communione. Audi Rosellam V. *Confessio*. 2. num. 4. eadem dicentem: ex vi præcepti c. *omnis* non tenetur quis ad Confessionem tempore Paschę, *Sed quocunque tempore anni confitetur, satisfecit præcepto Ecclesiæ, secus de Communione.* Subdo ego. In toto die non ne satisfit præcepto missæ, cur in toto anno non fiet satis præcepto annuæ Confessionis? Vide Boic in c. omnis utriusque num. 33. qui dicit idem, ac B. Antoninus. Hinc inferes, bene dixisse Lugo disp. 15. num. 161. satisfieri præcepto de annua Confessione, si quis die prima Januarii 1701 fassus peccata *differt Confessionem usque* ad ultimum Decembris 1702. & malè damnari à Libello pag. 190.

10. Male quoque proscribit illam propositionem, nos non teneri ad manifestandum complicem in Confessione. Fateor cum Mastrio in 4. disp. 5. num. 504. esse Communiorem, & Probabiliorem affirmativam, & hanc tenuisse Proceres Theologiæ, Alen. par. 4. quæst. 18. memb. 4. art. 2. §. 4. D. Thom. Opusc. 12. art. 6. D. Bonav. in 4 dist. 21. par. 2. art. 1. quæst. 3. Richar. art. 5. quæst. 2. Palud. quæst. 3. art. 2. Durand. dist. 16. quæst. 4. num. 8. Biel. dist 17 lit. P. & videtur eam supponere Scotus dist. 21. quæst 2. vers. *de quid*. & pro hac militat expressè D. Bernardus in Opusc. de formula honestæ vitæ. Tamen cum contraria sustineatur à Marsilio, Navarro, Palatio, Valentia, Armilla, Bennez, citati à Mastrio, quibus addo Salon. de justit. & jur. quæst. 73. art. 2. Controv. 1. concl. 2. Medinam Summ lib. 2. c. 4. §. 1. & Sot. in 4. dist. 18. quæst 2. art. 5. & Fabrum in 4. dist. 17. disp. 24. c. 5. Multi etiam Moderni illam defendunt, & insuper habet rationes non omnino spernendas, nescio, quo spiritu hæc opinio reponatur inter improbabiles, & laxas. Videatur Navar. in summ. c. 7. num. 3. qui illam acerrimè tuetur, & pro ipsa affert Innoc. & Hostien.

11. Sed si unquam nullo jure damnata fuit aliqua opinio, est illa, quæ negat

gat obligationem confitendi circumstantias aggravantes. Hanc proscribit Author libelli pag. 192. Oportet, dicamus, aut illum non legisse Antiquos, aut ipsos nihili facere. Legatur cap. 15. in quo retuli tot, & tam claros textus D. Thomæ, ut prorsus voluntariè procedat, qui negat Doctorem Angelicum esse pro nostra opinione. Certè D. Antoninus 3. par. tit. 14. c. 19. §. 7. & tit. 17 c. 17. §. 5. refert pro hac opinione D. Thomam, specificando de furante *multum*, & secundo loco ait hanc esse communem opinionem, & in utroque juxta Doctrinam Angelici Præceptoris affert rationem, quia solùm illa circumstantia est confitenda, quæ aggravat in infinitum; Sed hæc circumstantia non aggravat in infinitum, quia intendit pœnam, & non extendit; extensio autem est infinita, nec potest crescere; sed intensio est finita, & semper potest crescere; nulla ergo talis, quæ non mutat, seu aggravat in infinitum, est necessariò confitenda.

12. Durandus in 4. dist. 16. quæst. 4. tenet, circumstantias aggravantes, V. G. furari multum, non esse de necessitate confitendas, sed de congruitate. Argentinas in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 2. narrat, *Doctores communes* idem tenere, quosdam verò alios Doctores oppositum docere. Vide cap. 15 num. 9. Rainerius V. confessio c. 4 idem prorsus asserit, & subdit, hanc esse opinionem D. Thomæ in 4. dist. 16. art. 2. quæst. 5. & Petri de Tharant. dist. 17 arg 4. q. 2 Nider in præcep 3. cap. 9. litt. H. refert, secundùm multos Doctores esse confitendum circumstantiam *notabiliter aggravantem* V. G. furari multum, non verò secundùm Thomam, & secundùm Scotum hoc esse dubium. Concordat cum his Angelus V. *Confessio* 1. num. 23.

13. Turrecrementa de pœnit dist. 6. cap. 1. num. 4. colligit dari circumstantias aggravantes, sed non mutantes speciem, ut furari multum. & num. 11. docet, circumstantias aggravantes non esse de necessitate confessionis, sed de utilitate. Num. 14. observat cum Alberto, & D. Thoma quantitatem peccati esse duplicem, essentialem, & accidentalem, *seu in eadem specie.* Subdit, primam quantitatem esse de necessitate confitendam, ut debita pœnitentia taxetur; secundam verò de congruitate. Subdo ego, circumstantia notabiliter aggravans, ut magnitudo in furto, importat quantitatem in eadem specie; ergo non est de necessitate fatenda, ut pro ea detur debita pœnitentia; cur ergo Probabilioristæ Moderni adeo inculcant, talem circumstantiam esse Confitendam, ut pro eadem satisfactio conveniens imponatur?

14. Abulensis tom. 5. in Matt. c. 18. quæst. 147. dicit, non esse confitendas circumstantias, nisi quando tales sunt, *quæ mutant speciem.* Ex hoc principio deducit, in quodam casu non esse fatendam ingratitudinem, *quia non mutat speciem.* Ergo circumstantia notabiliter aggravans, sed non mutans speciem, non est fatenda.

15. D Bernardinus tom. 3. tract. de confess. vers. de tertia parte principali litt. E. dicit, primam opinionem tenere, quòd obligemur dicere circumstantias aggravantes V. G. *furatus sum centum libras*; subdit, D. Bonav. & D. Thomam judicare probabiliorem oppositam; mox ait: Unde dicendum, quòd confessio circumstantiarum in aliquod genus trahentium, *ut fornicari in Ecclesia*, spectat ad confessionem de necessitate. *Confessio arguentium* (corrige) *aggravantium de congruitate.* Confessio alleviantium facit incongruitatem.

16. Adversarius pro sua opinione posset referre D. August. relatum in c *Consideret* dist. 5. de pœnit. in quo videtur astruere tales circumstantias esse de necessitate confitendas, ut etiam advertit Argentinas loco allato; sed respondetur, juxta Albertum in 4. dist. 16. art. 24. falsum esse, quòd Augustinus hæc dicat imperando, sed *ad*

bene esse. Concordant Durandus ubi supra ad 1. Asten. lib. 5. tit. 12. q. 1. & Biel in 4. dist. 7. q. 1. lit. O.

17. Ipse Author conatus est observ. 5. pag. 115. probare tribus rationibus suam opinionem, sed duæ primæ solutæ sunt ab Antiquis, & ego cap. 15. num. 22. & 24. diluo.

In tertio argumento refert Catechismũ Romanum par 2. de pœnit. num. 63. & subdit opinionem Catechismi censendam esse Ecclesiæ; Affert etiam authoritatem D. Caroli in 4. Synodo, & Innoc. Undec. condemnantis hanc propositionem: Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

Respondetur, nostros DD. ex sess. 14. c. 4. Tridentini validè deducere nostram opinionem; voluntariè hinc dicitur, Catechismi doctrinam importare sensum Ecclesiæ. Igitur ille Catechismus, & D. Carolus habent solam authoritatem probabilem, non autem certam. Illa propositio damnata proculdubio ad rem non pertinet, quia consuetudo est confitenda, non quia aggravat peccatum præsens, sed ex aliis rationibus, ut videre est apud Cardenas in hanc propos. dissert. 37. Sic Durandus in 4. dist. 17. q. 15. num. 6. negat esse eidem confessori dicenda omnia peccata ex eo capite, quia unum peccatum gravat aliud, & assignans rationem ait, quia circumstantiæ aggravantes non sunt de necessitate confitendæ, Sed solùm illæ, quæ addunt novam speciem peccati.

Ex his patet evidenter nostram benignam opinionem esse omninò probabilem, & ex hoc puto sequi, non esse necessariò confitendam circumstantiam peccantis ex confidentia Jubilæi, aliàs non peccaturi, quam opinionem sequitur Facundez., & damnat pag. 193. Author libelli.

18. Ego summo animi studio execror, & abbominor illos confessarios, qui turpia patrant cum sua pœnitente; tamen non per hoc est damnabilis illa opinio, quæ asserit talem circumstantiam non esse necessariò confitendam à Confessario, nec moror à damnatione, quam de ipsa habet libellus pag. 194.

19. In c. *omnes* 30. q. 1. dicitur, pœnitentes esse filios spirituales Confessarii, sicut baptizati, & confirmati sunt filii Spirituales baptizantis, Confirmantis, & Patrini. Ergo pœnitens fornicans cum Confessore committit incæstum spirituale; atque adeo hæc circumstantia est confitenda necessariò.

20. D. Thomas in 4. dist. 42. q. 1. art. 2. ad. 8. fatetur, pœnitentem propriè non contrahere cognationem spiritualem cum confessario. Contrahi tamen quoddam fœdus inter Sacerdotem, & mulierem simile cognationi spirituali, ut tantum peccet carnaliter eam cognoscens, ac si esset sua filia spiritualis, & hoc ideo, quia maxima familiaritas est inter Sacerdotem, & confitentem, *& ex hoc ista probibitio est inducta, ut tollatur peccandi occasio.* Concordat Turrecr. 30. q. 1. c. 1. num. 4. Loquitur sanctus Doctor de illa prohibitione illius c. *omnes*.

21. Richardus in 4. dist. 42. art. 1. q. 1. ad. 1. concedit inter Confessarium, & pœnitentem non consurgere cognationem spiritualem *saltem, quæ possit matrimonium impedire*, videntur enim baptisma, & pœnitentia differre, sicut generatio, & resurrectio in corporalibus; unde sicut non contraheretur cognatio carnalis inter resuscitatum, & illum, ad cujus preces Deus eum resuscitat, *ita nec inter sacramentum pœnitentiæ ministrantem, & suscipientem*. Ex his patet pœnitentem non esse propriè filium spiritualem confessarii, in quo concordant Paludanus, & Argentinas.

22. Ego facilè adducor in illam opinionem, quòd confessarius, qui ex officio tenetur ministrare Sacramentum pœnitentiæ, committat speciale peccatum, si habeat rem cum pœnitente, non verò confessarius delegatus. Primò, quia ille textus. c. *omnes* loquitur

loquitur de confessariis ordinariis; siquidem antiquitus soli Pastores ministrabant sacramenta, & pro his dabatur speciale motivum prohibendi hujusmodi spurcitias; quia scilicet, ut ait D. Thomas, verè, & per se inter confessarium ordinarium, & pœnitentem intervenit illa maxima familiaritas inductiva talis prohibitionis; inter autem delegatum, & pœnitentem, cum per accidens se habeat, quòd intercedat confessio, per accidens est talis familiaritas, facilè solvitur, & crebrò mutatur; unde non facilè, & per se, sed difficulter, & per accidens daretur occasio peccandi.

23. Confirmatur ex Richardo. Confessor ex vi confessionis se habet ut precibus resuscitans mortuum; Sed inter taliter resuscitantem, & resuscitatum nulla est prohibitio ex vi confessionis præcisè copulæ carnalis. Ergo, si confessarius prohibetur habere copulam, erit ex alio capite, quod erit, quia ex officio tenetur illum à peccatis avertere, quod officium ad solos Confessarios ordinarios attinet.

24. Rejicit pag. 199. Gobat tract. 6. num. 571. dicentem: Quando pœnitens omisit sacrilegè per plures annos aliquod mortale, opus non est, ut repetat omnes confessiones illorum annorum, sed sufficit dicere illa peccata, quæ alteri confessario aperuit, & quæ aperuit cum formali sacrilegio; non verò illa tenetur repetere, quæ interea omisit immemor præteriti sacrilegii, explicando tamen numerum confessionum, & communionum sacrilegarum. Hanc opinionem puto in praxi securam, & colligi ex Tridentino sess. 14. c. 5. clarè dicente, post diligens examen nos posse inculpatè oblivisci aliquorum peccatorum. Ergo in hoc casu illa confessio est valida; atque adeo non est reiterabilis sub præcepto. Ergo quis inculpatè poterit oblivisci confessionum sacrilegarum; nec enim potest assignari aliqua ratio, propter quam inculpatè possit quis oblivisci peccati contra castitatem V. G. non verò contra Religionem, licèt multoties patrati. Casus oblivionis potest accidere in homine rudissimi crassissimi ingenii, de quo loquitur Gobat.

25. Confirmatur. Angelus V. confessio. 1. num. 18. tenet, quòd *pueri, puellæ, & alii*, qui faciunt multa peccata mortalia, quæ non cognoscunt fore peccata, saltem mortalia, unde sæpius illa dimiserunt in confessione, *propter talem ignorantiam non tenentur iterare confessiones, Sed sufficit solùm de illis Confiteri, quando ea cognoscunt.* Si *pueri, puellæ, & alii* faciunt *multa* peccata mortalia, & propter ignorantiam, quòd sint peccata mortalia, excusantur, si illa non confitentur, & istæ confessiones sunt validæ, nec reiterandæ. Ergo etiam isti pueri, puellæ, & alii poterunt facere *multa sacrilegia* confitendo invalidè, & deinde habere inadvertentiam talium sacrilegiorum; & sic propter *talem inadvertentiam* excusari à confessione, & illæ confessiones subsequentes erunt validæ; & sic nec iterandæ. Hìc adverte, quòd illa ignorantia, propter quam per Angelum illi pueri &c. excusantur à confessione illorum peccatorum, non sit inculpabilis, ita ut excuset eos à peccato, sed est culpabilis; unde illi peccant mortaliter; & propter hoc postea tenentur illa peccata postea confiteri, quando scilicet *ea peccata esse cognoscent.* Excusat ergo solùm à confessione hujusmodi ignorantia, non à peccato.

26. Pag. 199. damnat illam propositionem, qua asseritur, nos non teneri peccata scribere, quamvis adsit periculum morale oblivionis. Richardus in 4. dist. 17. art. 2. q. 5. Asten. lib. 5. tit. 18. in. q. *an scripto possit quis confiteri*, tenent, nos non obligari ad confessionem per scripturam sacerdoti absenti, & inter plures rationes hujus conclusionis afferunt, quia Sacerdos malitiosus posset per illam scripturam probare probatione probabili illud delictum contra pœnitentem. Mox sub-

dunt: *& hæc ultima ratio etiam concludit, quòd sacerdoti præsenti pœnitens, qui nec verbo, nec nutu posset confiteri, non teneretur ratione necessitatis confiteri per scriptum.* Concordant Angelus V. *Confessio.* 1. num. 33. Dominicus Soto in 4. dist. 18. q. 2. art. 6. fin. Victoria, & Navar. apud Dianam Coord. tom. 1. tract. 3. resol. 72. Ego judico simile incommodum posse sequi, si quis teneatur scribere peccata, ut illorum recordari possit, dum confitetur; posset enim illa carta amitti, vel inveniri ab aliis: præcipuè cum supponamus hos alios esse *magis malitiosos*, quàm sint Confessarii. Præterea Tridentinum, sess. 14. c. 5. ait, quòd peccata, quæ *diligenter Cogitanti non occurrunt, eadem confessione inclusa intelliguntur.* Ecce *Cogitanti* dicit, non *Scribenti.* Ergo, ut diligenter confiteamur, debemus *diligenter cogitare*, cur tu vis addere, *Scribere?*

27. Si legemus Antiquos, proculdubio facilè absolvemus divites, qui moniti nolunt sublevare communes hominum miserias, ut tenet Layman à Libello damnatus pag. 210. Hìc priùs adverto, in materia de eleemosyna nos non debere tenere opiniones, ex quibus sequeretur, pene omnes divites fore damnandos. Sic nos docent D. Antoninus par. 2. tit. 1. c. 24. §. 2. vers. *nota igitur*, Durand. in 4. dist. 15. q. 6. num. 10. Biel. dist. 16. q. 4. concl. 5. Rainer. V. *eleemosyna.* c. 9. fin. & videtur ita etiam tenere D. Thomas quodl. 8. art. 12. arg. *sed contra.* Ex hac doctrina sequitur, non dari præceptum divitibus subveniendi communes necessitates; & sic illis nedum facilè, sed absolutè negari non debet absolutio, si moniti non sublevent illas miserias. Consequentia sequitur, quia aliter pene omnes divites essent damnati.

28. Hæc opinio fundatur in D. Thoma in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. quæstiun. 4. ubi scribit: præceptum legis ad hoc obligat, ut illud, quod superest alicui *post subventionem perfectam, & sibi conjunctis*, puta familiæ, quam gubernare debet *respectu utriusque necessitatis*, in eleemosynas expendat ad subveniendum aliis *respectu utriusque dictarum necessitatum*; Sicut etiam natura illud, quod sibi de alimento superfluit ab actu nutritivæ, in quo attenditur quasi necessitas absoluta, & actu augmentativæ, in quo attenditur quasi necessitas conditionata, præparat ad conservationem speciei, generativæ virtuti subministrans; & similiter præceptum legis obligat, quòd etiam necessitati extraneorum absolutæ primò subveniatur, quàm necessitati propriæ, vel propinquorum, conditionatæ; & ideo dicitur communiter, quòd dare eleemosinam de superfluo cadat in præcepto. Ecce clarè D. Thomas solùm agnoscit præceptum eleemosynæ, quando proximus habet duas necessitates, *utriusque dictarum necessitatum*, scilicet *absolutam, & conditionatam.* Absoluta necessitas est in ordine ad sustentandam vitam. conditionata ex D. Thoma est, cum quis indiget aliquo ad sui status decentem conservationem.

Sed quæ bona debemus expendere pro necessitate conditionata proximi? ea, quæ superfluunt post *perfectam subventionem mei, & propinquorum.* Ergo per D. Thomam bona superflua meæ vitæ, & mei statùs ex præcepto sunt solùm danda proximo, quando est in necessitate conditionata; & sic in gravi, non in communi, & ordinaria. Hæc doctrina confirmatur clarè per exemplum naturæ in ordine ad subministrandam materiam generativæ virtuti.

29. Roboratur ex eodem Angelico dist. 17. q. 3. art. 1. quæstiun. 4. Ibi refert opinionem dicentem, peccatorem teneri statim ad confessionem; postea subdit. Sed hoc videtur *nimis durum*, quia præcepta affirmativa *non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum*, non quidem ex hoc, quòd nunc commodè impleri possunt; quia sic, si non daret aliquis eleemosynam de superfluo, quandocunque offerretur pauper, peccaret;

peccaret mortaliter, quod falsum est; sed ex hoc, *quòd tempus necessitatem urgentem adducit*. Ecce præceptum affirmativum solùm obligat, quando tempus necessitatem urgentem adducit. Ergo, ut teneamur ad eleemosynam, tempus debet *necessitatem*, & quidem *urgentem*, adducere. Nunquid dices, necessitatem communem adducere *necessitatem urgentem?* Certè non, quia sic quandocunque pauper offerretur, quis teneretur ad eleemosynam, quod est contra textum D. Thomæ præsentem, & contra quodl. 8. art. 12. D. Thomas agit de eleemosyna etiam 2.2. q. 32. art. 5. & 6. q. 87. art. 1. ad. 4. q. 118. art. 4. ad. 2. q. 13. *de malo* art. 2. ad. 4. quodl. 6. art. 12. & nunquam agnoscit, divites obligari in necessitatibus communibus; unde necesse est unum ex duobus dicere, aut non dari tale præceptum, aut Doctorem Angelicum fuisse mancum in hac materia, dum agitans quæstionem de præcepto eleemosynæ tractat de ipso in casibus non multùm difficilibus, & saltat casum difficilem, & quotidie occurrentem.

30. Nostram opinionem tenet clarè Alen. 4. par. q. 34. memb. 1. dicens, *illis*, qui communi consuetudine mendicant, *nec tamen apparet in eis signum aliquod notabilis, sive gravis indigentiæ, si præsumatur, quod habeant ad pertransiendum tempus illud, esse meritorium subvenire*, non tamen esse demeritorium *non subvenire*. Nil clarius dici poterat. Scio allegari pro opposita opinione in 3. par: sed nihil obstat, quia meus textus est in 4. par. & sic ipsi standum est, quia est posterior.

31. Gabriel Biel ubi supra habet eadem verba, ac Alensis, postea addit: *Prima tamen opinio* (id est illa, quam nos sequimur) *videtur probabilior*, (Nota bene rationem, nam favet manifestè Probabilitati,) *quia nihil debet damnari tanquam mortale peccatum, de quo non habetur evidens ratio, vel manifesta authoritas Scripturæ*. Pro hac opinione videantur Richardus in 4. dist. 15. art. 2. q. 2. Rainer. ubi supra, Gerson. par. 2. tract. de cognit. venial. & mortal. Consider. 10. Panorm. c. *Si verò* de jur. juran. num. 6. & B. Antoninus supra allatus, qui dicit non esse mortale secundùm D. Thomam non succurrere miseriis magnis, quæ non sunt extremæ, de superfluo naturæ, & statui; ipse verò cum Durando in 4 dist. 16. q. 6. num. 10. non audet definire esse mortale non dare eleemosynam habenti necessitatem magnam, & verecundam de superfluo naturæ, & statui.

32. Sed omnino rationabiliter tenuit Tamburinus lib. 3. in Decal. c. 7. §. 5. num 1. pœnitentiam levem datam pro mortali in sacramento pœnitentiæ obligare solùm leviter, nec audiendus est Author libelli hanc opinionem damnans pag. 210. Quòd opinio Tamburini sit satis probabilis cuilibet patebit legenti Antiquos, qui in materia de satisfactione sacramentali fuerunt admodum benigni. Scotus in 4. dist. 19. q. 1. §. *ad quæstionem motam* vers. *sed nunquid pœnam* dicit, quòd, si pœnitens velit se submittere huic sacerdoti, & quantum ad absolutionem culpæ, & quantum ad susceptionem pœnæ totalis correspondentis, tenetur ad impletionem pœnitentiæ impositæ, *quia tunc obligatur præcepto Ecclesiæ, cui se voluntariè submisit*. Ecce juxta Scotum impletio pœnitentiæ impositæ provenit à *præcepto Ecclesiæ*. Vide num. 38. præcepta autem Ecclesiæ solent obligare juxta gravitatem materiæ; hinc, quia pro venialibus datur parva pœnitentia, hanc pœnitentiam non tenemur sub mortali perficere juxta communem opinionem, ut advertit Navarrus summ. c. 21. num. 43. & olim dixerant Alber. in 4. dist. 21. art. 12. Panorm. in c. *omnis utriusque* de pœnit. & remiss. num. 10. Sic etiam Legislator humanus aut nequit, aut non solet obligare sub gravi in materia levi, & qui contra dicit, juxta Suarium de leg. lib. 3. c. 25. num. 2. imponit onera gravia, & importabilia, & impingit in illud August. lib. 2. de bap-

tis.

tis. c. 6. iniquas esse stateras eorum, qui dicunt, *hoc grave*, *hoc leve est.* Praeterea, praeceptum de solvendis decimis obligat sub mortali; tamen habens solùm decimam oboli non peccat mortaliter, si illum non solvat. Idem dico de non restituente obolum.

33. Verùm audiamus doctrinam valde benignam in materia de satisfactione sacramentali, & valde communem Antiquis. D. Raymundus lib. 3 de poenit. & remiss. §. 49. scribit: Quid si aliquis poenitet de peccatis, vel dicit se poenitere, non tamen vult subire onus poenitentiae, dicens se tenerum, valetudinarium, vel malè complexionatum, vel simile?.... Ad hoc dico:... debet sacerdos primò ipsum inducere, ut animum habeat paratum ad omnem satisfactionem, ostendendo sibi magnitudinem peccatorum &c. Ostendat etiam quantam poenam sustinuit Adam... Si non potest eum ad hoc inducere, imponat ei talem satisfactionem cum voluntate sua, quam utiliter possit portare, ne fortè postea frangendo, deteriùs peccet. Invitant nos ad hoc multa; primò exemplum Domini, qui nunquam legitur gravem poenitentiam injunxisse, nisi Joan. 8. *Vade, & amplius noli peccare.* Item Joan. Chrysost. super illum locum: alligant onera gravia, & importabilia: si erramus modicam poenitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem dare, quàm propter aliquam crudelitatem? 26. q. 7. alligant,... Ad hoc autem praecisè laboret, ut peccator causas, & radices removeat, & omnem occasionem peccandi pro posse tollat. August. de poenit. c. 17. satisfactio poenitentiae est, peccatorum causas excidere.... Item, si non potest gaudere Sacerdos de omnimoda ejus purgatione, gaudeat saltem, quòd ipsum liberatum à Gehenna ad purgatorium possit transmittere. Observa, quòd ob *malam, & delicatam complexionem, & similia motiva* peccator potest nolle subire onus poenitentiae, & tunc Confessarius debet dare poenitentiam, quae placeat peccatori. Ratio hujus benignitatis est, primò ob bonum ipsius poenitentis, ne, si aliter fiat, peccator frangat poenitentiam, & inde deteriùs peccet. secundò ad hoc nos invitant *multa*, exemplum Christi, Authoritas Chrysostomi, & Augustini. Tertiò sacerdos debet gaudere de hac praxi, quia liberat peccatorem à Gehenna, & illum transmittit in Purgatorium. Glossator ipsius Raymundi ibidem V. *portare possit*, asserit, esse dandam poenitentiam poenitenti, quam sponte, & sine murmure voluerit suscipere, & propter vitandam transgressionem consulo, *aut nulla*, aut pauca injungatur sub praecepto, concedendo, quòd liceat ei jejunium sibi injunctum, aut orationes, aut eleemosynas, aut quaecunque alia sibi injuncta redimere, *cum voluerit.*

34. Doctrinam D. Raymundi iisdem verbis sequuntur D. Bernardinus tom. 3. de confess. fin. D. Vincentius Ferrerius in tom. de serm. hyem. fer. 6. *post Laetare* pag. 617. impress. Anturp. D. Antonin. par. 3 tit. 17. c. 20. Joan. de Frib. lib 3. tit. 34. q. 135. qui addit cum Glossa Raym. talibus esse *nullam*, aut parvam poenitentiam sub praecepto injungendam, Rainer. V. *poenitentia.* c. 23. Asten. lib. 5. tit. 31. prope med. qui dicit, ob periculum transgressionis *nullam*, aut parvam poenitentiam sub praecepto esse imponendam. Palud. in 4. dist. 20. q. 2. princ. Guido de monte Rocherio in manip. curat. de satisfactione sacram. c. 5. Gerson par. 2. opusc. 1. ubi agit de poenitentia, & in tract. de arte audiendi confess. consid. ult. Supplementum Pisanellae. V. *Poenitentia* §. 7. Angelus V. *Confessio.* 6 num. 1. Pacificus in sua summa c. 31. pag. 402. Bartholomaeus Caimus in suo Interrogatorio par. 4. de confess. post canones poenitentiales. §. *quamquam hos canones*, Gabriel in 4. dist. 16. q. 2. art 3. dub. 1. Innoc. in c. *omnis utriusque* de poenit. & remiss. num. 4. Joan. Andreas in c. *Deus qui*

c. c.

&c. *omnis utriusque* de pœnit. & remiss num 22. Ancharano ibidem num. 20. Panorm. in c. *Deus* de pœnit. & remiss num. 5. not. 4. asserens Hostien. Alexander de Nevo in addit. Panorm. ibidem addit. ult. q 3. concl. 4. Butrio *dicto* c. *omnis utriusque* num. 54. Albericus. V. *Pœnitentia*. 2. Abulen. in Matt. c. 16. q 79. & c. 23. tom. 6. q. 28. vers. *Sic dicit Augustinus.*

35. Hæc benignissima opinio fundatur claré in textu. c. *alligant* citato à D. Raymundo, quem, precor Lectorem, ut legat; in fine enim hæc inveniet benignissima omnino memoriæ mandanda. *Ubi Pater familias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus vult apparere?*

36. Pag. 211. condemnat Tamburinum dicentem adhuc post Tridentinum, esse probabilem opinionem illam, quæ tenet, pœnitentem non obligari ad acceptandam satisfactionem vindicativam. Mastrius in 4. disp. 5. num. 594. refert Gabriel, Rubion. Sylver. Medinam, Armil. Hostien. & *Scotistas veteres* ante Tridentinum docuisse illam benignam doctrinam, post verò Tridentinum ipsam tueri juniores Scotistas, Fabrum, Hiribarnem, Aretinum, Pontium, & *alios passim.* Si Doctores *passim* ex celeberrima Scoti Schola opinionem illam defendunt, quomodo Libellus eandem proscribit? & cur solum Tamburinum Condemnat? Ego illa non utor, sed nec audeo damnare. Vide Navarrum in sum. c. 26. num. 20. objecta in contrarium solventem.

37. Ibidem condemnat Gobat dicentem tract. 7. num. 744. Confessarium non peccare nullam pœnitentiam imponendo lucraturo Indulgentiam plenariam. Propositio intelligitur de pœnitentia punitiva, non medicinali.

38. D. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. art. 3. quæstiun. 1. scribit: quòd indulgentiæ valent, & *quoad forum Ecclesiæ, & quoad judicium Dei ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, & absolutionem, & confessionem, sive sit injuncta, sive non.* Ecce expressè indulgentiæ valent quoad forum Ecclesiæ; & sic quoad pœnitentiam, quam imponit sacerdos in confessione, sive hæc pœnitentia *sit injuncta, sive non.* Valent etiam & quoad judicium Dei; & sic ad remissionem pœnæ debitæ in purgatorio. Si pœnitenti nulla pœna debetur, acquisita Indulgentia, ad quid imponere pœnitentiam? acquisiturus indulgentiam dat æquivalens, ad quid imponere pœnitentiam? Hìc valet regula legalis, nihil refert, quod fiat de æquipollentibus. Præterea art. 4. q. 1. dicit, communicationem bonorum Ecclesiæ, in qua Indulgentia consistit, absolvere à debito faciendi satisfactionem injunctam, ad quam obligatus est *ex præcepto Ecclesiæ.* Idem repetit art. 5. quæst. 2. ad. 2. Ecce lucraturus Indulgentiam absolvitur à pœnitentia. Ergo talis non tenetur illam adimplere; ad quid illam imponere? Lege quodl. 2. art. 16.

39. D. Antoninus par. 1. tit. 10. c. 3. princ. scribit: dicitur Indulgentia plena secundùm Palud. in 4. dist. 20. quoad remissionem pœnæ mortalium, plenior respectu pœnæ injunctæ mortalium, & venialium, Plenissima non solùm injunctarum, *Sed & injungendarum.* Nota ly *injungendarum.*

40. Glossa in extrav. Commun. *Antiquorum* de pœnit. & remiss. V. *Confitebuntur* med. refert, Papam consistorialiter declarasse, quòd pœnitentiæ ante Indulgentiam injunctæ tollerentur per commutationem operis satisfactorii impositi in ipsa Indulgentia. Declaravit etiam, *quod sui pœnitentiarii nihil debent injungere ultra injunctionem hic positam, aliàs, ut dicebat, indulgentia frustraretur, nisi confitens volens facere opera supererogationis voluntariè pœnitentiam satisfactoriam aliam ab hac taxata reciperet.* Hic textus Glossæ apertè damnat adversarium, & observa, quòd nedum habet hic auctoritatem Doctoris, sed Historici, & Historici præsentis] nedum quoad tem-

tempus, sed etiam quoad factum, nam infra V. *plenissimè* dicit, Papam fecisse hanc declarationem in Concistorio præsente ipso Glossatore. Ergo non possumus negare fidem huic Historiæ.

41. Denique Author libelli pag. 212. damnat Vasq in 3. par. q. 93. art. 4. disp. 8. num. 5. tanquam dicentem, confessarium ex sola confessione sacramentali subditi peccata cognoscentem posse ex vi istius cognitionis amovere ab officio ad nutum amovibili. Apud Antiquos erat communis illa propositio, ut legenti. cap. 40. num. 41. patebit. Videamus Paludanum in 4. dist. 21. q. 3. art. 3. concl. 3. in hæc verba scribentem: Si ergo per confessionem Prioris, vel alterius scit Abbas, quòd non expedit Priori tenere Monasterium, & sit talis, quòd aliàs potest amovere, expectet quousque sine nota revelationis possit amovere, & tunc statim amoveat; jam enim ex audientia confessionis ad nihil obligatur, nisi ad celandum, & si obligaretur ad aliquod, hoc esset ad medendum Animæ pœnitentis: Sicut medicus, ex quo aliquem in cura suscipit, tenetur sibi dare remedium contra recidivum; sic in proposito, quàm citò potest amovere, amoveat, quem sine hoc amovere poterat..... Similiter, quia *licentia intrandi Villam ad libitum potest concedere, vel negare*, licet aliàs non esset negaturus, *propter periculum, quod ex sola confessione novit, negare potest, dum tamen ex hoc suspicio non oriatur; in occulto tamen semper illum, qui confessus est, monere potest, nec hoc est confessionem revelare.* Hæc Paludanus, quem verbatim recitans D. Antoninus par. 3 tit. 17. c. 22. §. 1. sequitur.

42. Addo Henricum, cujus non memini loco allegato, quodl. 8. q. 29. *in secreto potest Abbas*, inquit ipse, *habere intentionem amovendi à cura parochiali Monachum corruptorem propter salutem ejus, & populi*, sed in publico debet habere rationem, & occasionem amovendi ipsum absque scandalo, & suspicione, quam si habere poterit, *ipsum debet deponere, ut secretarius Dei, & potest ut publicus minister*, nec dat scandalo occasionem, aut suspicionem, *etsi fortè alius conscius facti aliquantulum posset sumere scandali, aut suspicionis occasionem, propter quam non debet omitti bonum istud*, si alio modo æquè competenti absque omni suspicione accepta non possit fieri. Hactenus Henricus.

43. Illa verba: *Propter salutem ejus, & populi*, significant motivum trahens voluntatem ad amovendum ab officio: Illa verò alia: *Sed in publico debet habere occasionem amovendi*, non denotant motivum trahens voluntatem, sed significant, aliquod requiri pro publico; ut scilicet tollatur scandalum populi, & Vasq. loco allato monet, in hoc casu *cavendum esse adhuc, ne aliquo modo manifestetur confessio, juxta id, quod omnes docent.* Nequit negari, nostros Laxones convicisse plures Antiquos in materia de sigillo confessionis. Vide cap. 40. num. 42.

Ut defendam ulteriùs nostros Modernos, si aliquas opiniones benignas in materia de confessione docuerunt, placet hìc referre nonnullas opiniones Antiquorum, quas ipsi sequebantur, *quia erant benignæ.*

44. Si enim Antiqui sequuti sunt opiniones illas inter plures, quas judicabant benignas, cur hoc nefas erit Modernis? Merè asserā has opiniones, relinquando interim judicium Lectori, an adhuc sint probabiles.

45. Lege cap. 40. à num. 23. ubi refero communem opinionem Antiquorum benignam sustinentem confessarium inferiorem auditis peccatis reservatis, & non reservatis posse pœnitentem absolvere, & pro reservatis illum mittere ad Superiorem. Illis D.D. adde Pacificum in sum c. ult. pag. 407. Bacconius in 4. dist. 16. q. 1. art. 5. relatis opinionibus oppositis subdit: *Sed quia hæc sunt dura, ideo sunt contra hoc argumenta.* Nota causalem, *quia hæc sunt dura*: Ergo in confessione opiniones, quæ videntur *duræ*, sunt rejiciendæ. Sic etiam Glossa 26. q. 6. c. te.n-

tempora §. *quo affectu.* V. eod. jubet, ut confessor dulcè recipiat pœnitentes *declinando semper in partem mitiorem.* Hæc ultima verba conficiunt multos Probabilioristas, qui in materia confessionis *semper declinant in partem rigidiorē.* Hos alloquitur Boic. in c. *omnis utriusque* de pœnit. & remiss. dicens, qui nimis emungit, elicit sanguinem Proverb' 30. c. *denique* 4. dist.

46. Glossator Raym. lib 3. tit. de pœnit. & remiss. 49 V. *possit portare* scribit: Si credo de aliquo, quòd non faciet, quæ promittit, aut quæ injunguntur ei in pœnitentia, nunquid absolvetur sub conditione, si hoc, vel illud fecerit? Respondetur, Pœnitentiarius, ne laqueum transgressionis præparet pęnitenti, non debet ab eo exigere promissionem, aut votum de aliqua pœnitentia facienda, aut etiam juramentum, nisi in talibus expressis à jure, sed sufficit, quòd dicat, se habere propositum faciendi, quod sibi injungitur; & sic debet absolvi simpliciter, etiam sine conditione, facta tamen protestatione, si suspectus habeatur, quòd, si non restituat, quæ abstulit, aut non faciat alia, ad quæ tenetur, dum tamen possit, fructum factæ confessionis, & absolutionis evacuabit. Hanc opinionem sequuntur Friburgo lib. 3. tit. 34. q. 136 Asten. lib. 3. tit. 31 prope med. & lib. 7. tit. 15. art. 3. q 8. Pisanella, & ejus Supplementum. V. *Confessor.* 2 princ. Albericus. V. *Confessio* 3. post med. D. Antoninus par. 3. tit. 14. c. 19. fin. Orbellis in 4. dist. 17. q. 2. de confess. §. 21. Angelus. V. *Confessio* 4. num 6. & V. *Confessio.* 6. num. 2. & allegat Mo: Pacificus. c. 31. pag 402.

47. Durandus in 3. dist 17. q. 13. dicit dari opinionem asserentem, quòd confessio, & absolutio non contriti habeat effectum recedente fictione, sicut dicitur de baptismo. Opiniones benignas sustinentes sacramentum pœnitentiæ validum, & informe vide apud Palud. in 4. dist. 17. q. 8. & Antonin: 3. par. tit 14. c. 19. §. 5. & Guidon: de Monte Rocher. de Sacram. pœnit. de confess. c. 7. Capreol. in 4. dist. 17 q. 2. Herp præcep. 4. serm. 11. casu. 6 de iteran. confess.

48. Simplex narratio peccatorum facta sacerdoti ab eo, qui non dolet de præteritis, vel non vult cavere in futurum satisfacit præcepto Ecclesiæ. Ita D. Antoninus 3. par tit. 17. c. 20. ante §. 1. Richar. in 4. dist. 17. art. 2 q: 8. ad 5. Asten. lib 5. tit. 18. q. ult. Guido de Monte Rocher. tract. de Satisfac. c. & forsan Alber. in 4. dist. 17. art. 6. & Alen. 4. par. q. 18. memb. 4. art. 5. §. 7. de hac opinione dixi cap. num.

49. Sed quis crederet antiquitus pœnitentes multis in locis consuevisse sedere, dum sacramentaliter confitebantur? ita narrant Friburgo lib. 3 tit. 34. q. 84. Asten. lib. 5. tit. 16. Guido de Monte Rocher. de Sacram. Pœnit. c. 8. Hostien. Summ. de pœnit. & remiss. §. *qualiter Sacerdos.* num 46.

50. Ad Sacramentum pęnitentiæ non requiritur ex parte pænitentis actus, qui ex charitate procedat; nam, inquit Antonius Andreas in 4. dist 14. q. 3. non tenemur implere omnia præcepta *ex charitate.* Franciscus Mairon in 4. dist. 14. q. 3. tenet, virtutem pęnitentiæ non esse virtutem Theologicam, sed moralem, & spectare ad justitiam distributivam. Dist. 15. q. 3. §. *de primo videndum* vers. *respondeo ad primum* docet, actum hujusmodi virtutis, si aliquandiu duret, justificare extra Sacramentum pœnitentiæ.

51. Albericus V. *Confessio.* 1 facit quæstionem, an confessio facta sine *contritione*, & *charitate* valeat, & sequitur opinionem benignam. Doctor Seraphicus in 4. dist. 17. par 2. art. 2. q 3. Asten. lib. 5. tit. 18. fin. concedunt, confessionem non esse sub præcepto faciendam *ex charitate*, sed posse fieri ex dispositione disponente ad charitatem. Videtur concordare Alen. par. 4. q. 18. memb. 4. art. 5. §. 7. Nec dicas, D. Bonav. Asten. & Alen. intelligi de charitate habituali. Sed contra, nam ipsi clarè fatentur, & sunt certi, charitatem habitualem non debere de necessitate præcedere confessio-

sionem, & absolutionem, sed sufficere, ut præcedat dispositio ad charitatem, & Gratiam. Præterea clarè dicunt, sæpe per absolutionem sacramentalem produci Gratiam, & sic charitatem habitualem; ergo, quando concludunt, confessionem non esse faciendam *ex charitate*, debent intelligi de charitate actuali.

52. Hìc adverte, in Schola Scoti opinionem illam Mairon. vigere, de quo Mastr. in 4. disp. 5. n 92. hinc videbis non esse *falsã, & erroneam*, sed probabilem illam propositionem damnatam ab illustrissimo Clero Gallicano, quòd *in morte mortaliter pecces, si cum attritione tantùm sacramenta suscipias, quamvis actum contritionis omittas liberè*. Per contritionem hìc intelligit Clerus Doctissimus actum doloris ex objecto charitatis elicitum. Illa propositio clarè fundatur in opinione scotistica.

53. Scotus etiã docuit in 4. dist 17. q. 1. art. 2. vers. *respondeo*, *ibi* posse pœnitentẽ pœnitentiam datam à Confessario solvere in peccato mortali. D. Thomas, & alii hoc negant rigidiùs loquendo de pœnitentia, quæ post se aliquem effectum non relinquit.

54. Gabriel in 4. dist. 16. q. 2. art. 3. dub. 2. narrat, Alensem in hac materia sequi partem rigidam. Hanc relinquit tanquam *duram*, & *scrupulis plenam*. Mox subdit relatam opinionem benignam Scoti cum suis fundamentis. Inde affert Durandum existimantem *utramque sententiam probabilem*, sed primam duram, & [illegible]que rationes solventem. Denique decidens quæstionem sic discurrit. lit. P. Si manifestum esset ex Scriptura.... Opinio Scoti reproba esset; Quia verò id ex Scriptura deduci non potest, videtur opinio magis concordare misericordiæ divinæ, quæ secundùm Scripturam superexaltat judicium Jacobi 2. & est super omnia opera magnificanda usque ad Cœlos psal 56.

55. Collige obiter ex illis verbis Gabrielis: *Si manifestum esset ex Scriptura*, & etiam ex subsequentibus: *quia id ex Scriptura deduci non potest*; collige, inquam, regulam sequendi opinionem, etiam benignam, & à præcepto liberantem: Regula est: *quoties ex Scriptura, & ex aliis principiis certis præceptum non constat, toties possumus sequi opinionem benignam*. Vide num. 3. & 31. In hac regula fundatur Probabilitas.

56. Sed jam finem imponamus huic Tractatui, quem libentissimè absoluo in materia de Sacramento Pœnitentiæ, in quo maximè opto, ut benignas opiniones sequamur. Ad hoc vide cap. 15. 37. Absolvo, inquam, hunc Tractatum duobus textibus, & quidem pertinentibus ad materiã confessionis. Unus desumitur à Seraphico Doctore in 4. dist. 17. par. 3. art. 1. q. 2. Alter verò ex Alberto magno in 4 dist 17. art. 43. Uterque Doctor laudat Pontifices, quia dederint privilegium Regularibus audiendi confessiones, & reddendo rationem talis maximi privilegii primus sic scribit: Credo hoc privilegium in extremis temporibus emanasse, quia jam verificatum est illud Oseæ. 4 *erit sicut populus, sic sacerdos*, & pro magna parte Parochi sunt venales conductitii, & *multi Parochianos suos plus ad malum, quàm ad bonum trahunt*. Secundus ita discurrit: Privilegium audiendi confessiones religiosis, & honestis personis utile est concedere.... & hoc præcipuè temporibus novissimis necessarium est, *quia instant tempora periculosa propter abundantiam malitiæ*. In art. seq. dicit, impletum esse illud Ezechiel. 13. *pro fragmento panis, & pugillo hordei Corrumpebant me, & meum populum*.

Nota, Lector, hosce textus, quia manifestè convincunt Probabilioristas volentes Probabilitatem esse novam, & mores corrupisse; Nam tempore antiquo pravi mores passim vigebant, etiam in Parochis; hinc inferes, aut Probabilitatem fuisse antiquam, aut laxitatem morum inductam fuisse ante Probabilitatem.

FINIS.

INDEX RERUM.

Littera C. Caput, numerus sequens numerum capitis, numerus, cui non pracedit immediatè littera C. numerum marginalem significat. Hæc citatio: ult. Caput ultimum indicat. Si in aliqua citatione non adsit littera C. tunc redeundum est, usque dum inveniatur dicta littera, quæ denotat Caput illius citationis, cui talis littera deficiebat.

A

B

Ca-

Con-

F

G

Galliæ Cœtus celebratus Anno 1707. in Palatio Sancti Germani.

I

hic

ne

Opinio

Tho-

Con-

V

FINIS.

005677077